
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA






THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE.

REGIONVM ET VRBIVM JVRIS VENETI

TOMI QVINTI PARS PRIMA.



THESAVRVS
ANTIQVITATVM
ET
HISTORIARVM
ITALIAE,
REGIONVM ET VRBIVM
JVRIS VENETI.
TOMI QVINTI PARS PRIMA.







I. Verhoek Delin.

M. Pool Sculp.

THESAURUS ANTIQUITATUM ET HISTORIARUM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

REGIONUM ET URBIUM JURIS VENETI

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CUM PRAEFATIONIBUS


PETRI BURMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI QUINTI PARS PRIMA.

Scriptores hujus Tomi pagina versa indicat.





LUGDUNI BATAVORUM,

Excudit PETRUS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

S E R I E S
SCRIPTORUM
Qui in Quinto Tomo Thesauri Antiquitatum & Historiarum Italiæ inveniuntur.
P A R S   P R I M A.

Bernardi Justiniani, *Patricii Veneti*, *Senatorii Equestrisque Ordinis Viri Clarissimi*, de Origine Urbis Venetiarum rebusque gestis a Venetis Libri quindecim : in quibus gravissimo stylo non solum res Venetæ, verum etiam bella Gothorum, Longobardorum & Saracenorum amplissime continentur. Adjectis tribus libris de Divi Marci Evangelistæ Vita, ejus translatione & sepulturæ loco.

Donati Jannotii, *Reipublicæ Florentinæ à Secretis*, Dialogus de Republica Venetorum, cum Notis *Nicolai Crassi*.

Gasparis Contareni, *Patricii Veneti*, *& S. R. E. Cardinalis*, de Magistratibus & Republica Venetorum Libri V. cum Notis *Nicolai Crassi*. Accesserunt *Balthasaris Bonifacii*, de majoribus Comitiis & Judiciis capitalibus duæ Epistolæ.

Nicolai Crassi, *Veneti*, de Forma potentissimæ ac florentissimæ Reipublicæ Venetæ per omnem ejus Ætatem Mista Liber singularis, antehac Auctoris Notis in *Donati Jannotii* Dialogum, & *Gasparis Contareni* de Republica Venetorum Libros V. subjunctus, nunc vero ob elegantiam suam separatim impressus.

Blondus Flavius, de Origine & Gestis Venetorum.

Petri Bembi, *Patritii Veneti*, *Cardinalis*, Historiæ Venetæ Libri XII. Editio Novissima, cum optimis Exemplaribus collata, accuratissimè castigata, atque Indice copiosissimo adaucta.

Marci Antonii Coccii Sabellici, de Situ Urbis Venetæ, Magistratibus, & Officio Prætoris, atque Scribarum ingeniosa descriptio: ut & ejusdem Genethliacum ac Oraculum.

PARS SECUNDA ET TERTIA.

Splendor magnificentissimæ Urbis Venetiarum clarissimus; è figuris elegantissimis, & accurata descriptione emicans; in *duas Partes* distributus: Quarum *Prior*, Templa inclytæ Urbis magnifica, Collegia, Monumenta, Mausolea, Epitaphia, Inscriptiones, Statuas, Picturas, Sculpturas, ac reliqua ibidem memoriâ digna continet: *Posterior*, Regimen Serenissimæ Reipu-

publicæ Venetæ, Magistratus, Dignitates, Ædificia publica atque privata, Pompas, Festa, Spectacula, & sumptuosissima quæque recenset. Opus collectum atque editum ex Scriptoribus optimis atque luculentis.

PARS QUARTA.

Antonii Stellæ, *Clerici Veneti*, Elogiorum Venetorum navali pugna Illustrium Liber.

Nicolai Crassi, *Junioris*, *Philosophiæ*, *& J. U. C.* Elogia Patritiorum Venetorum Belli, Pacisque artibus Illustrium.

Bartholomæi Facii, *Reipublicæ Genuensis a Secretis*, de bello Veneto Clodiano Liber; ut & aliud parvi temporis Bellum Venetum.

Antonii de Ville, *Equitis Galli*, Pyctomachia Veneta, seu Pugna Venetorum in Ponte annua.

Josephi Laurentii, *Lucensis*, Dissertatio de Desponsatione Maris Adriatici, aliisque ad eam pertinentibus, vel cum ea convenientibus.

Joannis Valacrii, *Scoto-Britanni*, Spectacula Veneta, Epigrammatibus aliquot celebrata.

Andreæ Mocenici, *P. V. D.* Belli memorabilis Cameracensis adversus Venetos Historiæ Libri Sex: quibus Epitome latior præmissa est, unde breviter omnia intelligi possunt, quæ in singulis Libris continentur.

Bernardini Arluni, *Jureconsulti*, *Patricii Mediolanensis*, de Bello Veneto Libri Sex, ubi quæ, Seculo XVI. novo, a Germanis, Gallis, Hispanis, variisque Italiæ Principibus, adversus Venetos gesta, ad his vero infirmata sunt, usque ad Pacem inter hos omnes initam, aliaque huc pertinentia, dilucidissime & solidissime enarrantur. *Nunc primum e MS. editi.*



BERNARDI

BERNARDI JUSTINIANI,

Patritii Veneti, Senatorii Equestrisque Ordinis Viri Clarissimi,

DE

ORIGINE URBIS VENETIARUM REBUSQUE GESTIS

A

V E N E T I S

LIBRI QUINDECIM:

In quibus gravissimo Stylo nonsolum res Venetæ, verum etiam bella Gothorum, Longobardorum & Saracenorum amplissime continentur.

Adjectis tribus libris

DE

DIVI MARCI Evangelistæ VITA, ejus TRANSLATIONE & SEPULTURÆ LOCO.

Editio Novissima, nitidissima, à mendis purgata, ac Indice aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.



PRÆFATIO
NOVÆ HUJUS EDITIONIS.
BENEVOLE LECTOR.

SI in describenda Urbis Venetiarum *origine multus essem & laudi Auctoris diu immorarer, actum agerem, quoniam hæc copiose ab Auctore in opere ipso explicatur, illa autem a* Benedicto Brognolo *in Præfatione sua huic libro præmissa meliori modo celebratur. Cui ex abundanti Elogia ab aliis Viris Illustribus in* Bernardum Justinianum *conscripta adjunximus. Quo autem pacto Urbi* Venetiarum *in dies singulos aliqua accesserit familia, atque aliquod constructum fuerit ædificium, ut tandem ex tam humilibus initiis in illam magnitudinem non aliquo subitario mortalium concursu, sed sensim & per continuata annorum spatia excreverit & coaluerit, omnium optime ex hoc opere cognosci potest. Propterea Lectorem ad id ablegamus, & nos solummodo ea, quæ studium & industria nostra in repetendo hoc opere præstiterunt, indicabimus. Primum scias nos Exemplar* Venetiis *Anno M.D.XXXIV. per* Bernardinum Benalium *impressum secutos esse, quod quidem distinctionibus & punctis male subnotatum erat, sed pro viribus nostris prius emendavimus, & recognovimus, vitia parvi momenti, quæ librariorum incuria irrepserant, sustulimus, alia autem majoris ponderis, ne auctorem mutilaremus, missa fecimus, & solummodo in margine hujus Editionis nostram sententiam cum asterisco notatam adjecimus. Deinde Nomina propria, & alia notatu digna, ut & Orationes Epistolasque, quarum nonnullæ in hoc libro occurrunt, Characteribus à textu diversis, quo sub aspectum lectoris statim venirent, excudi curavimus. Postremo Indicem locupletissimum, & huic operi valde necessarium affiximus. Hæc si grate excipies, hosce quindecim libros* de Origine Urbis Venetiarum, *& tres libros* De S. Marci Evangelistæ Vita, Translatione, & Sepulturæ loco, *cætera ejus scripta, quorum* Benedictus Brognolus *in præfatione sua fere sub finem mentionem facit, Deo volente sequentur. Interim hisce fruere & vale.*

In BERNARDUM JUSTINIANUM Elogia.
EX JACOBI PHILIPPI BERGOMATIS
Supplemento Chronicorum.

B*ERNARDUM* quoque *Justinianum* patricium *Venetum* Philosophum & oratorum sui seculi apud suos *Venetos* principem prædictis viris illustribus merito annumerandum puto: eo quod non modo apud senatum suum *Venetum*, verum & apud curiam *Romanam* & universam *Italiam* atque *Galliam*, alias quoque nationes orator missus: cum gravissimas causas sapientissime perorasset, singularem semper dicendi gloriam omnium doctissimorum virorum judicio assecutus est. Hic autem cum & *Græcæ*, ac *Latinæ* apprime eruditissimus haberetur: plura e *Græco* in *Latinum* transtulit. E quibus *Isocratis* libellus ad *Nicoclum* regem: scripsit etiam historiam *Gotthorum* elegantem, vitamque *Justiniani* patriarchæ *Veneti* avunculi sui *lib.* 1. edidit. Et innumeros pene sermones & eosdem quidem ornatissimos atque elegantissimos: nec non epistolas pene innumeras ad diversos dedit: atque alia multa. Hic in anno salutis nostræ 1471. ad *Sixtum* pontificem maximum ab senatu suo orator missus: apud eundem de resistendo *Turcorum* licentiæ cum lachrymis agens *Turcos* Christianis duo imperia. 4. regna. 20. provincias: ducentas urbes utriusque sexus innumerabilem multitudinem ademit. Tandem in anno domini 1410. procurator sancti *Marci*: & eques auratus deficiens a filio ejus. F. regiis exequiis honestatus est.

EX PAULI JOVII
Elogiis Doctorum Virorum.


ERNARDUS Justinianus Venetus *à prima patriæ nascentis origine Historiam scribere orsus, quod susceperat grave munus elegantissime perfecit: ita, ut eum nobili gloria dignum existimemus, quum patritius, eruditoque patre genitus, quod patriæ debebat egregie, cumulateque persolverit.*

LATOMI.

Quærere debueras aliquem toto orbe latino,
O Imperatrix Hadriæ.
Qui quæ gessisti præclara domiquê forisque
Inde usque ab incunabulis,
Ore, animoque pari, nullo corruptus amore,
Ad posteros transmitteret
Quæsisti multis, quadam præmortua seclis
Jam parte: nec repertus est.
Ergone desperas? poteras: sed respice, civis
Qui præstet hic Bernardus est.
Quare age, grata suo quantum Verona Catullo,
Persolve: ni plus debeas.

EX NICOLAI CRASSI
Elogiis Patritiorum Venetorum.


USPICITE universi, atque sanctissime veneramini hoc ipsum non magis *Bernardi Jústiniani* Senatoris amplissimi, quam Eloquentiæ ipsius, atque virtutis illustre simulacrum, quod maxime pio, gratoque animo, & incomparabili merito inter *Veneti* nominis, egregia lumina spectandum proponitur, Hac ille promissa cæsarie, & generosæ frontis decore venerandus, seculorum omnium memoria dignissimus heros summum æternæ gloriæ decus comparavit, cum cæteros omnes splendore, atque dignitate æquales, non modo corporis proceritate, & oris gravissimi majestate vinceret, sed etiam commendatione virtutis, atque doctrinæ longe, multumque superaret. Etenim hic ille fuit, qui *Græcis*, *Latinis*que literis úsque ad miraculum instructus, magistratibus, & legationibus fere cunctis domi, forisque præclarissime perfunctus, cum & Rempublicam & Musas impense coleret, utriusque rei gratia eximiis honoribus excultus, elegantissima denique historia conscripta, *Latini* sermonis puritate, gravi cum primis, atque facundo stylo, rerum denique scriptarum fide plane admirabili, ita cætera erga *Venetam*, atque adeo literatam Rempublicam egregia merita cumulavit, ut inde non sibi modo, atque posteris, sed ipsi quoque patriæ, immo vero *Italiæ*, & *Europæ* æternam gloriam compararet. Cæterum Senatorem amplissimum, cujus illustris fama nullis seculis consenescet, stupenda virtute, atque divina prudentia supra mortales omnes eminentem usque adeo senatus suspexit, ut cum Divi *Marci* Procurator creatus esset, atque se domi ob affectam ætatem contineret, nihil tamen magni ponderis, atque momenti decerneretur, nisi ad eum honoris, atque adeo publicæ utilitatis ergo senatores mitterentur, qui sententiam perquirerent, & ad senatum referrent; sic undique felicissimus senex lucis usuram amisit, ipsumque revisit cœlum quasi postliminii jure, unde in hanc urbem venerat; post mortem etiam plane beatus, cum tantis laudibus fuerit promeritus, ut *Pauli Jovii* luculentissimi scriptoris divino præconio clebraretur, dicata in pernobili musæo inter sapientes viros effigie, atque elogio perscripto: cumque præter cæteros tanti generis amplissimos senatores in *Georgio* Equite legationibus maximis honestissime perfuncto, & *Laurentio* senatore illustrissimo renasci quodammodo gloriose, & reviviscere videatur.

EX GERARDI JOANNIS VOSSII,

De Historicis Latinis. lib. III. cap. 8.

BERNARDUS Justinianus, Leonardi *ante memorati filius, patricius* Venetus, *qui Urbis suæ nomine, anno* cIↃ CCCC LXXI. *ad* Sixtum *Pontificem legatus fuit, scripsit vitam patrui sui* Laurentii Justiniani, *protopatriarchæ* Veneti: *qui anno decessit* cIↃ CCCC LV. *Ea tum operibus* Laurentii *hujus Basileæ editis præfigitur: tum etiam apud* Surium *exstat in Sanctorum historia T.* I. *die* VIII. *Jan. Item* de origine Venetiarum *egit: idque, ut* Jovii *quoque judicium est, eleganter. Ad hæc scripsit vitam* Marci *Evangelistæ, & de corpore ejus* Venetias *translato. Quin* Gothicam *etiam historiam, ac præclare quidem condidisse, autor est* Jacobus Bergomas *in Supplem: Chronic.*

MORERI

dans son Dictionaire Historique.

JUSTINIANI (Bernard) de *Venise*, celebre par sa qualité & sa doctrine, a vécu dans le XV. Siecle. Il étoit fils de *Leonard Justiniani*, dont je parle ailleurs comme d'un homme d'une grande litterature, & neveu de Saint *Laurent Justinien* premier Patriarche de *Venise*. Celui-ci soûtint très-bien l'éclat & la reputation de sa famille, & fut employe dans les principales affaires de la Republique. En 1471. il fut Ambassadeur à *Rome* aupres du Pape Sixte IV. A son retour, il composa la vie de Saint *Laurent Justinien* son oncle, que nous avons en tête des Ouvrages de ce grand Prélat imprimez à *Bâle*, & dans le *recueil des vies des Saints de Surius*. Il publia encore un Traité *de l'origine de Venise, l'Histoire des Goths; la vie de Saint Marc l'Evangeliste* & d'autres Ouvrages, qui temoignent que *Bernard Justinien* avoit beaucoup d'erudition, de discernement, & de pieté. Il ne manquoit pas aussi d'éloquence, & il ne faut que voir ses *Epîtres*, ses *Oraisons*, & ses *discours* remplis de sentences qui l'ont fait surnommer le Philosophe. On assure qu'il mourut avant l'an 1495.

BENEDICTUS BROGNOLUS

LAURENTIO JUSTINIANO,

Patricio generoso viroque magnanimo

SAL. PL. D.

M*AXIME vellem magnifice* Laurenti *compater observande datum esset, ut qui* originem Venetiarum *urbis primariæ novissime conscripsit Clarissimus vir pater tuus* Bernardus Justinianus, *qui immortalitate dignus erat, is tantum vel vitæ adhuc vel otii sortitus esset, ut ipse suum opus, & emendare, & expolire suo more potuisset, non quod hic labor, qui ex ejus obitu nobis videtur obtigisse, gravis existat, quem quantum ad me attinet, tantæ quoque gloriæ mihi esse duco, ut vel propter hoc etiam levis videatur, sed quod & æquius fuerat, ut qui ex altera opera unicam laudem meritus fuerat, is ex hac quoque eam cumulatam ferret, & si quis* Aristarchus *erat aut* Varus *cujus vel examini ponderandum, vel limæ expoliendum recte credi posset, is ipse erat imprimis. Cæterum quando hoc optantes in cælum (ut proverbium est) sagittas mittere postulamus & cribro aquam circumferre, mihi faciendum statui, ut hanc curam, quam ex ipsius jussu mihi demandasti, susciperem, & hanc historiam ea lege, qua jussit recognoscerem, licet quanta sit hujus muneris magnitudo me non fugiat. Si quidem in censore historiarum, quæ maxime variæ sunt, non pauciorum artium cognitio requiritur quam in historico ipso, quem nullius fere artis ignarum esse oportet, non moralis, non politicæ, non militaris, non architecturæ, non fere cujusquam alius, quod alioquin non modo non posset ingenia, morem, studia, instituta, consilia, res gestas, opera alia, cujusmodi essent recte ut oporteret scribere; sed ne intelligere quidem, non magis quam in cantibus, aut sonis consonantias dissonantiasque ignarus musicæ deprehendere. Cui rei illud etiam accedit, quod ut absque egregia quadam artis oratoriæ peritia monumentis, tanta rerum multitu-*

do, tantaque varietas, recte, ut ratio postulat, prodi non posset. Ita sine pari artis dicendi comprensione utrum secundum eam res scriptæ fuerint, an non, quisquam videre non poterit, non magis quam cæcus (ut vulgo fertur) de coloribus recte judicare: quum præsertim illud ita sit faciendum eaque varietate sententiarum, verborum, compositionis, figurarum, aliarumque hujusmodi rerum, ut historia suavitatem habeat. Et licet ea quæ exponantur, paria inter se omnia non existant, oratio tamen universa ad parem dicendi cursum, & æquabilitatem quandam, & eundem tenorem reducatur, quod sine quodam artificio procul dubio fieri nequit. Mitto affectus qui attingendi sunt, conciones, quæ inseruntur, nec non ea quæ in emendandis operibus Fabius *ait consideranda neque solum nunquid desit, aut redundet, aut quippiam sit quod in melius mutari queat? verum etiam nunquid tumeat quod premendum sit, aut humile existat, quod sit attollendum, & alia id genus quæ animadvertenti tam multa mihi videri solent, & talia, ut intra nonum annum ad quod spatium temporis* Flaccus *præcipit editionem premendam esse, ut factum fuit a* Cinna, *aut decimum, ut ab* Isocrate, *qui auctores quum scripsissent, ille quidem* Smyrnam; *hic aut panegyricum, orationem multo minorem; quam hæc historia passi sunt abire.* Cinna *quidem novem annos,* Isocrates *vero decem, priusquam illa opera publicarent, ut intra (inquam) hæc temporis intervalla etiam mentem quam acerrime intendentibus, & animum liberum habentibus, & tempus vacuum. Quibus rebus ad hujusmodi munera obeunda maxime opus est, vix credam omnia videri posse ne dum intra unum, aut alterum mensem, & ei cui neque animus curis sit vacuus, neque otium unquam fere ullum detur: verum quum animadvertam me ad hoc munus delectum fuisse a sapientissimo parente tuo priusquam decederet, quem mihi verisimile non est falli potuisse, nisi forsitan in hoc tantum erravit, quod me quoque arbitratus est tanti operis censorem idoneum fore, tum hoc fretus, tum etiam doctissimo ac eloquentissimo affine tuo ac patricio dignissimo, nec non senatore gravissimo atque optimo, qui quum divi* Marci *procurator creatus fuerit, qui honor in hac magnificentissima & præcipua civitate ducatui proximus habetur, non tantum celsitudine & splendore ipsius extollitur, atque illustratur, quantum sublimitate & nitore suæ fidei, abstinentiæ, integritatis, justitiæ, probitatis, & aliarum virtutum ipse eum extollit atque illustrat:* Dominico Mauroceno *summo judicio summoque consilio viro; qui ad omnia erat adhibendus, non mediocriter confirmatus rem aggressus sum, & secundum leges historiæ omnia quam diligentissime licuit, contemplatus. Cæterum præter paucula quædam quæ vel rudia vel inchoata relicta fuerant, quibus manum imposuimus extremam, nihil prorsus repperi, quod ut in opere cujus auctor prius extinctus esset quam ederetur, non magnopere probandum esse censerem. Nam res primum ea disciplinarum omnium intelligentia, & artium cognitione expositæ sunt, eaque legum omnium historiæ scribendæ observatione, ut facile appareat nihil omnino defuisse scriptori, quo minus intelligeret quid esset unumquodque quod narrandum foret, & quale, seu quo modo actum gestumve aut factum num prudenter, aut juste, aut fortiter, aut secundum aliam virtutem vel artem, an contra, vel etiam casu aut fortuna. Nec factum esse ob ullam rem non ob amorem cujusquam non odium, non invidiam non aliam hujusmodi causam quo minus omnia ut haberent non plus aut minus vel aliter quam verum esset libere atque ut oporteret loqueretur, sive in aliquo immorandum, sive quid percurrendum aut quovis alio modo explicandum fuerit. Deinde cum multa ac diversa fuerint explicanda, ea sic disposuit, ut nihil extiterit omnino quod non suum locum decentissime sortitum fuerit. Quid dicam de copia verborum & delectu, nec non etiam compositione & numero, denique tota oratione & genere dicendi? Quis existimaret hominem in administrationibus reipublicæ continenter versatum, nec solum domi sed etiam foris, & propterea a litterarum studio fere semper avocatum, tam copiosum in dicendo, tam elegantem fieri potuisse? Quod igitur in aliis dicentibus non amplum habetur præmium teste* Quintiliano *oratio emendata, & dilucida, quodque eis magis est vitium deesse, quam ut ex eo magnam virtutem adepti videantur nonne in ipso vel maximum est ducendum? Sed adde quod & gravis est, & ornatus, & ita, ut quæ dicta sint ab ipso, ea neque aptius, neque suavius commemorari potuisse videantur. Quod tamen haud quaquam ita est admirandum siquidem quales sunt artifices, talia & eorum opera esse consueverunt. Totus enim gravis, totus compositus & suavis erat, qui omnibus scientiis comparandis usque adeo semper deditus fuerat, omnibusque disciplinis intelligendis & artibus, cæterisque rebus ex quibus sapientia constat & eloquentia cui præcipue incubuerat, ut si quid de ulla earum fuisset quod per occupationes & otii penuriam aliquando ad scientiam suam adjicere non potuisset, id sibi detractum fuisse arbitraretur. Sed in præsentia non id agitur ut omnes ejus laudes explicentur. Non solum igitur in narrationibus, aut descriptionibus, & aliis ejusmodi partibus historiæ mira fuit facundia, sed etiam nec minus in concionibus, nisi forsitan prudentia in eis desideretur aut vis, aut alia quæpiam virtus dicendi, quod vel decorum personarum non servarit, vel rationem causarum non habuerit, aut veritatem, moratam orationem, vel acrimoniam, aliasve formas dicendi & figuras ubi fuerit opus non adhibuerit. Quarum rerum nullam profecto videbimus accidisse, siquidem ea gravitate & ornatu eas confecit, ut non facile invenias quo pacto meliores fieri potuissent. Quare eum ob alias*

par-

partes historiæ omnes, tum vero nec minus propter has conciones, nihil dubitaverim eum inter veteres illos scriptores annumerare & excellentes. Quippe qui præter id quod ex cæteris virtutibus dicendi quibuscunque ad hanc historiam scribendam fuit opus, nulla extitit, qua non solertissime fuerit usus, nusquam satis habuit quantumvis ei propter rationes prædictas neque parum esset neque leve sententias quas & graves & aptas excogitasset, veluti lineamentis quibusdam expressisse, sed tanquam pictor magnificentissimus nec minus peritus coloribus quoque optimis eas voluit quam pulcherrime exornare. Sed supervacaneum est id verbis coner ostendere, quod est rebus ipsis apertius mox sese ipsum ostensurum. Nec sum tamen inscius quam audacter faciam, qui hoc munus, quod est doctiorum, usurpem, & super hujusmodi operibus sententiam feram. Sed mihi persuasum est idem ab optimo quoque quicunque hunc librum legerit judicatum iri, nec me tantum meo amore erga scriptorem moveri, ut ita sentiam, quantum ipsa rei veritate. Unum est tantum quod verear quo pacto nonnulli sint accepturi, quod huic historiæ bellum Gotthorum *inseruerit, necnon etiam* Langobardorum & Saracenorum, *aut in eis exponendis præsertim bello* Gotthorum *latiuscule sese extenderit. Sed primum quum ejus intentio fuerit, ut civitatis* Venetiarum *originem traderet, non video quomodo illa prætermitti potuerint propter quæ ea fuerint constituta: Deinde (ne alias rationes dicam) si ea uberius sunt exposita, aut aliquid earum, nihil tamen superfluum est commemoratum, & ipsa quoque tam digna sunt cognitu, ut etiamsi ad rem alioqui nihil ob ullam causam attinerent, & plenius etiam exposita essent omnia, vel maximam tamen habendam censerem gratiam ei, qui nobis eorum historiam Latine sic tradidisset. Quemadmodum igitur* Vergilius *ex* Æneide: Ovidius *ex metamorphosi:* Cæsar *ex commentariis:* Persius: Valerius Flaccus: *alii item ex aliis operibus suis, unicam laudem fuerunt consecuti, licet defuncti fuissent, priusquam illa emendassent edidissentve; sic non dubito clarissimum patrem tuum singularem gloriam ex hac historia apud optimum quemque, qui eam legerit, adepturum: quamvis decesserit & ipse priusquam eam vel castigare, vel expolire valuisset. Quare licet mihi ambiguum non sit, eum si diutius vixisset multo magis & melius suum opus elimaturum fuisse, & quædam forsitan ad majorem brevitatem redacturum, nonnulla magis illustraturum, alia alio modo in melius mutaturum, ne quid aliis quæ composuisset ulla in parte deterius foret, tu tamen nobis auctoribus non expectabis dum quispiam alius omnia morosius velit persequi, librum passim feriat, & dum eum formosiorem studeat reddere, & politiorem cicatricosum ipsum (ut verbis* Quintiliani *utar) & magis deformem efficiat. Sed primo quoque tempore desiderio tum aliorum, tum in primis tuorum civium, qui cupiditate flagrant, ut ex parente tuo hanc historiam cognoscant, satisfacies, & eam imprimendam curabis, quæ elegantius composita est, quam ut ullus posset existimare, qui nosset quam semper auctor ejus ita fuerit tum publice tum privatim occupatus, ut mirum sit eum potuisse unquam vel ad hæc scribenda sese instituere: Quum interea eam ita composuerit, ut non a negotioso, sed ab otiosissimo scripta esse videatur. Qua de re quo minus dubites si modo possim satisve deceat per hoc id efficere hoc in loco unum (sic enim mihi visum est) breviter, vel uno spiritu commemorabo, sed tu, quodcunque id fuerit, dabis veniam libere loquenti. Licet enim tu quoque non parve ei, qui te genuit, laudi existas, quod* Byzantio, *ut hinc incipiam, sive* Constantinopoli *qua urbe neque magnificentius, neque præclarius quicquam facile habetur, oriundus ex illustrissima* Justiniani *imperatoris prosapia, &* Venetiis *quæ* Byzantio *tum aliis dotibus, & ornamentis, tum magnitudine rerum gestarum & gloria minime cedunt, ortus, & ea domo, quæ præter patrem tuum &* Leonardum *avum, qui clarissima civitatis lumina extiterunt,* Nicolaum *quoque* Justinianum *antea produxit, qui familiam vestram, quæ injuria fortunæ & culpa temporum ad unum redacta fuerat, propagavit spectatum omnis probitatis exemplum, nec non* Thomam Justinianum *aliud* Venetiarum *columen, & præsidium singulare, & præterea beatum* Laurentium *avi tui* Leonardi *fratrem primum* Venetiarum *patriarcham dignissimum, cujus nescias quid potissimum laudes, atque adeo potius admireris, summam doctrinam & scientiam, an eloquentiam insignem, an admirandam sanctitatem & alios præterea permultos viros præstantes (non enim modo locus est ut omnes recenseam, nedum de omnibus omnia dicam) ita te & privatim, & publice geris, ita omnibus in rebus administrandis verseris, ut si non iisdem prorsus artibus, & institutis (non enim omnes possunt* Bernardi Justiniani *esse,* Leonardive, *aut* Laurentii Venetiarum *patriarchæ, ne dicam* Justiniani *Imperatores, quin etiam re vera in tanta rerum copia, & varietate ne commodum quidem esset, unum tantummodo & idem iter ab omnibus teneri) at aliis de laude & gloria cum eis prope dixerim contendere velle videaris. Tamen neque tam dignam, neque tam diuturnam, neque tam propriam ex te quam ex hac historia capit laudem, quoniam tu quantum ad ipsum attinet fœtus corporis, illa animi, tu modum vitæ humanæ excedere non potes, illa in perpetuum durare, tu si constans, si pius si fortis, si fide, si magnitudine animi, & aliis optimis quibusque moribus, & virtutibus præditus, hæc abs te habes, & ab electione tua. Illa præter ipsum auctorem habet neminem, ipse non solum corpus ejus produxit, & characteribus tanquam lineamentis, & membris formavit, sed sensus etiam & sententias ei tanquam animam infudit, neque figuris solum tanquam vestibus eam induit, sed coloribus quoque*

tan-

tanquam gemmis & margaritis ipsam castissime exornavit. Quo circa quando ejus gloriæ non minorem quam debes curam geris, dabis operam non solum ut hæc historia imprimatur cum vita Divi Marci, *& ejus translatione; ac aliis opusculis quæ huic adjunxit, sed etiam ejus epistolas, atque adeo etiam & multo magis orationes, ad quas emendandas expoliendasque quo plus otii nactus fuit, eo etiam in suo genere elegantiores extitere* *: *Immo (tulit enim domus tua quasi ad imitationem familiæ* Curionum *continua serie præstantissimos oratores) his addes etiam illam avi tui* Leonardi *orationem funebrem, quam in laudem* Caroli Zeni *habuit, & si quam præterea aliorum more oratorum litteris mandatam reliquit, de illis causis quas egit vel in foro vel in senatu, ubi vi dicendi tantum polluit, & eloquentia, ut & illud assecutus fuerit quod de* Pericle *traditum est, ut non loqui aut orare, sed tonare & coruscare videretur: & illud quod de* Cicerone: *ut quemadmodum* Romæ Cicero *in judiciis, sic ipse* Venetiis *tanquam alter* Cicero *in eis regnare diceretur. Hæc licet tua sponte ad id mihi satis propensus visus fueris, intelligens hujusmodi monumentis nullum dignius, nullum nobilius, nullum præstabilius esse. Tamen mihi sumpsi ut ad te scriberem, ut oleum (sicuti vulgo fertur) adderem camino, & currentem impellerem, quo hæc opera publicaturus eo alacrius id faceres, quod id a tuis si modo in his judicii quicquam habent, intelligeres comprobari. Vale.*

* Scripta illa, de quibus hic mentio fit, etiam typis mandabimus.



BER-

BERNARDI JUSTINIANI,

Veneti Patricii, Senatorii Ordinis Viri Amplissimi, Equitisque Clarissimi,

DE

ORIGINE URBIS GESTISQUE VENETORUM HISTORIÆ

PROOEMIUM.



OLENT plerique historiæ cupidiores, quibus Venetiarum urbem videre, aut de ea aliquid audire contingit, vehementius admirari: Quænam tam nova insolensque ducendæ vitæ ratio homines terra natos campestribus locis assuetos induxerit, civitatem condere inter paludes. Fuisse etenim alibi urbes in aquis sitas, & legimus & audivimus: Ut Tyrum apud Phœnices: Justinopolim apud Histros: Cyzicum in Asia. In Galliis autem ejusdem nominis Venetos oppida habuisse consimili situ Cæsar describit. Sed ad eas omnes ex continenti lingulis quibusdam erat accessus, ut terram omnino reliquisse non viderentur. Mediis autem in aquis urbs constituta, nec visa unquam nec audita. Majorem autem interdum admirationem excitat loci difficultas & insolentia, quam operis magnitudo: ut pons ille lapideus per transversum pelagus a Bajis ad Puteolos ductus: aut Ægyptiæ quoque Pyramides, quarum tametsi moles & altitudo sese admirandam præbeat: non tamen illud minus quod, ingentia illa saxa unde sint comportata, vix bene percipi possit: cum omnia circumquaque arena contecta sint. Adde civitatis quoque amplitudinem, quæ diuturnitate libertatis, & rerum gestarum gloria: nec non sanctissimarum legum institutis, inter primarias omnium seculorum annumerari potest. Sic enim sine cujusquam injuria loqui libet. Placuit itaque facere huic communi desiderio satis, & insolitæ hujus originis causas in lucem proferre. Non ut in Rivalti primis quasi seminibus conquiescamus unius insulæ tenuis atque pusillæ; sed ulterius progrediamur, causasque retexamus hujus condendæ, quam videmus, civitatis. Quibus videlicet adacti rerum conversionibus tot mortales, aut vi compulsi, aut certo judicio adducti, primum cæteras insulas & littora tenuerint: demum plerisque aut desertis aut relictis convenerint in unam, quæ ad justam Civitatis mensuram redacta caput esse cœpit & princeps Venetiarum, ut per annos octoginta supra CCC. tantis Italia imperiumque malis (cæterarum enim gentium clades nobis omittendæ) tum a barbaris, tum ab hæreticis laboraverit, ut præter Theodorici Gotthi annos, quibus Italiam tenuit, nulla pene unquam illis sit requies data. Qui labores tamen a multis mandati memoriæ: utinam eo ordine Scriptorumque concordia, atque ea tam rerum quam temporum ratione, quæ satisfacere legenti possent: ad ea præsertim quæ indaganda apertiusque declaranda suscepimus. Sed multa confusa obscura & male invicem compacta inconditaque, falsa quædam etiam & quod ab uno scriptum ab alio prætermissum: ut nullam pene in his historiæ bene digestæ lucem aut gratiam reperias. Tantum ex his excipere amor incessit, quantum ad declarandum quod quærimus satis fuerit, haud contemnenda ut mihi quidem videtur ratione. Nam si illam perfectam & absolutam dicimus civitatem, quæ per se se rebus omnibus ad humanæ vitæ usum suppeditandis satis ampla sufficiensque est, ut sapientibus omnibus placet, sane non video, quo pacto Rivaltus post Athilæ ex Italia discessum, recte civitas appellari potuerit: duabus solum parvis insulis habitata. Quanquam ex his, qui de Venetiarum initio conscripsere, aliter Venetus illud, aliter externus assumit. Siquidem prisci Rivalti incolæ initia ultima repetentes exordia sumpsere ab Æde sacra primum in Rivalto condita, atque Deo optimo maximo æterna memoria consecrata: Externi autem de Rivalto nihil seorsum: De omnibus insulis Venetis simul eas ab Atilæ in Italiam adventu originem accepisse. Quæ sententiæ licet diversæ sint, non tamen a vero sunt alienæ: Siquidem omnium rerum, quæ aut natura gignuntur, aut arte constant, plura fere semper inesse principia videmus. Natura quidem ut in foetibus animantium, arte ut in pictoris imagine quam stylo primum designat, colores deinde adhibet penicillo. Navalis quoque faber primo quasi spinalem carinam supponit, deinde costis munit, donec in aquam deducat; sic primas omnium civitatum origines fuisse humiliores haud profecto dubium. Nam ut alias multas taceam, Romæ primordia ab Evandri Palanteo nonnulli repetunt; alii ab Ascanii filia: Romulus deinde superiora omnia delevit. Sumere etenim licet civitatum initia, vel altiora, vel absolutiora, ut cuique magis videtur. Arbitraria enim res omnis posita in populorum principumque voluntate. Veneta posteritas maluit in majorum exordio permanere, quod sanctum religiosumque accepisset. Magnum enim antiquæ religionis radices convellere. Aliæ siquidem civitates aut operum magnorum initiis, aut conditorum dignitati, nonnullæ numinibus ortus consecravere. Defuere ista Venetiis, nullis munitis unquam mœnibus aut arcibus, neminem præterea unum potest asserere conditorem, etiam si ab Athilana clade sumatur initium. Nulli debet hoc beneficium nisi Deo optimo maximo bonorum omnium origini atque auctori, ad cujus operis exortum, benignam largamque dexteram porrexisse dubitare non licet. Ast duo illa nobis relicta, situs videlicet & condendi ratio, omnibus tum mœnibus, tum conditoribus memorabiliora. Situs quidem admirabilis invisus antehac & inauditus, nec minus condendi ratio, ut suo loco dicetur. Sicubi vero apud alios, aut obscurius aliquid, aut variis contrariisque sententiis traditum offenderimus, sequi probabiliora planioraque reddere propositi est. Non omittemus etiam siquid inter narrandum vel utilius vel jocundius ad notitiam sese offeret. Neque enim venia indi-

indignus exiſtat, quiſquis peregrinationem ingreſſus præcipue longiorem, ſi forte in oppidum aliquid illuſtrius, regionemve inciderit amœniorem, luſtrare illam ejuſque gentis quicquid ſit vel uſu vel notitia dignum ſcrutari haud neglexerit. Nam & Thucydides *propoſito inſiſtens, &* Herodotus *gentes & terras & mores in quos incidit noſſe concupiſcens non uterque in genere ſuo non laudandus. Orſus ſum autem hæc, tum aliis, tum ipſi mihi: dum equidem non minus turpe exiſtimo patriæ meæ originem ignorare, quam ſi de natalibus meis interroganti reſpondere non poſſim. Nam ſi* M. Cato *ſibi gloriæ duxit, quod octogenarius & omnibus functus honoribus origines ſuas in manibus haberet, quibus populorum initia memoriæ mandaret, cur mihi quoque ejus exemplo patriæ meæ originem hactenus omnibus fere ignotam ſcrutari, & omnibus in lucem dare non liceat? Aggrediemur igitur & nos noſtram. Cæterum cum* Venetiæ Venetiarum*que nomina ſæpius nobis ſint repetenda, ut omnis nominum tollatur error, illud præmittendum, mediterraneam quidem omnem regionem, quæ æſtuaria iſta circumjacet,* Venetiam *quondam appellatam. Fuiſſe autem, cum in his paludibus nulla erat habitatio præter piſcatorias ſalinariaſve caſas, in Inſularum modum propriis quaſque nominibus nuncupatas. Has omnes poſt* Athilæ *adventum excidiumque Urbium earum, quæ æſtuaria contingebant, frequentius inhabitari cæptas, & præter propria nomina univerſas* Venetias *appellatas. In his fuit* Rivaltus *inſula, in quam aliquot poſt ſæcula magnus confluxit mortalium numerus, atque in ea omnium Inſularum & littorum una cum* Venetiarum *nomine principatus eſt conſtitutus.* Venetia*que interdum, ſæpius tamen* Venetiæ *plurali numero Civitas appellata. Ejus Urbis originem deſcribere inſtituimus. Sed prius tamen aliqua de gente* Veneta, *deque Situ ac locorum natura paucis aperiemus, ut his etiam qui nec viderunt unquam nec viſuri ſunt, ſola ſi fieri poteſt lectione fiat ſatis.*

LIBER PRIMUS.

VENETORUM Gentem ſatis conſtat perantiquam, & multorum ſcriptis celebratam. Perſequi ſingulos non eſt neceſſe, ſatis fuerit præſtantiores. Hi de ejus origine bifariam ſenſere, *Livius Enetos*, prius dictos ex *Paphlagonia Aſiæ* regione poſt *Trojam* incenſam amiſſo rege *Phylæmene*, Duce *Antenore*, in hæc intima ſuperi maris ſtagna claſſe veniſſe auctor eſt, nomenque univerſæ genti dediſſe. *Catonem Plinius* aſſerit atque *Cornelium* nepotem idem ſenſiſſe, *Venetos* ortos ſtirpe *Trojana*, & *Quintus Curtius Alexandri* magni tranſitum in *Aſiam* deſcribens, hujus etiam meminit nominis & gentis. Cæterum alii longe ab his abeunt in diverſum. Ex iis *Gallis* oriundos volunt, qui oram Oceani accolunt, contra *Britannos*. Siquidem *Cajus Cæſar* de *Venetis* ſcribens, ejus dicit civitatis longe ampliſſimam fuiſſe auctoritatem, omnis oræ maritimæ, regionumque earum. Qui & naves haberent *Veneti* plurimas, quibus in *Britanniam* navigare conſueviſſent, & ſcientia atque uſu rerum nauticarum cæteros antecellerent, & in magno impetu maris, atque aperto paucis portubus interjectis, quos tenent ipſi, omnes fere, qui eodem mari uti conſueverunt, haberent vectigales. Addit paulo poſt eos in æſtuariis aliquot oppida tenuiſſe, quæ quidem omnia ſunt a noſtris nunc *Venetis* non diſſimilia. *Diodorus Siculus* haud ignobilis ſcriptor hanc & ipſe probat ſententiam. Qui hoc ſunt opinati, credidere cum iis *Gallis* deſcendiſſe in *Italiam*, qui *Tarquino Priſco* regnante domo profecti, quum Alpes tranſiſſent multis conditis Urbibus *Galliæ* nomen indidere, *Venetoſ*que in partem tenuiſſe has potiſſimum terras, quas ſuperi maris ſinus offundit, placuit *Straboni* rem ponere pro incerta. Et profecto magnis utraque auctoribus ſubniſa ſententia eſt. Attamen non video quid prohibeat in unum ambas coire poſſe, ut videlicet & *Paphlagones* pulſis *Euganeis* nomen genti dederint: Quod *Livius* ſcribit: & oceani accolas aliquot poſt ſæculis quum omnem *Ciſalpinam* armis obtinuiſſent, in partem felicis expeditionis accepiſſe hanc regionem, quæ a prioribus *Venetis* incoleretur, pellectos tum maritimis ſtudiis, tum aliqua etiam quaſi patrii nominis cognatione, in unamque confuſos & gentem & nomen. Utcunque fuerit, conſentire videntur plerique utranque gentem ſæculis licet diverſis in hanc regionem armatos deſcendiſſe, qui vero priores nomen dederint in dubio relin-

A qui. *Herodotus* vero ob antiquitatem pater appellatus hiſtoriæ libro ſecundo: Ubi de moribus *Babyloniorum* in nuptiis adjungendis narrat, audiviſſe aſſerit, eandem de nuptiis Legem *Venetis* apud *Illyrios* in uſu tum fuiſſe. Quæ quidem provinciæ tametſi aliquantiſper locis diſtinguantur, earum tamen propinquitas facile dat errori veniam. Inde fortaſſe *Servius* quoque grammaticus *Venetos* voluit ab *Eneto Illyricorum* rege dictos. Sed in hac rerum antiquitate licet unicuique, quod magis libet, opinari. Satis illud fuerit gentem nomenque fuiſſe antiquiſſimum & ab magnis ubique ſcriptoribus celebratum. *Lodovicus* rex qui nunc *Francorum* regnum gubernat,
B dum oratorem agerem apud eum appellare ſolebat me collegamque familiaribus in colloquiis conſanguineos. Quod ſcriptum diceret a majoribus, qui veteres *Francorum* natales memoriæ prodidiſſent, *Gallos Venetoſ*que iiſdem majoribus cretos. Si vero *Aſiæ* potius quam *Galliæ Veneta* initia ſunt dicanda, non eſt a nobis prætermittenda laus, qua is, quem dixi, *Curtius* eam gentem ornavit. Tradit enim immunes ab omni tributi collatione ſemper extitiſſe, & ab *Alexandro* impetraviſſe, tributum, quod ne *Perſis* quidem tuliſſent, pendere ne cogerentur. Hanc profecto immunitatis gloriam Deo fert acceptam, ſem-
C perque feret Civitas hæc. De gente igitur ac nomine ſatis dictum. De regione quam in *Italia* tenuere & ejus finibus pauca ſubjicientur.

Venetiæ Provinciæ fines priſcis temporibus obſcuros admodum reperio, & incertos. Nam ſi ex quo primum in hæc loca deſcendit *Antenor Venetum* quoque nomen huic genti inditum eſt, nihil fere ultra ſcriptum accipio, quam pepuliſſe *Euganeos* ad Alpes uſque. Sed dextera lævaque quouſque progreſſi ſint explicitum ab ullo non video. Si vero primi nomen genti dedere *Galli*: non etiam video plus obtinuiſſe quam *Veronam* uſque *Mantuam*que. Siquidem *Plinius Gallos Orobios Bergomum*, *Comum*que condidiſſe aſſerit.
D *Cremonam* & *Brixiam Cenomanos*. *Mantuam* quidem *Plinius* ad *Venetos*, *Veronam* autem ad *Euganeos* refert. Hæc ab occidente. Ab oriente vero concordant priſci omnes ad *Aquilejam* uſque fines protendiſſe lapidibus conterminam, & campeſtria omnia oppida tenuiſſe ad Alpium radices, ut paulo poſt dicemus: Montana hinc *Retios*, hinc *Carnos* incoluiſſe. Ut autem longius *Venetia* extenta non fuerit, magnam (ut mihi quidem videtur) Livius *quinto hiſtoriæ libro* fidem facit:


SEVILLA


GOLFE DE VENISE
avec les Côtes maritimes Bayes et Ports, etc. de la
GRÈCE, DALMATIE et ITALIE,
recemment donné au Public par
PIERRE VANDER AA,
Marchand Libraire à LEIDE.
Lieues d'Allemagne de 15 au Degré.
Lieues de France de 20 au Degré.
VENETIA
GOLFO DI VENETIA
DALMATIA
ITALIA
MER MEDITERRANÉE
SICILIA.
ALBANIE
GRÈCE
MOREA
Venetiæ
Chiosa
Comachio
Ravenna
Rimino
Pesaro
Ancona
Triest
Rovigno
Promontore
I. de Arbe
I. de Pago
Zara
Sebenico
Spalato
Lesina I.
Narento
Ragusa
Catarra
Budoa
Dulcigno
Lodrin
Durazo
La Valona
Golfe de la Valona
Civita vecchia
Roma
Terracina
Gaieta
Napoli
Salerno
Ischia
Capri
C. Licosa
Policastro
Golfe de Policastro
Ortona
Pescara
Fortore
Manfredonia
Golfe de Manfredonia
Barletta
Bari
Monopoli
Brindisi
Otranto
Taranto
Golfe de Taranto
Galipoli
C. S. Maria
C. delle Colonne
I. Corfu
Paxsu I.
Larta
L. Maura
Cephalonia
Zante
Lepanto
Golfe de S. Eufemia
Stromboli
Lipari
Vulcano
Messina
Rhezo
Palermo
Trapana
Sergento
Taormina
Ætna M.
Catania
Golfe de Catania

45

44

43

42



45

44

43

42



facit: Dum de *Etruscorum* potentia narrat, quos dicit omnia trans *Padum* loca, excepto *Venetorum* angulo, qui sinum circumcolunt usque ad Alpes, tenuisse. Quo fit ut satis mirer unde acceperint nonnulli ex recentioribus, & præsertim *Paulus Diaconus Longobardæ* scriptor historiæ, quique eum secuti sunt, *Venetiam* alterum extendisse caput ad *Abduam*, alterum in *Pannoniam*. Neque enim post ea tempora ex ullis monumentis accipio *Venetorum* opes tam in immensum excrevisse, ut eos sibi subderent fines. Quinimmo tantis deinceps ea terra est afflictata excursionibus barbarorum, ut satis habuerint eos, quos diximus, fines tueri. *Galliæ* quidem *Cisalpinæ* nomen & pervetustum est, & maxime olim patuit, ut has etiam paludes *Vitruvius* scriptor inter antiquos non vulgaris *Gallicas* appellet. Nec ullis etiam literis scriptum invenio, quo pacto a *Veneto* nomine *Gallicum* sit extinctum. Nisi quod *Longobardæ* scriptores historiæ tradunt: *Longobardos* postquam eo omni *Italiæ* tractu, qui clauditur Alpibus & *Apennino*, sunt potiti, non *Galliæ* sed *Venetiæ* nomen sustulisse, *Longobardiam*que eum appellavisse. Hæc de occidentis Capite *Abduam* versus dicta velim. Quod autem orientis caput protendunt in *Pannoniam*, facile fateor, me non satis intelligere, quo pacto *Italiæ* pars ultra *Italiam* extendatur. Præsertim si *Pannonios* solos illos dicimus, qui accolunt *Danubium* ultra citraque. Nam si tota *Italia* clauditur Alpibus, eorumque montium claustra naturam pro finibus *Italiæ* dedisse omnes fatentur, quonam pacto ad *Histrum* porrecti dici possunt *Italiæ* fines? Neque enim crediderim ullum ausum scribere, *Italiam* usque ad *Danubium* fines protendisse. Sed fortasse voluerunt *Pannoniam* citeriorem nuncupare, quicquid est ultra Alpium juga citra *Danubium*. Ut hinc a Jugo Alpium *Italia*, & *Venetia Italiæ* pars, inde *Pannonia* citerior habeatur, quam nunc *Stiriam Carinthiam*que, olim *Noricum* & *Illyricum* appellavere. Quos forte si secuti sunt fines, meminisse debuerant Alpium juga *Italiæ* latera esse non capita. Caput enim *Italiæ* ab oriente *Pola* est *Histriæ* civitas, quam *Plinius* tertio historiæ libro pietatem *Juliam* scribit appellatam, & a *Colchis* conditam, nemo est qui nesciat, fluviumque *Arsiam* haud procul in mare cadentem terminum *Italiæ* constitutum. Inter *Venetiam* vero & *Histriam* interjecta *Iapidia* est. Sed profecto sicuti cæterarum omnium rerum, sic locorum, regionum, urbium, nationum magna mutatio facta. De *Venetiæ* lateribus nulla dubitatio est, quin a dextera Alpibus, a sinistra paludibus & mari claudantur usque *Ravennam*. Cæterum hac tempestate sola littora & insulæ per æstuaria sparse gentile nomen retinuere.

Ultimum Adriatici maris sinum tenue littus circumflectit, cujus a tergo vastæ jacent paludes, tum a fluminum exoneratione, tum a maris æstu. Eas natura summa rerum artifex objecto littore ex arenæ cumulis aggesto a pelagi fluctibus defendit. Alluat enim mare quicquid intra eas extructum est, nisi littora, quasi muri pro munimento obstent, non tamen quin mortalium labor naturæ non sit auxilio, maximis saxorum & vallorum obicibus adversum pelagi tempestates impetusque ventorum. Hæc stagna continentis oram lambunt. Cingebantur autem ea tempestate multis egregiis urbibus, nam orientis caput *Aquilegia* nobilis olim *Romanorum* colonia tenebat. Ita tamen ut *Straboni* placeat, & *Venetiæ* terminum & extra *Venetiam* fuisse. Quod communi fere omnium sententiæ non placet. Huic proxima fuit *Concordia*, inde *Opitergium*, A deinde *Altinum* vetusti nominis oppida, sequebantur *Taurisium* & *Patavium*, licet *Taurisium* recentius fuerit, neque ulla priscis temporibus ea de Urbe memoria habeatur, ex in *Monsilicis*, quod *Acellum* multis placet olim fuisse. Sed hæ omnes aliquanto a mari subductiores. Inde *Adria Etruscorum* quondam colonia, quæ mari nomen dedit, & ultimum caput *Ravenna* claudebat, quæ tota paludibus cincta, pontibusque compacta, per insertos urbi euripos naviculis lustrabatur. Talem enim *Strabo* describit, qui fuit *Cæsaris Augusti* temporibus, atque ex asseribus pe- B ne totam, & ligneis ædificiis compactam. Sed qui deinceps eam frequentavere nobilemque reddidere templis & turribus & superbis ædificiis. *Augustus*, *Tiberius*, *Trajanus*, *Valentinianus*, *Theodoricus* implevere terra paludes, ut eam tandem redegerint in continentem, ita factam, ut, quæ olim tota fere aquis allueretur, nunc ab his recedat passuum plusquam tribus millibus. In hæc autem stagna præter alia minora exonerantur flumina septem prælata ab Alpibus cadentia, vomentia maximam vim aquarum. *Tiliamentum*, *Liquentia*, *Plavis*, *Brenta*, *Bachilio*, tria hæc nominis recentioris. Sane *Meduacus* fuit quem *Brentam* posteriores appellavere. Licet *Plinius* C duos ipse numeret *Meduacos*, ex quibus (ut opinor) alter *Bachilio* nunc est. *Athesis* deinde *Padus*que. Nunc autem *Padus* & *Athesis* omnem eam paludium partem, in quam cadunt, arena straverunt. Idem fecere alia flumina a capite superiori multis in locis, nisi quantum potuit mortalium industria defendere, ut, quæ stagna olim paulominus ducentorum passuum millibus per longitudinem extendebantur, nunc ad dimidium redacta sint. Latitudo ubi apertior, tum fuit passuum duodecim millibus, antiquioribus vero temporibus dimidio vastiores. Perpendant D nunc diligentius *Veneti*, si sapiant, quantum paludium hominum negligentia ex aggestione temporis sit amissum, meminerintque quantum bellorum a suis majoribus cum regibus etiam & Imperatoribus sit exhaustum, quantum auri profusum, quantum sanguinis, dum illi sternere eas conantur, *Veneti* vero latius eas propagare contendunt. Sed profecto videtur natura in corrumpendis, quas producit rebus, & in diversam speciem formamque redigendis novos nimium adhibere modos, quos fieri posse non facile credideris. Nam quod nulla potuit per tot sæcula exercituum armorumque vis, ut has paludes exsic- E carent, in continentemque redigerent: posteaquam hujusmodi Injuriam non solum non repressere *Veneti*, sed inferentes etiam in ditionem vertere suam, quasi desisset omne periculum, nec ab arena fluminum amplius esset metuendum, ita in negligentiam oblivionemque versa sunt omnia. Privatusque plus potuit usus, atque commoditas quam publicæ tam ingentis admirandæque Civitatis opes, ut in discrimen veniant ædificia, templa, turres, leges, magistratusque atque concilia, quibus in rebus privatorum hominum opes omniaque illa commoda continentur. Ex iis F quæ memoravimus fluminibus septem, existimarem fortasse septem maria has paludes appellatas nisi nonnullis videretur *Plinium* maluisse *Padum* eum esse, qui septem maria efficiat deductum in fossas inter *Ravennam Altinum*que cxx. millibus passuum, tamen quia largius vomit septem maria dictum facere. Cæterum quod sequitur non alienum a sententia nostra videri potest. Nam paulo post omnia ea fossas fluminaque primos Asagos fecisse *Etruscos* dicit, egesto amnis impetu per transversum in *Hadrianorum* paludes, quæ septem maria appellantur. Ut non tam tractus il-

le inferior paludium ubi *Padus* exoneratur, quam omnes omnino paludes septem maria sint appellata. Et præterea *Padum* septem capitibus influere in pelagus apud neminem legi. Attamen si diversum *Plinius* sensit nulla mihi cum tanti hominis auctore contentio sit. Littus autem intercidit totidem fere paludium ostiis, quot majora flumina influunt in paludes. Inde marinus æstus ingreditur egrediturque, & vices alternat sexta quaque hora per reciprocationes, quibus tum crescunt tum decrescunt lunaris cursus ratione. Siquidem oppositiones ejus sideris pleniluniaque majores agunt æstus, minores vero quo magis ab his recedunt. Nusquam fere alibi per omne mediterraneum aquarum fluxum refluxumque fieri vult is, quem diximus, *Strabo*. Nostri autem Navarchi ubique dicunt accidere, sed longe minori vel ascensu vel descensu. Siquidem increscunt hujus sinus stagna quatuor propemodum pedes. Noto vero sæviente autumni tempore aut brumæ, septem aliquando vidimus intumuisse.

Vada Paludium distincta canalibus sinuosis & tortuosis, quasi venis quibusdam per universum vadorum corpus diffussis, Flumina siquidem cum primum a paludibus imbibuntur quacunque dispersa in his stagnant. Maris item ostia, quæ longe majora sunt, quam capita fluminum crescente æstu & in paludes influente, tantisper remorantur fluviorum aquas, quoad vicissim omnes æstu recedente in mare refundantur. Ita quicquid est fœtidum malignumque, aufert æstus in mare, redditque aërem salubriorem, ut paulo post dicemus. Et ut de fluminibus supradiximus, ita a mari aquæ per ramos hinc atque inde errantibus flexibus, sine ulla lege feruntur. Cæterum summo quidem aquarum æstu contecta sunt vada omnia, eo vero decedente, aquæ quoque decrescunt, & in canales delabuntur, plurima tamen stagnorum parte vada semper contecta, semperque cymbis & minoribus naviculis navigabilia. Majores naves nisi canales non recipiunt. Ne vero locorum ignari sinuosis fallantur flexibus, margines palis defixis notant, quos metas appellant. Piscationes plurimæ atque optimæ ex omni piscium genere. Compertum est *Venetum* hoc mare pisces gignere longe quam *Tyrrhenum* sapidiores. Causam eam credunt propterea, quod plurima, quæ diximus flumina eademque maxima in hoc pelagus influunt velut in lacum, infero longe minus, ut per multa passuum millia dulcescat. Apparet hoc ex Euxino ponto nobilissimorum piscium feracissimo, in quem duo supra viginti maxima cadunt flumina *Ister* præcipue *Thanais*que, ut vix appareat salsus. Qui vero pisces his aluntur stagnis, sapore longe omnibus præstant. Destituuntur magnitudine, sive quod mare natura majores procreet, sive quod assidua piscatione exhauriuntur stagna, neque crescere ad naturalem mensuram permittuntur. Apricatur hic maxima avium palustrium multitudo tam vario genere quam campestres, quo fit ut aucupium exerceant studio non mediocri. Sal vero nullis aquis melior natura congelat, & hunc quæstum, nisi maximus tum fuisset, non notasset *Cassiodorus* tam diligenter epistola, quam ad *Venetos* scripsit. Nunc dicere satis fuerit propter salinas tuendas conservandasque, majores plurima & maxima cum finitimis bella gessisse. Littorum quoque haud spernenda feracitas est. Olerum omnis generis copia, par nunc etiam tantæ civitati. Conservantur non minus ferme gelida hyeme quam æstate. Quod eo mirandum magis, quo omnibus sunt ventis & tempestatibus obnoxia. Studio tamen & industria omnia, quæ

A diximus maxima ex parte elaborata. Hæc autem de quibus scribimus, si forte exilia videntur & humilia, non tamen omittenda duximus, qui & nova describimus, & raro alibi visa.

Aëris Temperies saluberrima veterum scriptorum testimoniis celebrata. Nam præterquam quod a nonnullis memoriæ datum, *Ravennam* potissimum delectam, ubi gladiatores & membris firmandis & augendis viribus operam darent. *Vitruvius* nobilis in suo genere scriptor non asserit id solum, sed affert etiam ejus rei causas. Nam posteaquam descripsit, quales esse paludes oporteat, vel natura, vel studio, quibusque causis
B salubres reddantur. Exemplar, inquit, huic rei sunt *Gallicæ* paludes, quæ circum *Altinum*, *Ravennam*, & *Aquilejam*, aliaque, quæ in ejusmodi locis municipia sunt proxima paludibus, quod his rationibus habent incredibilem salubritatem. Fluxu quoque aquarum ac refluxu tum agitatur & expurgatur aër, tum quicquid est corruptius in mare procul aufertur. Aliud quoque proculdubio in causa est ventorum undique liberi & aperti flatus non tamen ex montium vallibus quasi per fistulas irruentium, ex quo fit, ut sicut sunt minus violenti, ita reddant undique aërem puriorem. Necnon maris salsedo, quum sit natu-
C ra calidior, & minus humida, temperiem gignit æquabiliorem. In his vero paludibus loca præter cætera saluberrima ea sunt ubi fundum ex creta, non ex cæno constat: ut *Clodia*, *Amorianum*, *Boreanum*. Salubritatis paludium nullum certius testimonium, quam frequens senectus, ut vix reperias apud aliam *Italiæ* regionem plures plenioresque annis senes. Questi sumus superius fluminum ostia has paludes arena replevisse. Non est ab re illud quoque memorare, hanc urbem, sicuti sudor, & industria mortalium ædificavit, sic iisdem studiis conservandam. Enimvero pari diligentia advertendum, ne rebus in hanc civi-
D tatem extrinsecus advectis, atque per incuriam in aquam dejectis paludibus fiat injuria. Longe etenim plura importantur, quam exportentur. Itaque cavendum, ne plus stramenti aquis injiciatur, quam potens sit fluxus refluxusque in pelagus evomere. Corrumpi enim ea necesse est, & aërem infici. Itaque majores ad eam rem multa remedia legibus instituere. Incedant minores oportet majorum institutis, si perpetuam hanc urbem esse volunt. Cæterum in his stagnis extitere ab ipso ævo vada quædam multis in locis sparsa, aquis extantia, variis intervallis solidiora, eminentioraque ambitu parva ad piscatorias
E salinariasve casas sustinendas. Quibus duobus præcipue quæstibus mortales, qui tum eas incolebant victitabant. Stravere deinde ea latius amplioraque reddidere mortalium manus ad commodiorem usum in Insularum quasi speciem. De his *Cassiodorus* in illa de *Venetiis* epistola scribit his verbis: *Eas non natura protulit, sed hominum cura fundavit*: Naturam dicit non protulisse, quoniam qua tempestate ad ipsas est profectus, centum siquidem aut circiter post *Athilam* annis, eas revisit. Constraverant jam amplioresque reddiderant mortalium manus ad majora etiam ædi-
F ficia sustinenda. Neque negaverim alia habitacula fuisse ad voluptatem præcipue, quæ latioribus spatiis paterent similia continenti. Ea siquidem *Bajanis* poëta villis comparavit. Satis enim verisimile, tum *Altinates* cives, tum *Patavinos* sparsa habuisse domicilia per ea loca, ad quæ poscentibus anni temporibus animi causa commearent.

Insularum numerus quis tum fuerit ante *Venetias* conditas, non invenio. Sed parum (ut opinor) variat ab viceno, ut postea commodius docebi-

cebimus. Nam ficut aliquarum nomina extant, quæ abforptæ aquis interiere; Ita in fequentibus temporibus, vel natura, vel manus aliquam potuit excitare, quæ tum non effet. Porro fi fuperioribus fæculis in *Ægæo* fubmerfas aliquas, emerfas nonnullas magnas & amplas & legimus, & ætate noftra vidimus. Fieri facilius potuit, ut per tot fæcula inter has longe minores aliquæ vel erumperent, vel interirent. Earum fundum ubique pene cænofum eft. Ædificiorum tamen moles maximæ, quas videmus non fine fpectantium admiratione, fefe offerunt contemplandas. Quo videlicet pacto fieri potuerit, ut fine ullo fundamento folidiori in tantam altitudinem exfurgant. Nullibi faxum aut tophum, aut aliquid firmius natura fupponit. Extulerunt eas mortalium manus ex aquis egefto cæno, quod fieri quotidie confpicimus, folum fternebant & cilindris adæquato componebant cafas, aut arundineas, aut afferitias. Majoribus deinde ædificiis fundamenta fupponere didicerunt, aut ex arundinibus, aut ex viminibus, ut noftra etiam ætas in veterum effoffionibus ædificiorum hujufmodi fæpe fundamenti genus non fine admiratione reperiat. Pofteri vero crefcente libidine ædificandi didicere majores craffiorefque fupponere faxis alnos aut robora indirectum fixa, fupraque ea item ex robore tabulata, faxa deinde ingentia plurimo cum impendio. Optimus igitur Deus (neque enim aliunde illucere potuit hujufmodi confilium) harum unam delegit, *Rivaltum* nomine ambitu paulo majorem, Situ longe præftantiorem. In qua duo illa admiranda conftitueret, primum ut homines terræ nati, affuetique, civitatem in paludibus aliquando meditarentur. Deinde ita conderent, ut ubi quicumque ad ea tunc loca oculos adjeciffet, vix crederet poffe condi oppidulum, ibi nunc urbem ambitu maximam immenfas templorum moles, turres præaltas, ingentes ædes admirantes confpiciamus. Immutabili fiquidem atque æterna lege, qua Deus omnipotens cuncta mortalium opera mortalitate damnavit. Quum *Romanum* imperium ex omnium gentium nationumque congeftis opibus in fupremam excreviffet altitudinem, Barbaræ quoque vifæ funt nationes velut in vindictam conjuraviffe ad ejus excidium fubverfionemque. Quadringentos per annos diripuere *Italiam*, vaftavere civitates & oppida, proculcavere divina omnia humanaque. Cæterum quum natura ita fit comparatum, ut omnia quæ compofuit longe celerius diffipet ac diffolvat. In ejus tamen urbis Imperio evertendo, fi non pari maximo tamen tempore miferandifque calamitatibus eft elaboratum. Illud divino confilio fervatum, ut qui præftarent pietate ac religione, vel pulfi domo factionibus, vel longis vexationibus fatigati receptum haberent, quo cum uxoribus liberifque confugerent. Atque poft longa tandem naufragia fibi fanctorumque reliquiis peterent falutis portum. Effentque tandem ejus loci futuræ opes omni humana opinione majores. Cæterum magni temporis opus & immenfi fuit laboris, Rivaltus autem dicta ne fit ex canali cæteris altiori, an quia fit aliis infulis ut eft aliqua in parte, præfertim ad tabernas gemmarias eminentior, incertum. Expeditis igitur quæ polliciti fumus jam ad ejus prima quafi femina veniamus, a quibus majores duxerunt urbis initium.

Sita erat *Rivaltus* infula littoribus propior, quam continenti: haud longe quidem ab oftio *Meduaci* Fluminis. Eo portu *Patavini* plurimum utebantur propter mercaturam, & navigationes, quas maximas exercebant. Frequentius autem habitabatur, quam pro loci tenuitate: non ab his

A folum, qui ex pifcatione & aucupio victum quærebant; Sed a naviculariis maxime, vadariifque, naviumque fabris. Quod neceffe erat, & accidere videmus ubicunque civitates a mari procul recedentes navigationes exercent, & portus ad mare tenent, ut locum habeant vel ad ingreffum portufque cuftodiam, vel ad excipiendos nautas, neceffariifque diverforiis recreandos: erat hanc juxta parvo intervallo infula alia ambitu breviori ad portus oftium paulo projectior, *Olivolos* appellata: in quam placet nonnullis *Antenorem* portum ingreffum exploratum miffiffe, qui nam mortales ea incolerent loca, ajuntque illam *Trojam* B deinde vocitatam. Cæterum hac de qua fcribimus tempeftate templo carebant, nec erat ubi facra conficerentur: fæpe fermo habitus erat inter incolas ea de re, convenire tamen non poterant, aut de loco, aut de fumptus collatione, donec (fic volente Deo) noctu exortus in *Rivalto* ignis ex domo Architecti navium cui *Entinopo* nomen fuit, illam quamprimum in cinerem folvit. Furente deinde vento proximæ quæque corripiuntur: accurrentibus (ut folet) cunctis, quum extingui non poffe quantalibet aquæ vi ea peftis videretur, quin potius magis magifque in afferitias arundineafque cafas debaccharetur, & C jam periculum juxta effet, ne vicus totus abfumeretur: Ferunt architectum ut erat vir bonus & pius quum indoleret tam propinquo vici periculo; quafi id accidiffet ob divinæ rei contemptum, cui verba incolæ dediffent de ecclefia condenda; extuliffe ad cælum manus precantemque dixiffe: Conditor hujus cæli fiderumque fumme Deus, cujus imperio cuncta fubjecta funt, venti hujus rabiem fifte, impera flammæ, ne ultra fæviat, peccavimus, qui fanctiffimi tecti tui hactenus rationem non habuimus. Verumtamen parce proftratis fupplicibus, neque aqua jam, neque brachia officium præftant, ventus ignifque D quafi conjurati ad noftrum excidium increfcunt. Emigrandum in alias terras nifi cito fubvenis. Ecce folum domus incenfæ, quod unum reftat tibi libens ad ædem voveo condonoque. Idem quoque cæteri incolæ orantes facere cum lachrymis, & pro fe quifque ad novum templum aliquid vovere. Vix nuncupatum votum, mox præfens affuit precantibus Deus. Ecce ventus omnis cadere, & in largiffimum imbrem nubes omnes folvi, abfumptæ ea flamma quatuor & viginti domus. Ingens ut in tenui loco damnum. Sed lætitia de falute reliquarum, fuftulit ejus damni mœftitiam, Ædes ex voto conftruitur, E dicaturque Beatiffimo *Jacobo* Apoftolo Anno Domini primo & vigefimo fupra quadringentefimum Pontificibus *Zozimo* & *Honorio* imperante. Epifcopi qui eam dedicavere *Severianus Patavinus*, *Hilarius Altinas*, *Jucundus Taurifanus*, *Epodius Opiterginus*. Ecclefiæ cura *Felici* Sacerdoti demandata. Hoc unum dedicationis monumentum ex illis temporibus ab noftris hominibus fideliffime eft confervatum. Neque aliud omnino fertur tum conditum jactumve fundamentum majoris operis. Summa cum alacritate hæc peracta. Neque folum incenfæ domus refectæ, fed novæ etiam novis advenientibus incolis conftructæ. F Relatus eft etiam in monumentum dies quafi natalitius octavo videlicet Kalendas Aprilis. Sed utrum eo die Ecclefia conftrui cæpta, an eo die confecrata, nulli hactenus memoriæ proditum. Continuo autem circumjectæ infulæ, quæ templo carerent, quibufque antea multo longinquius incommodiufque aut feftis folennibufque diebus, aut extremis vitæ temporibus divina facramenta quærerentur. Longe frequentius *Rivaltum* accedere, neceffaria comparare, novitate loci te-

neri, transferre denique domicilia cœperunt. Ortum *Rivalti* majores inde accepere, magna (ut mihi quidem videtur) usi ratione, vel pietatis ac religionis, vel temporis & diei majestate. Nullum est enim in civitate ædificium templo augustius sanctiusve, vel ad divinam opem difficilibus in rebus ex alto petendam, vel ad cœtum, conventumque societatis humanæ. Sacrosancta autem delecta dies, qua divinus gloriosissimæ Virgini nuncius ab Archangelo delatus est, ineffabili cælestis altitudinis ad humilitatis abyssum inclinatione. Quum summa illa & æterna sapientia, verbumque Dei in uterum descendit pudicissimæ virginis ut jacentem in profundo miserandæ caliginis hominem ad cælestium spirituum felicissimam societatem sublevaret. Sed profecto divinæ sapientiæ nullus est numerus. Qui enim eo die ad redimendum genus humanum universum in genitrice deligenda humilitatem præcipue respexit, ut ipsa professa est. Is excitari eodem quoque die voluit, humillimis in locis, & ab humillimis hominibus ad præsens imperium constituendum tam ingentis operis initium. Reddenda nunc nobis ratio est, cur, quæ a nonnullis de his *Rivalti* initiis sunt descripta, quum speciosiora videantur, sequi non sit visum. Nam dum ea initia augustiori aliquo quasi fastigio educere conantur, finxere regem senatumque *Patavinum*, metu *Athilæ* perculsum quatuor consulibus dedisse negotium urbis in *Rivalto* condendæ. In quam ingruente barbaro ipse cum regina liberisque & omni thesauro una cum senatu confugerent. Addunt alii ternos dehinc consules novellæ urbi datos. Nomina consulum referunt, alius alia. Conditam Ecclesiam dicunt secundo consulum ordine, nonnulli tertio. Fortuito tamen omnes & non consilio, usque adeo ut nisi ignis architecti casam invasisset non regi non consulibus de Ecclesia in nova civitate construenda subiisse animum velint. Quam profecto opus primarium esse oportuit in nova civitate. Cæterum facile est ingenio vel mediocri deprehendere quam hujusmodi commenta nullam apud gravem lectorem mereantur fidem. Omitto enim quod nullum proferunt auctorem vetustioremque codicem, aut ex *Venetis* aut ex *Patavinis* unde ista deprompserint. Qui autem primus hæc litteris mandavit triginta aut paulo plus supra centum annos hanc excedit ætatem. Omitto deinde ambitus insulæ quam tenuis tum fuerit vix ad regiam capiendam, ne dum ad tantæ civitatis senatum satis capax. Ædes vero, quæ ad futuræ urbis populum parabatur, vix etiam nunc extenditur passibus novem quaque versum. Sed condonemus hæc omnia, & excutiamus diligentius veritatem. Quis obsecro historiæ paulum modo familiarior scriptum legit his temporibus in *Italia* regnavisse reges? *Romani* siquidem ad urbes & colonias magistratus ad municipia præfectos prætores prius ad provincias, deinde præsides mittere soliti. Regium quidem nomen insolens & non solum *Romanis* urbibus, aut provinciis non concessum, sed ne exteris quidem principibus, nisi beneficii loco permissum. *Patavio* vero inter *Romanas* colonias, & fide & gratia longe præstanti ut post docebimus, Reges ab imperio, vel datos, vel permissos, quis unquam audivit? Qui si nonnullæ apud eos regum imagines ostenduntur fuere illi quidem longe recentiores, nec *Patavini* reges, sed *Romani*. Qui cum ex *Germania* in *Italiam* transirent plerunque coronæ suscipiendæ gratia apud *Patavium* præclaram & Alpibus propinquam civitatem diutius interdum moram traxere: quod ex literis apud imagines incisis liquido apparet; ut *Henrici Fre*-

A *derici*que. Hujus vero regis senatusque trepidabundum nimis consilium enarrant, qui xxx. per annos ante hostis adventum effugium sibi paraverint. Tribus enim & xxx. annis aut circiter antequam *Italiam* attingeret *Athilas*, constructa ædes est, deque hac re certissima sunt monimenta. Ad hæc autem videamus quam rei utriusque tempora non conveniant. *Juventius Celius Athilæ* vitam ex *Prisci* & *Jordanis* historia excerptam (is fuit magister epistolarum *Theodosii* junioris, & ad ipsum *Athilam* legatus) cæteris, ut mihi quidem videtur, diligentius scripsit. Refert is *Celius* vixisse *Athilam* annos sex & quinquaginta B adeoque hoc pro vero compertum asserit: ut plerique rerum scriptores tradiderint natum quo die *Cajus Julius Cæsar* multos ante annos, mortuum nocte ejus diei quo *Cæsar* in Senatu confossus est. Mortuus est autem *Athila* circiter annum domini sextum quinquagesimum supra cccc. paulo post eversam *Aquilejam*, direptamque *Galliam Cisalpinam*, unde illud *Martiani* somnium vulgatum: Qua nocte *Athilam* crapula nuptialis extinxit: vidisse confractum illius arcum. Obiisse autem *Martianum* anno Domini CCCCLVIIII. nulla apud quenquam Scriptorem dubitatio est. Fa- C cile igitur est deprehendere natalem *Athilæ* annum. Is fuit quadringentesimus aut insequens a Christi nativitate. Agebat igitur primum & vigesimum annum quo tempore *Patavii* rex & Senatus providentissimus fugam parabat. Quis autem obsecro tantus esse potuit terror ab adolescente vix dum pubertatem egresso? disjuncto tantis terrarum spatiis & in ultima *Sarmatia* aut *Scythia* bellum gerente? Ut *Itali* de novis querendis sedibus agitarent? At qui si uni regi consulibusque, quod reliquum est, condebatur nova illa civitas, quam mihi temerariam narrant regis diligentiam, quam periculosam? Feratne ci- D vitatis opulentæ vel senatus, vel populus parare sibi principem suum receptum fugæ adventante hoste? Se vero barbaro & irato hosti cum liberis & uxoribus ad prædam captivitatemque relinqui? Scribunt enim id publico consilio factum, immunitatesque datas, habitatum eo concedentibus. Porro male sanum regem eos popularis aliquis tumultus in frusta discerpsisset. Quum enim soleant principes hujusmodi periculorum temporibus munitionibus intendere, purgare fossas, mœnia reficere, erigere propugnacula, populos hortari ut bono sint animo: primos denique sese ad omne periculum & polliceri, & præstare. E Hos magnanimos vel reges vel consules in civium oculis atque conspectu latebras sibi fœdissimas longe plus tali causa quam loci natura quæsisse, ut verbi acerbitate quoad licet parcam, scribendum nullo modo fuit. Hæc & pleraque alia penitus absurda nonnulli cum viderent defendi non posse dixere bis *Athilam Italiæ* & imperio minatum. Primo quidem cum in *Gallias* irrupit: & cum *Aëtio Romanis*que conflixit. Iterum autem cum cepit & evertit *Aquilejam*. Ut autem hoc sit verum: nihil tamen ad rem: vix enim quinque intercessere anni inter ambas expeditiones. Nam *Gallicus* conflictus sub obitum *Theodosii* ju- F nioris profligatus est. *Italiam* vero ingressus est *Athila Martiano* apud *Constantinopolim* imperante. Itaque quatuor aut quinque anni eam quam diximus absurditatem tollere non possunt. Accedit illud quoque, quod nullo modo veritati, quam ex ipsa re eruere necesse est, cohærere potest. Scribunt enim post ingressum *Athilæ* in *Italiam* misisse regem uxorem cum liberis & omni Thesauro in *Rivaltum*. Oportuit igitur *Rivaltum* aut mænibus esse septam, aut aliqua munitam arce, aut quod est probabilius & mænibus & arce, ubi

non

non solum a Barbaris hostibus, sed ab Piratis etiam tuti consisterent. Alioquin non ibi regina deponenda fuit, liberique regii, quum aperta esset undique insula, pateretque circumquaque descensus, nisi forte ad prædam deponebantur potius quam ad salutem. Ubinam autem scriptum reperiunt, aut mænibus unquam septam, aut arce munitam? Sed si illis idoneus auctor deest, ubinam vestigia ulla aut arcium, aut mænium apparent? Qui si arcem condere in loco tam angusto cupido incessisset, quid cæteris construendis tectis soli superfuisset? Quum vix tota insula ad solam arcem regiam capiendam sufficeret? Sed profecto sicuti vero attestantur omnia; sic inter vera falsitas statim friget. Nam *Cassiodorus* qui proximus illis fuit temporibus, scripsit epistolam illam celeberrimam, quæ de *Venetis* undique circunfertur: Non quidem aut regi, aut reginæ, non consulibus *Patavinis*, sed Tribunis *Venetiarum*. Multa præterea addam si otium sit, per quæ perspicuum, quod dicimus, appareat. Si *Patavinus* aliquis scriptor eruere hos reges & consules, hæc denique Senatus consulta de nova in *Rivalto* condenda civitate ex antiquioribus ullis potuisset monumentis, qui doctissimis semper floruere viris, quanto pretio coëmisset? præsertim *Franciscus* Senior *Carrariensis*. Siquidem *Franciscus Petrarcha* acerrimo vir ingenio plurimis ab eo principe tam vivens quam moriens honoribus auctus studiosissimus historiæ, ut in ejus vita testatur *Paulus Vergerius*. Nunquid si de regibus consulibusve *Patavinis Rivalti* conditoribus aliquid comperisset in *Carrariensis* gratiam omisisset? Hac tamen de re verbum haud unquam fecit. *Paulus* quoque *Vergerius*, ejusdem familiæ studiosissimus, qua doctrina qua rerum omnium co-

A gnitione, declarat liber de moribus ingenuis ab eo compositus. Is *Carrariensium* res gestas literis dum mandat, historiæ initio queritur, ante *Ezerini de Romano* tempora, qui tyrannidem totius fere *Galliæ* tenuit, nullam esse omnino notitiam rerum *Patavinarum*, invitatus præterea ab amico ad *Venetam* historiam scribendam, respondit per epistolam, quæ nunc etiam extat: nulla se habere *Veneta* monumenta, & falsa scribere animum inducere non posse. Quo verbo notavit ea, quæ nunc refellimus, quæ scripta jam viderat. Testatus id ipsum parvo libello, quem de *Venetiarum* origine conscripsit. Nec

B variat procul a nostris. Nullibi autem rex, nullibi reperitur consul. Docti nimirum viri hæc repudiavere, dedignati scripta sua hujusmodi inventis fædare. Neque tamen tergiversamur *Rivaltum* a *Patavinis* præcipue profugis *Athilana* tempestate conditam fuisse. Cæterum aliud est civitatem condidisse publico consilio. Aliud desolata jam patria alias sedes fortuito potius quam consulto quæsiisse. Omissis igitur his, & plerisque aliis veteres sequuti sumus & sequemur memorias ab antiquissimis receptas, & aggrediemur secundum quasi hujus urbis exortum. Quem externi scriptores omnes fere sunt sequuti ab *Athilæ* in *Italiam* adventu. Quum autem per omnia

C eorum temporum barbararum nationum nomina deducenda nobis narratio sit: Inter eos autem, qui de iis rebus scripserunt nonnulla interdum diversitas inveniatur; si quis fortasse scriptum aliquid aliter apud alios offenderit, quam apud nos haud miretur. Sequuti sumus quæcunque scriptorum auctoritate diligentius perpensa, visa sunt probabiliora.

LIBER SECUNDUS.



Antequam de *Athilæ* Regis adventu scribam non erit ab re aliquanto altius percensere initia causasque malorum, quæ scribenda suscepimus. Neque enim ea temporum calamitas solam *Venetiam* pervasit: corripuit pene totum orbem christianum. Dum paulatim serpunt eorum malorum contagia. Molestum non esse non poterit cognoscere quem in modum Christiana religio, quæ non armis non exercitibus, sed innumerabilium martyrum sanguine omnes pene nationes pervaserat, suasque fecerat, ad eum in præsentia rerum statum sit redacta: ut maximam desideret ejus, de qua depulsa est, possessionis partem. Verumenim vero tristium quoque rerum cognitio interdum non injucunda, utilis profecto semper multis cavendis rebus, multis moderandis. Causa si recte perpendatur illa mihi solet videri, una communis rerum omnium labes, Religionis videlicet, & imperii, tam inter sese, quam invicem discessio atque divisio. Nam quæ natura aut arte constant, sicuti compagine ordinis oriuntur & crescunt; ita dissolutione dilabuntur & intereunt. Multos per annos ab *Romanis* Imperatoribus decem præcipuis persecutionibus Christianam adversus fidem omnibus cruciatuum generibus erat sævitum. Nihil tamen improba potuit rabies aliud, quam ut quanto atrocius grassaretur, tanto latius ea propagaretur, ut in ejus asseveranda veritate divinum evidentius apparuerit testimonium. Imperii immensa vis illa atque potestas, quæ totum sub pedibus orbem miserat adversus inermes una innocentia fretos, tandem succubuit. Donec ut huic aliquando

D tempestati tranquillitas daretur. Illucere visus est *Constantini* Imperatoris splendor & lumen, qui *Maxentio* ac *Licinio* interfectis, purgatoque cæteris tyrannis imperio, magnis præterea tam in oriente, quam aquilone gestis rebus, cum Christianam professus esset religionem publico edicto, potestatem Christianis fecit sacras Ædes construendi conciliaque cogendi. Hactenus sancte pieque, & cui profecto plurimum debet Christiana religio. Subiit deinde animus *Romam* relinquere, omnesque imperii opes mare ultra in Pontum usque transferre, valetudinisne atque animi gratia, an vero ut quodam quasi freno, metatisque ad *Bosphorum Thracium* castris, *Asiam*

E *Europam*que in officio ac fide contineret, habeo pro incerto. Sane duo nimium vel maxima Christianæ genti incommoda sunt secuta alterum religioni, alterum Imperio. Nimis autem sibi invicem ambo conjuncta possunt; vel ad perniciem, vel ad salutem. Quoniam utrunque multitudinis opinione continetur. Tunc enim data universæ Ecclesiæ pace, avaritia atque invidia communes mortalium pestes sacerdotum invasere mentes, ambiri magna sacerdotia, exquiri Ecclesiæ divites & opulentæ. Atque ea ex re sævior alia suborta pestis. Nam plures continuo hæreses excitatæ, quæ tametsi a primis quasi fidei ele-

F mentis nunquam defuerint ad illustrandam magis magisque veritatem: ut *Menandrii*, *Ebionitæ*, *Martiani*, *Fotiniani*, *Manichei* & plerique alii. Tamen donec Imperium in *Italia* apud urbem *Romam* stetit, omnes orientis Ecclesiæ *Romanam* quasi totius fidei verticem & magistram sunt veneratæ. Postea vero quam in orientem concessit

cessit imperium, & sacerdotalis ambitio quam diximus, acrius invaluit. Tum vero ut quisque plurimum ingenio valebat, Imperatori ostentare se se sapere plus aliis videri velle. Nova dogmata serere obstinatiusque defendere. *Græci* siquidem & *Asiatici* fere erant omnes, apud quos ea tempestate florebat omne litterarum genus. Tum vero indignam rem videri, non una cum Imperatore, quem tanquam Deum venerabantur, Pontificiam quoque ad eos transisse dignitatem. Pestilentissima autem omnium surrexit *Arrhii* vesania. Hunc *Alexandrinæ* Ecclesiæ diaconum ferunt a Beatissimo *Petro* patriarcha & martyre ab Ecclesia depulsum; nugacem hominem & superbum, & ubique in fide cavillantem. Pontifices vero *Romani* cum longius abessent, *Græci* vero quotidie lateribus hærerent Imperatorum, quo pacto possent errores coram retundere aut retinere præsentibus officiis eorum amorem. Cæterum unum conciliorum adversus hæreses remedium quod supererat: neque sæpissime fieri poterat propter longinquam terrarum marisque distantiam: neque iis semper aderant Imperatores & perquam raro Pontifices, nisi per legatos. Quantum autem valeat omnibus in rebus capitis auctoritas, nemo nescit. Locupleti est testimonio *Constantinus*, quem scribit *Eusebius* extremo vitæ tempore *Arrhianum* virus suscepisse. Tantum profecto vulnus avertisset *Silvestri* præsentis auctoritas, nec in *Constantini* posteros pestis illa transisset, ut multi deinde Imperatores maximam orbis partem, & Barbaras præsertim infecerint nationes. Ambitionem autem sacerdotalem ejus temporis abunde declarant libelli accusatorii ad *Constantinum* delati in eo concilio, quod apud *Nicæam* celebratum est, & ab eo in ignem projecti. Ita omnia ardebant calumniis, acccusationibus maledictis. Atque adeo pestis invaluit, ut cum cæteri pene omnes catholicæ fidei quasi duces metu Imperatorum, aut ad *Arrhianam* defecissent heresim: aut obviam inimicis ire non auderent. Unus pene *Athanasius* acerrimus catholicæ fidei propugnator, locum in toto orbe, ubi vitam duceret, nisi apud viduam sex annis delitesceret in *Galliis* non invenit. Quinimmo quod nefas dictu est, Imperatoriæ quoque conjuges de fidei articulis sententiam ferebant adversus Antistites sanctissimos atque doctissimos. Cum interea *Romanis* pontificibus nihil esset reliqui, nisi ut ad potestatem a Christo & Ecclesia permissam se se conferrent, Anathematibus agerent & censuris, ut ipsis quoque non pepercerint interdum Imperatoribus. Sed quid proficerent? Enimvero capitale aliud non minus suboriri malum. Hæresiarchæ siquidem a conciliis vel a Pontificibus damnati honoribus spoliati, tum populos accendere contra Pontifices damnare ausos Imperatores. Scriptum reliquit Augustinus *in libro de hæresibus*. *Hircanum* Episcopum octo & viginti supra centum collegisse hæreses ad eam ætatem. Extat præterea *Hieronymi* epistola ad *Damasum* Pontificem, ubi de hoc furore Ecclesiarum orientalium lamentatur. Quanta autem ab hæresibus illis mala sint consequuta, quis dicat? Siquidem Imperium hæreses primum conscidere, paulo deinde post evertere. Postremo involvere bellis universum pene orbem & omni afflixere genere calamitatum. Ab his enim tandem emersit *Saracena* atque in eam cæteræ omnes conspiravere: ut paulo post videbimus. Abducta siquidem a *Constantino* in orientem magna senatus parte & *Romanorum* præterea robore militum tribunisque & centurionibus, & quicquid erat in *Romanis* legionibus firmissimum. Imperium apud *Italiam* tam re quam nomine velut

A exangue destitutum est, & facile quidem *Constantinus* dum ducere spiritum licuit majestatem Imperii inveterata virtutis opinione ab omnibus Barbaris intactam inviolatamque dedit. Postea vero quam ad *Constantini* liberos & nepotes est transmissum, qui summam posuerant gloriam in Catholicorum persequutione sanctorum conversa sunt omnia. *Constans* siquidem Catholicus, qui *Romam* tenebat facile a *Magnetio* tyranno in *Galliis* est oppressus, quum satis illi virium non adesset ad irruentem in se hostem propulsandum: Auxilia autem a *Constantio* fratre seu ob religionis perfidiam *Arrhianæ*, seu ob regnandi libidinem ægrius submitterentur. *Valens* inde hæreticus

B *Constantini* nepos acerrime omnium catholicos est persequutus. Nec horrendum minus piaculum ejus posteri iisdem hostibus persolvunt: ut paulo post dicemus. Omitto præterea quantum mutatione loci, ut cæteris in rebus natura solet, *Romana* soboles in deterius sit delapsa. Non amplius maxima illic *Romanorum* procerum nomina audita sunt. Unus *Theodosius* (& is quidem *Hispanus* genere) arrogatus in Imperium a *Gratiano*, *Romanam* repræsentavit virtutem, multum armis multum religione. Cæterum cum eo quoque *Romana* virtus cecidit. Neque mirum

C hoc accidisse. *Italiam* reliquerat *Constantius* id est orbis umbilicum, ut extremas nationes peteret. Neque enim censendæ orbis partes vastæ solitudines & arenæ, aut ferina ingenia potius quam humana. Illæ propriæ orbis & illæ partes quæ sub mitiori cæli plaga mortalibus incoluntur non tam ferarum ritu vitam agentibus quam & humanitate præditis & naturali ratione: ut *Ægyptus*, *Africa*, *Hispaniæ*, *Galliæ*, *Germania*, *Pannoniæ*, *Græcia*, *Epyrus*, *Macedonia*, *Asia*que, quam minorem vocant. Et præterea insulæ omnes mediterranei, quas inter sedet *Italia* tanquam regina, ad quas circum provincias

D paribus ferme itinerum spatiis, vel terra, vel mari transmissio est. Cincta præterea hinc supero, hinc infero, *Ionium* & *Ægeum* quasi pedibus premens. Quid autem in *Constantinopoli* simile? Projecta longius & tanquam in Pontum Euxinum relegata. Consîdet fateor media inter *Græciam* & *Asiam*. Cæterum in extremo pene orientis margine posita procul a barbaris aquilonaribus. A quibus longe magis *Italiæ* metuendum fuit quam oriente, adeo ut excidium vitare sæpius non potuerit. Principalibus siquidem imperii viribus procul ablatis quicquid erat periculi prius ad eventum sortemque fortunæ linquebatur, quam

E satis esset temporis ad adhibenda remedia. Propinquitas etenim quantum ad celeritatem valeat, celeritas autem ad pericula propulsanda, nemo nescit. Moritur duobus relictis filiis *Arcadio* & *Honorio* impuberi adhuc ætate. Non ignarus pater quanta a Barbaris nationibus imminerent pericula, non sine magna de iis animi solicitudine decedit. Cum eorum adolescentiam videret parum idoneam tanto imperio administrando, nec haberet quorum fidei satis tuto committeret: Tres illi erant præcipui exercituum duces pares ferme opibus & auctoritate, *Rufino* orientem, *Gildoni* *Africam*, *Sthiliconi* occidentem admini-

F strandum relinquit, Comites appellat. Neque facile reperio ante *Theodosium* Comitum nomen dignitatis titulum prætulisse, ut aut ab eo, aut a *Constantino* traxisse originem credam. Moriens liberos illorum fidei commendat. Cæterum quid fides ac Dei metus apud imperandi libidinem armis succinctam valet? Illi vero vix dum defuncto *Theodosio* rapere sibi provincias quisque suas adoriuntur. *Rufinus* *Asiæ*, *Gildo* *Africæ* pænas dedere. *Sthilico* reliquus imperii dux *Vandalus*

gente

gente excellens disciplina militari: successu rerum ingentes opes amplissimamque dignitatem comparaverat, ut *Honorius* duas ejus filias, unam prius, alteram deinde priori defuncta duxerit in matrimonium. Quum autem cæteros sublatos e medio videret, invasit Barbarum hominem cupido Imperii rapiendi. Hæc *Sthiliconis* proditio permagni Christiano Imperio stetit, & multifariam a scriptoribus tradita est. Nobis ut initio promisimus probabiliora, ipsique magis congruentia sequi decretum est. Erat homini nulla fides, ingenium ad simulandum & dissimulandum commodissimum, auctoritas & amicitia ingens apud omnes Barbaras nationes: Hinc initium malorum omnium. Optimum siquidem ad id, quod mente agitabat, factu ratus; si Imperium assiduis bellis attereret. Solicitare Barbaros trans *Rhenum* insidentes non desistit. Alia vero ex parte suadet *Archadio* orientem tenenti ut missas faciat *Gotthicas* omnes copias, quas imperium in *Misia* firmissimas habebat simulatione levandæ eo sumptu reipublicæ. Missi *Viscigotthi* quasi proprio depulsi in *Pannonias* succedunt magna cum indignatione. Ibique cum de creando rege summa inter duos principes oriretur contentio. *Radagasum* videlicet & *Alaricum*. Tandem ita convenere ut *Radagasus* primo quoque tempore coactis quam maximis posset copiis in *Italiam* descenderet, *Alaricus* autem eventum rerum in *Pannoniis* moraretur. Erat is *Alaricus* nobili *Balthorum* familia, ut infra uberius docebimus loco commodiori, armis strenuus & fide præstans. *Radagasus* adjunctis *Hunnis*, *Vandalis*que per *Venetiæ* saltus *Italiam* ingreditur Anno domini CCCC. VI. *Sthilico*, qui summæ rerum præesset, cognito illius adventu, obviam procedit, consilia hostis explorat: ad illud omni conatu tendit, ut incautum opprimat. Assequutus eum in *Etruriæ* montibus cum insidiis locatis ad iniquum congrediendi locum compulisset, prælio inito facile proturbat, palantes deinde in fugam vertit. Recepere illi se se in convalles *Fesulanas*. Obseptis autem a *Sthilicone* omnibus unde egredi possent itineribus, inspectantibus *Romanis* potiusquam decertantibus, fame atque inedia innumera mortalium millia confecit. *Radagasus* fugiens interceptus, reliqui omnes vilissimo pretio venundati. Ea elatus victoria *Sthilico*, quod solus jam facile omnia administraret, majorem in spem imperii rapiendi exarsit. *Alaricum* veterem amicum multis nuntiis hortatur ut in *Italiam* armatus transcendat: inde vero *Burgundiones*, *Suevos*, *Alanos*, qui *Rheni* ripas insederant creberrimis nunciis solicitat, ut in *Gallias* transmittant. Ipse consul designatur. Cum autem quotidie novos in *Galliis* motus excitari nunciaretur, suadet *Honorio*, ut ad eos sedandos proficiscatur, facile pro majestate Imperii compositurо, se se interea *Alarico* occursurum quem in *Italiam* iter cœpisse afferebatur. Re igitur ex sententia composita eodem fere tempore, & *Honorius* in *Gallias* proficiscitur, & *Alaricus* apud *Ravennam* castra locat, colloquia deinde inter Duces haberi cæpta. Pollicetur *Sthilico* daturum operam apud *Honorium* ut in *Italia* aut in *Galliis* sedes habeat & stipendium. Accipit *Alaricus* conditionem. Simulat *Sthilico* expectare ab *Honorio* responsum, illo tamen consilio, ut, si fieri possit, de Barbarorum transitu certum habeat aliquid, & rem conficiat adjutore *Alarico*. Postea vero quam *Gotthus* bis aut ter *Sthiliconem* de promissis appellatum, rem differre animadvertit, fraudem aliquam subesse vereri cœpit, & importunius colloquii finem urgere. At contra *Sthilico* trahere omnia, & alias deinde alias moræ causas nectere.

A Sunt qui scribunt triennio rem a *Sthilicone* ductam: dum concepti sceleris tempus & occasionem quærit. Cum vero *Alaricus* ludos sibi liquido dari perspiceret, cepit consilium, ut *Honorio* in *Galliis* agenti omnia clam submissis nuntiis prodent. Intellecta re *Honorius* mox *Gallicos* motus (utcunque potest) componit, *Romam* revertitur fædus ex senatus sententia cum *Alarico* avidissime componit. Fædera ea feruntur: ut excedens *Italia* sedes sibi constituto stipendio habeat in *Galliis*, ibi se defensorem imperii profiteatur. Excedendi præscriptus dies. *Sthilico* ea intellecta re acriter indignatus. Simulat tamen pro tempore pacem comprobare. Amovet

B itaque castra procul ab *Alarico* & omnia aperit itinera: cæterum ut quam ægerrime ferebat pacem rescindat, imperat *Sauli Hebræo* homini (huic omnia credebat & summam rerum apud castra demandarat) ut cum delecto copiarum flore sacro sancto paschatis die *Gotthica* adoriatur castra, fore existimans id, quod evenit, ut *Gotthi* tum pacis nuper confectæ fiducia, tum solennis diei reverentia negligentius custodias agerent. Ipse *Romam* proficiscitur. *Judæus* ut erat imperatum prima sacrosanctæ diei luce *Gotthorum* castra invadit. Oritur in castris tumultus, improvisa re

C perculsus *Alaricus* ignarus quid rei sit, primum cunctatur quid agat. Posteaquam hostem adesse armatum cognoscit, elata voce deprecatur per Christi fidem, si humana non valeat, ut eo die prælio abstineat, crastina luce copias in aciem educturum. Enimvero *Judæus* eo magis insistere & urgere. Ad eas ingeminatas voces, tametsi primo aggrediendi ardore acriter a *Romanis* res gereretur, defixit tamen admiratio *Romanorum* animos, cum viderent neminem hostium armatum progredi, sed vulnera potius mortemque pati, quam arma capere, id unum agere, ut vocibus & elevatis in cælum manibus

D divinam opem obtestantibus auxilium ex alto poscerent. Cæterum instigante *Judæo* & pugnam magis atque magis accendente, motus in vindictam Deus. Nanque *Alaricus* postea quam impiam videt hostis pertinaciam conversus ad suos, persolvimus inquit commilitones domino Jesu Christo quem debuimus honorem, ipse nobiscum pœnas de scelerato hoste repetat, qui nisi vestro sanguine satiari non potest. Agite signiferi inferte signa, negligite castra, non ad tuenda valla nati estis, virtutem patriam in acie sagittis gladiisque declarate. Ipse primus cum globo militum vix satis armatus in hostem fertur. Tanta

E continuo animorum conversio facta, ut *Gotthi* velut in rabiem versi ex omnibus castrorum portis erumperent. *Romani* ut diximus prius pietatem barbaræ gentis admirati, ut primum adversa in se signa ferri conspiciunt, suspenduntur animo, tum religione, tum metu, eos *Judæus* hortari ad pugnam conatur, & in aciem cogere. Cæterum vix signa discerni hostium signis immixta, confusus præterea tubarum sonus strepitusque & discurrentium voces, quid consilii in eo tumultu caperent incertos efficiebant. Tamen ubi de vita & sanguine agi *Romani* conspexerunt, redintegrare aciem sæpius conati sunt,

F & ut sagittas vitarent, quarum nullus irritus cadebat ictus, procursu in hostem facto, gladiis cominus rem gerunt. Sed quis adversus invitum Deum & pro *Gothis* tunc agentem, efficax sit conatus? Non sustinuere *Romani* diutius. Cæterum dissipatis ordinibus effusa late fuga palantes, & in una pedum pernicitate salutis spem ponentes, ut quemque sors tulit proxima loca petiere. Hostis rabidus eos insequutus finem insectandi atque cædendi, lassitudine corporum fecit. Ca-

ſtra a *Gotthis* capta direptaque: profligatus per hunc modum *Romanus* infeliciſſima omnium pugna, quas octingentis ab annis feciſſent. *Alaricus* igitur aliquot abſumptis diebus, tum recipiendis, tum ſubigendis urbibus interjectis, ſuperato *Apennino Romam* ducit, nullis obviam factis. Tandem urbs *Roma* gentium domina Chriſtianæ fidei domicilium omni ope deſtituta captiva, *Viſcigottho* Regi, eidemque *Arrhiano* cervicem ſummittit. Direpta vaſtataque, intactis tamen a Barbaro ſacris Apoſtolorum Ædibus atque vaſis, anno domini CCCC. XII. iterum poſt *Breni Galli* captivitatem. At ſi invicem comparentur *Breni* & *Alarici* victoriæ, ſuperavit profecto *Gotthus* gloria *Gallum*. Ille modicam ad huc urbem cepit. Hic gentium omnium reginam. Ille arce fruſtratus atque inde repulſus. Hic tota potitus urbe ſpoliatam reliquit. *Sthilico* deinde cum *Eucherio* filio *Honorii* juſſu ab immiſſis eſt interfectus. Excedens *Roma Alaricus* morbo correptus interiit apud *Coſentiam* anno vix dum circumacto. Quid deinde malorum ſeditionum tyrannorum, quantum cladium ſit acceptum ad hæc uſque tempora de quibus ſcribimus enumerare difficile ſit, nedum enarrare. Ut *Galliis*, *Hiſpaniis*, *Germaniis* aliquis quotidie novus Imperator exſurgeret: ut quicunque majores ordines duceret, id ſibi nominis arrogaret. Omittere cætera conſilium eſt, ut tandem ad *Athilam* veniamus *Hunnorum* regem, quem XXX. aut circiter annis poſt *Alaricum* non minoribus aut viribus, aut animis utriuſque imperii excindendi cupido inceſſit. *Hunnos* a *Scythis* oriundos omnes ſcriptores tradunt, feram gentem & immanem humani ſanguinis præter cæteras ſitientem, proprii vero nimium quam prodigam. Quæque in præliis committendis nullum pene faceret diſcrimen inter victoriam & mortem. A *Riphæis* montibus egreſſi irruptionem fecere ad inferiores *Romani* Imperii provincias circiter annum domini CCC. Pars ſuperata *Mæotide* orientem & *Aſiam* excurrere. De quibus Beatiſſimus *Hieronymus* apud *Bethleëm* agens tempora illa miſeratus, ad oceanum ſcribit. Alia pars ſeptentrionem verſus iter convertit. *Gotthos* bello invaſere, qui multos ante annos *Pannonias* ultra citraque *Danubium* incoluerant. Devictoſque tandem & multis defatigatos præliis vectigales fecere. In *Germaniam* deinde *Mandulco* & *Subtaro* fratre Regibus tranſtulere arma. At vero defuncto *Mandulco Bledæ* & *Athilæ* patre *Subtarus Mandulci* frater bellum *Burgundionibus* intulit, multiſque præliis defatigatos adeo afflixit, ut deſperata alioquin ſalute novum conſilium caperent. Converſi nanque (ut ſæpe fit adverſis in rebus) ad divinum auxilium Chriſtianum baptiſma receperunt. Votis converſis, converſa victoria eſt. Nanque iterum *Hunni Burgundionibus* congreſſi, maxima accepta clade & *Subtaro* Rege interfecto in priſtinas ſedes retroceſſerunt. Sunt qui *Burgundiones Scythicam* quoque gentem, ſunt qui *Germanicam* ſcribunt fuiſſe. Illud ſatis conſtat *Valentiniani* temporibus *Rhenum* tranſiſſe ſedeſque inter *Rhenum Rhodanumque* cepiſſe. Sic appellati quia vicatim habitarent & quaſi ſub tentoriis, *Burgos* enim hujuſmodi habitationes *Galli* appellant, eas ſedes ad hunc uſque diem ſemper incoluere. Placuit multis, in quibus eſt *Celius Hunnos* fuiſſe, qui & *Avares*, poſtea vero ex utroque nomine *Hungaros* appellatos. Quid autem de *Hungaris* acceperimus, dicemus paulo poſt. *Athilæ* Regis geſta a pluribus memoriæ mandata ſunt, diverſo tamen bellorum ordine, dum alius aliud prius ab eo geſtum narrat. Cætera quidem omittemus, attingemus breviter ea,

A quæ ad rem *Venetam* maxime pertinere exiſtimabimus. Is igitur *Athila* natu major apud *Subtarum*, patruum & *Mandulcum* patrem militaribus ſtudiis innutritus, defunctis illis, per totum pene ſeptentrionem arma circumtulit, non tam dominandi cupidus quam vincendi. Eam demum magnam gloriam exiſtimans, ſi illius vim & enſem, quem quaſi martis ſpolium ſemper in bellis geſtabat, nemo mortalium ſuſtineret. Nam & *Sarmatiam* omnem & finitimos quoſque populos bello perdomuit. Ducens deinde adverſus orientalis imperii provincias, congreſſus *Macrino* Imperatorio duce apud *Martianopolim*, atque eo ſu-
B perato tranſmiſſo *Danubio* populabundus *Pannonias*, *Illyrios*, *Meſſiam*, *Thraciam* uſque vaſtavit, ipſam petiturus *Conſtantinopolim*, nisi a *Theodoſii II.* ducibus undique accitis repreſſus & (ut nonnulli volunt) ingenti accepta clade profligatus in patrias revertiſſet ſedes. Ea clade nihil territus, *Bleda* fratre ingenio mitiori, qui bellum cum *Romanis* diſſuaderet, immiſſis percuſſoribus interfecto, invadere occidentale imperium adortus eſt. Itaque adjunctis quatuor barbararum nationum regibus, *Erulorum*, *Alanorum*, *Gepidarum*, *Turcilingorum*, quarum copiarum numerum ad quingenta millia extitiſſe fe-
C runt, in *Gallias* trangreſſus eſt. Dimicavit de ſumma rerum apud *Tholoſam* cum *Etio Romano* duce, qui maxima ipſe quoque auxilia contraxerat *Gotthorum*, *Alanorum*, *Francorum*, *Burgundionum*. Commiſſum prælium eſt in *Cathalaunicis* campis maxima mortalium ſtrage. Siquidem centum & octoginta millia in eo prælio cecidiſſe omnes tradunt. Superior fuit *Romanus*. Majore igitur accepto detrimento *Athila* quam illato relictis *Galliis* copias tranſmiſſo *Rheno* in *Pannonias* reduxit, irritata potius quam remiſſa bellandi cupiditate. Unus *Etius* anxium *Athilæ* tenebat animum, fecerat illius virtutis & diſci-
D plinæ periculum, mora una erat quominus bellum renovaret. Tandem *Romæ* Imperatoris *Valentiniani*, juſſu malo ſui imperii ob affectatæ tyrannidis ſuſpicionem, *Etius* occiditur. Eo accepto nuntio lætus *Athila* & quaſi compedibus liberatus, nudatum ducibus Imperium cum videret & præterea defutura *Romanis* auxilia multarum gentium, quæ *Romana* ſigna in *Cathalaunicis* campis *Etii* diligentia ſequutæ fuerant, maturandum ratus, inſtituit quam primum in *Italiam* ducere. Evocatis igitur ad colloquium Barbaris regibus principibuſque quos ante in bellis duxerat apud *Budam* conventum habuit: atque
E ad eos hujuſmodi orationem habuiſſe ferunt. *Etſi non dubito viri fortiſſimi eandem vobis nunc mentem eſſe, quæ in aliis aggrediendis gentibus poſteaquam militaria opera edere mecum cæpiſtis ſemper fuit. De communi tamen tam gloria quam commodo communi quoque conſilio deliberandum arbitror. Ex eo tempore quo pater patruuſque meus, vita ſunt functi: multa aliis cum gentibus nationibuſque geſſimus bella. Sarmatiam Germaniamque fere totam victores pervagati. Quæcunque tulit animus omnia ſubegimus. Cæterum ut verum fatear, non mihi tunc illis in victoriis animus conquieſcebat, indigna enim virtute veſtra videbantur. Illa me rapie-*
F *bat cupido. Hoc ſemper exarſi Romam ipſam petere, cumque omnibus Romani Imperii viribus decertare, nonne vos idem quoque haud ſane minus quam ego exoptare videbamini? Quotiens enim voces exaudivi Romam conclamantium? Tempus a me ſemper expectatum, ut expediti aliarum gentium bellis? omnes nervos animoſque in hoc unum intenderemus. Nam, ut agricolæ ſolent, prius quicquid male herbidum impedit, eradicandum curamus, ut felicior reſpondeat meſſis. In Conſtantinopolim*

eadem

eadem mente duximus, Messiam, Macedoniam, Thraciam depopulati, Urbes inter medias aut recepimus, aut desolavimus. Rhenum deinde victores trajecimus. Quem ad finem tot labores suscepti? Nempe ut iis præsidiis Romani jampridem destinati vobis hostes nudati spoliarentur. Cæterum quod tamdiu cupivistis in manibus vestris est. Libet amplius non morari. Nulla major unquam facultas data bene gerendæ rei, destitutum est imperium & ducibus & exercitibus. Nam præter cæteros quos varii abstulerunt casus, Etius qui adversum nos apud Tholosam est congressus dux sane belli & prudens & fortis una illius imperii spes, a Valentiniano his diebus est interfectus, reliqui sine virtute, sine nomine, ipsum Imperatorem post Etii mortem, qui inde veniunt, narrant veluti vecordem factum. Auxilia autem ab aliis gentibus, quænam Romano alia futura sunt? Bene agetur cum Martiano, si parvis quas habet copiis Asiam atque Africam tuebitur. Franci scilicet ac Burgundiones in Italiam sunt transituri, quis credat? Rem illi suam in Campis Cathalaunicis egerunt, nunc agitur aliena. Dubitamus ne igitur tot incommodis oppressum hostem invadere? Memini puerum sæpius audivisse ante annos. XXXX. *Alaricum gente Gothum Romam cepisse, captam diripuisse An ille majoribus validioribusque quam nos copiis Italiam est ingressus? Neque vero Romanis dux est nunc ullus fortior & disciplina instructior militari, quam Sthilico Vandalus fuit. Quoniam autem viribus & armis gerenda res est, hostem si hosti compares, pœniteat ne vos viri fortissimi hujusmodi corporum & animorum? Ad subigendum orbem nati nedum Italiam? Pudet dicere cum quo hoste conserendæ sint manus. Vestrum sane singulos vix illorum deni sustineant. Quid enim? An equos equis? Pila sagittis, Ensibus gladios, pedestrem denique illorum aciem cum Equestri vestra conferam? Et gloriantur adhuc victoriam penes se in Galliis stetisse, Hunnos inde expulisse, quasi virtus illorum in causa fuerit & non sociorum Germanorum, qui nunc illis nulli futuri sunt. Nostra nunc omnes sequentur signa. Sed fuerit ut illi jactant, patiemurne fortissimi viri inultam diutius Cathalaunicam maculam? Et qui martis animum, non minus quam gladium gestamus, mundi quoque totius persequi injurias profitemur. Bellorum gloriam superbis quidem solo nomine hostibus, sed ignavis alioquin & inertibus hominibus relinquemus? Diu nimium imperium apud illos fuit, incipiat penes fortes viros esse. Universi orbis gazam, omne aurum & argentum sacra omnia & prophana omnibus direptis provinciis, gentibus, nationibus domum suam averterunt. Nos ultores totius orbis, totius quoque orbis damna non repetemus? Eam nobis gloriam sæpius Dii nostri multos per vates prædixerunt. Nec minus siderum sortiumque gnari, hoc tempus illud esse vaticinantur. Spondeo paucis mensibus, ne dicam diebus: si modo idem vobis animus est, signa nostra superbissimæ urbis medio defixurum. Nec in tantæ victoriæ præmium ipse sibi dux vester quippiam nisi gloriam quærit. Cætera omnia quæ Dii vobis parata offerunt ad uxores liberosque vestros domum onustis jumentis deportate.* Respondere omnes non tam verbis quam clamoribus, ut Consilium perageret & *Romam* repetitis sæpius vocibus inclamavere. Admonitos igitur ut incertam parati instructique adessent diem domum remittit. Fama conventus hujus magnam *Germaniæ* partem pervagata, innumerabilem concivit multitudinem prædæ cupiditate. Succinctus igitur multorum regum socialibus copiis *Rugorum*, *Ostrogotthorum*, *Erulorum*, *Turcilingorum* *Guadorum*que anno domini L. supra CCCC. iter arripuit, omnem pene aquilonem secum trahens, plenus irarum & vindictam *Gallicæ* stragis adhuc spirans. Ad cujus motus rumores, facile omnes

A *Italiæ* populi contremuere, quum viderent Imperium sine ducibus sine copiis. *Valentinianus* siquidem Imperator neque consilii, neque animi satis compos sese *Ravennam* receperat, quam validis firmaverat munitionibus. Dimissa ut nonnulli volunt in *Histriam Noricum*que, copiarum parte, quæ hostem ab *Italiæ* faucibus arceret. *Venetiæ* civitates consternatæ & ipsæ metu, eventum potius expectare, quam ut struerent inanis spei remedia. Ingressus iter *Athila* quacunque it, rapit secum omnes in prædæ spem. Nonnulli tradunt vastatis prius provinciis inter *Danubium Adriaticum*que interjectis in *Dalmatiam* descen-
B disse, maritimasque urbes *Spaletum*, *Tragurium*, *Sebenicum*, *Iadderam*, *Signam*, *Polam*, *Tergestum* vi captas diripuisse. Alii vero quibus magis accedo sustulisse omnes moras & recta contendisse. Iter enim a *Buda* urbe usque *Goritiam* & planum est & apertum. Tametsi scriptum quidam reliquerint *Maximum* Tyrannum occiso in *Galliis Gratiano*, hæc alpium claustra septuaginta aut circiter annos ante *Athilæ* adventum firmissimis obsepsisse munimentis, ut excluderet *Italia Theodosium* ex oriente in *Italiam* properantem. Cæterum *Theodosium* simulasse mari traje-
C cturum, ea credita re Tyrannum saltibus illis munimentisque desertis, navibus imposuisse quicquid illi roboris adesset, *Theodosium* assequutum, quod sperabat ex diverso terrestri agmine, munimenta Alpium præsidiis nudata disjecisse, hostem apud *Aquilejam* interfecisse. Hanc ego rem multorum scriptis confirmatam haud equidem omnino refellere ausim. Præsertim cum memoriæ quoque sit traditum *Theodoricum* & *Narsetem* & *Haistulphum* & *Desiderium Longobardos* munire pluribus in locis Alpium saltus conatos. Nihil tamen profecisse, qui Alpini saltus semper patuerint majoribus irrumpentibus hostium viribus. Cæterum quid hisce de locis clau-
D strisque oculis accepimus, non videtur prætermittendum. Nam cum imminente *Turcorum* adventu in eam provinciam legati profecti essemus ad eos præcipue saltus an obstrui possent diligentius contemplandos, regionem omnem speculati, ita reperiebamus. A *Buda* ex *Pannoniis* ad *Italiam* vadenti plura esse itinera. Commodissimum omnium inter *Noricum* & *Liburnos*, ut a *Buda Sagabriam* urbem *Pannonicam* tendas, planissimum iter omne est & apertum passus circiter CC. inter *Sagabriam* vero & *Lubianam* olim *Liburniam* Alpes mirum in modum submittuntur, humillimumque & minime asperum jugum
E præstant non equis tantum, sed carris etiam onustis. Eo in jugo divortium est aquarum, neque ultra quam duobus tribusve passuum millibus extenditur. Descensus est deinde collibus ubique mollioribus in planitiem admodum æquam & apertam. Inde *Sagabriam* versus defluit *Lubiana* ejusdem nominis flumen, & in *Savum* cadit. Hinc vero *Vipagus* amnis in diversum defluens, vallem *Goritiæ* irrigat, & in *Sontium* amnem haud procul a mari exoneratur. Hæc omnis planities alibi latior est, alibi contractior, nusquam tamen patet minus quinque passuum millibus, ut etiam maxima armatorum multitudo
F non tantum confusis ordinibus, sed in acies quoque campestres distributa possit incedere. Omne igitur iter a *Buda* usque *Goritiam* CCC. aut circiter passuum millia. Hoc iter & brevissimum est, & commodissimum. Cætera omnia impeditissima, neque magnis exercitibus pervia. Non itaque dubitem; ut superius diximus, *Athilam* primam tenuisse viam, nisi forte partem aliquam equitatus ad excursiones *Dalmaticas* transmisit, ut eam omnem oram diriperent, ac vastarent.

Libet hic si liceat de natura rerum opifice queri, quæ cum *Italiam* altissimis Alpium munimentis circundatam ab cæteris gentibus defendat, has pene solas *Venetiæ* fauces reliquit planiores apertioresque, quam ut eas maximi impeditissimique exercitus non possint superare. Hinc *Cimbri*, *Gothi*, *Hunni*, *Eruli*, *Vandali*, *Galli*, *Avares*, *Longobardi*, *Hungari*, *Sclavi*, hinc novissime *Turci* jam quinquies *Italiam* ingressi, minante nescio quid maximo atque optimo moderatore rerum omnium humanarum Deo, quem interdum pie vereri & possumus & debemus, Fauces istas ad flagellandam pro meritis *Italiam* pervias & apertas permisisse. Quanquam eandem quoque superandi Alpes commoditatem reciproca quadam facultate non minus ad *Italos* pertinuisse videri A possit. Quandocunque pro arbitrio his videretur barbaras impetere nationes, ut *Romanis* quondam videmus extitisse, qui non aliunde quam per Alpium tramites in *Pannonias Messiam Germaniam Gallias* denique & *Hispanias* ingentes exercitus ductavere. Itaque quod ad imperium attinet tam Barbaris quam *Italis* omnis in viribus ac disciplina militari res semper fuit: semperque erit. At vero id nobis acerbum dolendumque propterea videtur quod *Italiæ* vires deficientibus incolis mirum in modum sunt exhaustæ. Virtusque militaris vix quicquam retinet exempli veteris spiritusque, translata videntur omnia ad Barbaras B nationes, seu desidia nostrorum temporum, seu morum malignitate.

LIBER TERTIUS.

Cum mecum ipse inter scribendum tantarum conversiones rerum animo reputo, illud consideratione haud indignum occurrit quam bene digesta commensurataque sapientia, summus mortalium rerumque omnium arbiter, & gubernator Deus longe breviorem dedisset homini vivendi cursum, quam multis animantium generibus, præcipue cum supra cætera quasi regem & dominatorem constituisset. Nam si eos metimur humanæ vitæ annos, posteaquam videlicet homo pollere incipit ratione, unde & rationalis nomen accepit, usque quo, accedentibus corporis, & ingenii viribus; obire hujus vitæ munera non magis potest, quam necesse est. Sane quicquid inter hæc medium est, non tantum exiguum, sed pusillum etiam videatur. Cur autem usque adeo parca avaraque, quod multi queruntur, mensura erga hominem sit usus, alii aliud sensere. At vero mihi etiam mollius habendum videtur: nedum non querendum, aut deplorandum, quin maxima potius videtur usus indulgentia. Nam si in hoc brevi spatio tanta rapi insania plerosque mortalium videmus, ut nihil apud eos compositum pacatumque sit, nihil pensi habeant aggrediendis in rebus: dum libidini suæ pareant omnia perturbationibus misceant, dissidiis, bellis, ruinis, omnibusque calamitatum generibus. Quid tandem futurum fuisse existimandum, si longius illi vitæ spatium, ut Cervo, ut Elephanto longinquas quoque spes natura tribuisset? Porro brevitas hæc adimit, aut certe mitigat plerisque cupiditatem & ardorem, multas novandi res, multas turbandi. Cum imminere jam sibi tam cupiditatum quam earum fructuum finem conspiciunt, ut ille sint interdum quasi ante flavam segetem præcidendæ. At vero si longiora in spatia mittere, spes liceret, cuinam dubium est tentaturos fuisse homines, ut per ea, quæ producturi essent sæcula feliciorem rebusque omnibus opulentiorem agerent vitam? Quis etenim servire semper vellet, quis non regnare etiam? Quis semper in paupertate degere, quis non per scelus etiam & sanguinem alienum aurum, & opes appetere? Bene igitur cum homine actum est. Summa namque dei sapientia quod in homine servile erat, fluxum caducumque fecit. Quod vero regale, divinitatis partem aliquam communicavit, immortalemque dedit. Neque enim satis fortis per se efficaxque erat ratio, ut hominem a nefandis cupiditatibus abstraheret, nisi brevitatem vitæ, quasi frenum addidisset. Neque inficior esse nonnullos, qui bonitate naturæ constantique & minime C vana mentis ratione per sese mittere sub pedibus perturbationes quascunque intemperantes & turbulentas possint, virtutemque ipsam expeditis animis sequi. Cæterum cum his indulgentius se habet divina sapientia quibus pro virtute meritisque, mercede non dilata, in cælestem quam primum, & nunquam defuturam recipit beatitudinem. Et præterea immensa illa summi dei bonitas non ad paucorum tantum utilitatem fructumque respicit, quam ad universi totius cui moderatur utilitatem & decorem, ut ejus pulchritudo cunctis ex partibus pariter eluceat. Quibuscunque igitur contigerit hæc meditari non parvo illis solatio inter ærumnas hujus vitæ, quas effugere non possu-D mus, Lectionem istam futuram speramus. Ita sursum deorsumque per hos annos omnia divina & humana versata sunt. Prosequemur igitur de adventu *Athilæ* regis in *Italiam* quid acceperimus, quæque ab eo multis horum stagnorum urbibus initia sunt data. *Athila* Alpestri jugo superato continuato itinere ad *Sontium* amnem pervenit, dividit hic amnis ab Alpibus cadens *Carsos* montes olim *Iapidiam* vocatos ab reliqua *Venetia*, inque eo loco maxime in angustum coit quicquid est inter Alpes & mare. Neque enim ibi latitudo patet plus quinque & viginti millibus passuum. Hi vero qui nunc vocantur *Carsii* montibus haud multum arduis, sed lapidosis admodum asperan-E tur, circumflectuntque *Tergestinum* sinum ad *Histriam* pertinentes. Alterum *Sontii* caput *Verruca* oppidum obtinet distans a Mari duobus millibus passuum a *Theodorico Gotthorum* Rege olim conditum, nunc *Monfalconus* appellatum. Alterum caput juxta radices Alpium tenet oppidum *Goritia* nomine colle editiori. Illa fortasse *Noreja* cujus *Strabo* meminit, si amnis, quod ille vult, commode naves ad urbem usque perducat. *Sontius* vadosus est multis in locis & majori anni parte. Statim autem ut adventare *Hunnus* tanta cum multitudine est nunciatus: tametsi quicquid *Romani* atque *Itali* roboris ad arcendum hostem po-F tuit *Valentinianus* ad eas fauces transmisit, tamen impares viribus quum aperto campo congredi non auderent, ad proximas civitates dilabuntur. *Aquilejam* maxime, quæ tum potens in primis Civitas, & objecta magis periculo, multis præterea mortalium generibus habitata. Quoniam autem subibat metus, ne Barbarus ad ejus urbis aut oppugnationem aut obsidionem omnes vires intenderet, placuit *Aquilejensibus* in omnis fortunæ casum (haud sane quod intelligerent quantam rem molirentur, sed monitu potius divino, quam rationis humanæ consilio) Castellum propinquum in maris littore *Gradum* nomine, validius mu-

munire. Contulere illuc sacram pretiosamque supellectilem & reliquias sanctorum. Tum igitur secunda post *Rivaltum* eo loci *Venetiarum* fundamenta sunt jacta. Appellatum autem *Gradum* nostri ferunt ab aquis quas tunc gradatas indigenæ appellabant. Quoniam autem *Aquilejam* omnes externi scriptores tradunt primam *Venetiarum* quasi parentem, & ipsa deinde *Gradus* creata *Venetiarum* Metropolis, atque ibi Patriarchalis sedes constituta. Non erit ab re *Aquilejæ* urbis situm paucis docere: tum a quibus condita, aucta deinde: postremo quo pacto fuerit eversa. Tenuit *Aquileja* ut supradiximus caput paludium ad orientem. Distabat a mari, ut *Straboni* placet, passibus decem millibus, ut *Plinio* duodecim. Medioque inter Alpes & mare spatio veluti campestre propugnaculum insidebat campis illis imperitans, ut hac illacve transire conantem hostem procul arceret. Brevior nunc a mari tractus, neque excedit passus quinque millia urbis ambitus incertus. Mænia tamen feruntur extitisse altitudine & crassitudine firmissima, *Natissonem* amnem præterfluxisse omnes scribunt. Nunc ad *Aquilejam* usque non pervenit, sed supra aliquanto *Torum* amnem secum rapit, & ambo in *Sontium* cadunt. Fluviolus per *Aquilejam* nunc labitur in alveo scaturiens, *Natisso* appellatus, qui profecto fluvius ille esse non potuit, quem *Strabo* scribit *Norejam* usque naves subvexisse. *Sontii* sane nomen recentius est, neque apud antiquos notum, *Natissonem Blondo* placet illum fuisse. Et tamen eundem *Natissonem* scribit defluere apud *Austriæ* civitatem. Id quo pacto fieri possit distante *Sontio* ab ea civitate multis passuum millibus, non satis intelligo. Ejus rei judicium indigenis locorumque gnaris relinquamus. Neque hæc quæ nunc visitur *Aquileja* ea est quæ olim fuit, sed illius antiquæ nobilitas & opulentia magna memoratur. Coloniam ibi deductam a *Romanis* Titus Livius auctor est *libro septimo supra vigesimum*, *Histris* vicinisque populis acerrime adversantibus ne deduceretur, tum *Aquilejensium* misericordia, quibus imponi perpetua servitus videbatur, tum metu ne idem sibi accideret, quod finitimis videbant. Ob eam maxime causam deductam dicit *Strabo*, ut incumbentes *Italiæ* Barbari hoc quasi munimento procul arcerentur. Locus enim commodissimus vel repellendo, vel inferendo Transalpinis nationibus bello. Maxime autem accrevit obversantibus ibi *Romanis* legionibus. Magni siquidem exercitus & imperia quum cætera alia, tum magna etiam negotia secum trahunt. Res ibi ingentes exercebantur propter egregium urbis situm *Europam Asiæ* conjungentem. *Athilæ* tamen regis factum cæteris aliis argumentis præstantius est, qui dignam duxerit, ad cujus expugnationem, ut *Paulo Diacono* placet tris æstates, ut omnes consentiunt, plurimum & laboris & temporis absumeret. *Aquilejensium* autem perpetuam constantemque in Imperio *Romano* fidem *Julius Capitolinus* in utriusque *Maximini* vita quum ab iis obsiderentur, scribit. *Tanta fide Aquilejenses contra Maximinos pro senatu fuisse, ut Funes arcubus ex capillis mulierum facerent, quum deficerent nervi ad sagittas emittendas.* Dum igitur & *Aquileja* & aliæ *Venetiæ* civitates ad adventantis hostis vel oppugnationem vel obsidionem parant sese, *Athila* jam *Goritiæ* campos tenebat. *Sontio* transmisso, dimittit ad proximas urbes caduceatorem, non se venisse, ut iis bellum injuriamve inferat. Unam *Romam* se petere, unum imperium pro hoste habere, paratum venisse pacem dare, si obsequi velint, armis cogere, si nolint. Quum responsa a plerisque redderentur haud satis ex illius sententia scriptum reliquit *Celius*: duas ex nobilioribus Civitates deditionem fecisse, *Taurisium* & *Veronam* hanc ab *Helvidio* antistite, & a *Tempesta* Civitatis principe, illam a *Diacherico* traditam. Fortiter ab *Aquilejensibus* responsum: Ejus autem urbis vel oppugnationem vel obsidionem, quamvis diuturnam & perdifficilem fore *Athila* intelligebat, a tergo tamen relinqui non placebat. Neque inde, nisi expugnata discedere, tum ob ingentis spem prædæ, tum ne hujus exemplo aliæ Civitates obstinatioribus animis defensionem pararent. Dimittit partem copiarum ad oppida circunquaque, aut recipienda, aut opprimenda. Ad terrorem autem jubet excursiones maximas fieri, fædari late omnia ferro ignique, ipse copias ad urbem ducit. Aliæ vero ejus oræ Civitates *Concordia*, *Altinum*, *Opitergium*, *Patavium*, & quicquid est oppidorum inter has civitates, & Alpes, posteaquam fugientium ex agris agmina metu exanimata trepidatione omnia compleverunt, sparsosque ex editioribus urbium turribus viderunt ignes, tum vero velut urbes ipsæ cum agris conflagrarent (veris etiam majora, ut fit, afferebant, amissam *Aquilejam* hostem adventare) agitare cæperunt nova quique consilia & ad fugam omnia. Alii per mare in alienas terras, alii Transalpes, quum *Italiæ* non satis fiderent. Hic vero multi mortales *Aquilejensium* exemplo, qui charissima quæque apud *Gradum* ante deposuerant, animum & ipsi convertere ad littora, atque insulas urbibus objectas. Ibi tantisper futuri cum uxoribus & liberis, quoad nimbus hic atque tempestas imminens solveretur. Accinguntur omnes operi, complentur littora, Insulæque omnes, loca legunt aut sortiuntur, casas construunt, tectaque moliuntur tum majora, tum minora; faber jam sibi quisque, tum naves contrahunt omnis generis, minores, quibus ab urbibus ad littora trajiciant, majores, ut si eos ad littora persequatur hostis, tum sese in altum proripiant & alienas terras petant, ut cujusque tulerit fortuna. Interea vero consumptis omnibus circa regionibus, quum nihil jam amplius, quod raperet barbarus haberet, ut ad famem periculosum in bellis malum videretur spectare res, relinquere vero obsidionem haud placeret, consilium capit relinquendi copiarum partem ad *Aquilejam*, cum reliquis autem urbes alias aggrediendi, quarum expugnationem minoris operis sperabat fore. Primo igitur *Concordiam* ducit. Distabat hæc Civitas ab *Aquileja*. xx. passuum millibus. Nihil accidit oppidanis inopinatum, complures enim dies hostem expectaverant. Hic vero scribunt nonnulli decem & septem millia amisisse, in prælio vero, an in urbis expugnatione non dicunt. In eo concordant omnes vel integra civitate, vel ab *Athila* jam oppressa, multos ex hac quoque mortales ad mare dilapsos, littus quod erat e regione civitatis tenuisse, vicumque *Caprulas* appellatum, quod deinde nomen oppido mansit. Licet nonnulli tradant *Petroniam* postea dictam. Vicit tamen antiquitas, & priscum nomen retentum. Ingressus *Concordiam* Barbarus ferro ignique tectis immisso, omnem urbem funditus evertit. Conspiciuntur nunc ejus vestigia, tum parva, tum rara. *Opitergii* eadem fuit fortuna. Et ipsi viribus diffisi, adversam littoris partem insedere. Sævitum quoque in id oppidum, & in urbem *Cenetam* paulum ab eo distantem. *Equilum* ædificatum ex *Opitergii* ruinis civitas & ipsa littora. Tum ad *Altinum* ducit nobilem civitatem prius *Antenoridem* vocitatam. Licet *Servius* grammaticus *Patavinos* dicat primis temporibus eo nomine usos. Erat *Altinum*, ut ex *Strabone* videre licet: ad speciem *Ravennæ*

tota fere inter paludes. Sed ea de qua loquimur tempeſtate redacta magna ex parte in continentem. Ibi oppidanos repperit foſſis & aggeribus interciſis, paludes circunquaque admiſſas accepiſſe, & reddidiſſe pene inacceſſibilem. Sed cum viderent omnem hoſtium multitudinem accingi ad implendas & cratibus ligneis explanandas: verſas autem in cinerem duas propinquas civitates, ſimilem & ipſi cladem veriti: eodem ſancto ſpiritu animis illabante, ſex inſulas propinquas, urbi objectas tenuere. Ita eas partiti, aut quia ſex eſſent urbi portæ: ut fama fert, aut quia in ſex erat partes civitas diviſa, ut quæque aut ſorte aut ex compoſito unam ex iis caperet. Inſularum nomina hæc ſunt: *Torcellum*, *Majurbium*, *Amianum*, *Boreanum*, *Conſtantiacum*, & *Amorianum*. Duæ ab aquis ſubmerſæ *Conſtantiacum* & *Amianum*. Nam præter quædam monaſteria conſervata ſtudio & diligentia, aliud ex his inſulis apparet nihil. Cæteræ quatuor adhuc ſuperſunt, & facile declarant templorum magnitudine & numero *Altini* urbis, unde ſunt ortæ, nobilitatem. *Patavini* interea quum crebris nunciis fruſtra petiiſſent ab Imperatore auxilium & fumantes vicinas viderent urbes, non amplius cunctandum rati, terra marive ſalutem quærere inſtituunt. Quantis opibus tum eſſet *Patavium* non habeo compertum, niſi quod magis video celebratas ea tempeſtate *Aquilejæ* & *Ravennæ* laudes, quam *Patavii*. Certe *Auguſto* imperante, qua ætate ſcripſit *Strabo*, ita amplæ magnificæque ab eo traditæ fuerunt, ut mihi videantur ejus verba non omittenda. *Patavium eſt cunctas ejus regionis urbes excellens. Nuper in ea cenſi ſunt quingenti equeſtris ordinis viri. Antiquis autem annis centum viginti militum millia armaſſe conſtat. Quam vero civitas ipſa & virorum probitate, & artium bonitate floruerit, Magnitudo cum aliarum rerum Romam miſſarum, tum vero Pannorum & veſtimentorum omnifariam mercatura declarat. A mari ſurſum habet navigationem fluvio per paludes delato, ducentis & quinquaginta a Meduaco portu ſtadiis. Portus autem ipſe eodem quo fluvius nomine vocatur Meduacus.* Hæc *Strabo*. Cujus autem generis, aut gentis fuerint quingenti equites, quos *Strabo* ſcribit, declarat *Plinius* & *Quintus Aſconius*, qui *Patavium Romanorum* coloniam fuiſſe dicunt. Non eo deductam more, quo cæteræ urbes ſolebant, ſed datum eſſe *Patavinis* jus ipſum *Latii*, ut in deſignandis *Romæ* magiſtratibus, ferendi ſuffragii jus haberent. Quoniam vero nullis magis temporibus Aquilonares nationes, aut repellendo, aut laceſſendo *Romanam* virtutem exercuerunt, quam poſt *Auguſti* tempora. Ob eam cauſam *Ravenna* poſt *Auguſtum* crevit maxime. Et item *Aquileja*. Illa propter maris ſuperi oportunitatem conjunctam cum vicinitate urbis *Romæ*. Hæc quia clauſtra *Italiæ*, quaſi in manibus teneret. *Patavium* vero & a *Roma* & ab Alpibus, & a mari magis recedens, ſicut illæ crevere, ita ipſum ex eo quod fuerat opibus imminutum, haud mirum: Inde neglectam magis ab Imperatore *Patavium* opinor, quam *Aquilejam*. *Patavini* vero multi, qui antea didiciſſent ex *Rivalto* inſula, *Methamauco*que littoreo, quæ apud objecta eſſet ſtagna aëris ſalubritas, temperies, commoditaſque. Qui navigandi fructus, quove pacto omnia neceſſaria facile mari ex longinquo adveherentur: tum etiam vicinarum urbium exemplo ducti: eo confugere conſtituunt. Qui omnino etiam plerique non deſperabant fore, ut poſt effuſam hanc fortunæ tempeſtatiſque ſævitiem ad patriam reverti poſſent. Jamque *Athila* ad portas urbis aderat. Hic vero non invenio

A apud ullum ſcriptorem, quonammodo ea ſit potitus. Expugnatane, an derelicta, an vero tradita per deditionem. Sane in eo omnes concordant, direptam atque exſciſſam, & magnam oppidanorum partem, quas prædiximus inſulas, & littora tenuiſſe. Duas videlicet propinquas, *Rivaltum* & *Olivolum*, tum alia duo littorea *Methamaucum* & *Albiolam*: cur illas potiſſimum, poſtea planius dicemus. Simili terrore perculſa *Patavina* oppida *Adcuſtum*, quod nunc *Eſte*: *Monſſilicis* & montium *Patavinorum* populi palantes, trepidanteſque confugiunt. Hi *Philiſtinam*, quæ nunc *Peleſtrina*, & *Clodiam*, quæ nunc *Clugia*,
B & *Brintillas*, & *Caput Aggeris* inſederunt. *Vincentiæ* nobilis urbis, ut *Celio* placet, ſimilis quoque fuit fortuna. Nec ipſi non etiam, quia propinqua erant ſtagna, ad condendas *Venetias*, ſatis magnum convenarum numerum contulerunt. Cæterum captis uno fere curſu, exciſſiſque tot urbibus, haud viſum barbaro abire longius ab alteris caſtris, quæ contra *Aquilejam* ſtabant. Reverſus urget obſidionem multo quam antea diligentius. Placuit pleriſque ſcriptoribus: *Aquilejam* primam fuiſſe urbem, quam everterit Barbarus. Deinde ad alias itum. Mihi probari nullo modo poteſt obſidio tam lenta. Nam ſive tris
C æſtates *Athila* conſumpſit apud *Aquilejam*: ut Paulo Diacono placet, ſive minoris fuit temporis obſidio, ut alii volunt: Et ego magis exiſtimo, diuturnam tamen & duriſſimam fuiſſe obſidionem omnes conſentiunt. Non igitur video quo pacto ea regio neque ampla admodum, nec ſegetum feraciſſima, paſcere potuerit tantum hominum jumentorumque, ut conſiſtere poſſet diutius in his locis. Maxime quum illi *Romanæ* claſſes mare clauderent. Adde, quod *Aquilejenſes* cæteraque oppida ad rumorem adventantis hoſtis, corrupiſſe ſegetes omnes & pabula, aut in munitas urbes comportaſſe veriſimile eſt. Nihil igi-
D tur prohibuit *Athilam* ad alias urbes ducere, & *Aquilejenſem* obſidionem non relinquere. Quod ad utranque rem ſatis ſuperque copiarum illi ſupereſſet. Dum circa eam urbem tempus terit, littorei populi, & inſula res nihil ultra movere, quam ut expectarent eventum *Aquilejæ*. *Athilana* vero multitudo conſumptis omnibus, quæ ex tot urbium præda diripuerat, ægrius quotidie ferre, circa unam urbem jam diutius teneri: & in exercitu ſeri prius cæpta inter milites ſecretiora colloquia. Queri deinde propalam ſpargereque voces, cibaria ſibi jumentiſque poſcentium. Solere *Hunnos* ferro mori, & in acie pugnantes,
E non fame inediaque. Quidnam veniſſent in *Italiam* divitem illam & opimam, ſi circa unius urbis muros tabeſcendum erat? Crudeliora pati obſidentes, quam obſeſſos, tot urbes cœpiſſe, a fundamentis excidiſſe, cur non par fortuna ſit ſperanda, ſi ad alias quoque *Italiæ* urbes ducantur. Proinde orare, ut aut reverti liceat in *Pannonias* ad uxores, & liberos, aut ultra producantur, peſſimum eſſe fame mori. Has voces *Athila* cum audiret, metueretque, ne ſerperent latius, & improba aliqua ſeditio oriretur, plenus curarum, quid ageret, aut
F quo verteret ſeſe. Forte *Aquilejæ* muris obequitans, erigit oculos ad turrim editiorem, proſpicit inde Ciconias pullis inplumibus roſtro apprehenſis, littus proximum petere. Rex quem ferunt fuiſſe augurii ſtudioſum ex eminenti loco, converſus ad ſuos, ut exaudiri poſſet. Videtis ne inquit, ut aves illæ præſciæ futuræ cladis aſſumptis pignoribus, urbem relinquunt? Sic iſti quos obſidemus meditantur. Et effugient illi quidem, niſi eorum fugam averterimus. Sin parumper annitimur, urbs & omnis urbis gaza in mani-

manibus veſtris eſt. Reſponſum ab omni multitudine paratos mori per ferrum potius quam per inediam. Ducat ſub mænia & quocumque libet. Paratos ſe cælum ſcandere, ſi oporteat. Operam, quam fortes viros decet, præſtituros. Quis tum eſſet oppidanorum atque *Romani* præſidii ſtatus, quum urbem hoc poſtremo impetu ſuperare eſt adortus, ſcriptum ab ullo non invenio, & quum omnes dicant *Athilam* fame compulſum ad oppugnationem veniſſe & ciconiarum diſceſſum ad felix augurium vertiſſe. Tamen an eadem fames urgeret obſeſſos ſicut innuere augurium videtur, & quo animo defenſa ſit urbs, & quo expugnata, incertum. Sicut etiam incertum, an muros hoſtis tranſcenderit, an vero tormentis aperuerit. Capta urbs opulentiſſima ab irato hoſte, juſſus miles per omnes ſexum & ætatem pariter ſævire. Sacra profanaque omnia direpta, nec a templis & urbis mænibus temperatum, omnia ita eruta a fundamentis, ut ubinam fuerint, nullum fere antiqui operis veſtigium conſpiciatur. Cæſa ut juvenco *Celio* placet, ſeptem ſupra triginta mortalium millia. Cæterum irrumpentibus in urbem barbaris per illam diſcurrentium rapientium, efferentiumque confuſionem, multi mortales ſeſe ad mare fuga proripiunt, & quicquid poſſunt ſacri profanique *Gradum* comportant. Aucta *Gradus* non turba ſolum populari, ſed nobilium etiam numero virorum. Cæterum *Niceta* patriarcha, initione Barbaricæ excurſionis, an vero poſteaquam obſideri, aut oppugnari cœpta *Aquileja* incertum, *Gradum* & ipſe profugit cum ſacris omnibus cumque ſanctorum reliquiis. Ibique tantiſper fuit, quoad *Athilæ* ex *Italia* diſceſſu verſa in ſerenum tempeſtas. Hanc urbis captivitatem, aliter nonnulli confingunt, ſcribunt etenim cæſum quem ſupradiximus in acie populi numerum. Reliquam deinde multitudinem ad juſtam obſidionem redactam, quum extrema atque horrenda fame conficeretur: fugam meditantem, ſtatuas armatas in ſpeciem muralium cuſtodum, ut fallerent obſidentes, in mænibus quibus viſum eſt locis diſpoſuiſſe. Noctu igitur populum omnem per mare evaſiſſe, & in fugam ſe dediſſe. Luce facta, quum avis quam falconem appellant, ſtatuæ unius capite inſediſſet & obſidentes animadvertiſſent, miratos primum, fraude deinde patefacta, & quid rei eſſet conjectura aſſequutos, effractis portis urbis, offendiſſe populum fuga ex urbe dilapſum. Cæterum majoris lævitatis confictio eſt, quam ut indigeat confutatione, ut videlicet tantæ civitatis multitudo in fugam utcumque voluit, vel interdiu, vel noctu ſeſe proripuerint. Et ab obſidentium nemine non clamor, non tumultus, nullus denique ſtrepitus, aut vox (rem ſane incredibilem) diſcurrentium fugientiumque ſit exaudita. Illud non omittendum quod ab omnibus ſcriptoribus ejuſce cladis, magnis laudibus eſt celebratum. Dum capta urbe omni crudelitatis genere *Hunni* graſſarentur, non a puerorum raptu, non a virginum violatione. Virginem pudicitiæ timentem inſequenti *Hunno*, tunc mihi inquit pudicitiam eripias? Quum fugiens in ſupremam ædium partem evolaſſet, *Hunno* nihilo ſegnius inſequente, lachrymans illa & ſolutis crinibus vim deprecata, quum non impetraret, nihil tale *Hunno* metuente, age, inquit illa, inſequere tu me nunc ſi potes, & rabidam iſtam tuam libidinem exſatia. Hæc inquiens ex altiſſima ſpecula in ſubjectum *Natiſſe* amnem ſeſe præcipitem dedit. Addunt nonnulli virgines alias, quaſi communi conſilio crudas carnes & fœtentes inter mamillas collocaviſſe, ut eo fœtore averſi *Hunni* ab his opprimendis abſtinerent: licet *Andreas Lom-*
A *bardas* ſcribat eas extitiſſe. Sive autem *Aquilejenſes*, ſive gentis alterius ſua apud nos laude carere non voluimus. Tenuit apud multos opinio, ne nullum *Athila* in tam longa obſidione monumentum relinqueret, ſpeculam condidiſſe in camporum medio tumulo editiori ex ſubjecta terra congeſto, quam *Utinum* appellarit. Quatuor ibi etiam effodiſſe puteos miræ altitudinis. Quanquam *Blondus* ea opera extructa eſſe putat ab *Auſtraſiis* ab anno trecenteſimo citra: Id cauſæ afferens: quod de his operibus ante id tempus neque in *Gotthorum*, neque in *Longobardorum* monumentis ulla ſit tradita memoria. Quicquid fue-
B rit operum magnitudo infinitam pene multitudinem ad ea perficienda conveniſſe teſtatur. Igitur *Athila* omni *Venetiæ* regione, aut everſa, aut recepta *Atheſi* tranſmiſſo, ſubactis præterea, & verſis civitatibus omnibus *Abduam* uſque *Vincentia*, *Mantua*, *Brixia*, *Cremona*, *Bergamo*, omnia igni ferroque demolitus eſt. Scripſere nonnulli ad *Ravennam* quoque *Athilam* declinaſſe, ductum urbis nobilitate. *Johannem* autem Archiepiſcopum urbe dedita per proſtratas fores Barbarum equo deduxiſſe. Temperaſſe *Athilam* ſuoſque illius precibus omni genere crudelitatis, pari affectis calamitate *Tranſpadanis* populis, *Papia*, *Pla-*
C *centia*, *Parma*, *Mutina*, ſuperato *Apennino* in *Etruriam* ſe confert: Inde *Romam* ducturus. Conſultis aruſpicibus & monentibus, ut urbem eam caveret, exemplo *Alarici*, qui ea capta continuo extinctus eſt, in *Galliam* reflectit iter. Incertus tamen animi & ardens adhuc cupiditate videndæ *Romæ*, ſuſpenſis itineribus ſubſtitit aliquantiſper. Obviam fit interea apud *Hoſtiliam Leo* pontifex plenus dierum cum altero ex Conſulibus & magna Senatus parte. Poſteaquam *Athila* in conſpectu fuit, Pontifex & qui cum eo erant ex equis deſiluere. Propius deinde facto, Senatus, *Leo* inquit, populuſque *Romanus* victor quondam orbis terrarum, nunc a te o *Athila* victus pacem
D oratum venit. Ad hanc tuam gloriam nihil addi poterat, niſi ut eum ſupplicem haberes, ad quem paulo ante univerſus orbis ſupplicatum concurrebat. Viciſti igitur orbem terrarum, qui victorem illius viciſti. Reſtat nil aliud, niſi ut qui tot gentes ſub ditionem miſiſti, nunc ipſe te parcendo vincas. Nam ſi deo aſſimilis eſſe vis, ut ferunt te cupere, qui jam omnes mortales es ſupergreſſus, cogita Deum non minus glorioſum eſſe parcendo, quam cædendo. Senſere flagellum tuum contumaces, ſentiant nunc ſupplices clementiam & bonitatem, poſteaquam imperata quæcumque juſſeris ſunt facturi. Ad
E hæc pontificis verba Barbarus defixo aſpectu, & oculis intentis contemplatus Venerabilem Pontificis effigiem, canoſque & madentes lachrymis oculos, tactus communis fortunæ miſericordia eſt. Itaque ſubſtitit aliquantiſper cunctabundus, & jam magis magiſque miteſcere animo incipiebat. Ut vero Conſul & Senatus ad pedes illius ſeſe proſtrati provolvere, victus tandem eſt. Et vultu apertiori juſſis ut ſtarent: nullo alio ad conſultandum ſumpto ſpatio: Bono eſtote, inquit, animo tu Pontifex voſque *Romani*, veniam libentes damus. Sunt qui dicant, & in primis *Cælius* ea conditione veniam impetratam, ut pen-
F dere quotannis tributum *Hunnis* pollicerentur. Duces exercitus ſeorſum majorem in modum quum hæc viderent, admirati tam ſubitam regis facilitatem: Cur inquiunt tam cito invicte Rex de ſententia decedis? Ferunt *Athilam* reſpondiſſe: Nonne vidiſtis duos illos juvenes, alterum a dextris, a ſiniſtris alterum ſtrictis gladiis, torvis oculis mihi mortem minantes, niſi quod petebat ſenex iſte promitterem? Noſtrum eſt imperium, noſtra
Ro-

Roma, vectigalis *Hunnorum* facta. Revertamur ad uxores & liberos pleni opibus quas promisi, pleni gloria. Sive igitur id fuit, sive quia ingenio fertur fuisse mitiori, se sponte dedentibus, seu etiam quod extimuerit aruspicum responsa: Tanta profecto conversio a concitata rabie ad sedatam animi tranquillitatem, non mihi sine divino numine facta videri potest. Ut quum susceptum tam longinquum tantisque cum laboribus copiisque & impensis iter ad finem pervenisset, jam jamque concupito frueretur voto: cæteris sive neglectis sive dimissis suisque inconsultis & pene invitis spreta tam opulenta præda, Domum infecta re, ad quam venerat, remigraret. Cessit igitur iterum in *Pannonias*, ubi novis adolescentulæ nuptiis celebrandis totus intentus, dum cibo vinoque intemperantius utitur, subita morte extinctus est. Concursu deinde omnium facto, maximis honoribus de gentis more est elatus. Nobilissimus quisque pheretrum ejus inaurato solio eminentius constitutum funebre carmen adequitantes præcinebant. *Hic est Maximus Hunnorum Rex Athila patre genitus Mandulco, fortissimarum gentium fortissimus ipse dominator. Qui inaudita ante se potentia Scythica & Germanica regna solus subegit. Nec minus utriusque Romani imperii viribus, civitatibusque proculcatis in extremum terrorem adduxit. Servitutem illis, exitiumque remisit, vectigali contentus. Summo eorum Pontifice deprecante. Dum hæc omnia felicissimo proventu gerit, non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi inter gaudia lætus sine sensu doloris occubuit.* Posteaquam *Hunni* condidere, diem secundum epulis & omni lætitiæ genere peregerunt. Hæc omnia a *Jordane* scripta accepisse dicit *Celius*. Post *Athilæ* ab *Italia* discessum, *Venetiæ* populi, quum liberum jam esset consilium capiendi sedes, pars redire ad ruinas excitandas, emigravere alii in alias terras. Nonnulli autem quibus securitas magis placeret prægustata illius dulcedine, & assuescere incipientes locorum apricitati, suspensis adhuc erant animis quid agerent. Cæperunt autem præter alia minora loca ut diximus quindecim, sex littorea *Gradum*, *Caprulas*, *Equilum*, *Methamaucum*, *Albiolam*, *Pelestrinam*: Novem vero insularia, *Turricellum*, *Majurbium*, *Boreanum*, *Amianum*, *Constantiacum*, *Amorianum*, *Rivaltum*, *Olivolum*, *Clodiam*. Minorum insularum hæc fuisse nomina, accepimus: *Castratia Marcelliana*, *Castrumputium*, *Centenaria*, *Mussiones*, *Vigilia*, *Barbaria*, *Brintille*, *Baybæ*, *Caput aggeris*: Singulorum igitur locorum cætus, ut tali tantaque in re fuit necesse, consilia quotidie agitabant pro se quisque, & invicem interdum. Quin hinc viderent locorum situm, quem nuper essent experti ab hoste tam immani inexpugnabilem, viderent præterea quanto prudentius sibi consuluissent, qui eo profugerant, quam qui ad urbem tuendam remansissent. Hinc vero cum novum, tum durum nimis videbatur, assuetos urbanis cætibus & Conciliis, ædificiis quoque laxioribus mollioribusque, camporum præterea amœnitati applicare animum ad cætus salinarios piscatoriosve tectaque asseritia, tum parva, tum humilia, & quod maximum ad incolendas paludes. Apud *Rivaltum* vero, inquam pariter & *Methamaucum*, multi ut diximus ex *Patavinis* confugerant: placuit iis cæterisque profugis divini spiritus clementiam implorare, ut mentibus illaberetur, quid in hac horrenda rerum facie consilii captandum esset. Alii etenim & ea pars major erat redeundum ad patrias instaurandas ruinas censebant. Nonnulli vero hic permanendum aliquantisper quod intermissam potestatem non sedatam penitus existimarent. Ne rursum *Athilanæ* reliquiæ de quibus multa ferebantur *Italica* degustata præda *Italiam* repeterent. Excidium patriæ illis adhuc erat in oculis. Hac igitur in sententiarum varietate, quum omnes in unum convenissent, Virum ferunt ætate grandiorem & nobilitate meritisque ac sanctitate vitæ venerabilem, ita apud eos loquutum. *Si jam ex animo non excidisset fratres optimi, id quod paulo ante fieri vidimus, cum Athila Rex Patavii mœnia tormentis quateret, ruerentque ad solum omnia, non esset ambigua (opinor) præsentis consilii deliberatio. Quis enim habens id in memoria, cogitare posset illuc remigrandum esse, ubi tantam meminisset factam excidii fœditatem? Duo præsertim diversa ante oculos habens exempla neutiquam negligenda? vidensque eos qui hostis furorem impetumque fugientes cum se cernerent viribus impares in hæc stagna declinarunt servatos esse, superesseque illis incolumes uxores & liberos primarium rerum humanarum solatium, illos autem qui dum se urbem tutari posse credunt, illic mansere, hostiles expertos esse gladios vel in ultimam abductos barbariem durissima vincula, servitutemque pati? Sed profecto ita natura comparatum, vitamus pericula cum instant, præterita quum sunt, quasi nunquam fuerint oblivioni mandamus. Ignoscite fratres, si sententiam dixero forte, non expectatam, & veniam date sive ætati, sive fortunæ, quæ me jamdiu multis malis edoctum, cavere pericula monet libentius quam experiri. Rhadagasum vidimus adolescentes per has ipsas Venetiæ fauces cum ducentis millibus armatorum ingressum, nostra omnia diripuisse, sacra prophanaque vastavisse. Vix dum incubuimus ad instaurandam urbem: Ecce Alaricus alter Gotthorum rex, non minoribus quam ille copiis in hanc provinciam irrumpit, quæ tum tulerimus omnis generis mala, horret animus non solum dicere, sed etiam reminisci. Sic omnis labor instaurationis absumptus incassum. Quid passi jam tertium simus ab Athila.. Quid juvat commemorare? Satis superque lachrymarum est, ne recentibus recentiores addamus. Si ergo nec Rhadagasi exitio Alaricus, nec Alarici morte Athila est deterritus. Quominus eorum reliquias ipse tertius persequeretur. Qui possum non timere, ne quispiam alius ex ea Barbarie idem quod illi agressi sunt, adoriatur? Multitudinem mortalium abundare tantam nunc audio in illis terris, quantam antea nunquam. Nunquam autem dux defuit, neque deerit multitudini concitatæ. Martianus vix eos arcet ab imperii provinciis. Vereor itaque ne torrens ille rursus irruat in nos omni divina & humana ope destitutos. Quid autem reliquum spei esse potest in Imperio? Nam præter Africam a Vandalis occupatam, amissum iis annis quicquid ultra Alpes tenebat imperium Oceano tenus quondam, nunc ad Alpes usque contractum. Ipsæ quoque Alpes, quæ satis tutam præstare solebant Italiam, quid jam habent munimenti? Eunt redeuntque quasi per campestria. Sublatus Etius est una spes inclinantis imperii. Nulli jam duces, nulli exercitus, qui aut hosti terrori sint, aut nobis auxilio. Itaque ego istam sententiam redeundi, non tam laudare possum, quam quæ experti sumus, ne iterum accidant, magnopere timere. Censeo igitur hic sedes ponendas. Locus præsenti fortunæ multis de causis placet, cur placeat, brevibus expediam. Tria præcipue optari solent ad civitatis rationem deligendam, Aëris salubritas, Commoditas earum rerum, quæ necessariæ sunt ad victum, & ab externis periculis locus, quam maxime fieri potest munitus. Ad aëris quidem salubritatem, qui possunt optari testes certiores, quam multi, quos hic videmus annos septuaginta & octoginta natos? Et qui præterea vultus? Quæ proceritas? Qui colores? Nec ullæ delitiæ hoc robur & firmitatem præstant. Sed quum exercitatio corporis per maritimas navigationes acti*

tum

tum aëris (ut mihi quidem videtur) quædam benignitas & temperamentum. Pueri frequentes fæcunditatem indicant, fæcunditas salubritatem. Neque non arguunt ista copiam etiam ad vitam. Nam etsi nihil hic nascitur, juxta tamen est Patavinus ager, & fertilissima omnis hæc regio. Sed fac ut isti negent, est a læva Noricum, Epirus, Acarnan, Ambrachiusque sinus, a dextris vero Ravennas ager, cinctus quinque uberrimis urbibus, & omnis præterea Italiæ ora Siciliam usque. Exemplum domesticum tenemus, siquando anni intemperie carior fuit annona, nonne a mari Patavinis erat profugium? Vos appello incolæ veteres, unde reficitis cellaria frumento, vino, oleo? Hac in Calamitate vastatis satis omnibus & vineis tot tamen populos uberrime pavistis. Agri vestri naves erunt vestræ, vineas & oliveta naves vestræ præstabunt. Portus adest omnium commodissimus. Homines & navigandi, & exercendæ pecuniæ apprime periti. Cur dubitem, quin si viri sumus, primum optimus Deus, deinde nostra industria sit suffectura? Excissa sunt duo primaria nostri sinus emporia, Patavinum & Aquilejense, utriusque locum nunc tenemus. Video siquidem situs hujus præstantiam quo nullus est in orbe nobilior, neque enim præter Ravennatem portum alius superest, unde omnis oriens commodius intra occidentis viscera cum omnibus peregrinis pretiosisque mercibus penetrare queat. Sed hæc tanta, sicuti polliceri non ausim, ita non dubitem, quod ad rem præsentem pertinet, facile nos & omni cum ubertate vitam acturos. Magna vis est Mercaturæ præsertim maritimæ, ejus est quicquid ubique est. Quid præterea dicam, quod fuit tertium de munitione loci, ac securitate, ea vero est inexpugnabilis. Distamus a Continenti millibus passuum decem, ab littore tribus. Sane nulla munitio validior quam quæ oppugnari non potest. Dic ex qua parte hostis in hanc insulam transiliat? Quæ nam materia tantum aquarum sternat? Quas autem moles operum non dissipent vires tempestatum, & aperti ventorum flatus? Adde Canales qui vada dividunt, altissimos. Multarum rerum documenta malo nostro Athila præbuisse potest. Bellum tot menses per hæc vicina loca circuntulit. Ad prædam tamen in hæc littora, aut insulas non transmisit. Quod si quem forte movet patriæ pietas, sane me quoque movet. Neque enim ferreus ipse sum, ut ejus amissione non movear, sed dolere tum pietatis est, tum humanæ imbecillitatis, ad hujusmodi casus obnoxiæ. Parere Deo rerum omnium domino virtutis necessitatisque: decet autem sibi quemque spem bonam proponere, rationemque sequi, unum remedium difficillimis in rebus. Conditor urbis nostræ nefas non putavit Troja excissa alias mari sibi perscrutari sedes. Non Aeneas eadem clade profugus: nec mihi quisquam obtendat loci tenuitatem. Non hic Romam, aut Babylona meditamur, sed etiam ipsam Romam unico primum colle conditam accipio. Satis sit nobis interea evadere in libertatem, cætera optimo relinquenda deo. Objiciunt quidam magnitudinem laboris, & sumptus in sternendo, quasi si domum redeant omnia sine labore integra, aut instaurata sint reperturi, quæ nunc sunt obruta ruinis templa, mœnia, arces, fossæ. Quis non videat quanto minori impensa necessaria hic ædificabuntur, quam instaurabuntur illic? parva ædificatio satis est ad necessitatem. Non mœnibus egemus, non arcibus, non fossis, quæ quum illic maxime sunt necessaria, tum multa etiam sæcula desiderant, sed ut de me dicam quod sentio: Non tam illarum rerum dulcis fuit possessio, quam amissio tristis. Omnem illam voluptatem Athila secum tulit. Nolite præterea existimare, me tam vitæ cupidum primum & septuagesimum agentem annum, tantisque delassatum malis, ut non libenter si possim inter patriæ meæ cineres terra condi velim. Turpe est

A *sapienti dimenso per omnes fortunæ vices itinere & jam finem tenenti de reditu potius quam de portu cogitare, sed ad liberos nepotesque meos est respectus, quos ex flammis barbarorumque gladiis humeris pene meis eripui. Non puto præterea factum sine divino numine, ut eodem tempore tot populi has sedes adamarint. Utinam sit idem inter eos animus sicut idem fuit consilium. Si deus hoc dederit, concipio animo aliquid magnum. Video hanc ædem miraculo potius factam atque agente Deo quam humano consilio. Nec mihi non etiam videtur aliquid quod ferunt de Beato Marco evangelista, qui dum rediret ab Aquileja divertit huc, & nescio quæ magnæ spei*
B *arcana revelavit. Non sunt contemnenda, quæ de divinis monitis feruntur. Agite igitur bene juvante deo firmate hic sedes, caras habete uxores, caros liberos. Dumque omnia excissa sunt, vos locum libertatemque capessite. Dominus noster Jesus Christus pietatis & misericordiæ parens faxit, ut quod magis ex ejus honore, & re vestra futurum est deligatis.*

Secundum *Apennini* senis orationem maximo consensu accepta a multis sententia eo in loco commorandi, cætera omnia plena laborum incertorumque casuum. Hic pax, hic secura requies futura. Abiere *Patavium* nonnulli, alio alii. Cæteri apud priores incolas simul decrevere quæcun-
C que se se ostenderet fortuna, ibi ævum ducere. Illi maxime in quorum bonis littora & salinæ & piscationes privatim erant, qui quasi patriam non desererent, constanti proposito fortunæ conditionem acceperunt. Idem *Methamauci* in quem magna multitudo *Patavinorum* confugerat, quod ea tempestate littus in ea regione maxime amplum erat. Neque enim ibi situm erat oppidum ubi nunc est, sed duobus millibus passuum in mare projectius, ut ex ruinis mari abruptis nunc etiam apparet. Libentius igitur eo convenerant, quam ad insulas. Nec suberat etiam sternendi opus, quæ res tum labore & impensa, tum diu-
D turnitate temporis indigeret. Idem quoque ab cæteris tum insulis tum littoribus consilii captum. Annus domini erat sextus & quinquagesimus supra quadringentesimum, Pontifex maximus *Leo* primus. *Martianus* adhuc orientale imperium tenebat, quum *Patavini* profugique alii has cæpere sedes. Et profecto consideranti mihi, hinc *Rivalti* primam Ecclesiam, hinc vero stabilem in hac insula positam sedem intra triginta aut paulo plus annos contigisse. Haud mirum si intervallum parvi temporis errori causam dedit, de quo superius latius disseruimus, quum utrunque exortum complexa sit hominis unius ætas. Nam sicuti verisimile est post
E primam ædem, in qua possent sacra confici, frequentius *Rivaltum* habitatam: ita accedente postea profugorum turba, *Athilanum* gladium fugiente, unus pene videri potuit exortus, & quasi continuata conditio. Cæterum sicuti diversa est Ecclesiæ & urbis condendæ ratio, ita sedium positio firmarum repræsentare proculdubio videtur certiorem civitatis exortum, maxime post dirutum *Patavium* frequentatamque majorem in modum *Rivaltum*. At si originem urbis ab *Athila* ducemus non erit facile annum & mensem & diem colligere ut supra fecimus de Ecclesia, etiam si astronomicis calculis utamur, ut fecisse
F *Lucium Tarucium* ferunt, qui natalem urbis *Romæ* diem alioquin incognitum, reperisse rationibus astronomicis gloriatus est. Et præterea nonnulli ex eadem disciplina aliquanto audaciores natalem mundi diem adducti sunt, ut calculo subjicerent, traderentque fuisse surgente ab orizonte cancro & luna ex dimidio sole in leone, Saturno in Capricorno, Jove in Sagittario, Marte in Scorpione, Venere in Libra, Mercurio in Virgine. Hæc si illi aut ratione collegerunt, aut

collegisse videri voluerunt, nobis ea profiteri animus non est, præsertim quum annus quo *Athila* in *Italiam* descendit, incertus. Nam alii quinquagesimo supra. cccc. alii secundo, alii tertio tradunt, alii vero tempus non definiunt. Non est præterea verisimile omnes insulas & littora

A eodem mense atque die uno consilio primos aut lapides aut palos defixisse. Hanc igitur rem dedisse etiam causam existimo, cur majores nostri maluerint ab Ecclesiæ initio, quod certum tenebant, quam ab *Athilæ*, quod incertum erat diem sumere natalem.

LIBER QUARTUS.

Originem primam *Rivalti* ex antiquis *Venetorum* monumentis excerptam primo libro descripsimus, quæ vera non apparebant repudiavimus, prosecuti deinde sumus cæterarum insularum & littorum initia ab externis scriptoribus celebrata. At vero adhuc nullum in iis oppidum appellari civitas recte potuit. Ne ipsa quidem *Rivaltus*, tenues erant opes, rara illis initiis domicilia, ut vicatim potius quam urbes ullas habitasse diceres. Versabantur adhuc animis incertis. Quum oculos mittebat ad campestria, eorum desiderium natura renovabat. Inde vero metuebant interdum ne non satis tempestas *Athilana* in tranquillum solvisset. Audiebantur rumores ex *Pannoniis*, magnum cogi numerum copiarum ex reliquiis *Athilanis*. Metus eos in hujusmodi locis continebat potius quam locorum amor. Ceu adactæ tempestate aves, inter arborum frondes, quas liberatas grandinis casu, atra tamen adhuc cæli species inde movere non sinit, paratas quum primum illuxerit avolare, sic novus hinc instaurandi labor, & voces incertæ, hinc vero innatus agrorum amor, cogebat profugorum cætus pro tempore consilia capere. Qui *Rivaltum* tenuerunt, *Olivolum* insulam, quam supradiximus juxta sitam, continuo ceperunt. *Olivolos* autem dicta non quidem ex olivis ibi consitis, ut vulgo creditum, sed quasi *Oligovolos* idest parva terra. *Castellanæ* deinde insulæ nomen fuit, *Andreas* siquidem *Dandulus* scribit compertum habere qua tempestate hæc agerentur, extitisse adhuc castelli mænia, magna ex parte collapsa. Porro quum prima se se portui offerat, curæ esse oportuit, illam in potestate retinere, tum ut portui dominarentur, tum ut quæ ingrederentur naves haberent quo in tutum se se reciperent, præsertim quum fuga a piratis evasissent. Quibus semper *Adriaticum* mare fuit infestum. Mores siquidem gentium ex natura rerum commodisque hominum locorumque gigni necesse est. Sive igitur tum aliqua erat munitio, sive deinde facta, & ob eam castellum sit appellatum, relinquetur in medio. Castellum autem quodcunque fuit vetustate deinde collapsum eam portus munitionem minores etiam videmus restituisse. Qui duo castella erexerunt in ostio portus dextra lævaque. Turrim vero *Phaream* adhuc stantem vidit ætas nostra antiquissimam & altitudinis eximiæ. Qua certius nautæ nullum habuere signum portum ingredi tendentes, eam vetustate collabantem *Mapheus Gerardus Quartus Venetiarum* patriarcha nunc reficit. Construitur prima in *Olivolo*. Aedes sanctis Martyribus *Sergio* & *Baccho*. *Meduacus* amnis urbem *Patavium* præterfluens & in hæc stagna delabens eum, de quo dicimus, portum facit: nunc sancti *Nicolai* appellatur, ob Ædem & ejus sancti reliquias, condito juxta portum monasterio, locatas. Aberat tunc ora paludium a *Patavio* circiter tredecim millia passuum. Portus ostium ab continentis ora ferme totidem, ut ex Livii *decimo libro* aperte perspici potest: Dum describit *Cleonymi Lacedæmonii* descensionem in *Patavinos*. Testimonium præterea

B recentius habemus. Nam vicus qui nunc corrupto nomine *Auriacus* appellatur, dicebatur a majoribus ora lacus, quod ad eum usque locum patrum memoria paludes stagnarent. Primarium *Veneti* magistratum tribunos appellavere, qui in civilibus capitalibusque causis jus dicerent. Placuit nomen populare nec insolens nec humilius. Annuus erat & una quæque sibi insula oppidumve littoreum duos tribunos creabat. Ad rem vero publicam si gravius aliquid accideret consultandam, indicebantur conventus omnium insularum & littorum. Atque ad eam rem quotannis alius atque alius deligebatur locus, ut omnium populorum dignitas servaretur cum
C pace concordiaque. Quæ consuetudo tantisper duravit & continenter servata est, donec per magnam rerum necessitatem, varietatemque fortunæ ad molem hanc imperii constituendam *Venetiæ* urbes & oppida pervenerunt. Quod cum ita sit, cum propter ea mala, quæ deinceps per multos annos facta sunt, Civitas *Venetiarum* fuerit constituta, non erit præter intentionem nostram, qui originem ejus tradere proposuimus, ea commemorare, quæ ad nostri continuationem styli, hoc loco nobis etiam satis opportune se se offerunt exponenda, ubi quæ a *Venetis* deinceps gesta fuerint per annos ferme centum, id est,
D ab *Athila* usque ad *Narsetem* patricium, nulla extent monumenta, ut nisi hæc darentur quæ inter ea explicaremus, Cursus nostræ narrationis fuerit supprimendus, aut rebus tot annorum prætermissis, ad eas, quæ post id spatium temporis gestæ fuissent transitus faciendus: si illud nobis propositum fuisset, ut res gestas *Venetiarum*, non originem ejus urbis conscriberemus. Eorum igitur temporum malorumque seriem breviter percurremus. *Romæ* post *Athilæ* ex *Italia* discessum, magni tumultus orti. Exaudiri voces propalam exprobrantium *Valentiniano*, cum *Aëtii* ducis *Romani* necem, quo stante nihil rei publicæ timendum fuerat, tum urbem *Romam*
E vectigalem *Scythicæ* gentis factam. Auget has voces *Maximus* patricius: Quippe jampridem ad imperium aspirans, & arrepto tempore *Valentinianum* per *Transillam Aëtii* militem interficiendum curat, Imperiumque occupat. Ut vero tyrannidem stabiliorem reddat, majore aliqua auctoritate, *Eudoxam Valentiniani* sororem, quum demulcere blanditiis ad nuptias haud posset rapere per vim adortus est. Mulier superba & injuriæ impatiens dissimulato dolore. At tibi inquit scelerate permagni stabunt hæ nuptiæ, qui & fratrem Imperatorem per insidias interficere, & illius sororis corpus per vim attrectare ausus es. Statim *Genserico Vandalo* imperium, si trajiciat,
F pollicetur, facilem rem demonstrat, destitutum omne viribus, & virtute ducum. *Vandalorum* hoc genus per ea secula celebre admodum fuit. *Vandali* dicti a *Vandalo* fluvio apud eos, qui nunc *Poloni* vocitantur, perlabente. Porro *Polonia* provincia latissime patet. Hujus partem *Vandali* tenuere. *Stiliconis* deinde tempore, ut supra docuimus, ab eo concitati consedere ad *Rheni* ripas. Atque anno secundo post captam urbem *Ro-*

Romam in *Gallias* transiere maximasque res deinceps gessere tum in *Galliis*, tum in *Hispaniis*. Dum hæc igitur in *Italia* gererentur, forte ejus gentis Rex *Gensericus*, quascunque potuerat copias ex *Hispaniis* in *Africam* navigio trajecerat permagnam continuo subegit *Africæ* partem. Solicitatus autem ab muliere, aliam adortus provinciam est. Coactis omnibus *Africæ* viribus ingenti confecta classe, in *Italiam* transmittit. Trecenta fuisse armatorum millia, scriptores tradunt, tum *Vandalorum*, tum *Afrorum*, & *Maurorum*. Oritur in urbe tumultus, & *Maximus* tyrannus interficitur. Populus per montes sylvasque, senatus ut cuique visum, per oppida dissipatur. Barbarus ad urbem signa movet. Tenebat adhuc Pontificatum *Leo* Pontifex. Conatus senex idem facere in demulcendo *Genserici* animo, quod antea in *Athila* fecisset, obviam illi cum principibus aliquot *Romanis* honoris causa procedit. Postulat ut omnem urbis prædam, posteaquam sic regi regum placitum est, sibi habeat, sacris abstineat. Longe aliter secundus successit conatus. Derisit supplicem senem homo barbarus & avarus, & *Arrhianus*. Insanis, inquit, o senex, qui venisse me credis tantis cum copiis ut quicquam vobis relinquerem, quod usui mihi esset, & voluptati. Facili negotio captam militi tradit non diripiendam solum, sed etiam devastandam templis sacrisque Ædibus maxime infensus, quia ea urbs catholicæ fidei caput teneret. Cujus ob perfidiam *Arrhianam* agebat hostem infestissimum. Per hunc præcipue modum *Africa* illa *Romani* imperii æmula, a *Romanis* bis victa tanta cum gloria redivivis quasi cineribus exsuscitata *Romam* vicissim captam subegit, diripuit, ac vastavit: Ingens exemplum vel imbecillitatis, vel instabilitatis rerum humanarum. Abfuit quatuordecim dies populus ab spoliata ac deserta urbe. Satisque inter omnes scriptores constat, *Vandalum* longe majori crudelitate grassatum, quam quinquaginta antea annos *Alaricum*, siquidem sacris ille ubique locis pepercit. *Vandalus* quasi Deo hominibusque hostis sine discrimine sacra profanaque omnia depopulatus est. Movens ab urbe *Campania* omni direpta, urbe *Capua* vi capta, & solo æquata completis navibus *Italica* præda onustis, cum *Eudoxa* in *Africam* est reversus. Excitati *Romæ* continuo majores quam antea motus. Nam sexdecim per annos caput extulere tyranni decem, Imperiumque diripuere. Cædes, direptiones, bonorum proscriptiones enumerare, majoris esset negotii quam recepimus. Replevere omnia stragibus & rapinis infælici omnium tyrannidum eventu. Et tanta tamen est inter mortales dominandi libido, ne dicam insania furorque, ut per mortes & vulnera in apertissima quæque pericula mortales mittat. Rem dignam admiratione, nisi quod assidua armorum tractatio, & metum mortis adimit, & ad omnia audenda compellit. Eam *Gensericus* rursus repetendi Imperii nactus occasionem, quasi deseruisse captam a se *Romam*, & Imperium pœniteret, majorem quam antea ex omni *Africa* contrahit classem. Suane id sponte ac desiderio molitus sit, an vero impellente *Eudoxa* conjuge superba fœmina, quæ in exilium potius sibi profecta, quam ad regnum se dignum existimabat, incertum. At vero *Leo* primus ex *Græca* gente orientis Imperator, ut primum quid *Vandalus* moliretur intellexit, ferre & ipse suppetias *Romanis* instituit. *Antemius* imperium tenebat, & *Basiliscum* quendam classi præfecerat. Ipse ad urbem quibus cum potuit copiis sedere constituit. Contraxit maximam classem *Basiliscus*. Ambæ autem insimul junctæ *Romana* videlicet & *Græca*, *Gensericum* offendunt apud *Populoniam Etruriæ* urbem juxta eam, quæ nunc *Plumbinium* appellatur. Superior vento *Romanus* agilitate præterea navium & nautica disciplina præstantior tanto ardore in hostem fertur, ut *Gensericus* seu ob navium multitudinem turbatis ordinibus, seu pavore compulsis, irruentis in se hostis vento superioris, fugam arripuerit. Idem cæteræ faciunt naves. Perque hunc modum maxima potentissimaque classis dissipata. Post *Antemium Richimer Olimbrius:* post *Richimerem*, ac deinde *Glicerius* Nepos postea, tum *Augustulus* & *Orestes* Imperium rapuerunt. Quæ tum rerum apud *Romam* confusio, quanti per omnem *Italiam* motus excitati, sane qui legat audiatve alias calamitates, quovis gentium confugere, sedesque ubi jus * capere potius quam ea perpeti deligat. Ne tamen aliena tantum mala terrestris *Venetia* spectare videretur ipsa vero pace liberius frui. *Biorgus Alanorum* rex, qui postea dicti sunt *Alemanni*, hæc de *Italia* atque imperio mala cum audiret, per *Tridentinos* saltus populabundus irrumpit, atque ultra progressus, continuatis excursionibus direptionibusque *Galliam* omnem & *Venetiam*, *Histriam* usque pervasit. Rediens ab *Rithimere Gottho* apud *Benacum* oppressus & interfectus est. Libet in tantis rerum turbinibus exemplum non omittere æterna memoria dignum *Paulini* Episcopi *Nolani:* Gratior est enim lucis radius, qui per densas tenebras elucet. De cujus virtute & doctrina extat *Hieronymi* testimonium in *epistola libris Geneseos* præscripta. Nec minus *Augustini* juxta finem *primi libri de civitate Dei*. Cæteris autem præstantius est *Gregorii* in dialogo. Scribit etenim viduæ mulieris abductum fuisse filium captivum in *Africam* a *Genserici* militibus. Ignara mater vivus ne esset an mortuus, ut tandem rescivit vivum esse, & in servitute degere, proficiscitur ad *Paulinum*, postulat ab eo pecuniam ad unici filii redemptionem. Misereor tibi, inquit *Paulinus* o mulier, sed nihil jam mihi superest, condonare me tibi possum, pecuniam erogare non possum. Illud relictum, ut si ita libet, pro filio tuo succedam in servitutem. Mulier cum neque petere hoc ob auctoritatem tanti viri auderet, neque abnuere ob filii caritatem in fletum tota diffluere. Non tulit vir sanctus illius lachrymas. Eamus, inquit, filium tibi propitio Deo restituam. Mox itaque mutata veste ambo in *Africam* transmittunt, filium teneri reperiunt apud generum *Genserici*, a quo cum mulier advoluta genibus lachrymans libertatem filii imploraret, nec moveretur Barbarus. Tum mulier, at ego inquit tibi hunc hominem (manu *Paulinum* demonstrans) pro filio meo in servitutem do. Contemplatus ille hominis faciem liberalem, & integram adhuc ætatem conversus ad *Paulinum*: Et quidnam, inquit, artificii tibi est? Excolere inquit *Paulinus* hortos novi. Tum Barbarus, qui mirifice hortis oblectaretur, accipio mulier conditionem, cape tibi filium, Tu mihi hortulanus esto. Cum autem sæpe *Paulinus* ad herilem mensam, nunc floribus, nunc olusculis redolentibus irreperet, verbaque & mores illius prudentiamque plusquam hortulano homine dignam, dominus contemplaretur, nec jam existimaret sordido aut abjecto loco natum, liberaliusque quotidie, & honestius haberet, adactus spiritu *Paulinus* ad dominum accedit. Here inquit servus tuus sum, Tibi omnia debeo, qui supra fortunam meam quasi pro filio me habes, non pro servo. Prospice rebus tuis, Socer propediem humanis concedet, perculsus hac voce Socerum adit, & docet quid de hortulano audierit. Accersiri eum rex con-

* Forte: ubi vis.

festim jubet. Eo viso immutatus facie Rex est ac totus intremuit. *Paulino* seorsum amoto ad Generum inquit. Nocte præterita dum dormirem adversum me latum judicium est, ut flagellum deponerem, quod manu tenebam. Hunc hominem inter eos judices sedentem vidi, abi igitur & diligenter inquire hominis fortunam, & præterea quæ ratio impulerit ad hujusmodi verba. Adjuratus *Paulinus* aperit rem omnem, ut Episcopatum in patria gerebat, ut viduæ lachrymis permotus *Carthaginem* venerit, se passus sit venundari, & vicem pueri subire. Quod autem de socero monuerit, id sibi a Deo revelatum. His intellectis rebus & socer & gener, tum admiratione tum metu pœnæ attoniti liberum illi quam primum commeatum, & quicquid præterea aliud sibi vellet præbuerunt. Gratiis actis *Paulinus*, impetrataque suorum *Nolanorum* libertate, duabus onustis frumento navibus, cum omnibus civibus, quasi triumphum agens in patriam est reversus, longe majore cum gloria, si quis recte existimet ex *Africa* in *Italiam*, quam *Gensericus* ante ex *Italia* in *Africam* revertisset. *Gensericus* paulo post morbo correptus interiit. *Honoricus* post *Gensericum* regnum suscipit, qui tanta in Catholicos rabie desæviit, ut omnes pene *Africæ* Episcopos ad trecentorum numerum propriis spoliatos Ecclesiis in *Sardiniam* relegarit, eorum Ecclesias *Arrhianis* distribuerit. Tenuere igitur *Africam Vandali*: donec *Justinianus* Imperator commotus tanta rerum indignitate *Bellisarium* ad expellendos deturbandosque cum ingenti classe copiisque transmisit. Hic *Glimerem* regem acie profligatum captumque catena aurea vinctum *Constantinopolim* secum detulit in triumphum, atque ex eo tempore deletum pene a *Justiniano*, & *Vandalorum* Imperium & nomen. Non videtur ut opinor, his tantis malis addi quippiam posse. Initia fuere, gradusque fecerunt ad majora. Talem tum urbis *Romæ* tum totius Imperii rerum statum, cum per universum jam orbem fama vulgaret. *Odoacer Herulorum* Rex, gente *Rhutenus* elatus & ipse animo est ad *Italiam* invadendam: nonnulli tamen vocatum occultis nuntiis a *Romanis* tradunt. Qui domesticis partium dissidiis quemvis rerum statum quam præsentem mallent. Tenebat *Odoacer* eam *Pannoniæ* partem ubi *Hister* fluvius in *Euxinum pontum* cadit. Magni erat apud eam gentem post *Athilæ* mortem nominis & auctoritatis. Is igitur *Odoacer* coacta quam potuit maxima multitudine *Athilanarum* reliquiarum in *Italiam* ducecere constituit repetiturus (ut ajebat) injuriam ab *Hunnis* factam. Qui urbem *Romam* & *Italiam* quam in manibus haberent ad unius (ut dicebat) homunculi decrepiti preces remisisset. Eamus inquit commilitones prædam repetitum, quam tantis laboribus coemptam *Athila* vobis in *Italia* deposuit. Per eosdem igitur *Venetiæ* saltus nemine obviam facto, ingressus est. Aperta offendit omnia & adæquata solo. Læva vero audit in paludibus habitare profugorum multitudinem, in morem apricantium avium indignam tanto itinere prædam existimans, his relictis, per *Galliam* recta vadens maturavit iter, ut quam primum cum exercitu *Romano*, quem ad *Abduam* esse intellexerat congrederetur. Tenebat tunc Imperium *Augustulus* quidam tam re quam nomine nullius auctoritatis. *Orestis* pater *Romanæ* militiæ Dux per militum potentiam filium Imperatorem fieri curaverat. Cognito igitur *Odoacris* adventu coactis undique *Italicis* auxiliis ad *Abduam*, juxta *Ticinum* urbem castra locat, eo consilio, ut in quam declinet *Odoacer* cum exercitu partem hostem persequatur. Fore

A existimans, ut in *Italia* diutius moram trahere non posset. Mutare consilium coactus est celerius quam putabat. Nam *Odoacer* magnis usus itineribus nihil ad *Abduam* moratus flumen trajicit, & pugnandi copiam facit. Sed profecto nihil est quod non vincat audacia. Tantus enim continuo *Orestis* exercitum terror invasit, ut quamprimum *Odoacris* signa cecinere, omnia fere auxilia dilabi cœperint, *Orestem*que deserere. *Romanæ* legiones plus sociorum discessu perterrefactæ, quam hostium adventu intra ordines subsistunt. Congredi tamen *Orestes* ausus non est. Cum illis sese in *Ticinum* urbem recepit. Sed

B nulla satis tuta est munitio fugienti. Fortunam *Odoacer* prosperam sequutus urbem expugnare aggreditur. Neque tamen nisi post longam obsidionem, multasque superatas difficultates ea potitur, tanta *Romanorum* militum cæde, ut vix dimidium superfuerit. *Orestem* haud longe a *Placentia* inspectante exercitu, interfecit. *Augustulus* desertus a suis fuga elapsu dum *Romam* versus iter tendit, repudiatus a Senatu purpuram deposuit, & diadema. Urbem *Romam* ingressus *Odoacer* maximo honore exceptus & in capitolium deductus est. Rex appellatus primus *Romæ* & *Italiæ* regnum sortitus, infælici quidem

C eventu. Tenuit *Italiam* annos quatuordecim, ea lege, ut ipse suique milites tertiam omnium fructuum partem vel acciperent, vel raperent. Atque per hunc maxime modum orbis terrarum imperium ab *Augusto* maximo fælicissimoque omnium mortalium principe derivatum ad *Augustulum*, nescio quem vel fortuna vel genere vel nomine minimum post annos quingentos ad extremum interitum (sic ferente lege rerum humanarum) delapsum est. Sed illud maximo argumento fuerit miserandæ eorum temporum conditionis, quod ita sibi *Italiam* proculcasse est visus *Odoacer*. Ut ausus sit ea relicta, quasi exanimi,

D eodem quo venerat itinere reverti in *Pannonias* adversum *Phelteum Rugorum* regem, qui *Turingos* quos *Odoacer* in patrio solo reliquerat bello exagitabat. Congressus acie *Phelteum* interfecit. Iterumque in *Italiam* iisdem itineribus, perque eandem *Venetiæ* oram incolumi securoque agmine regressus. Neque donec absuit ullus est excitatus in *Italia* motus. Tantum obstupuerant *Italorum* animi. At vero ut nullus esset calamitatum finis, *Gotthorum* tempus advenerat de quibus nunc agendum. Ea gens per multa sæcula maximam belli gloriam obtinuit. Non erit ab re ejus initia breviter percensere. Nam licet

E *Theodorici* temporibus, qui ob ingentes virtutes magni cognomine dignus habitus est, *Italia* fere omnis tranquillum egerit statum *Romanis* etiam Temporibus invidendum. Passa tamen est alias sub *Gotthis* regibus calamitates omnium maximas ob quas frequentius habitari *Venetiæ* cæpere. Itaque non video quo pacto assequi possim, ut id plane intelligatur, nisi & a quibus illæ & quo pacto illatæ fuerint præsertim gravissimæ quæque, breviter attingatur. Accedit quod ejus gentis posteritas haud procul *Italiæ* faucibus nunc posita est, horum de quibus scribimus locorum pene accola. Ad Ingenia etenim moresque gentium

F producendos, nihil est natura cæli solique potentius. Multa autem a majoribus tum bello tum pace ea cum gente sunt acta. Ut ejus cognitio perutilis non esse non possit. *Gotthi* prius *Getæ* appellati: Ut *Turcos* nunc dicimus, qui olim *Turcæ*: *Scythica* & ipsa gens domo egressi ad novas quærendas sedes incredibili multitudine. Bipartito deinde nomine sunt usi, ut alii *Ostrogotthi* alii *Visigotthi* appellarentur: Neque nominum diversitatem scrutari nunc juvat, erupere ab usque

Lucii Luculli & *Augusti* temporibus. Ut si lyrico carmini credimus, eo quoque tempore formidini *Romanis* esse cæperint. Nec ullam gentem accipio per tot sæcula cum *Romanis*, tum Ducibus, tum Imperatoribus bella gessisse. Multa etiam adversus alios pro *Romanis*. Imperitavere *Asiæ Pannoniis*, *Hispaniis*, *Africæ* novissime *Italiæ*. Belli gloria claruere septingentis & amplius annis, pacem cum *Romanis* bello fere semper prætulere, jam inde ab *Augusto*. Varia deinceps cum *Romanis* fortuna usi, primum illis bellum fuit cum *Domitiano*. Nam cum *Danubium* transmisissent, primo *P. Sabinum* & deinde *Fustum Cornelium* gravibus præliis superatos, castris exutos pervicerunt. Terramque quam armati insederant, constanter retinuerunt. At contra *Trajanus* cum iis deinde congressus cœsos fusosque adegit cedere trans *Histrum*, ita tamen ut in prioribus barbarici soli sedibus permanerent. Plures prætereo. *Philippo* imperante, accitis aliis quoque gentibus, *Trifalis*, *Carpis*, *Astringis*, *Herulis* ad trecenta millia *Histro* iterum transmisso, *Romanas* invasere provincias. Missus a *Philippo Decius*, & aliquot præliis congressus victus discessit, potiusquam victor, lacerata vero republica a triginta tyrannis, ut fit adversis in rebus, ad novandas & ipsi res excitati sunt. *Messiam*, *Traciam* & deinde transmisso *Hellesponto*, *Asiam* invasere, cædibus & rapinis fædavere omnia. Qua tempestate templum *Dianæ Ephesinæ* inter septem nobilissima orbis spectacula olim numeratum direptum ab iis concrematumque est. Cæterum *Claudius secundus* ejus nominis maximam omnium de ea gente victoriam est consequutus. Ejus epistola ad *Brochum* amicum testis est. *Claudius Brocho salutem. Delevimus trecenta millia Gotthorum. Duo millia navium submersimus. Tecta sunt flumina scutis spatis & lanceolis omnia littora operiuntur, Campi ossibus latent tecti. Nullum iter purum est ingens carrago deserta. Tantum mulorum & mularum cepimus, ut binas & ternas miles possit adjungere, & infra. Nostra diligentia pugnatum est apud Messios, & multa prælia fuerunt apud Martianopolim. Multi naufragio perierunt: plerique capti reges. Captæ diversarum gentium nobiles fœminæ, repletæ barbaris servis, senibus cultoribus Romanæ provinciæ.* Factus miles Barbarus est colonus ex *Gottho*. Nec ulla fuit regio quæ *Gotthum* servum triumphali quodam servitio non haberet. *Aurelianus* deinde rursum cum his ultra *Danubium* conflixit, ac devicit. Inter quos mulieres aliquot virilem in morem pugnantes captæ atque in Triumphum ductæ titulo præscripto ex *Amazonum* genere ortas, enimvero cum *Sermatiam Romanam* provinciam, quæ inter ulteriorem *Pannoniam* & *Scythas* interjacet occupavissent. *Constantinus Flavius* inde pulsos maxima cæde perdomuit. Pace data sedes priores permisit. Fortique eorum opera usus est in eo prælio, quod apud *Nicomediam* adversus *Licinium* Imperatorem conseruit. Sedem illam deinde per septuaginta & amplius annos obtinuere, donec videlicet *Hunni* ex *Scytia* recentiores, ut superius diximus *Gotthos* inde pepulere, ejus gentis terribilis procursus, cum omnes circum accolas pavore complevisset, adegit *Valentem* Imperatorem hæresi *Arrhianum*, ut *Gotthos* ab sedibus *Hunnis* pulsos in provincias citra *Danubium*, fide data reciperet, ea ratione, ut si transire *Danubium Hunni* molirentur, novo *Gotthorum* adjuncto subsidio majoribus resisteret viribus. Atqui ut fidelioribus uteretur ad christianam adductos fidem, dedit operam ut *Arrhiano* dogmate imbuerentur, fuit etenim acerrimus christianorum hostis. Interea *Hunni* aliorsum iter flectunt. *Ger-*

A *manos* petunt cum *Burgundionibus* sæpe congressi. Nunc victores nunc victi, varia fortuna dimicavere. Postea vero quam *Hunnorum* discessu *Constantinopolis* & circumjectæ provinciæ metu liberatæ, ingens ab iis ortum periculum. Imperatorii siquidem quæstores quasi non amplius eo milite imperium indigeret, pro damno reputare quicquid his, aut pecuniæ, aut cibariorum impenderetur. *Gotthorum* duces orto ex fame rerumque omnium inopia tumultu, quæstoribus interfectis nec dubia adversus imperium rebellione, *Messiam* primum ubi insederant *Traciam* deinde, & *Daciam* ripensem tum diripiunt, tum præsi-
B diis occupant. Et quæcunque fert animus nullo adversante cædibus & rapinis pervastant. Eo accepto nuncio, *Valens* consternatus animo & catholicæ persequutionis pænitentia ductus, quasi id evenisset in vindictam sceleris *Arrhiani*, restitui quam primum curat in proprias ecclesias catholicos episcopos. At sera pænitentia semper turpis fere semper inutilis est. Nam cum exercitum ægre comparasset congressi prælio sunt *Romani Gotthique* apud *Adrianopolim*. Profligati *Romani* ingenti clade. Ipse fugiens in agresti casa latens igni cum ipso tecto concrematur. Neque sustinuisset eam cladem diutius imperium: Quin
C omnia *Gotthi* ditionis suæ facerent, nisi *Gratianus Valentis* nepos *Theodosium* summum ea tempestate belli ducem, ex *Galliis* accitum, imperii consortem declarasset: ejus principis virtus recreatis confestim imperii viribus, non solum *Gotthos* compescuit, sed multis adversis præliis fatigatos edomitosque ad quascunque visum est pacis conditiones adegit. Sedes & stipendia, ut continuarent præstantius duxit. Cum *Atalarico* rege fœdus iniit. Eoque milite non aliter ac *Romano* semper est usus. In eo siquidem bello quod cum *Eugenio* & *Arbogausto* tyrannis in *Galliis* maximum *Theodosius* gessit primam aciem decem mil-
D libus *Gotthorum* in fronte tuendam dedit. Cæsi sunt ad unum omnes, & inclinare jam cæperat ad hostem victoria, nisi *Theodosius* nil dejectus animo, ut vere christianum ducem decuit, ad divinum petendum ex alto auxilium, sese vertisset. Tanta continuo cæli coorta tempestas, ut hostes in quorum vultus & ora venti rabies grandinisque impetus imbribus mixtæ involvebatur, nec oculis nec manu operam præstare possent. Retortis cervicibus, quasi cœci fortuito tela jacere, nec gladiis uti posse. *Romanis* vero qui Deum cernerent ex alto auxilium laborantibus ferre, mirum in modum accrevere vires. Spes siquidem
E semper adjicit animos, animos vires sequuntur. Itaque victores ex victis pene momento facti: ulti *Gotthorum* stragem Tyrannos cum suis fere omnibus ad internecionem ceciderunt. Perseveravere in *Romano* stipendio usque ad *Radagasum Alaricumque*. Ex eo *Alarico*, qui *Romam* cepit, *Theohoricus* nepos quartus ab *Alarico*, qui tum *Hispanias* obtinebat *Aetii* ducis *Romani* societatem sequutus est. Cum *Athila* vero in acie steterunt *Valemir* & *Theodemir* diversi *Gotthorum* reges: Repulso *Athila* & in *Pannonias* reverso cum ejus filiis bellum gesserunt, eosque interfecerunt. Conversi paulo post intulere bellum *Leoni*, qui primus
F ex *Græca* gente imperium obtinuit. Visa *Leoni* gens est, beneficiis potius vincenda quam armis: Pacem cum iis fœdusque constituit. Occiso *Leone* a conjuratis, *Zeno Isauricus* imperium suscepit. Hunc *Zenonem* accipio *Arrhianam* hæresim fovisse, atque eam ob rem *Theodoricum* olim *Theodemiris* regis filium magnæ indolis adolescentem, *Gotthicam*que gentem summis beneficiis prosecutum. Annuum illi stipendium constituit patricii titulo & equestri ex ære statua exornavit. At

vero *Theodoricus* non solum erga Imperatorem gratus videri velle, sed erga Senatum quoque quibuscumque posset officiis, Aulicos omnes *Romanam*que juventutem non minus urbanis, quam militaribus studiis amplecti omnibus charum se reddere, ut nemo eum non tanquam *Romanum* diligeret. Dum hæc apud *Constantinopolim* geruntur, *Italia* quotidie majoribus affici calamitatibus. Barbarus siquidem *Odoacer*, non jam oneribus premere, sed rapinis quicquid collibuisset extorquere, nulli rei parcere, non sacræ, non prophanæ. Spes una supererat *Romanis* in imperio. Postea vero quam *Theodorici* fama moresque sunt *Romam* perlati, cum ad *Zenonem* Imperatorem, tum ad eum quotidie nuntii a primoribus ventitare, postulare afflictis rebus opem, instare ut adventum maturet. Polliceri cum primum *Romana* signa videant omnem *Italiam* defecturam. *Theodoricus* autem mirifice hanc rem non cupere solum, sed ardere, delecto ad eam rem quod visum est tempore, *Zenonem* ita allocutum accipio. *Nisi existimarem optime Imperator rem de qua sum dicturus, non minus tibi gloriæ imperioque, quam mihi commodo futuram, supersedissem verbum facere. Ingentia tua erga me patremque merita deposcunt ut imperii gloriam & dignitatem commodis meis omnibus anteferam. Voces quotidie optime rex ad me ex Italia perferuntur quo pacto Herulus ille Odoacer eam terram olim imperii sedem devastet, quibus oneribus indignitatibusque afficiat. Romanorum procerum nuncii in summam versi rerum omnium desperationem, aliam quantumlibet, vel miserrimam vitæ conditionem ferre se posse dicunt. Tyrannidem hujus hominis pati non posse. Implorant auxilium afflictis rebus. Non dubito quin eadem quoque ad te perlata sint. At vero alia ex parte Gotthicæ gentis primores, quibus hæc nota sunt, quotidie aures obtundunt, instant, urgent, ut provinciam istam suscipiam. Queruntur se gentem nec ignobilem, nec inertem per desidiam jam annos fere decem torpere otio. Barbaros nescio quos nunc primum notos ubique jam terrarum raptis imperii provinciis florere opibus & dignitate. Vandalum Africam, Visigotthum Hispanias, Burgundionem Gallias, Herulos istos & Turcilingos Italiam orbis florem, non tantum obtinere, sed proculcare. Solos Gotthos omnium infœlicissimos desidia languescere. Fateor optime rex non posse me his vocibus non moveri, ut qui seditionem aliquam interdum metuam, moneo tamen eos & interdum redarguo: Quid vobis vultis? Nunquid non stipendium vobis penditur? Nihil hujusmodi querimur inquiunt: Tabescere ignavia otioque non possumus, hæc illi. Nam quod ad me attinet iis me rex honoribus afficis quibus plures & majores optare non possim. Habes pluribus annis non ut stipendiarium sed ut filium. Explorare quid jubeas constitui, idque optimum ducere quod imperaveris. Nam si forte hanc imperii nomine provinciam suscipiendam statuis. Nihil possum gratius audire. Habebis me vel pro Gotthorum duce, vel pro milite. Sin vero majorum rerum curæ impedimento sunt, quominus huic rei animum adhibeas. At ego non dubitabo majestatem tuam consulere, quid hac in re & mihi agendum & illis respondendum videatur. Nam si me gente Barbarum natura progenuit, non tamen negavit, quin moribus, qui magis placerent, non imbuerer. Placuere quos a majoribus accepi, qui cum Romanis jam annis fere ducentis versati. Romanis potiusquam Gotthicis moribus assimiles habiti sunt. Itaque illud prætermittendum non videtur magnam mihi spem esse si tu annueris brevi rem hanc fæliciter confecturum. Hostis quam nullius sit ingenii optime novi, nullius consilii, omnia temere agit, copiæ modicæ ac tironum Italorum fere omnes. Sed quod maximum est*

A *invisus omnibus ejus terræ mortalibus, in qua bellum gerendum est. Nobis vero & copiæ validæ sunt, & auxilia non deerunt. Plures fortasse quam velim ad hujusmodi magni nominis bellum concurrant. In primis autem Romani imperii dignitas & existimatio spem maximam præbet a quo dignus habitus sim quem honestet hoc munere. Etsi cætera desint auxilia, hoc solo nomine ausim cæptum aggredi. Itaque tum his rationibus, tum defectione Italiæ quam ut signa nova conspexerit, transituram ad nos esse non dubito, fælicia omnia sperare licet. Puderet præterea, si nihil aperiam quid cogitanti animo de imperio subierit, plus ne commodi an incommodi ex*

B *hoc bello sit capturum. Commoda ut videtur, plura sunt. Liberaveris tu ærarium stipendio Gotthorum ex fructibus earum, quibus nunc insident, provinciarum. Ea pecunia uti poteris ad res Persicas, & Africanas. Nihil est enim quod ab Aquilonis parte quam insidemus metuas, imperium præterea liberabis invidia qua nunc laborat. Latius increbruit apud Barbaras nationes, Romanos sibi rapere omnia, Neminem pro socio, omnes pro servis habere. Inde fit ut provinciæ sæpius exagitentur. At vero cum videbunt imperium admittere alios quoque ad communionem, queri desinent, & animis etiam atque etiam mitescent. An illud quoque parvi æstimandum?*

C *Quod imperii dignitas, & existimatio amissione Italiæ jam pridem depressa non restituetur solum, sed augebitur? Cum qui nunc jactant plus potuisse inimicos imperii, quam imperium, videbunt amicos etiam imperii nunc plus posse quam inimicos. Illud autem commemorare officii nostri est, & cogitare sapientiæ tuæ. Qui si res voto respondent, sane Italia non tam mihi recepta fuerit quam imperio. Poteris tu quidem quicquid erit terrarum mariumque, quicquid præterea copiarum & exercituum ad gloriam imperii referre, cujus beneficio restituta sit. Neque tua minus erit Roma re ipsa quam titulo. Sin vero ut bellorum interdum se habent eventus*

D *adversi aliquid acciderit, nihil erit amissum imperio, nullum periculum tuæ res adibunt. Illud profecto quispiam pro commodo suscipiat. Qui cum inter Barbaros ea contentio sit futura non potest imperium, nisi de utriusque gentis laboribus tutius, securiusque reddi. Dixi quæ visa sunt. Si quid forte liberius excidit, aut quod minus majestatem sapientiamque tuam decuerit audire, accipies pro tua mansuetudine in bonam partem veniamque dabis aut ætati aut armorum studio, cui genitor magis quam verbis assuescere voluit. Deus bene vertat quicquid statueris.* Ea cum *Theodoricus* dixisset delectatus *Zeno* juvenis tum modestia, tum prudentia.

E Respondit se audisse eum perlibenter, rem magni ponderis prolatam, & indigere consilio. Sumpto itaque ad deliberandum spatio, placuit ad Senatum deferre. Ibi vero plures dictæ sententiæ. Placebat ærarium gravi onere levari, gratificari magnæ virtutis juveni ex usu publico videbatur, indignum ducebatur *Italiam* lacerari. Si successisset recuperari eam terram pro imperio apparebat. At vero nonnulli indignam rem arbitrabantur, alienari Barbaris hominibus primam imperii sedem. Qui si illam vexabat *Odoacer*, non id fiebat ex imperii & senatus consensu. Redactum ad id inopiæ & timoris imperium indignabantur ut proprio no-

F mine non auderet ab *Herulo* nescio quo armis propriam sedem repetere. Vicit tandem sententia commeatum, & potestatem *Theodorico* tribuendi. Nam cum spes non esset, posse tantum bellum sola ærarii pecunia sustineri *Theodoricum* sperabant, qui rem ipse suam esset acturus, longe minori sumptu fideliusque & fortius ac celerius negotium confecturum. Denique si res prospere succederent magna ex parte honori & dignitati imperii consultum fore. Illud non defore ami-

amicum semper imperii futurum. Sin vero negarent nunquam apud se, aut in *Italia* amicum fore. Qua igitur die profectus est omni cum honore, Imperator extra urbem deduxit amictu regio contectumque sacro velamine. Id erat maximi honoris insigne multa senatus parte comitante, & effusa totius populi multitudine. Coactis igitur *Theodoricus* quibuscunque potuit amicorum regum nationumque auxiliis maturavit profectionem celerius opinione omnium. Auxiliumne illi *Zeno* Imperator præstiterit, an non, scriptum non reperio. Licet verisimile videtur, tum Imperii honoris causa, tum ut eum magis sibi hoc beneficio obstrictum redderet copiis eum aut aliquo stipendio ornavisse. Præsertim cum rem quoque imperii in utrunque eventum agi non esset dubium. *Odoacer* interea certior factus, quid *Ostrogotthus* moliretur, impediendum illius iter omni conatu existimavit. Erant ei amici *Gepidæ*, *Heruli*, *Turcilingi*, quos a *Phelteo Rugorum* Rege sedibus pulsos, ut supra diximus restituerat. Hos facile induxit, ut adjunctis sibi præterea nonnullis ex reliquiis *Athilanis* manum coegerint haud contemnendam. Cæterum *Theodorici* præsentis studium & auctoritas, ut cæteris in rebus solet, vicit ejus qui longius aberat beneficium. Magnam eorum partem, tum promissis, tum minis *Theodoricus* avertit & spe prædæ pellexit, ut sua signa sequerentur. Cæteros qui armis impedire conati sunt cum essent sine duce, & rem alienam agerent aliquot levibus præliis victos facile in proprias sedes repulit. Plurimum enim interest, rem ipse tuam agas, an alienam cures. Ingressus igitur iter iisdem quibus antea, & *Athila* & *Odoacer* itineribus, per eosdem *Venetiæ* saltus ad *Sontii* amnis ripas cum omnibus copiis constitit. At vero *Odoacer*, cognita *Theodorici* profectione, congredi quam primum decrevit, ne si intra viscera hostem reciperet defectio aliqua, aut motus major *Italiæ* populorum oriretur. Eodem igitur fere tempore uterque exercitus ad easdem amnis ripas consedere: Tentare uterque trahere hostem ad iniquam congrediendi rationem. Alveus quidem fluminis intermedius ob sidus æstivum vadosus erat ubique. Ripæ tamen præruptæ & altiores difficilem transitum præbebant. Tandem prior *Ostrogotthus* ripam decliviorem nactus in ulteriori copias omnes exposuit, & pugnandi copiam fecit. Nihil animo territus *Odoacer*, suos ipse quoque in aciem produxit. Concurrere Barbaræ acies collatis utrinque signis animis infestissimis. Hos *Italiæ* possessio, quam tot per annos retinuerant, ira & indignatione concitos ad omnem mortis contemptum rapiebat. Illos vero antiquum bellorum decus, & quod invadenti major semper est animus, quam repellenti, stimulos addebat. In primis cum cogitabant, nisi vincerent, nullibi præterea fore consistendi locum amissis prioribus sedibus & dignitate: iniere prælium *Heruli* nimio cum ardore. Ex quo factum, ut impetus & indignatio sicuti cum est moderata animos facit: Ita si nimia est, rationem loco moveat, & nihil agas feliciter: apud *Gotthos* ordines melius servati, acies prudentius instructæ. Omnia quoque ab ea parte in eo congressu diligentius administrata. Æquo aliquamdiu marte pugnatum est, multis utrinque cadentibus cum neutri loco cederent, & ubi semel constiterant, inde aut hostem propellerent, aut ibidem ipsi caderent: turbata tandem, & loco mota *Odoacris* acies, & quo impetu prælium inierant, eodem se in fugam præcipites dedere. Nec prius constitere, quam ad *Padum* eumque locum quem *Hostiliam* vocant *Odoacer* pervenit. *Theodoricus* autem ea potitus victoria, nihil moratus, quum

A cognovisset *Odoacrem* ad *Hostiliam* declinasse, ipse *Veronam* se recipit. Quæ civitas mox eo audito conflictu missis nunciis ad *Theodoricum* defecit. *Odoacer* iterum coactis priori ex conflictu reliquiis & novis undique evocatis auxiliis *Veronam* versus contendit. *Theodoricus* exercitu recreato progressus adversus hostem est. Explicavere acies uterque in subjectis *Veronæ* campis, longe tamen imparibus animis. Quid enim non auderent, quos recens victoria alacriores reddiderat? Quid autem spei esse poterat iis, qui superioris conflictus imaginem adhuc recentem ante oculos haberent? Itaque vix dum tentata prælii for- B tuna iterum *Heruli* terga verterunt. *Odoacer* quasi fera venabulo saucia, rabie concita ignarus quid consilii capiat *Romam* ducere constituit. Omnia ibi reperit hostilia, portas firmatas, Cives de mænibus parato vim repellere, omnes commeatus in urbem comportatos. Quibus commotus rebus *Odoacer* in suburbia debacchatus quicquid repperit igni ferroque demolitus est. *Theodoricus* autem receptis *Galliæ Transpadanæ* urbibus auctoque earum auxiliis exercitu: Dum *Romam* versus proficisci apparat, audit *Odoacrem* magnis allectos pollicitationibus plerosque *Flaminiæ* populos ad se traxisse, ipsum autem *Raven-* C *nam* contendisse. Constitit apud *Papiam Theodoricus* atque eam urbem validis firmavit munitionibus. Ibi relicta uxore liberisque cum expeditis omnibus copiis *Ravennam* eum est insequutus. Consedit in *Candiani* campis secundum maris littus ad orientem. Dum autem urbem aggeribus & castellis pluribus locis excitatis obsidere apparat, *Odoacer* priusquam ad justam redigatur obsidionem tentare iterum decrevit belli fortunam. Exploratis itaque *Gotthorum* castris ubi apertiora essent, atque custodiæ rariores eruptione facta tumultum in *Theodorici* castris haud mediocrem excitavit. Prælium consertum. Cæsi D ex utraque parte complures. Tandem *Odoacer* majori accepto quam illato detrimento in urbem repulsus est. Post eam pugnam *Ariminum* urbs evestigio se se *Theodorico* dedidit. Erant ibi naves aliquot castellatæ, quas *Græci* dromones appellant. Inde ad *Ravennatem* portum advehi imperavit. Ut ab ea quoque parte obsidionem magis urgeret. Paucis interjectis diebus iterum ausus *Odoacer* erumpere, in urbem denuo repulsus. Præerat tunc *Ravennæ Joannes* Archiepiscopus magnæ vir sanctitatis. Quum videret quibus in calamitatibus & periculis universæ civitatis populus versaretur, Sequestrem se intulit ad pacem in- E ter eos reges componendam: duræ ferebantur conditiones quippe in fortuna admodum dispari. Cum res itaque convenire non possent, passa est *Ravenna* difficultates maximas famis & pestilentiæ supra omnium fidem. Ut sordidissimis quibuscunque dictu etiam horrendis non parceretur. Tribus annis pertinax utrinque duravit obsidio, dedidit tandem se se *Odoacer* hosti una cum filio suisque omnibus ea conditione, ut corporibus & vitæ parceretur, angulum aliquem *Italiæ* illis *Theodoricus* inhabitandum daret. Ingressus urbem *Theodoricus*: videre hominem non sustinuit: atque eo dissimulante a *Gotthis* quibusdam per rixæ F speciem pater filiusque interfecti. Adeo tyrannidis cupiditas ubi semel animum occupavit nullus esse potest adversus eam virtuti locus. *Herulis* attribuit agros nonnullos juxta *Taurinos* saltus, illisque regem dedit. Perfecto igitur bello, atque omni recepta *Italia*, *Theodoricus Romam* profectus, susceptus est a Senatu populoque omni honoris cultu atque lætitia. Interea vero dum *Ravenna* obsidetur, & bello ardet *Italia*, *Gundibalbus Burgundionum* rex maxima manu Alpes trans-

transgressus vastissimas edidit populationes, non agros tantum diripuit, sed urbes etiam immunitas, ingentem abduxit prædam rerum hominumque. Calamitatis hujus magnitudo melius ex in sequenti libro cognoscetur. Novem jam Barbarorum exercitus annis circiter octoginta vel ingredientium vel egredientium cædibusque & rapinis omnia fœdantium attrivere *Italiam*. Ita quidem ut mirum fuerit aut civem oppido aut [A] colonum agro superfuisse. Nec in oriente quidem imperii res quietæ perstitere, ut desideratus sit aliquando *Theodoricus* & *Gotthi*. Nam *Bulgares* ingentibus copiis *Isaurici* temporibus in *Traciam* descendisse auctor est *Dandulus*. Magna spe vastitates edidisse. Consumptam quoque igni *Constantinopolim* scribit, sed a *Bulgaris* ne an fortuito immissus ignis fuerit, silentio præterit.

LIBER QUINTUS.

ttigimus superiori libro quam brevissime potuimus labores calamitatesque, quibus annis paulo minus XL. post *Athilæ* discessum oppressa *Italia* est. Non ut eorum temporum historiam scriberemus, sed ut quædam quæ magis insignia ac memoratu digna sunt visa narraremus, ex quibus adacti sint homines ad hæc paludium confugia petenda, ea sumus prosecuti. Cætera diligentiæ eorum, qui scripserunt, vel qui scripturi sunt omisimus, sed ejus libri initio diximus, omnis per eos annos rerum *Venetarum* cursus, qui ab *Athila* ad *Narsetem* eunuchum defluxit, nullis *Venetorum* externorumve monumentis satis est exploratus. Neque id mirum. Quis enim ex *Venetis* sive tenuem eorum inspicias conditionem sive assiduos rerum undique perstrepentium terrores recentibus adhuc novisque rebus, animum possit appellere ad memorias conficiendas? Intenti erant omnes ad paludes sternendas, tecta construenda, paranda navigia, eaque exercenda quibus qualemcunque possent vitam agerent. Satis illis erat animam ducere. Omnisque cura in alendis familiis pro temporum conditione consumebatur. Scriptorem igitur *Venetum* nemo requirat. Si autem ad externos te referas, idem facile dicas. Neque enim videri poterant aquatilium nauticorumque fortunæ (quo enim alio nomine illis temporibus censendi sunt?) ulla dignæ cognitione, nedum ut litteris & historiæ mandarentur. Tanta illis erat aliarum rerum copia magnarum quas quotidie aliam super aliam turbulentissimus rerum status ubique volvebat memoratu digna, ut illis potius superesset, quam deesset scribendi materia. Et tamen qui tunc præstiterint ingeniis, & ad scribendum valuerint, vix unum aut alterum proferas. Docti nunc homines cupidi res illas nosse, queruntur quotidie rerum scientiam & scribendi facultatem cæterasque bonas artes una cum imperio concidisse. Cæterum quantum vel conjecturis, vel rationibus, quibus ad veritatem eruendam (ubi cætera desunt) maxime adhærendum est, comprendere potuimus. Ea mihi tantummodo illis de rebus scribenda sunt relicta, quæ necessario non accidere non potuerunt. Primum quidem profugam gentem illam, quæ tum videret tum audiret, quantis ea tempestate malis omnis *Italia* premeretur, atque usu jam edocta perspiceret. Quantum præstaret tenuem vitam tuo agere, quam copiosam tantis malis obnoxiam captarum a se novarum sedium non pœnituisse deinde nunquam desiisse sternere æstuaria, tecta moliri. Aliaque ad agendam vitam necessaria parare navigandi studium illis fuit præcipuum. Itaque naves omnis generis comparare. In illis spem omnem ponere vel ad mercaturam exercendam, vel ad piratas persequendos, ut vetus illa *Liburnicarum* agilitatis gloria in hunc usque diem apud *Venetos* perseveret. Rem præterea publicam (quantacunque illa esset) procu- [B] rare oportuit. Leges instituere, magistratus pro usu legere, tum majores, tum minores. Cogere pro tempore concilia, in quibus ut necessitas exposceret, quid agendum esset, quid fugiendum deliberarent. Augeri etiam convenarum numerum majorem in modum: his præcipue. XL. annis, in quibus nulla fuisset promissa *Italiæ* requies necesse fuit. Illud autem ante omnia constituerunt redigere fluminum ostia in potestatem, ne accolæ pro libidine licentiori ingressi eos improviso armati adorirentur. Maxima siquidem tum *Venetis* oblata ad libertatem facultas est, quis enim illis iret obviam? Desolatis regionibus, eversis urbibus quæ circum exanimes jacerent: in quibus [C] tot barbarorum exercitus centum annorum vastitate nil reliqui fecissent? Satis unicuique videbatur domum tutari suam. Quis præterea ab paludibus cæno & alga arundinibusque contectis esset metus? Quis a gente profuga, quæ temporaria potius rerum necessitate, quam certo stabilique judicio eam fœda delegisse loca putaretur? Nihil in his erat quod metuerent. Nullæ opes. Nulla per vim quærendi victus ratio omnia per laborem sudoremque. Commoda se se accolis obtulerat novæ gentis vicinitas multum in ea rerum inopia ac difficultate usum ex eorum commerciis capiebant. His igitur ex causis nihil fuit cur ac- [D] colæ in extruendis quæcunque vellent operibus ad libertatem tuendam necessariis quicquam impedimenti opponerent. Fieri enim apparebat non tam præsumendi dominatus cupiditate, quam quod nec insulas, nec littora alioquin habitari tuto possent. Quibus autem operibus ostia fluminum munita sunt, aliunde non accipio. Nisi quod suspicari licet non procul ab his fuisse quibus nunc utuntur. Hæc una res primis illis temporibus, salvam incolumenque præstitit *Venetam* libertatem. Facile permissi suis legibus vivere. Denique ad nullam rem aliam, nisi ad necessaria familiis subministranda operam ac tempus impendere. Regno autem *Italiæ* ad *Theodoricum* dela- [E] to, magna in utramque partem in *Venetis* facta rerum conversio est. Siquidem *Italia* mirum in modum respirare ac quasi reflorere cæpit. Quo factum ut sicuti his annis. XL. maritimæ *Venetiæ* civitates ex *Italiæ* calamitatibus increverant. Ita post *Italiam* in meliorem statum redactam crescere & augeri non potuerint nam quousque *Theodoricus* regnum tenuit, nulli deinceps ejecti patriis, nulli spoliati bonis ut inde ad hæc stagna concurrerent. At vero aliud non minus commodum hi, qui jam convenerant, consequuti. Nam cum *Theodoricus* summa cum justitia regnum administraret, desiere *Veneti* ab accolis metuere & jam tuto se ibi morari posse confidebant, ut fuerit hoc [F] maxime necessarium vel ad salutem, vel ad libertatem. Tenuis siquidem fortuna quam principis justitia non amplectitur satis tuta securaque esse non potest. Eam *Theodoricus* instituit regni fœlicitatem si volentibus & libentibus imperitaret, nam ut initio solet, nullam repulit a supplicantibus *Romanis* po-

poſtulationem. Omnia liberaliter concedere. Idem quoque ut ſe ſe offerebat occaſio ubique facere: prædarum illud fuit bonitatis teſtimonium, nam cum, ut ſupra docuimus, *Gundibaldus Burgundionum* rex tum, cum *Theodoricus* cum *Odoacre* de *Italiæ* poſſeſſione certaret, maximum captivorum numerum in *Burgundiam* abduxiſſet. Miſit *Theodoricus Epiphanium Ticinenſem* Epiſcopum multo cum auro in *Burgundiam* ad eos redimendos. Suſceptus eſt a *Burgundione* magno cum honore. Ad paciſcendum cum veniſſent & explorato captivorum numero aurum ſupplere non videretur, converſus *Epiphanius* ad preces, *Burgundionem* orat, ut communis fortunæ miſereatur, & ſe liberalem exhibeat. Perſiſtere nihilominus *Burgundio* in ſententia cum vero ſe nihil proficere *Epiphanius* videret: *Fac igitur* inquit *o rex rem ad calculum redigi & numerum captivorum inſpici, pro quibus aurum deeſt*, cum reſpondiſſet regius procurator reſtare adhuc ſex millia, tum *Epiphanius: obſecro rex impera, ut ex iis aliqui producantur.* Cum proceſſiſſent ſquallore & ſordibus enecti: Tum *Epiphanius: tuamne o Rex munificentiam liberalitatemque tam parvo æſtimas, ut iſtorum miſerorum capitibus præponendam non arbitreris.* Habet hoc ſanctitatis opinio, ut ubique ſibi honorem præſcribat. Motus *Burgundio* ad hoc verbum eveſtigio: *Age* inquit *Epiſcope, tolle tibi qui reſidui ſunt omnes tibi condono. Non potes hac pietate, & vultu tam venerabili amicus dei non eſſe: Ora eum pro me.* Dum autem *Theodoricus* urbem perluſtrat, atque ejus pulchritudinem quanta fuerit animo concipit, miſeratus majorum operum moles aut dirutas, aut caſum minantis, dat operam, ut inſtaurentur mænia, Thermas, Aquæductus, Theatra, Templa, Porticus, Statuas aut magnitudine inſignes, aut artificio. Nihil omiſit quin *Romani* decoris & ornatus ingenti curam & ſtudium præ ſe ferre videretur. Converſus autem ad mores legeſque quas audiebat in præceps corruiſſe. Similem curam ad reformandas impendit. Et ut nihil *Romanæ* libertatis, cujus cum populum ſtudioſum intelligeret, arrogare ſibi videretur, omnia per magiſtratus *Romanos* curanda demandabat. Annua inſtituit ſalaria ſenatoribus ad inopiam redactis. Pecuniam nulla alia imagine percuti voluit, quam qua ante adventum ſuum ſignabatur. Omnia igitur cogitare ac facere quaſi ſibi cum præſtantiſſimis quibuſque ſuperioris ſæculi & antiqui exempli principibus certamen eſſet atque contentio. Igitur conſtitutis urbis *Romæ* ut viſum eſt rebus, decrevit ipſe ſecedere. Civitatem regendam adminiſtrandamque permiſit ſenatui populòque *Romano Ravennam* ipſe conceſſit. Quam autem ob cauſam *Romæ* regiam non conſtituerit, ſunt qui exiſtiment ſibi a populo *Romano* metuiſſe cujus ingenia eſſent ferociora & ad res novandas cupidiora. Nonnulli *Ravennæ* placuiſſe ſedem ideo volunt, quaſi commodiorem ad Barbaras arcendas ab *Italiæ* ingreſſu nationes. Mihi quidem dubium non eſt, cum *Italia* infero ſuperoque cingatur mari, longe plus a ſupero metuendum fuiſſe: ſed non ego a Barbaris ſolum timuiſſe *Theodoricum* exiſtimo. Quis enim dubitat non oculos etiam vertiſſe ad orientis imperium, quod erat ea tempeſtate & præpotens & formidoloſum. Nec mihi quiſpiam *Zenonis* in *Theodoricum* amorem commemoret, cæteros enim affectus potentiæ majoris metus expellit. Multos amamus cum minus poſſunt, creſcente potentia, & timemus & odimus. Ut igitur maxima eſt rerum humanarum converſio, ſi ipſe a *Zenone* non timuit, non tamen prudentiſſimo principi metuendum a *Zenonis* poſteris non fuit, ne poſteris quoque *Theodorici* nimium propinquum imperium aliquando videretur. Itaque latus lævum *Italiæ* ſibi quacunque ratione muniendum exiſtimavit & claſſibus & navalibus, ubi momento inſtrui pararique claſſes ad omnem inſurgentem motum facile poſſent: cedere præterea urbemque *Romam* relinquere, illa quoque cauſa, ut opinor, impulit, nam cum nullius erga ſe gentis fidem *Gotthicæ* præponendam exiſtimaret: animadvertit non imprudenter, ſi per *Gotthos* principes rem publicam adminiſtrari *Romani* conſpicerent, eorum gratiam eſſe non poſſe diuturnam. Et præterea ſi utrique genti magiſtratus demandaret, fore ut diſſidia ſeditioneſque inter eos facile orirentur, ſe vero alterius gentis odium ſubire oportere, præſertim cum moribus eſſent diverſis, & *Gotthi* victores primas ſibi ſemper deberi exiſtimarent. Adde quod maximum erat *Arrhianam* perfidiam. Quo enim pacto eam ipſe rem conciliaret? Cum *Romana* urbs principatum catholicæ teneret, Princeps autem alteri ſectæ ſe ſe addixiſſet? Ut in exequendis divinis officiis aut abeſſe a Catholicis principem oporteret, aut ſenatum populumque *Romanum* ab *Arrhianis*? Diverſos ritus, diverſaſque cerimonias utrique ſervarent? Optimum igitur exiſtimavit ab oculis *Romanorum* cum principibus ſecedere. Cur autem *Ravennam* potiſſimum. Sane vel ex breviori arena * itinere, vel ex planiori *Appennini* ſaltu, vel quod *Roma Ravennam* proficiſcenti altiſſima *Padi* oſtia ſuperanda non ſunt. Quæ quidem ſimul omnia magnis tranſmittendis exercitibus non parvi eſſe momenti videbantur. *Ravennæ* ſitum repetere non eſt neceſſe. Quantum ſat fuit libro primo declaravimus. Nullus locus commodior ad opes augendas propinqua urbi *Romæ* & intra intimum ſuperi maris ſinum recepta. Sane oportuit cum nullum Urbs *Roma* commodius haberet emporium, ut creſcente Imperio ipſa quoque ſuccreſceret. Primum qui eam majorem in modum celebrem reddidit *Auguſtum* fuiſſe tradunt, magnas ibi tenuit inſtructas claſſes Navali ſubductas omnium ampliſſimo juxta *Claſenſe* oppidum parvo a *Ravenna* intervallo, ad eam unam rem ædificato, ut mercatoribus nautiſque hoſpitia præberet ad rem nauticam opportuna. Nulla nunc ejus oppidi apparent veſtigia. Nulla navalis. Neque ejus quoque Turris phareæ cujus altitudinem *Plinius* aſſerit omnium fuiſſe ultimam, quas *Romani* imperii portus habuerint. Hæc omnia (tanta eſt edacitas temporis & antiquitatis) cum omnibus veſtigiis interiere. At vero *Tiberius Claudius Germanicus* primus eam urbem muro cinxit, ut ex litteris ad portam auream inciſis apparet. *Valentinianus* poſterior ob terrorem adventantis *Athilæ* permunivit, tranſlato autem in orientem Imperio maxime ea urbs increvit, cum ibi receptus eſſet, omnium fere navium, quæ vel ad bellum vel ad mercaturam, ex *Conſtantinopoli* in *Italiam*, item viciſſim ex *Italia* in orientem proficiſcerentur. Duo deinde illi contigere mirum in modum ad opes amplificandas accommoda unum quod *Theodorici* regia eo in loco condita firmataque. Moratus eſt ibi annos fere XL. Alterum quod Imperatoris Hexarchi pulſis *Italia Gotthis* plus annis CC. eam ſedem incoluere. Deſiit autem frequentari pluribus de cauſis prima quidem illa, quia cum *Romani* Pontifices poſt tranſlatum in occidentem imperium exactiſque ex omni *Italia Longobardis* multum auctoritate atque opibus aucti eſſent, nulli jam amplius *Itali* aut externi nominis principes ut antea *Ravennam* in delitiis habuere: *Franci* paucos per annos tenuere imperium, *Germani* vero *Othones*, *Henrici*, *Federici*, ſi per *Taurinos* ſaltus ingrederentur, divertere apud *Mediolanum* ſoliti. Cum in-

* Forte a Roma.

terea *Romani* quoque Pontifices ingratum non haberent minui *Ravennatis* sedis auctoritatem, quæ sæpius cum *Romana* de dignitate contenderat, cæterum interea crescens *Venetiæ* civitas rem nauticam fere omnem mercaturamque & navigationes ad se traduxit. Præsertim cum ad transvehenda orientis aromata in *Pannonias Germaniamve* commodiori esset situ posita quam *Ravenna*. Itaque paulatim omnibus commerciis destituta diu jacuit, donec a *Venetis* in societatem recepta eorum beneficio respirare aliquantisper & reflorescere visa est: sed ut ad *Theodoricum* revertamur, justitiam in primis mirifice coluit. Hæc duo feruntur exempla. Fures adeo acribus pœnis est insectatus, ut liceret per omnem fere *Italiam* apertis januis speculisque dies & noctes agere. Alterum autem quod cum mulier defuncto viro secundas nuptias amatori spopondisset, & conditionem addidisset filium domo ejecturam, questus est filius de matre apud *Theodoricum*. Negabat constanter mulier suum esse filium, suppositum dicebat cum eniteretur, multis hinc atque hinc argumentis contendebatur. Rex ingenio sagax ut veritatem erueret: *Atqui* inquit *o mulier potes, si me audis faciliter ista te molestia liberare: Quin tu juvenem istum qui filium tuum se facit, maritum accipe: minor est ætate & facile * liberalior.* Mulier animo commota, primum substitit quid responderet, cum aliquantum se collegisset multis cavillationibus eam rem subterfugere, neque sibi ipsi constare cœpit, sed omnia ambagibus involvere. *Theodorico* major orta suspicio est. Itaque finxit se pœnam addere, nisi consentiret. Tum adacta mulier sceleris horrore suum esse filium confessa est. Usus præterea liberalitate est erga *Patavinam* urbem excissam. Jacuerat annos LX. ab *Athilæ* demolitione dirutis mœnibus & sine ullo munimento. Miseratus urbemque nobilissimam ad tam infelicem redactam conditionem, ut ipsa per se surgere non posset. Vallo & fossa urbem munivit tum frequentius habitari cœpta. Major exin *Venetis* orta molestia est, præsertim qui *Rivaltum* & objecta incolebant loca. Itaque *Medauci* fluminis ostium cæteraque ejus oræ loca, unde majus ab illis esset periculum, validiori quam ante præsidio muniunt, saltus alpium pluribus in locis permunivit. *Verucam* oppidum erexit haud procul ab *Aquileja*, ut *Tergestinos* insideret saltus. *Tridentum* apud *Retios* validius firmavit. Alpium claustra nulli genti, quam *Gotthicæ* credidit. Neque facile alia quam *Gotthica* præsidia ad suspectiores *Italiæ* custodias adhibuit. Illud pro maximo regni firmamento arbitratus est si principum regumque affinitatibus jungeretur, filiam *Clodovei Francorum* regis ipse in uxorem accepit tradidit filiam *Viscigotthorum* regi *Hispaniam* tenenti. Virili stirpe ipse caruit. Regnum præterea latius propagavit. Nam præter *Italiam Romanæ* dominatus est provinciæ & *Narbonensi*, *Galliæ*. Ab oriente vero *Histris* & *Dalmatis*, *Pannoniæ* quoque *Sirniensi*: Dum igitur summa cum felicitate regnum administrat, primam rerum mutationem ab hoc initio originem habuisse ferunt. *Clodoveus Francorum* rex *Alarico Gotthorum* regi eo nomine bellum indixit, quia *Arrhianam* hæresim foveret, sibi vero infidelem bello regem persequendum æquum censeret. Votis itaque ingentibus rite factis si victoria potiretur. Coactis undecumque potuit copiis in *Hispanias* adversus *Alaricum* duxit. *Alaricus* contra haud segnius ab *Urdegalla Vasconiæ* urbe movens, cum præpotenti occurrit exercitu. Collatis utrinque signis apud *Pictavos* congressi *Franci*, *Hispani*que, post longum ancepsque certamen *Alaricus* fusus & interfectus.

* Forte, facie.

A Elatus victoria *Clodoveus* quotquot *Arrhianæ* sectæ urbes reperit, cepit omnes atque diripuit. *Almaricus*, *Alarici* filius, *Theodorici* gener adolescens cum quibus potuit paterni exercitus reliquiis intra *Pyreneos* saltus se recepit. Hanc soceri victoriam *Theodoricus* cum accepisset, ægerrime tulit, tum ob *Alarici* affinitatem, tum quia nisi evestigio opem ferret perditum iri videbat *Arrhianum* nomen, cui mirum in modum afficeretur. Hæc dum in *Galliis* atque *Italia* geruntur addidit aliud fortuna facinus haud minus efficax ad omnia magis magisque perturbanda. Nam *Anastasius Zenonis* filius cum imperium apud *Con-*
B *stantinopolim* morte patris accepisset, famaque tantarum ad se rerum a *Clodoveo* gestarum in orientem esset perlata, statuit per oratores *Clodoveo* gratulari. Munera insuper addidit Tunicam blacteam, qua soli uterentur Imperatores, multis prætera aliis insignibus. Patricium & consulem & Augustum appellavit. Eum honorem *Franci* suscepere maxima cum pompa, famaque & litteris per orbem dimissis auxerunt. Quæ cum omnia *Theodoricus* audiret, & in *Ostrogotthæ* gentis contumeliam facta arbitraretur, decrevit ipse genero *Almarico* quacunque posset ratione suppetias ferre, præsertim cum intelligeret *Clo-*
C *doveum* in ejus perniciem incumbere. Copias coëgit ad numerum armatorum XL. millium, præcipue *Gepidarum*, quos apud se lectissimos habebat. *Ilbam* comitem illis præfecit. Ducenti in *Vasconiam Ilbæ*, ut se *Almarici* copiis adjungeret, *Clodovei* exercitus *Aquitaniæ* provinciæ præsidio relictus occurrere instituit cum armatorum XXX. millibus, ancipiti aliquamdiu marte pugnatum: prælium atrox commissum est. *Franci* tandem profligati & magna ex parte cæsi. *Theodoricus* favit *Arrhianæ* sectæ quoad vixit, illam sustentavit & viribus & auctoritate. At ea *Gotthicæ* gentis labe excidium in *Italia* multorum
D malorum initium cepit. *Justinus* nanque senior *Anastasii* filius, summa religione princeps, cum delere omnem in orbe *hæresin* instituisset præcipue *Arrhianam* edictum pronunciat, ut ejectis ex omni imperio Episcopis *Arrhianis*, eorum ecclesiæ Catholicorum administrationi committantur. Concitus hoc edicto vehementi ira *Theodoricus*, decernit continuo legatos ad *Justinum*, *Joannem* Pontificem *Romanum*, *Agapitum*que & patricium consules ambos: Hos ideo libentius quia summa tum pollebant auctoritate. Jam enim inceperat Tyrannum potius quam regem agere: ut præstantes quosque viros odisset & abesse longius vellet. Mandatorum hæc fuit summa:
E Audisse *Theodoricum Justini* edictum de catholicis & *Arrhianis*. Non dubitare hoc in sui contumeliam factum, quem jampridem infensum habuerint & *Anastasius* pater & *Justinus* filius, nulla quidem ipsius culpa, sed ob *Italicum* regnum justis armis quæsitum conservatumque & auctum summa cum justitia & diligentia. Proinde bene quoque agi cum *Justino*, si imperium ipse suum tam diligenter administret. Ut illi supersit tempus otiumque ad hæc sacerdotalia judicia curanda. Censere præstantius esse, ut reges Pontificesque seorsum quisque munera sua obeant. Cer-
F tent inter se verbis sacerdotes, dummodo vi temperent & armis. Moneant igitur *Justinum* ut abstineat edicto, quod nisi fecerit, certiorem faciant quicquid ille injuriæ intulerit *Arrhianis* Ecclesiis, idem quoque se catholicis illaturum. *Justinus* legatos maximis honoribus accepit, & præcipue *Joannem* Pontificem. Nam & populus omnis longe obviam illi ab urbe progressus est cum sacra omni pompa. Et *Justinus* genibus se se Pontificis summisit. Legati deinde potestate di-

dicendi facta: *Afferimus inquiunt o Imperator duram nimium legationem, quam perfidi & crudelissimi Regis ferox & superbus animus imperavit, tuum erit deligere quod omnipotens Deus optimum in tantæ rei suæ discrimine demonstrabit.* Mandata deinde exponunt. Audivit eos *Justinus* magna cum moderatione, ut nihil commoveretur mandatorum superbia & indignitate. Consultis deinde legatis quid in eo rei christianæ periculo agendum esset. Tandem variis inter eos habitis disceptationibus, *Justinus* ex communi sententia misereri maluit eorum malorum, quæ facile consecutura animo conciperet, quam rem christianam & totum fere orbem perditum ire. Itaque differre edictum satius existimarunt. Cæterum quid profuit cum superbo & obstinato homine mansuetudo: Barbarum diutius ingenium *Theodoricus* metiri non potuit. Nam *Justini* facilitas, quæ mollire illius animum debuerat, majorem in modum efferavit. Siquidem invidia percitus, quod maximo amore *Justinus* & Pontificem & legatos habuisset, quasi in ipsius contumeliam factum, insimulatos variis criminibus in carcerem conjectos fame deinde atque inedia necavit. Pari rabie desæviit in multos *Romani* senatus principes. *Boetium Severinum*, & *Symmachum* socerum viros consulares atque summæ auctoritatis, apud *Papiam* relegatos interfici jussit. *Boetium*, qui librum nobilissimum de trinitate quasi adversus *Arrhianos* in ejus contumeliam composuisset. Ipse non multo post ut nonnulli volunt a poplesi, nonnulli ventris profluvio magnis cruciatibus extinctus est: Anno duo de. XL. post adeptum *Italiæ* regnum. Auctor est *Procopius* post *Boetium Symmachum*que interfectos, cum cœnanti *Theodorico* caput piscis esset oblatum, refugisse *Theodoricum* quasi *Symmachi* faciem oblatam. Illud autem caput torvos in eum oculos defixisse visum: *Gregorius* in dialogo scribit ab *Liparensi Siculo* heremita, cum eo, quo *Theodoricus* obiit, die in cælum oculos sustulisset in ardentem *Vulcani* ollam præcipitatum. Hujus tanti viri morte relictum mortalibus exemplum, nullam esse rem fortunæ vicibus non subjectam, non opes, non liberos, non imperium, non denique virtutem ipsam, quam supra omnem fortunam collocatam gentiles philosophi voluerunt. Eripiuntur omnia, sola illa constans perpetuaque fœlicitas est, quam optimus Deus mortalibus gratis infundit, nec igni, nec ferro, nec ipsa quoque corporis ægritudine labefactanda. Sub extrema *Theodorici* tempora concuti superioribus malis cœpit *Italia*. Nam *Sclavi* fera gens tum primum magnis copiis in *Histriam* primasque *Venetiæ* fauces transcendere. Ea gens *Scythica* & ipsa origine, dum *Romanum* ut pleræque aliæ gentes imperium invadunt, præclarum sibi nomen armis fecere. Domo egressi *Mauritii* tempore, incoluere regionem *Bosphoro Cimmerico* adjacentem circa *Tanais* caput & *Mæotidem* paludem. Pars ad dexteram Aquilonem versus declinavit, inque duas est divisa partes. Hi *Boëmi*, illi *Poloni* appellati. Altera autem ad lævam transmisso *Danubio* sedes cepere prope *Savum* flumen *Dalmatiam* usque pertinentes. *Sclavorum* nomen in hunc usque diem retinuere. Eandem autem fuisse gentem *Boëmos*, *Polonos*, & *Sclavos*, illud attestatur, quod omnes quas diximus nationes nunc etiam eadem utuntur lingua. Tandem ad oram *Hadriatici* maris descenderunt, *Narentam* oppidum juxta flumen ejusdem nominis condiderunt. Piraticam exercuerunt plurimos per annos. Multa deinceps bella *Venetis* cum *Naretanis* consequuta sunt, multæ acceptæ clades, multæ illatæ: donec a *Venetis* edomiti in ditionem cum reliqua *Dalma-*

A *tia* recepti. *Histriæ* populi *Venetiarum* accolæ his terroribus compulsi in insulam se conferunt, cui tunc *Capraria* nomen fuit. Condidere oppidum & in *Justini* Imperatoris gratiam *Justinopolim* appellavere. Nec omnino vetus interiit nomen. Incolæ enim in hunc usque diem a finitimis *Capretiani* nuncupantur. Mortuo *Theodorico* sine liberis maribus *Amalasuenta* filia regnum administrandum suscepit pro *Athalarico* filio suo octavum agente annum. De cujus laudibus mulieris *Cassiodorus* plurima supra muliebrem virtutem scribit. Hæc breviter excepimus. Videre neminem eam mulierem sine veneratione po-
B tuisse, audire loquentem fuisse miraculum, *Græcis Latinis*que litteris egregie imbutam, omnium gentium nationumque, quibus cum *Romano* imperio aliqua esset consuetudo, linguam novisse, vernaculo vocis sono quasi inde duxisset originem locutam. Tantæ autem gravitatis ac insimulando & dissimulando prudentiæ, ut cum improbos redargueret acriusve increparet, nihil sibi quod acerbum esset illatum & dicerent & sentirent. Quibus ex rebus tantam sibi comparasse dicit tum auctoritatem, tum amorem, ut illi non paruisse, etiam si nulla timeretur pœna, nefarium duceretur. Suscepto regno sapiens mulier, quæ optime nosset,
C quibus rebus pater gratiam benevolentiamque, quibus item odium sibi comparasset, *Symmachi* & *Boetii* filiis patrimonium restituit: *Athalaricum* filium ut *Romanis* moribus & disciplina imbueretur, enixe operam dedit. Non fuit ea in re felicior, Surdo ut ajunt canebat fabulas. Nam cum tres ex ea gente quasi gubernatores puero essent instituti, mox illi actis in lævam partem pueri moribus, ut facilius ipsi undecunque libuisset, & raperent & extorquerent. Longe in diversum ac mater cupiebat instruere cœperunt. Ea simulata ratione non fuisse *Gotthicis* Regibus morem liberos regios aliis studiis quam armorum disciplina insti-
D tuere, solere litteras disciplinarumque magistros adimere pueris animos, quos magnanimos facere oporteret. Ferebat hoc iniquo animo mater. Cæterum utcunque poterat dissimulabat. Interim non desinebat admonere, & illi *Justini* potentiam formidolosam reddere: quantumque quotidie illius nomen cresceret inter *Romanos*. Defuncto autem paulo post *Justino*, eo metu Rex puer liberatus: *Næ tu mihi* inquit *mater amplius Justini metum non incuties.* Itaque deinde cœpit quasi sublato freno licentius in omne vitium ferri, prudens mulier non tam pueri moribus quam propriæ metuere cœpit. Itaque ne quid adversus se adole-
E scens moliretur, tres illos, quos supradiximus *Gotthorum* principes *Athalarici* corruptores interfici curat. Dum hæc in *Italia* geruntur, sicuti *Theodorici* virtutis fama, dum viveret, longe lateque inter Barbaras increbruerat nationes, ita illius morte dissipatus per orbem rumor *Italiam* regi a muliere & puero: excitare Barbaros fecit ad *Italiam* repetendam. *Alemanni* nanque gens & ipsa *Germanica Venetiam* ingressi, vicinasque regiones crebris incursionibus depopulati, cædibus & rapinis omnia compleverunt. Jamque regredi res cæpere ad pristinam superiorum calamitatum speciem. Moritur octavo post *Theodoricum* anno *A-*
F *thalaricus*. Regina consortem regni suscipit *Theodatum* Consobrinum, quem *Theodoricus* vivens multis affecerat honoribus magna indolis spe primis pubertatis annis implevit omnes futuræ probitatis. Videbatur ingenio mitiori & ad disciplinam virtutesque liberales accommodo. *Platonem* plurimum in manibus habebat. Scripsit historiam, videbaturque laudis & gloriæ cupidior. At vero nihil est quod magis mortalium aperiat ingenia, quam imperium. Siquidem rerum mul-

B. *Justinianus.* D 2 ta-

tarum earumque magnarum licentia quicquid est virtutis, aut vitii producit in lucem. Nihilo fuit regina Consobrino quam in filio arrogando felicior. Mox enim ut rerum potens factus est avarum ignavumque se prodidit. Laborem fugere, inertiæ etiam se dedere, odisse tam virtutem quam virtuti deditos, gregandæ pecuniæ incumbere, ut dicere non dubitaret providere se, ne si forte dimittendum esset regnum, vitam non posset ducere. Infelix in utroque Regina cuncta ut poterat administrabat. Indigne quoque ferre *Theodatus*. Nam neque ipse facere, neque reginam permittere, ut tandem ingratissimus homo, qui alienam virtutem sibi dedecori esse arbitraretur, in lacus *Vulsinensis* insulam relegarit, atque ut scelus sceleri addat, facultatem paulo post præbuit propinquis eorum, quos illa occidi jusserat, ut eam pro libidine interficerent. Magis *Theodatus* omnibus invisus esse, improbum scelus omnes detestari: Ea ex re invidiam conflavit, quasi sublato capite, omnia denique regni negotia in pejus ruere. Cum autem *Justinianus Justini* nepos qui defuncto *Justino* imperium susceperat, res magnas in *Asia* & *Africa* gereret, crescereque in dies illius gloriam *Theodatus* animadverteret, trepidare cœpit. Levis & inconstans homo, nunc per legatos pacem deprecari, nunc si bellum inferat, minari se defensurum. Atque ita se tum verbis tum factis gerere, ut facile intellecta hominis levitate *Justinianus*, bellum illi quam primum inferre maturaverit. Nihil enim magis injuriam invitat, quam manifestus injuriæ metus. Eo bello ducem declarat *Bellisarium* insigni virtute præstantem præcipue disciplina militari. Is magna comparata classe & simulata in *Africam* trajectione in *Siciliam* declinat. *Catinam* primun urbem, deinde *Syracusas*, ejectis *Gotthorum* præsidiis recipit. Quarum exemplo pleræque ejus insulæ civitates se se *Justiniano* dedunt. Recepta *Sicilia*, vulgavit palam *Justinianus* hoc bellum suscepisse, cum alias ob multas *Theodati* injurias imperio illatas, tum quia catholicos cum indignitate opprimeret, *Arrhianos* quam maximis posset honoribus sublevaret. Mittit *Justinianus* ex parte alia *Mundum* belli ducem ad *Dalmatiam* recipiendam. *Mundus* brevi *Salonam* ad deditionem compulit, & videbatur pari felicitati cætera confecturus. Perterrefactus *Theodatus* metu tantarum rerum, pacem per legatos a *Justiniano* petit, pollicetur *Sicilia* decedere, tributum pro *Italia* pendere Coronam auream librarum. xxx. & in quamcunque imperator jusserit expeditionem auxilium trium millium militum *Romanorum*, permittere imperio jurisditionem in Episcopos virosque senatorios. Daturumque operam ut Imperatoris nomen inter divina officia sacrasque cerimonias, priori ante regnum loco pronunciaretur. Statua nulla regi *Italico* locetur, nisi secundum imperatoriam. Respondit *Justinianus* longe magis ex usu *Theodati* fore si ad se veniat, regnum dimittat. Aevum agat cum doctis omnibus, nec divitias, nec quicquid concupiscat defuturum. Cæterum ut varii sunt fere semper bellorum eventus, coactus est *Bellisarius* ob novos in *Africa* excitatos motus in *Aphricam* reverti. Et *Dalmatiæ* res intemperantia *Mundi* ducis in periculum adductæ, *Gotthi* qui cæterarum urbium præsidia tenebant in unum coacti, prælium ausi sunt cum *Mundo* conserere. *Mundi* filius interfectus. Dum vero profligati *Gotthi* in fugam vertuntur periculum *Mundus* non vitavit. Nam ira interfecti filii concitum intemperantiusque ante alios evolantem & hostes insequentem conversi in eum hostes & pene solum conspicati, acerrime se defendentem interficiunt, quibus tamen rebus nihil territus *Justinianus*, sed qua cæteris in rebus usus erat fortitudine fælicitateque, compositis *Aphricæ* rebus, *Bellisarium* in *Italiam* properare jubet, qui toto *Calabriæ* ac *Lucaniæ* tractu brevi recepto, *Neapolim* profectus, per Aquæductum noctis silentio ingressus nil sentientibus aut *Gotthis*, aut oppidanis, eam urbem occupat. *Constantianum* vero novis cum copiis bello *Dalmatico* præficit. Principes *Gotthi* accepto detrimento *Neapolis* amissæ, cum *Theodati*, tum socordiam, tum levitatem animadverterent ad tanti belli pondus administrandum, pejora autem in dies expectarent, alio sibi rege opus arbitrati, *Vitigitem* primarium belli ducem regem creavere. Missi a novo Rege qui *Theodatum* interficerent: assecuti sunt fugientem apud *Anxur* urbem, quæ nunc *Terracina* dicitur eumque interficiunt. Tenuit regnum *Amalasuenta* cum *Athalarico* filio annis octo. *Theodatus* anno tertio interfectus est. Hactenus pauca de *Venetis* rebus attigimus: professi libri quarti initio, nihil habere quod iis de rebus ab *Athila* ad *Narsetem* scriberemus. Appropinquant ea tempora. Qualis etenim tunc esset *Venetiarum* status utemur *Cassiodori* epistolarum regiarum magistri testimonio, in qua multa de novella gente licet videre: de locorum Situ, de gentis victu, de exercitiis, de moribus. Viderat siquidem *Cassiodorus* eam gentem eorumque delectatus est studiis. Ejus exemplum operæ pretium non prætermittere existimavimus. *Tribunus Venetiarum Senatus præpositus data pridem censione jussimus, ut Histria provincia vini & olei species, quarum præsenti anno copia indulta profruitur ad Ravennatem feliciter dirigeret mansionem. Sed vos qui numerosa navigia in ejus confinio possidetis pari devotione grata providete, ut quod illa parata est tradere, vos studeatis sub celeritate portare. Similis erit quippe utrique gratia profectionis: Quando unum ex his dissociatum impleri non permittit effectum. Estote ergo promptissimi ad vicina, qui sæpe spatia tramsmittitis infinita. Per hospitia quodammodo vestra discurritis, qui per patriamn avigatis. Accedit etiam vestris commodis quod vobis aliud iter aperitur perpetua tranquillitate tranquillum. Nam cum ventis sævientibus mare fuerit clausum vobis via panditur per amœnissima fluviorum. Carinæ vestræ flatus asperos ventorum non pavescunt. Terram cum summa felicitate contingunt, putantur eminus per prata ferri, cum contingit alveum non videri. Tractæ finibus ambulant, quæ stare rudentibus consueverant. Et conditione mutata pedibus juvant homines naves suas. Vectricem sine labore trahunt. Et pro panno velorum utuntur passu prosperiore nautarum. Juvat referre quemadmodum habitationes vestras sitas esse perspeximus. Venetiæ prædicabiles quoddam plenæ nobilibus. Ab austro Ravennam Padumque contingunt. Ab oriente jucunditate Ionii littoris perfruuntur. Ubi alternus æstus egrediens modo claudit, modo aperit faciem reciproca inundatione camporum. Hic vobis aquatilium avium more domus est. Nanque terrestris modo, modo cernitur Insularis, ut illic magis existimes esse cyclades, ubi subito locorum facies respicis immutatas. Earum quippe similitudine per æquora longe patentia domicilia videntur sparsa. Quæ non natura protulit, sed hominum cura fundavit, viminibus flexis illigatis. Terrena illic soliditas aggregatur, & maritimo fluctui, tam fragilis munitio, non dubitatur opponi. Quando vadosum littus moles nescit ejicere undarum & sine viribus fertur, quod altitudinis auxilio non juvatur. Habitatoribus igitur una copia est, ut solis piscibus expleantur, paupertas ibi divitibus sub æqualitate convivit, unus cibus omnes reficit. Habitatio simul universa concludit. Nesciunt de penatibus invidere. Et sub hac mensura degentes, evadunt vitium, cui mundum con-*

constat esse obnoxium. In salinis autem exercendis tota contentio est, pro aratris, pro falcibus Cilindros volvitis. Inde vobis fructus enascitur, quando in ipsis & quæ non facitis possidetis. Moneta illic percutitur victualis. Arti vestræ omnis fructus additus. Potest aurum aliquis minus quærere, nemo est qui salem non desideret invenire: merito quando isti debetur omnis cibus, qui potest esse gravissimus. Proinde naves quas more animalium vestris parietibus alligastis diligenti cura reficite, ut cum vos vir experientissimus Laurentius, qui ad procurandas species est directus commonere curaverit, festinetis excurrere. Quatenus expensas necessarias nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate æris compendium vobis elicere potestis itineris. Ex hujus epistolæ verbis facile excipere est, quibus tum moribus vitam ducebant, quæ gentis studia, quæ vivendi disciplina. Eos siquidem temporum conditio cogebat ad omnem contemnendum subeundumque laborem. Cujus contemptu quæcunque humanus animus concupiscit, facile consequitur, nulla vitare maris pericula, nullos domi labores fugere, omnes adire vitæ difficultates, dum se se familiasque suas sustentarent. Frugalitati in primis studuisse sat constat. Quæ labore acquiruntur, carius retinentur. Tenuis victus, cibus potusque vulgaris, nulla paratus cura, vestis modica, quippe frigoris & caloris quibus essent assueti patientissimi. Humilis ædificatio. Parvo contenti, quippe minimo assueti, cum sua cuique satis placerent, dum sibi uxoribus liberisque suppeterent. Delitias horrere non minus quam squallorem. Fructus illis domestici pro messibus & vindemiis, piscationes erant & salinæ. Cæteræ siquidem ejus oræ salinæ desolatæ cultoribus obruebantur aquis. In salis fructu semper illis maximum fuit compendium. Proque eo ab accolis tuendo plurima bella fecerunt. Carebant præcipuis humani generis pestibus luxuria & avaritia, quæ contrariæ cum sint Comites tamen fere semper sunt individuæ, & altera alteram sollicitat. Friget enim luxuria sine pecunia. Agebatur vita procul a cupiditate. Aureum ego apud eos seculum fuisse dicerem, nisi quod circumfusi per *Italiam* cæterasque provincias terrores, & præcipue assidui piratarum insultus adigebant, ut semper in armis essent. Summum eo seculo decus existimabant, piratam agilitate navium consequi. Verum profecto illud est: Nullum esse tantum malum ex quo sapiens utilitatem capere non possit. Ex pirata namque pessimo hominum genere ille fructus erat, ut exercerent juventutem discerentque repellere hostem & armis consequi, bellisque navalibus si quando accideret assuefierent. Cæterum longe maxima fuit mercaturæ navigationumque exercitatio illis quoque temporibus, omnia jam maria percurrere, portus omnes & emporia scrutari diligentius, quid portari commodum, quid exportari, ex quibus fructus aliquis percipi posset. Maxima inter eos vigebat concordia, summus erat amor, illis omnia communia, Privata pro publicis habere, publica pro privatis. Inde necessario illud consequebatur, ut maximo esset in cultu justitia. Quis enim auderet injuriam alteri facere, quæ publice facta omnibus videretur? Ita nulla apud eos fraus dolusve tam procul esse a mendacio quam a rapina. Domi igitur veritati assueti, facile ubique erant ejusmodi. Maximæ fidei apud omnes gentes habebantur, credendaque pecunia præferebantur aliis, in tractandisque negotiis fuit illis præcipuum externas injurias negociatoribus illatas nullo modo pati. Ea ratione, qui, cum omnis eorum victus inter alienas terras versaretur, oportuit, nisi una cum bonis perire mallent

A tutari sese & operam dare, ut immunes ubique haberentur ab injuria. Idque longe magis servatum sequentibus seculis. Postea quam videlicet & numero negotiatorum & magnitudine negotiorum increverant, lex fuit repetere prius ablata, nisi redderentur, armis deinde vendicare si possent. Si virium facultas non adesset, tum interdicere mutua invicem commercia, ut raro accideret, quin quod una non impetrarent via, altera non succederet. Religioni ut studerent, si non eos naturalis amor sane cum labores, tum pericula in quibus versarentur adigebant. Nihil est enim quod mortalium mentes ad cælum magis erigat (B) quam periculum metusque, præcipue ubi humana desunt auxilia. Quænam autem major illis alia tum esset spes? Nescit pauper humana destitutus ope, aliam implorare quam divinam. Maris præterea pericula & navigationum quanta sint, nemo nescit, cum vel tempestatibus agitantur vel discissis velis ornamentisque confractis sine cælo ullove sidere, quam viam teneant, aut quæ sulcent maria nesciunt. Adde piratarum pericula quos effugere præsertim in superi maris angustiis nullo modo poterant: Cum iis non de rebus tantum, sed de vita & sanguine erat dimicatio. Hæc autem vota non a nautis tantum (C) cæterisque in periculis constitutis persolvi solent, sed domi longe magis ab uxoribus & liberis. Tum templa adeunt, vota nuncupant, ut reduces atque uberi cum fructu domum superi remittant. Nec minus aliarum quoque civitatum calamitates, ne idem illis accideret eorum pectora concutiebant. Veluti cum tonante cœlo crebrisque ignibus corruscante pavida mortalium corda ad unius se dei opem auxiliumque convertunt. Sed nihil erat quod eos in hac laborum periculorumque patientia constantes detineret magis quam libertatis amor. Cum viderent quicquid illis ex laborum fructibus accederet, in suam non alienam (D) verti libidinem. Hoc adigebat eos ad cætera contemnenda, quæ prima mortales extimant. Præsertim cum viderent quantis in malis, qui illa concupiscerent, versarentur. Adepta siquidem libertate, quis tot navigationum, commerciorum peregrinationumque labores sine ulla intermissione subeat? Nihil habeat ubi interdum animum remittatur. His quoque temporibus si libertatem sustuleris, vix quenquam reperias præter ordines humiliores, qui in hac alga & arundinibus vitam duceret. Nemo siquidem post laborem requiem non appetit. Libertas illis securusque suis cum familiis status pro requie succedebat. (E) Qui de moribus civitatum scripserunt, solent plerique antiquorum laudare mores, suorum temporum reprehendere. Eam rationem secuti quia omnia in deterius labantur. Hoc profecto sicuti verum, ita illud pro laude earum de quibus scribunt civitatum. Nonnulli addiderunt serius eas tandem quam cæteras in vitia prolapsas. Non est cur fortasse idem quoque hac de urbe dici non possit. Integris quidem & incorruptis moribus permansisse ad hæc usque tempora, non ego dicere ausim, multa sæcula duravisse. Fortasse non immerito quispiam dixerit. Quales igitur *Venetiæ* fuerint ea de qua scribimus tempestate, (F) dictum a nobis. Sequentibus vero sæculis quales extiterint, non eam provinciam suscepimus, ut scriberemus. Scripsit aliqua breviter Albertus Magnus *Sextodecimo historiæ libro*. Longe plura executus est *Henricus Ariminensis* ex ordine prædicatorum libro quem *de quatuor virtutibus cardinalibus* conscripit. Quos profecto qui legit superiorum omnium civitatum laudibus, prisca semper excepta *Roma* non immerito hanc de qua scribimus æquare possit. Causam autem con-

conſideranti mihi, cur hæc morum quaſi lege quadam in deterius mutatio accidat, illa præcipue videbatur: Naturam unicuique tam rei quam animis hominum ſuos numeros dediſſe. Quos intra ſi res humanæ continentur, incolumi ſtatu ac diuturno perſeverant. At vero ſi altius tendunt, & in longe majus excreſcunt quam patiantur mortalium vires, quibus etiam ſuus numerus eſt a natura coſtitutus in earum rerum gubernatione, ſuccumbant neceſſe eſt. Unum illud relictum tanto malo remedium principum cura &
A diligentia: ut ſicuti ignavia & incuria labuntur, ita induſtria & diligentia ſuſtineantur. Siquidem unum quodque iiſdem artibus conſervatur, quibus ab initio adeptum eſt. At ubi pro labore & vigilantia indiligentia ignaviaque ſenſim ſubrepunt, aut quod proximum eſt reipublicæ cura affectuſque ad privata commoda convertitur, fruſtra meliora patrum tempora optabis. Neque ſane tum dabitur juſtus querendi locus. Quid enim æquius quam ſi in ea re quam tu neglexeris, detrimentum accipias?

LIBER SEXTUS.

Gotthorum bellum a *Juſtiniano* imperatore ſuſceptum pro *Italia* liberanda, geſtumque non minori virtute quam gloria recenſere non ea mente adorti ſumus, ut laudem ſurripereremus iis, qui longe quam nos copioſius eam hiſtoriam conſcripſere, nihil enim minus quæſivimus quærimuſve, quin gratias illis debemus. Nam præter earum rerum notitiam quam relinquere poſteritati, nobis quoque præſtitere, ut cauſas *Venetæ* condendæ urbis, quas ſcrutamur atque perquirimus, clariores reddere liceret. Denique nec omnia quidem perſecuti ſumus, quæ ab illis de hoc bello tradita ſunt monumentis. Sed collectis tantummodo his, quæ ad rem noſtram pertinent & magis probantur, cætera omiſimus, quod idem in reliquis quoque faciemus, quæ deinceps ſcripturi ſumus: ſi prius tamen pauca de *Juſtiniano* perſtrinxerimus, a cura præpoſitoque noſtro non abhorrentia. Fuit is princeps magnæ virtutis & gloriæ, *Parthos* multis attritos præliis perdomuit, orientem pacavit, *Africam* imperio a *Vandalis* ereptam, ut ſupradiximus, *Belliſario duce*, reſtituit: Cæterum conditæ ab eo leges per omnem fere orbem diffuſæ æternum illi nomen peperere. Et tamen ipſe quoque primo ſuſcepti imperii tempore vitare non potuit, quin ſuadente *Anthenuo* Epiſcopo *Conſtantinopolitano* in *Eutychianam* hæreſim laberetur. Evocavit *Roma Agapetum* Pontificem ut in ejus ſectæ ſententiam ipſum traheret. Profectus ad eum *Agapetus* magno honore ſuſceptus eſt. Cum vero *Juſtinianus* blandis primum ſuaſionibus uſus, minas deinde etiam adjeciſſet: *Et quid* inquit Agapetus *imperator fraudene igitur Romanum pontificem aggrederis? Evocaſti quaſi ad Juſtinianum. Nunc autem (ut videre videor) ad Diocletianum trajeci hoccine decuit? Haud ita ſe cum Romanis pontificibus habuit Juſtinus avunculus princeps chriſtianiſſimus & acerrimus hæreticorum vindex.* Motus eo verbo *Juſtinianus* atque non minus delectatus, quam admiratus pontificis libertatem atque conſtantiam: *Quoniam* inquit *tu in meam ſententiam tranſire non vis, ego in tuam tranſeam neceſſe eſt, ne chriſti fidem duas in partes proſcindamus:* Itaque catholicam deinde confeſſionem fideliſſime recepit. Hoc ideo præcipue memoratum velim, ut exemplo confirmem quod ſecundo libro docuimus: imperatores fere omnes unde plurima ſunt mala conſecuta aliqua hæreſi contaminatos extitiſſe. Ejus pontificis hortatu bellum hoc *Gotthicum* ſuſcepit atrox fuit & diuturnum, & ſicut juſta cauſa bello prætendi, ita non minori cum juſtitia defendi videbatur. *Juſtinianus* quidem præ ſe ferre quod ad inertes homines avaros, rapaces, hæreticos Regnum *Italiæ*, ubi legitima ſedes eſſet imperii, perveniſſet. *Gotthi* quod regno paterno & avito juſtis armis quæſito, poſſeſſo annis ſupra quinquaginta propelli
B ac deturbari, nefas & contra jus gentium arbitrabantur. Bellatum obſtinatiſſimis animis vario eventu annis duo de viginti. Dum *Gotthus Romanum Romanus Gotthum* alternis vicibus variante (ut ſolet) fortuna ſuperare contendit. Neque eſt conſilii ſingulas hujus belli referre calamitates, ſatis fuerit ſummatim eas colligere, ex quibus *Italiæ* labores quam magni fuerint, planius apparebit. Primum tranſmiſere a *Juſtiniano* copiarum duces plus. XL. claſſes duodecim cum ſupplementis. Urbs *Roma* amiſſa, & a *Belliſario Juſtiniani* duce bis tum recepta, tum amiſſa, a *Vitigite Gotthorum* rege cum centum quinquaginta millibus annum integrum crudeliſſimam obſidionem fa-
C memque paſſa, ut ne infantibus quidem pepercerint matres, nedum ſordidis, aut horrendis viſu, audituque cibis abſtinuerint. A *Totila* deinde Rege tres longiſſimas & atrociſſimas obſidiones perpeſſa. In cives omnes ſexumque & ætatem ferro ſævitum, mænia disjecta, Palatia, Thermæ, Theatra, aliaque admirandi operis ædificia, aut exciſſa, aut magna ex parte labefactata. Senatus ipſe tum a *Vitigite*, tum a *Totila* aut laceratus aut necatus. *Roma* quod omnem pene fidem excedit ſine colono tam mare, quam fœmina relicta. Nobilium fortuna tetrior, qui aut in hoſtili urbis ingreſſu, aut quia *Gotthi* Reges obſides ſe-
D cum ducerent, re male geſta necabantur. Similes clades eadem tempeſtate conſumpſere alias pleraſque *Italiæ* urbes oppidaque. Siquidem *Mediolanum* a *Burgundionibus* obſeſſum & indigna omnia paſſum, poſtremo dirutum, ac ſolo æquatum, cæſis triginta civium millibus, *Papia*, *Placentia*, *Brixillum*, *Ravenna*, *Ariminum*, *Peruſia*, *Neapolis* ter quaterve aut captæ, aut crudeliter obſeſſæ. Omnis *Gallia Ciſalpina* vaſtata, *Venetia* afflictata, *Flaminia*, *Ethruria*, *Peligni*, *Umbri*, *Calabri*, omniſque ambitus *Hydrunti* protritus, & proculcatus, nunc vincentibus *Romanis*, nunc *Gotthis*. Itemque nunc obſeſſis pulſiſve ex urbibus, quas tenebant *Gotthis*, nunc *Romanis*. Fa-
E mes præterea tres inſignes, totidemque peſtilentiæ per eos annos *Italiam* depopulatæ. Ille malorum cumulus, quod recepta *Ravenna* a *Belliſario* & *Vitigite Gotthorum* Rege *Conſtantinopolim* ad *Juſtinianum* in triumphum delato, ventum eſt ad alios duces imperatorios avaros & rapaces, qui cum ſtipendia militibus non penderent, ſed ſibi retinerent oppidanos ſpoliabant. Improba nimium miſerorum civium fortuna. Siquidem cives & oppidani extra mænia ab hoſtibus, intus diripiebantur a militibus, quum duces qui munitas tenerent arces, pro ſervis ducerent oppidanos. Non igitur deerant quotidie, creſcentibus *Italiæ* malis qui ad hæc loca, quaſi in portum confu-
F gerent. Dum inter urbium expugnationes vaſtationes, agrorum direptiones, mulierum violationes, puerorum virginumque raptus, & præterea ſeditiones ſuſpicioneſque, peſſimum, quia ſine reme-

medio malum, non viderent quonam pacto ea mala fugerent commodius, quam ut sese ad hæc loca receptarent. Cæterum in his erant præcipue qui pecunia pollerent, quibusque esset usus ejus tractandæ. Siquidem navigationes alibi per omnem fere *Italiæ* oram desierant, quum omnia bellis arderent, classesque hinc imperatoriæ, hinc *Gotthicæ* suspecta omnia facerent. Tunc autem fortuna, quæ cum in omni re, tum vero in mercatura plurimum dominatur, parvo impendio, tum inopem tum divitem facere. Cæterum *Veneti* classibus protecti imperatoriis, adversos maxima ex parte casus evitare, piratas autem non metuere, freti multitudine & agilitate navium. Fiebat inde ex mercatura, quod commodissimum esset multitudini, non continendæ solum in his sedibus, sed etiam augendæ, ut quotidie nobiliores ditioresque viri ad minores sustentandos ordine accederent. Quum natura ita sit comparatum, ut alteri sine alteris agere vitam commode haud possint. Octavus belli hujus agebatur annus, quum *Veneti* hac tempestate eo usque increverant, ut apud accolas siquid dissensionis oriretur, haud parum haberetur momenti, utras partes sequerentur: hoc in bello imperatoria signa semper secuti sunt. Prima illis fuit cum *Bellisario* imperatorio duce apud *Ravennam* expeditio, quæ post diuturnam obsidionem in deditionem una cum *Vitigite* rege est recepta. Nam quum *Vitigis* a *Bellisario* omnibus pene *Italiæ* terris exclusus, *Ravennam* sese recepisset, cum delecto *Gotthorum* principum militumque robore, expugnationem autem *Bellisarius* desperaret præpotentis & munitissimæ urbis, fame extremo obsessarum urbium malo ad deditionem compellere adortus est. Terra quidem importari nihil poterat, quum hostis *Bellisarius* circum omnia militibus teneret. Mare vero infestum reddiderant Imperatoriæ classes, ut nihil nisi furtim inferri posset. Et longe minus quam tanto alendo populo sufficeret. *Ariminum* præterea & *Ancon* proxime a dextra urbes, partium erant *Bellisarii*, ad eam arcendam invectionem appprime accommodæ. A læva *Padus* restabat, & *Veneti*. Tenebant vero tum *Veneti*, ut supradictum est paludes omnes ab *Aquileja* ad usque *Padusæ* stagnum *Ravennæ* propinquum. Et ab ea parte diligenti custodia servabatur. Ostium erat reliquum *Ravennæ* proximum nunc primarium appellatum, olim *Spineticum* ab urbe *Spina* juxta posita atque (ut *Plinio* placet) a *Diomede* condita, cujus etiam vestigia nunc visuntur. Illud erat in hostium potestate, atque inde *Transpadanæ Gotthorum* urbes frumentum & omnis generis commeatus secundo flumine obsessis subministrabant. Ad eam invectionem prohibendam excogitat in primis *Bellisarius* firmare milite fluminis ripas. Evocat deinde a *Venetis* naves aliquot ad id quod meditabatur aptas tam mari, quam fluminibus, quibus per assiduam maris & fluviorum consuetudinem abundare eos intelligebat, agiles & actuarias, alveis neque planis omnino, neque omnino obesis, ut undam fluctumque faucis, quem maritima aura ciet, in arenæ cumulos incursans facile omni cum æstu superare possint. Facit enim natura, ut in quo quisque maxime se se exerceat, in eo quoque excellat. Tabulatis deinde circunquaque obsepiri ac muniri jubet ad missilium ictus, iis mandat, ut pars adverso sursum flumine feratur ad descensum hostilium navium perturbandum impediendumque, alii vero observent fluminis ostium, ne quid inferri a mari liceat. *Vitigis* Rex & oppidani, mox ut instructæ naves apparuere ad fluminis ostium, desperatam pene rem *Gotthicam* existimant, nisi alio remedio restituatur, admonent *Gotthos*,

A qui apud *Ticinum* agebant, quo in statu sit *Ravenna Vitigisque*. Extemplo ipsi quoque cognito periculo adoriuntur per extrema omnia & obstantia transitum perrumpere. Itaque non jam singulis navibus vehi permittunt cibaria, sed confecta navigiorum fluvialium quam maxima possunt classe, aliquas præcedere jubent bellico apparatu instructas, alias classem subsequi. Onerarias in medium collocant. Sic apparebat tutam commeatuum delationem fore. Sed nimirum in bellis vel fortuna quod ajunt vel quod verius est deus fortunam agens dominatur, ut a *Ticino* solverunt flumine satis alto, & alveo pleniori,
B priusquam ad locum ad quem tendebant appellant, in sicco omnes destituuntur, quasi aqua omnis in mare subterfugisset. Tum vero hinc *Venetæ* naves optime ad hujusmodi occasiones instructæ, hinc *Bellisarii* milites ex ripa missilibus & tormentis hostilem classem invadunt. Turbati inexpectata re *Gotthi*, substitere suspensi primum quid agant, & cogitare si quo modo se se explicent, & vada præterlabantur non remis tantum, sed contis etiam. Quum irritus cederet omnis conatus exonerare naves aggrediuntur, & cum bellicis levioribusque onera partiri. Cæterum tum magis magisque *Venetus* instare, neque alterius
C agendi negotium spacium hosti dare, quam ut corpora a missilibus protegerent, quæ grandinis in morem decidebant. Milites quoque *Bellisarii Venetis* navibus insilientes acrius *Gotthos* premere. Itaque nec a fronte nec a latere ulla dabatur quies. Postea vero quam *Bellisarii* jussu nonnullæ ex *Venetis* naves agiliores adverso flumine sursum delatæ, militibus onustæ in terga hostium conversæ, invasere insiliereque in eorum naves: non sustinuere *Gotthi*, sed cæsis aliquot & quam plurimis vulneratis, se se cum navibus omnibus & oneribus *Bellisario* dedidere. Præda omnis tum terrestri, tum navali militi concessa. Ea
D maxime res *Vitigitem* & qui cum eo erant obsessi principum *Gotthorum* fregit animos, inque eam adduxit rerum desperationem, ut *Francorum* & *Burgundionum* legatos accerserent, qui tum *Liguriam* tenebant. Hi venientes magna auxilia, si *Gotthi* eos in regni *Italiæ* societatem admittant, pollicentur. *Gotthi* in ambiguo versari, quas deligerent partes. Hæc quidem colloquia dum feruntur, *Bellisarius* ut erat callido ingenio, non minus quam forti, perquam benignas obtulit *Gotthis* pacis conditiones, ut elusi frustratique omni spe *Franci Burgundionesque* domum redierint. Neque longo post interjecto tempore potitus *Ravenna*
E *Bellisarius* est, atque inde *Constantinopolim* cum captivo *Vitigite* profectus. Sed illud omitti non debet quod scribit hoc loco *Blondus*, *Venetos* imperio subditos tum fuisse, his verbis. *Inde Veneti imperio subditi, Gotthis adversabantur*: verbo (ut mihi quidem videtur) usus, non (ut solet) diligentius expenso, præsertim quum neque ibi, neque alio historiæ suæ loco habeat, quemadmodum subdiderit eos imperator. Neque enim negamus semper *Venetos* imperio detulisse honorem cultumque, quem solent ac debent minoris fortunæ populi potentioribus deferre, licet propriis vivant legibus, & subditi non sint. Sed aliud
F est honorem deferre superiori, aliud parere. Non paruisse autem *Venetos* imperio ex ea epistola quam *Cassiodorus* nomine imperatoris *Venetis* scripsit perspicere apparet, cum ea licentiosior quidem sit, ut fert consuetudo superioris ad inferiorem, sed tamen suadentis non imperantis, nam qui subdito imperat, paucis agit, ut cum eo qui parere debeat, non rationem poscere, qui vero suadet, opus est agat pluribus, ut admittatur ratione, quod fortasse respueretur voluntate. Hac ergo

ergo *Cassiodori* epistola cum Imperator agat cum *Venetis* sicut cum liberis, non video quomodo recte asserere quis valeat eos Imperatori subditos extitisse. Quin Blondus ipse *secundo historiæ libro*: nihil ultra juris in *Venetos* asserit habuisse Imperatorem quam honoris & reverentiæ. Sed de hoc infra fortasse & planius & uberius. Et hæc etiam hoc loco præterissem, nisi in *Cassiodori* incidissem epistolam, quæ cum attulisset hujus refellendæ opinionis occasionem, nobis visa est non prætermittenda. Ea *Ravennæ* deditio longe celebrius fecit *Venetorum* nomen. Nam & multis honoribus, ut par erat, benemeritos de republica socios in partem laborum *Bellisarius* affecit. Et qui exiguis adhuc opibus ad eam fuissent diem, eorum latius diffundi cœpit virtus & nomen. Bellum deinde *Justinianus* per alios gessit duces. Sed cum ut supradiximus ad vastandam diripiendamque potius *Italiam*, quam liberandam transmitti viderentur, *Totilæ* Regis maximum præclarissimumque fecere nomen. Rem ille *Gotthicam* in pristinum decus erexit. *Roma* ter capta & plerisque magnis urbibus in ditionem receptis, ut nulla jam pene signa imperii per *Italiam* conspicerentur. Tamen quum videret tot per annos urgeri bello pertinacissimo *Gotthicam* gentem, decrevit pacem a *Justiniano* petere per legatos, neque admodum fortasse iniquis conditionibus, nisi quod Imperator magnæ virtutis animique indignum est arbitratus a Barbaro conditiones pacis ferri. Ea spreta legatione, longe majoribus quam antea viribus, iterum aggredi *Italiam* statuit. *Narsetem* Eunuchum eo bello administrando ducem, ut diximus, declarat, cui tanti belli finis & gloria debebatur. Fuit autem *Totila* Rex, cum belli artibus & militari disciplina instructissimus, tum vero diligentia in obeundis rebus admiranda. Ingenio vero in quamcumque seu mansuetudinis seu crudelitatis partem animi impetus raperet, facili nimium ac proclivi. Multas edidit in eo bello crudelitates, quas initio libri perstrinximus, nonnulla quoque signa clementiæ. Illud non videtur prætereundum. Nam cum urbem *Romam* semel captam & amissam, iterum per proditionem noctu ingressus recepisset, *Paulus* quidam e *Cilicia* præfectus equitum urbi præsidio relictus excitus nocturnis *Totilanorum* militum per urbem discurrentium clamoribus in *Adriani molem* quam nunc *Castrum sancti Angeli* nuncupant, sese cum quadringentis selectis equitibus recepit. Defuit illi tempus ob repentinum improvisumque hostium in urbem ingressum ad muniendam arcem cibariis. Advolat ad arcem *Totila* & occupatam reperit. Oppugnare illam instituit. *Paulus* eruptione in hostem facta consertoque prælio non sine multa cæde *Gotthorum* ultra pontem propellit. Idque aliquotiens factum. Neque circumvenire eum *Totilas* propter pontis angustias majoribus copiis, neque prælium ante arcem, aut in ponte committere sine magna suorum cæde poterat. Cum autem videret majori suorum damno eruptiones fieri & per transfugam cognovisset hostem diutius propter ciborum indigentiam obsidionem ferre non posse. Ne mihi inquit ipse parum prudens videor, qui desperatis hominibus, ut meorum quisque fortissimus est, objiciam, firmate milites stationes citra pontis exitum, atque eas diligenter observate, tum sinite ut pro libidine hostis latius in spatium se se effundat. Aut ego vobis illos omnes interfectos, sine ullius vestrum vulnere dabo, aut ante tertiam lucem sponte ipsi sese in manus nostras injicient. Cum dimoveri longius hostem, *Paulus* perspexisset, *Totilæ* consilium facile intellexit. Inde colloquia haberi cœpta. *Totilas* ut arcem sibi redderent

A postulat, illi vero, ut incolumes cum suis omnibus abire liceat. At vero *Totilas* conditiones abeundi ad ejus arbitrium relinqui velle. Cum igitur convenire non possent, convocatis *Paulus* ad concionem militibus, *Videtis* inquit *Commilitones rem ad extremum redactam, obsidet nos crudelissimus hostis, & fugæ spem omnem validis undique præsidiis ademit, Arce non contenti sanguinem nostrum sitiunt. Nec virtute licet uti, nec eorum gladios evadere, longinqua expectare auxilia ciborum inopia non sinit, aut fame igitur pereundum, aut gladio. Deditionem ad hostis arbitrium, quod tertium videtur morte pejorem duco. Mori per virtutem*
B *præstat quam per ludibrium, & cruciatum, ille diuturnum ciet dolorem, mors puncto effugit. Magnus autem dolor viro forti esse non potest, qui brevis est. Esto nobis unus doloris finis & vitæ. Illud restat armatis optandum, quod nobis eripi non potest, ut occasum nostrum vindicta præcedat. Hæc nos cogitatio consoletur pro fide, pro justitia, pro Justiniani gloria oppetimus. Gratissimum ipsi deo fuerit hoc sanguinis nostri sacrum. Itaque si virilis vobis non muliebris est animus ultro morti injuriam per illius contemptum inferamus, priusquam illa nobis per dedecus, & cruciatum. Hoc meum consilium est, ubi rariores laxioresque pateant hostium custodiæ post primam vigi-*
C *liam, qua maxime hora somno vinoque obruti jacent, deque nobis nil tale metuunt cuneo facto, strictisque gladiis frangere illas & in tutum evadere. Quid si forte quispiam Deus virtuti nostræ adsit? Si hoc negatur quanta maxima fieri potest eorum cæde strageque cadamus. Non illi minus virtutem admirentur nostram, quam doleant sanguine suo respersos cecidisse, cruciatus & ludibria de nobis lædere quos volebant non potuisse.* Laudavere omnes sui ducis consilium seque invicem complexi morti devovere. Non fuit hoc *Totilæ* secretum, sed eo intellecto quum videret sibi cum desperatis rem futuram fierique non posse quin de suis multi & præcipue
D præstantiores hostili manu caderent, mutare & ipse consilium instituit. Itaque pronunciari jubet ante arcis Januam, ut quicunque abire inde velit, atque arcem relinquere, *Totilam* potestatem facere, dum arma equumque linquant. Sin malint apud eum merere pari loco & stipendio, & honore cum suis habiturum. Accepere multi permanendi conditionem. *Paulum* aliosque nonnullos, qui abire maluerint pecunia, & commeatu ad transmittendum liberalissime juvit. Potitus urbe *Totila* longe se mitiorem placabilioremque quam antea fecerat exhibuit, tum quibusdam quæ desolaverat ædificiis restituendis, tum
E revocanda plebe quæ sparsa per *Campaniam* vagabatur. Difficilior tum fuit revocatio quam ante dispersio. Cum hoc *Totila* Rege fuit *Justiniano Narsete* duce bellum gerendum. Pauca quæ restant ejus belli insignia monumenta breviter transigemus. *Narses* Eunuchus sicut ego accipio primus ex his qui vetustatis oblivionem superarunt, magnum ut in ea fortuna dedit *Venetis* rebus nomen, carus erat *Justiniano* præter alios cum virtute, tum fide. Multa per eum bella fæliciter gessit. Opes autem imperii omnes fere unus administrabat. Quum igitur *Justinianus* ætate jam gravis videret annum belli agi duode-
F cimum, ut quotidianis jam curis defatigatus, aut redintegrandum majoribus, quam antea viribus, aut omnino cum suo & imperii dedecore deponendum videret, potestatem *Narseti* facit, ut quantis videretur viribus & apparatu ipse in *Italiam* primo quoque tempore dux belli proficiscatur. Tantum imponat felicem bello finem. Erat illi amicitia multis cum regibus & populis propter virtutis famam, facile ab iis (præter *Romani* imperii opes) quæcunque voluit auxilia im-

impetravit inter quos ab *Alboino* Rege veteri amico *Langobardorum* equitum duodecim millia succinctus itaque maximis bellicosarum gentium copiis *Langobardorum*, *Gepidarum*, *Hunnorum*, *Herulorum*, *Persarum*, *Arabum*que, præter *Græcos* & *Macedonas* & *Thracas* & *Mæsios* & *Dacos*. Ut primum tempus educendi fuit, ex *Illyrico* movens, *Dalmatiam* & *Tergestini* sinus oram circumflectens. *Sontio* tandem amne superato, apud *Aquilejæ* dirutæ reliquias consedit. Prius autem quam in *Italiam* perveniret, accidit apud *Anconem* quasi navale præludium, felix præsagium suscepti belli, in quo *Veneti* iterum virtutis nauticæ præclarum specimen edidere. Nam dum urbs *Ancon* oppugnatur acriter a *Gotthis* terra marique, *Valerianus Ravennæ* præfectus accersitis tum ex *Dalmatis*, tum ex *Venetis*, quæcunque potuit auxiliis navibus quadraginta majoribus optime instructis, *Anconem* versus tendit iter obsessis opem laturus. *Gotthorum* duces & ipsi progressi in altum navibus septem & quadraginta, hortati utrinque suos signo dato infestis proris concurrunt, & aliquamdiu incerto marte pugnatum est, sed procedente prælio, facile melior *Romanis* apparuit. Quamvis enim & numero hostis superaret, & virtute bellatorum non cederet, imperiti tamen rei nauticæ sese invicem nunc puppibus, nunc proris conturbare, turbati vero immobiles hærere, ut neque expedire sese, neque in hostem ferri possent. Si quæ vero, ut suorum incursionem vitarent, forte declinarent in partem, circumveniri facile ab hoste, & impressione facta perfringi, atque expugnari. At *Græcos* sociosque disciplina rei nauticæ reddere alacres, ac fidentes, non invicem confundi, sed quasi pedestri acie depugnare, ordinem servare docti. Et vel adversis frontibus conserere vel circumagi celerius, sicubi socii laborarent. Itaque cum aliquamdiu pugnatum esset, profligata tandem *Totilæ* classis est, submersæ naves aliquot cum ipsis pugnatoribus: cæteræ ab *Romanis* captæ. Decem incolumes fuga lapsæ propinquum littus tenuere. Hujus victoriæ fama *Justiniani* partes per omnem *Italiam* mirifice erexit, debilitavit *Gotthorum*, acceptum omen in totius eventum belli. Igitur eo felici accepto nuncio *Narses* ab *Aquileja* bifariam ducere instituit. Partem per Campestrem *Venetiæ* ire jubet, & maturare iter, ne hostis eos *Athesis*, *Padi*que transitu prohibeat, hi *Langobardi* duodecim millia fuere. Reliquas copias circumire paludes, & *Ravennam* versus iter agere. Sed quoniam septem præalta flumina omnia navibus transmittenda celeritatem impediebant, ad eam tollendam difficultatem, *Venetorum* naves maxime contulerunt, funibus enim alligatæ tabulisque constratæ præbuere & tutum & celerem trajectum. Eum in modum fossa quoque *Philistina Clodia*que, tum etiam *Brondulum* & *Carbonaria*, *Fornaces* nunc appellata, *Capresia*que *Padi* ostium, quæ *Magnavacca* nunc dicitur facile superata sunt. Ipse ut loca cognosceret per æstuaria navicula delatus, & insulas illas visens, apud *Rivaltum* descendit. Maxime est delectatus tum loci novitate tum studiis incolarum. Laudavit liberalibus verbis auxilia eo in bello imperatoriis rebus collata, præcipue in his duobus postremis apud *Ravennam* & *Anconem*. Venere ad *Narsetem* oratores frequentes ejus oræ populorum imperata facturi. In his *Patavini*, qui posteaquam cætera ad declarandam fidem executi, questi sunt multis verbis, æstuaria atque littora *Patavio* objecta, per injuriam sibi a *Venetis* ablata, suos majores illa quondam possedisse, portu *Meduaco* semper usos fuisse, tum cum longe lateque pollerent, & opum ma-

A gnitudine & multitudine negotiorum, nunc omnia per injuriam a *Venetis* erepta, quid apud imperium deliquerint ignorare, semper inquiunt in cultu habitum est a nobis *Narses Romanum* nomen. Missa aliquando auxilio eorum bellis (quod ex nostris monumentis extat) plus centum millia militum. Ob quæ merita majores donati civitate & suffragandi jure. Nunc (si Deo placet) erepta nobis omnis navigatio est, spoliamur portu littoribusque nostris & stagnis ab ipso pene orbis initio possessis. Quin arcent etiam ab eorum ingressu, muniunt ostia fluminum vallis, ut neque ingredi, neque egredi, nisi
B ad eorum libidinem liceat. Afficiunt nos isti longe majori clade, quam *Gotthus* unquam, aut *Hunnus*, illi afflixere paucos per annos, hi vero in æternum si liceat, questi olim apud *Odoacrem* & *Theodoricum*, nihil retulimus præter verba. Nec mirum: Quid enim sperare decuit amicos *Romani* nominis ab illius inimicis? Nunc vero confugimus ad te *Narses* maxima spe. Proficisceris ad bellum, cujus causa, si parvis magna licet conferre, ejusdem generis cum nostra est. Ereptam a *Gotthis Italiam* Imperator per te repetit. Repetimus nos per te stagna nobis a *Venetis* erepta.
C Quod igitur edere potes evidentius cunctis mortalibus justissimi propositi tui testimonium pellendi *Gotthos* malæfidei possessores *Italia*, quam si hæc loca per injuriam a *Venetis* erepta restitui compellas antiquissimis fidelissimisque sociis? Hæc & pleraque alia cum *Patavinus* esset questus, tum *Nicolaus Rivalti* tribunus. *Si Patavini meminisse vellent quæ patribus nostris communiter acciderunt quæque ipsi maluere, quum tempus optandi fuit, neque nobis essent nunc molesti, neque tibi Narses, quanquam, ut videtur, nunquam hujusmodi querimoniæ desistent, qui, ut ipsi fatentur, sæpius questi sunt, semper rejecti. Ex*
D *quo potes cognoscere qua injuria nunc de nobis queruntur, sed agemus cum his mitius, nec acrius insectabimur, ut ipsi nos, quippe qui ut & vicinos & consanguineos & fatres decet, nos cum ipsis gerere instituimus. Credo ego te Narses, dum iter hac facis audivisse, ut Athila rex Hunnorum centum ab hinc annis, omnes circum urbes exciderit, magna pars confugerit ad objecta urbibus loca. Idem fecere fratres nostri, concessere huc. Ea vero tempestate istorum, qui nunc loquuntur patres, diversas per orbis partes, ut cuique libuit emigravere præsertim quibus pecuniæ adessent ad peregrinationem. Pars ad instaurandas ruinas, ubi vitam degerent reversi*
E *sunt. Quid profecerint, illud est testimonio: mansere sine ullo munimento sexaginta per annos, quod nisi Theodoricus Gotthorum Rex quem vere conditorem suum possunt appellare, licet nunc Gotthorum nomen infestum sibi fingunt vallo & fossa permunisset hodiene isti quidem qui loquuntur Patavium suum incolerent: Nunc Theodorici beneficio venere. Sed obsecro fratres (fratres enim sumus ex iisdem prognati majoribus) cur non quum Theodoricus urbem vestram instaurabat æstuaria ista nobis abstulit, vobis concessit? Puduit vestros majores verbum facere ne dum postulare, quum meminissent patres suos alias sibi sedes delegisse, nostros ex convento remansisse,*
F *Paludem stravisse, sedes hic posuisse. Hæc autem loca quia summi Dei clementia coaluerunt in hanc quam cernis frequentiam, omnibus innocuam, nobis laboriosam, invitus dico, vix perpeti possunt. Implent questibus omnia, quasi nos urbem eorum exciderimus societatem dedignati nostram, quum habitare nobiscum amice provocarentur, & seorsum mallent, nunc demum queruntur, nostra inquiunt occupatis. Enimvero cur vestra dicatis, quæ & deseruistis, & nobis incolenda reliquistis, non video, nempe ab initio gentes, quæ loca inveniebant vacua colo-*

nis possessoribusque, ea capiebant incolebantque optimo gentium & naturæ jure. Sic a nobis factum. Deseruistis ea, nobisque permisistis, deserta cepimus & a vobis relicta. Quæ igitur a nobis injuria, placuit ex vobis pluribus deligere sedes alias, aliquibus ad illas ruinas redire. Accessistis nos ponere hic sedes maluimus. Consedimus hic. In diversum itum ab utrisque cur nunc mutato consilio in nostra vultis irrumpere, nos de vestris turbamus quicquam? Nisi forte æquum censetis in illis ruinis & lapidibus imperium restitisse. Et quod Patavio juris quondam fuit in his paludibus, eo deleto etiam integrum permansisse. Quis dicat hoc? ut excissa civitate, deletis magistratibus, extincto in ea urbe divino omni & humano jure, perstiterit tamen in solo illo ruinis obruto, publici quicquam dominii, aut jurisdictionis? Sed ubi nam jus fasque? Imperium & jurisdictio, nisi in cætu conventuque hominum jura inter se pactaque & leges statuentium: Si in solo hoc illove esset jurisdictio, sane ab æterno duceretur, nec mutaretur unquam. Siquidem solum immobile ac sempiternum, nunc fortunæ subjecta omnia sunt, mutantur indies imperia ac transferuntur. Ludit hunc ludum fortuna, cui parere necesse est. Cæterum vide Narses hominum injuriam. Majores vestri o Patavini ex Asia pelago huc delati, Euganeam gentem, quæ omnem hanc regionem ad alpes usque obtinebat, Duce Anthenore bello petiere, per vim ejectos expulere. Si exsurgat nunc Euganeus quispiam & proprias sedes repetat, quid acturi estis? Quod si æquum censetis, veteres colonos per vim atque arma deturbare, quis tandem nunc vobis de consanguineis querendi relictus locus? Quin etiam queruntur, quod in urbes atque adeo in domos nostras pro libidine ingredi armatis non liceat. Quid enim aliud dicunt quum lamentantur horum stagnorum ostia custodibus muniri: Cæterum libenter ex vobis quæsierim, cur urbe aperta uti nunc non perseveratis? Cur vallo his exactis annis circumdedistis? Nonne in portis vestris custodiæ versantur? Si Veneti armati in vos veniant, quid agant illæ? Jus est, ut quod quisque in se nolit, id in alio ne petat. Portæ nostræ ora fluminum sunt quas si pacati petitis, haud aliter semper excipiemini, quam consanguineos par est. Sin armati, quod sæpe fecistis facitisque, Jus gentium tuebimur. Invasores non aliter, quam apertos hostes repellemus. Cæterum majus quiddam Narses videto. Questi ne estis unquam de hac injuria apud ullos? si nunquam, videte quo pacto vos explicetis, qui dixistis sæpe questos. Si questi, aut apud Gotthos & Herulos, aut apud Imperatorem. Si apud illos spretus igitur Imperator, & antelatus Gotthus, quod si est, cur nunc appellatis Romanum imperium: Si apud Imperatorem, quod sæpe fecistis, exauditine estis, an vero repulsi, exauditos non dicetis. Centum & plures etiam epistolas habemus Zenonis, Leonis, Justini, Justiniani, testes fidei & observantiæ nostræ erga imperatoriam majestatem. Itemque eorum erga nos clementiæ & munificentiæ. Restat ut repulsi, & adhuc libet contendere? Nunquam ne desinent importunæ hujusmodi, atque totiens explosæ querimoniæ? Obtundere ne etiam venistis aures principis hujus plenas tantarum rerum curis? Quin potius accingimur uterque populus conferre, quicquid in nobis est auxilii, ad hoc maximum ejus opus. Illiberale est, si me auditis, & nimium de re propria cogitantis, turbare tantis rerum fluctibus publicas principis curas. Extulerunt præterea Narses merita majorum. Rursus honores delatos ab imperio. Tantum abest, ut merita inficier vestra, ut in his etiam maxime Veneti gloriemur. An nostrum plurimi ex illis etiam Patavinis patribus oriundi non sumus: Cæterum quod ad præsentem rem attinet (ni fallor) præstitisset commemorare aliquid a vobis proprie factum, quam superiorum illorum, quorum memoria omnis pene extincta est, solis meritis inniti: Scio dicetis defuisse vires. Et si quid in hoc bello pro Gotthis fecistis, invitos fecisse credo equidem. Sed ita dictum velim, ne merita vestra extollendo, videamini ulla in re Venetis præstitisse. Tu vero Narses, siquid de nobis expertus es? ne eo metiare animum nostrum. Exiguum illud fuit. Longe ardentior est, semperque erit erga imperii gloriam, proficisceris tu quidem ad hoc bellum, dux magnarum rerum. Experieris ut speramus fidelissimos constantissimosque socios aliquando aliqua in re magna, nunquam satisfacturos, aut imperatoriæ majestati, aut gloriæ tuæ, aut nobis ipsis, nisi fidem nostram, & animi magnitudinem, non verbis solum, aut opibus, sed corporibus propriis, & sanguine etiam ipso contestemur. Postquam Tribunus finem dicendi fecit, respondit *Narses*: Dignam sibi rem videri, quæ etiam atque etiam diligentius perpendatur. Sibi esse proficiscendum, tempore causæ cognitionem indigere. Interim hortatus est utrunque populum ad pacem concordiamque, *Patavinos* vero, ut patriam instaurent, & vincant *Venetos* studio & diligentia apud imperium. Prius autem quam discederet, duas Ædes hac in insula vovit, si fieret voti compos. *Totila* Rex cognito jam antea *Narsetis* adventu, in universum ea quæ ad tanti belli molem necessaria videbantur, impigre moliri. Maxima tamen illa angebatur cura, quod intellexerat *Langobardos* iter facere per *Cisalpinam*. Eo consilio ut interjectas civitates tentarent, *Taurisium*, *Patavium*, *Vincentiam*, *Veronam*. Si id non succedat, *Padum* quamprimum transmittant. Præstantius autem indicabat iis occurrere, & priusquam cæteris copiis *Narsetis* adjungerentur experiri, belli fortunam. *Thejam* primarium belli ducem transmittit ad eos distinendos simulque continendas in fide civitates. Cæterum multa (ut est bellorum incertus eventus) huic consilio obstitere. Nam & ob pecuniæ inopiam aliquot *Gotthorum* duces ex hibernis educere non potuit, & sociæ civitates, posteaquam *Narsetem* in *Italia* pedem posuisse acceperunt, imperata negligentius faciebant. *Franci* quoque *Liguribus* finitimi, cum quibus illi erat fœdus, verbis magis quam re auxilia parare. Continuit quidem *Thejas* civitates in officio, præcludere vero *Langobardis* transitum haud potuit ob militum paucitatem. Itaque longe celerius *Totilæ* opinione *Langobardi* iter conficiunt. Siquidem flumina interjecta paludesque, quæ eos moraturæ videbantur, exsiccatis per æstivum sidus ubique fossis, facilem transitum præbuerunt, transmisso *Pado*, pontene an ratibus incertum, ad *Brixillum* castra muniunt. Erat autem *Brixillum* ea tempestate cuivis *Cispadanarum* civitatum, excepta *Ravenna* pene par & magnitudine & civium frequentia. Secuti semper & *Romanorum* & Imperatoris partes. *Narses* interea per æstuaria cæteras ut dixi copias *Ravennam* transmittit. Atque animo jam præsumens *Totilæ* consilium, quingentos delecti roboris milites auxilio *Langobardis* continuo dimittit. *Totila* accepto *Langobardorum* transitu, quanquam spe celerius transmisissent, tamen in confligendi proposito constantius persistit, *Thejæ* ut advolet imperat, consiliumque patefacit. Erat procul dubio *Langobardus* equite melior, peditem circumfusa oppida præbebant. Pedite *Totila* præstabat, longe inferior erat equite. Inter hæc tamen discrimina, seu quod plus periculi in conjunctione copiarum hostilium videret, seu quod ferox ingenium & ad conserendum intemperantius eum rapiebat, seu potius, quod instaret jam & regni finis, & vitæ, quem nono futurum anno *Benedictus* Abbas ante prædixerat: Neque prætergredi jam fas esset:

esset: Perseveravit in consilio tentandi belli fortunam. Itaque convocatis ad concionem militibus, ut eorum animos confirmaret, in hæc verba orationem habuisse ferunt. *Nulla unquam mihi milites fortunæ facies tam sævam sese pertimescendamque dedit, ex quo regem creastis, ut quum ora, vultusque vestros intuear, non omnis abscedat, seu tristitiæ nebula, seu periculi metus. Tantum vestra virtus præstitit mihi semper animi fiduciæque. Non quum Justiniani duces apud Papiam multitudine copiarum freti superbe nimis atque insolenter ad pugnam provocarent. Sed plus dimidio numero inferiores clarissimam de superbo hoste victoriam retulistis. Sic postea quum Bellisarius iterum e Græcia reversus, maximis trajecisset copiis, & complevisset omnia terroribus nihil ob id deterriti, urbem Romam bis cepimus, & maxima Italiæ pars subacta. Omittamus alia innumera. Quo autem loco ponam citatissimum tabellario iter, ne dum armatis, cum a Perusio septem castris Hydruntum usque profectu gloriantem hostem, quasi vos urbe Roma, & omni Campania solutis obsidibus Romanis exclusisset, profligavistis, cæcidistis? Gotthorum generi semper fuit animus asperis in rebus major, quam in secundis. Neque his tamen victoriis elati, contempsimus unquam cum superbo hoste pacem. Nam & Theodatus & deinde Vitigis reges vestri semper pacem deprecati, semper spreti. Vetera illa, quid nos. Legatos nuper misimus (ut scitis) Constantinopolim, qui pacem & quidem, meliori nostra fortuna suppliciter peterent, pollicerentur Romam liberam permissuros, & quicquid est Italiæ ad fretum usque Siculum, Gotthis tantum fineret, patrum avorumque sedes justissimo bello partas. Pudet dicere quo pacto accepti sunt: quo pacto dimissi: ut ne digni quidem responso sint habiti. Quis hanc ferat superbiam? Pacem autem quam vobiscum velit Imperator, declarat hic quem videtis conatus. Eripiat vobis singulis vitam, si possit. Sed justitiæ non deerit arbiter deus. Una in re sane Justiniano gratiam debemus, qui cum muliere non cum viro, nobis rem esse deinceps voluit. Qui successorem Bellisario dederit hunc Eunuchum muliebria apprime edoctum officia, qui inter imbelles mortuorum imagines vitam agit non inter armatos, nec in castris. Cæterum si virtus vestra solitaque fortuna mea non nos deserit milites, turpius ego vobis hunc Narsetem quoad lacessendo viros venerit, exutum castris & virili veste Constantinopolim remittam ad suum Imperatorem, quam modo Bellisarium. Illum ita mansuefactum reddam, ut fallere deinceps neque naturam, neque homines audeat. Quod ad rem præsentem attinet, & ad hostem, qui in proximo sedet, eum si de medio tollimus, vicimus milites. Omnis suo Ducum hoc equite spes est, referat se necesse est ad Syros, & Arabes sine viribus, sine sanguine homines. Cur autem hunc equitem ego magis timeam. Quam aut Bellisarii, aut Johannis, aut denique eos omnes quos totiens pervicistis? Equitatus est quoque nobis, qui totam Italiam jam annos sexdecim victor pervadit: Neque enim in barbis ad genua promissis, virtus pendet, sed in gladiis & lacertis. Non arcus illis, aut sagittæ Gotthicis directiores. Illud mihi milites certam pollicetur victoriam, quia hostes rogati & pene inviti, quippe pro alieno imperio in aciem prodibunt. Vos paternam avitamque possessionem, in qua nati educatique estis tuemini. Siquid præterea divinæ justitiæ in terris reliqui est, bono animo esse debetis deturbatum veniunt antiquissimos colonos possessione sanguine majorum parta. Mea igitur est sententia milites, si in eandem vos videro unanimes consentire, crastina die hoc bellum vobis conficere, potiusquam expectemus, ut cæteræ Narsetis copiæ iis adjungantur, & difficile factu fiat, quod facile nunc est. Quod igitur summo mane si* A *placet, sum facturus, ut a me Rege, atque Duce vestro pugnæ signum accipiatis, nunc a vobis ego Rex vester signum sententiæ hujus sum accepturus.* Acclamavere omnes operam pollicentur dignam *Gotthico* nomine, superioribusque victoriis. Laudati a Rege & ut corpora curarent jussi. In sequenti luce castris ambo duces exercitus eduxere. Quo pacto instructi processerint, nostri negotii non est. Satis sit illud non silere. Fortunam licet infestam infensamque negare tamen *Totilæ* noluisse, eam militaris disciplinæ gloriam, quam plerisque magni nominis ducibus concessit: ut si quando adverso marte depugnaverunt. Fama tamen B vulgaverit nunquam prudentius quam eo die acies instruxisse & omne ducis officium fortius obiisse. Consertum prælium est animis infestissimis, *Totila* suos nunc hortari, nunc monere, ut pristini decoris, gentilisque gloriæ meminissent, non alienum agere negotium, ut illi, sed pro uxoribus & liberis dimicare, finem laborum si fortius nunc instent, advenisse. Nunquam autem fore amplius, si terga dent apud crudelissimum hostem, veniæ locum. Alia ex parte *Langobardus. Non pudet milites patres vestros ab glaciali oceano per omnes gentes victores pertransisse: Nunc vero eorum filios, si tamen filii estis pedestrem* C *aciem ex equis sustinere vix posse? Nisi forte equis ideo domo estis profecti, ut fugiatis hostem, non ut persequamini.* His & hujusmodi vocibus & instigabat alius alium, & pro se quisque eniti in conspectu ducum, præclarum aliquod facinus edere. Incerto aliquandiu marte pugnatum est. Sed cum signo dato aliquot oppidanorum cohortes ex *Brixilli* portis repente erupissent, & *Langobardus* eo auxilio magis accensus acrius impressionem ubique faceret, *Gotthus* diutius sustinere non valuit. Itaque fatiscente jam & aperta pluribus in locis *Gotthica* acie, quam restituere sæpius *Totila* nequicquam conatus est, desperatis jam rebus, D *Non ego* inquit *secundus Gotthorum rex & Theodorici magni successor, ab Eunucho duce Græcis mulieribus & pueris ludibrium Constantinopolim in triumphum deferar.* Hæc dicens: subditis equo calcaribus cum globo juvenum, ubi maxime conferta ex adverso stabat *Langobardorum* acies, sese immittit. Ibi post multorum stragem, in quos obvios delatus est, ut dignum fuit forti rege, & magnanimo duce, acerrime pugnans occumbit. Audita regis morte, omnes *Gotthorum* copiæ momento fere tum cæsæ, tum dissipatæ. Quotquot superfuerunt transmisso *Pado*, *Ticinum* confugiunt. Ibi *Thejas* omnium *Gotthorum* con- E sensu Rex declaratus. *Langobardi* a *Narsete* domum remissi, maximis affecti donis & honoribus. Cæterum majora illis præmia non multo post fortuna promiserat. Jamque bellum *Gotthicum* confectum apparebat, siquidem magna *Italiæ* pars eo anno a *Narsete* recepta. Cæterum *Thejas* suscepto regno, & distributis quascunque eruere potuit pecuniis, ingentes copias confecit. Evocavit *Burgundionum Francorum*que auxilia ex fœderibus: nec unquam ea gens majorem in *Italia* exercitum confecisse traditum est. Igitur insequenti anno *Narses Thejam* haud multo virtute & animi & corporis *Totila* inferiorem apud *Luceriam* in *Apulis* centum millibus equitum instru- F ctum, quum tribus diebus depugnatum esset magna strage superavit. Reliquum illi operis fuit *Burgundiones* & *Francos*, qui aliquot per annos *Cisalpinam Galliam* tenuerant, *Italia* depellere, quod illos cognoverat *Transpadanam Galliam* pervastare. *Amingo* & *Lotario*, & *Bucellino* ducibus totam *Venetiam Histriam* usque ea calamitas pervasit. Cum igitur *Narses* recipiendis urbibus intentus, quæ in hostium adhuc essent potestate cir-

B. Justinianus. E 2

circa *Samnium* & *Campaniam* arma circumferret, neque satis tutum existimaret aliquid a tergo relinquere non pacatum, unde novus aliquis motus excitaretur, *Dagisteum* maximum belli ducem in *Galliam* adversus eos tumultus cum delecto militum robore dimittit. Is *Dagisteus* eos insecutus, non repressit solum, sed prælio apud *Tanetum* commisso, ingenti cæde profligavit: Sunt qui scribant *Burgundionum Francorum*que aciem plus centum millibus constitisse. Per hunc maxime modum finis est impositus *Gotthico* bello, summa primum *Justiniani*, tum vero *Narsetis* gloria, & felicitate. Anno ejus belli duo dej vigesimo, secundo autem & septuagesimo posteaquam *Theodoricus* magnus *Italiam* ingressus est. Soluturus *Narses* Deo vota ex manubiis bello partis & *Romæ* & *Ravennæ* basilicas: voti quoque apud *Venetos* non immemor: duas in *Rivalto* construi curat: transmissionis suæ memoriam: Alteram *Theodoro* martyri, eo in loco ubi nunc est ædes Sancti *Marci*, quæ illam *Theodori* a *Narsete* conditam majori ambitu nunc includit, postea scilicet quam Beati Evangelistæ corpus *Venetias* est delatum, alteram vero *Mennæ* & *Geminiano*,

A ubi nunc fere medium est areæ Sancti *Marci*. Secabat tum aream *Euripus*. Hæc vero Ecclesia ultra rivum erat posita in adversa ripa e regione ædis Sancti *Marci*. Crescente autem ædificiis urbe, placuit campum jacentem ab illius Ecclesiæ tergo, qui *Broilum* vulgo appellabatur, adjungere areæ Sancti *Marci*. Atque ut eam continuarent rivum constraverunt, & Ecclesiam e medio sustulerunt. Transtuleruntque ad extremum totius areæ, Duce *Vitali Michaele* secundo in eum locum ubi sita nunc est. Jam vero *Rivaltus*, quæ primum pauloplus quam ripam citra canalem magnum obtinebat, ad B adventum *Narsetis*, ita increverat, ut usque ad Ædem, quæ nunc est Sancti *Marci*, frequentia ædificia continuarent. Occuparentque quicquid canalis circumflectens ab ponte *Rivalti*, usque ad Ædem sancti *Marci* ambit atque complectitur. Ibi enim habitari frequentius cæptum, tum ob propinquitatem portus, tum etiam ob mitiorem cæli plagam. Qui ea regio in meridiem versa, naves facile defendat ab Borea & Aquilone.

LIBER SEPTIMUS.

Expeditis quam brevissimo potuimus compendio annorum decem supra centum laboribus, quibus diversarum injuriis gentium & præcipue *Gotthorum Italia* est afflictata: Sequuntur *Langobardorum* tempora, quorum calamitates & si magnitudine fortasse pares, diuturnitate procul dubio superiores fuere, sensit præcipue *Venetia*. Nam etsi nunquam fere ea regio ab excursionibus vastationibusque conquievit, aliquæ tamen ex his urbibus, quas delevit *Athila* cœperant instaurari, neque in earum quasi stirpium germina hactenus est sævitum. Agri interdum vastati, urbibus temperatum. Nobiliores sane familiæ, quas *Gotthicæ* clades, quasi procellæ quædam in hos portus ejiciebant, cum primum aliqua cæli serenitas illucesceret, tum spes instaurandæ patriæ, tum memoria civilium actionum facile ad patrias quenque suas retrahebat. His vero temporibus in quæ ingredimur, ita iterum perditæ & excissæ sunt, ut non mirer fuisse, qui tradiderint ex *Langobardorum* maxime calamitatibus conditas fuisse *Venetias*. Ea ut opinor maxime ductos ratione, quod ea tempestate majorem in modum nobilioribus familiis sint refertæ, quum repetita urbium excidia, cives ad fugam compellerent, sine spe ad eas redeundi. Et qui ad has insulas sese conferrent certo permanendi proposito transmigrarent. Erunt autem deinceps incrementa rerum *Venetarum* aliquantisper lucidiora neque tantum aliena prosequi, quam nostra pari gradu exequi videbimur. Placet autem *Langobardorum* originem breviter quasi annotare. Hanc gentem ex ultima *Germania* oriundam inter omnes constat. Erupisse autem ex insula *Scandinavia*, subducta maxime ad glacialem polum, avulsa a continenti magno haud admodum intervallo. Ut Oceani æstus tum fluxu, tum refluxu, nunc insulam faciant, nunc redigant in continentem. Hujus insulæ populi, dum majorem in multitudinem excrevissent, quam ut ad eorum victum insula sufficeret, tesseram misere in partes tris, ut in quam sors caderet, ad novas quærendas sedes proficisceretur. Domo egressi *Ajone* & *Tatone* ducibus, armis sibi viam fecere. Finitimis quibusque aut bello edomitis, aut ada-

C ctis ad sedium communicationem, *Vinuli* prius dicti, deinde *Langobardos* sese appellavere, cujus de nominis causa multa feruntur. In eam tamen sententiam fere omnia a Barbarum longitudine sic appellatos, quas soli inter Germaniæ populos enutrirent. Decem sub regibus ad eam, de qua scribimus, ætatem fuere. Inter quos *Lamissio* secundus pœnas a *Bulgaris* ob necem *Agilmundi* Regis interfecti ingenti victoria repetivit. Atque ea tempestate tum primum *Bulgarorum* nomen auditum. Tenuere sub *Andoino Rugilandam* provinciam annos octo atque triginta, a quo deinde in *Pannoniam* sunt translati. Quas sedes, tum eo sub Rege, tum sub *Alboino* ejus filio incolue- D re, per annos duos & quadraginta. Fœdus & amicitiam cum imperio constanter servavere. Ab hoc *Alboino Narses* quum ad expeditionem *Italicam* duodecim equitum millia ejus gentis perquam liberaliter tradita accepisset, reversi in *Pannonias*. Summa cum gloria *Totilæ* Regis interfecti, sicuti primas sibi partes confecti tribuebant belli, qui Regem soli interfecissent: Ita (ut fit) famam hujus terræ inter populares summis laudibus extulere, illius pulchritudinem narrare, fructuum omnis generis, & præsertim vini feracitatem, oppidorum tum copiam, tum magnitudinem. Quibus auditis rebus *Langobardi* magis magisque quoti- E die accendi animo, atque occasionem optare, ad eas petendas sedes. Neque non libenter quidem *Alboinus* audire. Expectabat ipse quoque tempus commodius. Obtulit autem brevi sese adverso & infelici *Italiæ* fato, per hunc maxime modum. Namque *Justiniano* maxima cum gloria vita functo, & imperio ad *Justinum* secundum delato, dum *Narses* maximis (ut par erat *Italiæ* servatorem) opibus floreret, illæ vero & invidiam comparassent, & inimicos, accidit ut adversa fere semper secundis rebus fortuna? quod tanta cum gloria *Justinianus* restituerat malesani nepotis impotentia denuo perturbaret. *Narsetis* siquidem inimici *Justino* suadent, ut posteaquam *Italia* a *Got-* F *this* liberata neque exercitibus neque classibus indigeat, *Italiæ* totius proventuum pecunias deferri ad sese imperet. Exhaustum siquidem diuturnis *Justiniani* bellis ærarium. Non esse, unde & *Africano* & *Persico* suppeditari bello possit. Et præ-

præterea tot provinciarum præsidiis quas in fide continere necesse sit. Enimvero cur tantum auri *Narses* exsorbeat? Cur ipsi nunc *Italia* quasi Regi tributum pendat? Nisi forte *Theodorici Gotthi* exemplo regnum *Italiæ* meditatur. Majusque deinceps ab eo quam a *Gottho* expectetur bellum. Hæc cum sæpius ab adulatoribus ad *Justinum* deferrentur, placuit *Narseti* mandare, ut omnes *Italiæ* pecunias simul ac exigantur, transmittat *Constantinopolim*. Facile quidem vir mitissimus atque optimus, sicuti eam sententiam non improbavit, ut quicquid superesset pecuniarum solutis militum copiarumque stipendiis ad *Italiam* a Barbaris defendendam transmitterentur: ita non probabat omnes transmitti, nudatamque relinqui omnibus præsidiis *Italiam*. Ne si forte repentina aliqua & inopinata necessitas ingrueret, priusquam a *Constantinopoli* accerserentur auxilia, insigne aliquod acciperetur detrimentum. Nam & *Burgundiones* & *Franci* & *Viscigotthi* apud *Gallias* semper in armis erant. Hæc prima semina contentionum extitere. Quæ (ut fit) dum ultro citroque agitantur, crescente indies Aulicorum, tum invidia, tum avaritia, spargi in vulgus voces cæpere. Nihil *Narseti* deesse præter diadema. Stipatum incedere Senatoribus, abuti imperii opibus ad parandum sibi regnum. Tandem *Sophia Justini* conjunx petulans mulier & superba, & quæ virum quancunque in partem vellet, ageret, impulit *Justinum* ad eum ex *Italia* revocandum, addit præterea ingratitudini contumeliam. *Fore* inquiens, *ut bene cum Narsete agatur, si reversus inter regias ancillas, partiendis lanæ aut purpuræ pensis ævum impendat.* Non tulit vir alti animi, nec responso pepercit. *Egone* inquit *lanam purpuramve? Telam ego tibi ordiar ejusce longitudinis, quam neque tu, neque posteri tui præcisam videbunt unquam. Sentiet ingrata fæmina, cum viro sibi rem esse, non cum muliere, qualis suus est vir.* Plenus igitur animi irarumque statim cum *Alboino* vetere amico per nuncium agit, hotatur ut in *Italiam* primo quoque tempore armatus descendat. Ipse leniendi doloris ac remittendi animi causa *Neapolim* concedit. Dum igitur ea gens ad id quod votis exoptaverant, ultro invitata, vires quas possunt undique & auxilia ex omni *Germania* contrahunt. Ferunt *Joannem* pontificem, qui cognovisset quam moleste & indignanter eam rem *Narses* accepisset, *Neapolim* ad eum profectum, tum ut amicum consolaretur, tum ut videret, si quomodo molliri posset illius animus, & cœptum cum *Alboino* fœdus revocaret. Reperit pontifex amicum acerbissime injuriam ferentem, ut cohibere se se ipse non posset. Nihil est enim magno præsertim viro acerbius contumelia, egone pro liberata a *Gotthis Italia* fædissimæ mulierculæ contumeliam feram? pereat cum marito & omni stirpe. Pontifex ad preces conversus orat per Deum immortalem, ne perditum ire velit omnia, quæ ipse tantis cum laboribus, & gloria in integrum restituisset. Rem publicam privatis injuriis anteferat, exemplo magnorum omnium virorum valeat plus apud fortem animum *Justiniani* avunculi amor, quam stultitia insani adolescentis, pervicit tandem mitis ingenii amicum, ut quam primum nunciis agat apud *Alboinum*, atque ab incepto si possit novis adductis rationibus deterreat. Cæterum non semper voti compos pœnitentia est, siquidem peracta fere erant omnia apud *Langobardos* ad profectionem. Multiplex documentum ex eo exemplo posteris futurum, vel ex mulieris petulantis insania, vel ex præcipiti nimium indignatione, vel ex male digesti consilii sera pœnitentia. Prius vero quam *Alboinus* iter ingrediatur, sedes proprias in *Pan-*

A *noniis* apud *Hunnos* veteres amicos incolendas deponit, ea lege seu fædere, ut si cæpta non ex sententia succedant, *Langobardis* restituantur, sin in *Italia Langobardi* morentur, sibi habeant *Hunni*, & optimo jure possideant. Ita factum, ut *Hunni* adscitis in sedium communionem *Avaribus* gente finitima, & confuso utroque nomine, *Hungari* ab eo tempore hanc usque ætatem, sedes illas perpetua fælicique tenuerint possessione. Hæc *Blondus*, & quos *Blondus* est secutus. Alii vero inter quos *Dandalus* noster est, egressam voluńt hanc gentem ex *Scythia* post ea, de quibus scribimus tempora circiter annum domini. DCCC.

B LXXX. *Ungaro* nomine, feram moribus, & immanem: ita ut fama ferret, crudas carnes, & potum humani sanguinis non horrere, *Avares* ex *Pannoniis* prælio pulsos ejecisse. Descendisse deinde armatos in *Italiam*. Adversum quos *Berengarius Forojuliensis*, qui tunc *Italiæ* regnum tenebat, cum instructis quindecim millibus militum huic genti occurrisset cæsis pene suis omnibus fuga salutem quæsivit. *Taurisium* deinde *Patavium*, *Brixiam*, *Mediolanum*, ad montem usque *Jovis* populabundi excurrere omnia cædibus & rapinis fædantes. Inde iter remensi in *Venetorum* littora declinavere. Civitatem novam & *Equilum* jam

C renascentes, *Clugiam*, *Caput Aggeris* direptas igni ferroque vastavere. Minori littorum malo, quod se se fere omnes ante eorum adventum in insulas receperant. Conati sunt lintribus alveolis pelliceisque navibus in insulas & præcipue novam *Venetiam* transmittere. Jam enim fama increbruerat, multas apud eam congestas opes. *Petrus* autem tribunus dux fortis & impiger, coactis qualcunque pro tempore potuit navibus die apostolorum *Petri* & *Pauli* gentem furore & avaritia cæcam & incompositam aggressus est. Minori negotio quam animo eorum naves lintres & alveolos disjecit ac demersit. Illi deinde multis acce-

D ptis a *Berengario* muneribus, onusti præda, Anno postquam in *Italiam* venerant in *Pannonias* sunt reversi. Irrupisse deinde scribunt, in *Germaniam Galliasque*. *Saxones* deinde bello cum petiissent ab *Henrico* Imperatore, *Saxonum* duce, apud urbem *Metisburgum* ad internecionem fere deletos. Reliquias domum reversas, intra *Pannonias* se se continuisse. Hæc omnia *Dandulus*. *Justinus* nec avunculo similis, haud satis intelligens quid egisset, ageretve, blandis maledicorum vocibus delibutus, *Longinum* patricium *Italico* administrando bello ducem creat Exarchi titulo. Ea exarchatus dignitas maxima præter cæ-

E teras in imperio habebatur. Optimum autem ratus prævenire hostem accelerata classe mari transmittere eum jubet. Sapiens consilium, si tamen tum copiis, tum pecuniis optime instructum transmitteret: advolat in *Italiam* utriusque conatus fama *Longini* videlicet & *Langobardi*, nec jam alia species suboriri omnium oculis, quam si alter *Athila* transcendisse Alpes nunciaretur. Eo magis perterritis omnibus, quo ab *Athila* ad ea usque tempora nullum calamitatum genus non attrivisset *Italiam*, oculos plerique populorum advertere ad has insulas, solos prudentes, ac beatos di-

F ctare, qui eripuissent se se tantis ex malis & in portum vindicassent. Jam de fuga cogitare, sua contrahere, loca tutiora meditari. Siquidem nihil tutius, præsentiusve aliud succurrere remedium videbatur. *Narses* ut primum de *Longini* adventu certior est factus omnes copias dimittit, & non ita multo post vita excedit, maxima cum gloria gestarum rerum. *Longinus* accelerata classe exponit *Ravennæ* quicquid virium advexerat & copiarum. Reperit omnia opinione deteriora remque non tam dignitate novi nominis quam co-

piis, & pecuniis indigere. Omnia terroribus plena. Desiit post *Narsetem* consulatus, & una cum potentia prisca regendi forma, nominaque magistratuum pene omnia interiere. Præsidem ipse *Romæ* constituit: deinde mutatum in ducis nomen. Primarias ipse res apud *Ravennam*, quæ deinde sedes Exarchis fuit, administrabat. Intentiori tamen ad defendendum studio, quam lacessendum, quia pauciores haberet copias quam ut cominus congrediendum cum hoste tutum existimaret. Ingressi igitur *Italiam Langobardi Alboino* Rege circiter annum domini quingentesimum sexagesimum octavum cum uxoribus & liberis, innumerabili præterea multitudine bellicosis ex gentibus coacta. Addidere se se in fortis societatem *Saxones*, viginti millia. Qui cum domi a *Francis* diuturno bello premerentur, & ipsi *Langobardorum* societatem libenter secuti sunt, & a *Francis* ut propriis sedibus excederent, libentius permissi. Ingressi autem per eos (quos sæpe dicimus) *Venetiæ* campos, obvium neminem habuere. Fama ferunt Regem quum per confragosos saltus tandem ad *Vipagum* amnem pervenisset, ubi hilarior se se offert campestri planicie *Italiæ* facies, prospectum petiisse ex monte a læva posito, inde ex ejus vertice speculatum longe lateque gloriabundum ad suos dixisse. *Hæc est commilitones perpulchra illa Italia, quam sectamur, crinibus eam tenemus*: exinde autem montem Regis ab incolis appellatum. Ejus ingressu fuga omnium late facta, quum alii in montes, alii ad paludes dilaberentur. Gerebat ea tempestate pontificatum *Aquilejensem Paulus* Episcopus, gente *Romanus*, *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalis, *Aquilejensem* consecutus erat episcopatum per schisma contra canonicas sanctiones, & consecratus ab *Honorato* Archiepiscopo *Mediolanensi*. Eum *Pelagius* pontifex execratum & non consecratum pronunciaverat, petieratque a *Narsete*, ut ambos sub custodia habitos *Constantinopolim* ad principem transmitteret, quoniam & *Paulus* contra canonicam consuetudinem esset delectus, & *Honoratus* contra patrum morem consecrare esset ausus: is igitur *Paulus* cum memoria repeteret, quid *Athilano* tempore *Niceta* Episcopus: quid *Marcellianus Odoacris* tempestate, pari in periculo consilii cæpissent, multaque audisset de hujus gentis feritate præsertim post pugnam apud *Brixillum* cum *Totila* Rege profligatam, & ipse perterrefactus cedendum tempori satius ducens, idem quod illi consilium capere instituit. Ceperant siquidem ut supra demonstravimus castrum e regione *Aquilejæ* Urbis in littore positum atque in eum locum rem omnem sacram contulerant, seseque ibi munierant. Sequi eorum exemplum *Paulus* decrevit, *Gradum*que proficisci. Eamus inquit fratres, sæva imminet tempestas, portum petamus, quem quondam petiere patres nostri. Est nobis apud *Gradum* ab *Athilæ* tempore ædes haud quidem ampla sed ornata ultra loci dignitatem, domus tectaque bene sarta abunde suppetunt ad receptum, quousque serenum illucescat: laudante omni sacerdotio consilium, corpora secum detulit, *Hilarii*, *Cantiani*, *Cantii*, *Cantianillæ*, *Euphemiæ*, *Dorotheæ*, *Teclæ* & *Erasmæ*. Excivit præterea *Geminianum* sacerdotem ex *Tergesto* oppido pene in solitudinem redacto, jussitque ut ossa martyrum XLII. secum deportaret. Quæ ibi summo quondam honore colebantur. Repleta ob eum terrorem, cum cætera *Venetiarum* loca, tum vero *Rivaltus*, cujus duæ insulæ quum turbam confugientium non caperent, adjecere tertiam *Lupaum* appellatam. Hanc insulam canalis, quem magnum dicunt, intersecat. Hinc atque hinc duæ construuntur ædes, altera sanctæ

A *ctæ Cruci*, altera beatis martyribus *Hermagoræ* & *Fortunato*. Hæc dum apud *Venetos* geruntur, *Alboinus Gisulpho* nepote *Venetiæ* provinciæ præfecto, ipse *Taurisio* primum, deinde *Verona* cujus maxime urbis pulchritudine delectatus est, cæterisque *Venetiæ* aut *Galliæ* civitatibus ad *Abduam* usque, exceptis *Patavio Mantua*que, aut per vim aut per deditionem receptis, *Veronam* est reversus. Ibi regni sedem constituit, dum solenne convivium celebrat, vino immodice hausto factus hilarior, poculum, quod ex osse capitis *Comundi Gepidarum* Regis bello interfecti auro gemmisque distinxerat afferri jubet. Is *Comundus*

B pater fuerat *Rhosimundæ Alboini* conjugis, quæ tum convivio accumbebat. Allato poculo, quum ipse se se proluisset porrigi jubet *Rhosimundæ*. Commota mulier tum rei, tum loci contumelia, quum invita & indignans degustasset, simulato subrisu sane inquit hoc vinum non insuave est. Peracto deinde convivio paulo post per amatorem *Alboinum* interficiendum curat cum exprobratione. *Discat ebriosus vir quale de conjuge spectaculum tot principibus ediderit, qui inter epulas & in oculis omnium impurissimum os, & crudelissimos oculos pavit suos. Clephin Langobardi* Regem creant. Eo quoque ob nimiam crudelitatem in-

C terfecto, aliquot per annos Regibus abstinuere. Copias & opes, & quicquid provinciarum obtinebant inter triginta ejus gentis primores partiti sunt *Clephi* non mitiores, Duces eos appellavere. Sed eo fædiora *Itali* passi quo multitudine imperantium auctæ crudelitates non imminutæ. Nullum enim genus sævitiæ, aut immanitatis omissum. Admirabilis tamen illis rerum fuit successus. Vix enim credibili celeritate maximam *Italiæ* partem occupavere. Nam ante primum elapsum annum, *Arimino* expugnato, inde *Picentes*, *Umbros*, *Pelignos*, *Marsos*, *Campaniam*, *Ethruriam*, magnam *Samnii* partem, sub jugum misere. Quascunque

D cæpere civitates omnes fere diripuere, non ædificiis nobilioribus pepercere. *Theatra*, *Basilicas* publicaque hujusmodi magni operis ædificia, quibus *Italia* erat referta, aut ad solum stravere, aut magna ex parte ruinis fœdavere. Ne viderentur autem *Gotthis* aut *Herulis* fuisse mitiores, in utrumque mortalium sexum, non aliter sæviere quam in pecudes, neque initio tantum ea sunt patrata, sed per annos CC. quibus tenuere *Italiam* continuatis inter se depugnavere bellis, nullum est autem malorum calamitatumque genus, quod secum bella præsertim continuata, non afferant. Excurrebant, diripiebant, ferro atque igni cun-

E cta vastabant. Civitates jacebant pene exanimes, agri deserti & vastati, quum inter alternas tum victorias, tum conflictus, in prædam semper cederent Barbaro victori. Postea quam omni genere direptionum calamitatumque *Italia* fere tota sunt abusi, pertæsum tandem eos, ut mobile vulgus est eorum præsertim qui nimia laborant felicitate, atque vi & armis omnia arrogant, diutius sub ducibus vitam agere, Reges iterum appetiere, atque omnium consensu *Anthan* virum fortem & acerrimum belli ducem sibi præficiunt. Regnum longe lateque propagavit, omnem *Italiam* ad fretum usque *Siculum* excurrens, *Columnam* in littore defixam, hasta contingens. *Hic*

F inquit *Ego fines Langobardici Regni constituo. Quicumque eos violaverit pœnas dato.* Interea *Longinus* Exarchus quum satis per eos annos habuisset continere se se intra *Ravennam* revocatus *Constantinopolim* a *Justino* prius profectus ad *Venetos*, ut inde sumeret navigationem, laudavit eos qui semper in Imperatoris officio mansissent, privilegiis & immunitatibus, quibus *Narses* affecerat, majores amplioresque superaddit. *Paulo Romano*

no Aquilejensi Episcopo apud *Gradum* vita functo, *Probinus* sufficitur. Qui & ipse *Grado* discedere non est ausus propter *Langobardorum* indignitates & injurias, *Elias* deinde natione *Græcus* in ejus locum subrogatur. Siquidem provinciales Episcopi sedibus a *Paulo* suis propter schisma depulsi apud *Gradum* convenere, atque hunc *Eliam* & vitæ innocentia, & virtute præstantem, pontificem deligunt. Quum autem *Gisulphus Venetiæ* dux immodicis provinciam exactionibus vexaret, nec Deo parcens, nec Ecclesiæ, tum ob avaritiam, tum quod indigne ferret tris ordine antistites *Aquilejensem* pro *Gradensi* sedem reliquisse, atque ob eam rem non auderet *Elias Aquilejam* redire, convocat apud *Gradum* concilium. Ad quod celebrandum viginti provinciales Episcopi profecti sunt. Refert ad eorum consulta quotidianas *Langobardi* injurias, qui innata genti avaritia Ecclesiam laceret. Grassaturus procul dubio quotidie majoribus nisi provideant, cum idem omnes & faterentur & quererentur, sciscitatus illorum sententias, alius ad pontificem mittendum censere, alius ad Imperatorem qui certiores de his rebus faciant tum quoque præsentem opem remediumque poscant aut si id impetrari non liceat, saltem per epistolas acrioribus agant verbis: Tum *Elias. Et si eandem nobis patres mentem esse non dubito, longe tamen mihi alia sententia est. Pacem optamus omnes ab hac gente nefaria. Quid enim mirum? Qui nam obsecro cruciatus, aut quæ denique mors hujusmodi vita non optabilior? Sed ego nulla prorsus ad eam consequendam remedia quæ memorantur existimo. Nonne periculum sæpius factum quid epistolæ cum hoc hominum genere quid verba proficiant. Sæpe patres accidit, ut unum assequi velimus, at vero diversum aliud eveniat, quod hac in re magnopere verendum est, non enim consilio semper respondet eventus, irritabitur epistolis hominis ferocia, non mollietur, ingenia mitia precibus & mansuetudine facile inflectas, fera barbaraque pertinacius incrudescunt. Expertus olim est Paulus. Expertus Probinus neque nos quoque nostro malo non periculum fecimus. Quem vobis hactenus fructum epistolæ in quibus nunc spem locatis attulerunt? Quin memini sæpius audisse me nunciis interdum egisse pontifices. Verba illis semper data. Post eorum discessum immitius quam ante adversus ecclesiam sæviere, pecunias a nobis expetunt non verba. Hujusmodi igitur remedia perpendenti mihi illud videre videor, quousque patres quicquam nobis rei fuerit cum hoc homine. Magna esto vel parva, nec pacem ab eo, nec quietem sperandam. Non ille christi fidem colit, non Deos gentium. An creditis optari ut ille simulat reditum in Aquilejam nostrum propter religionem? Si hæc ad eum enixius quærendum ratio moveret, aliter se se nobiscum gerat in tractandis Ecclesiæ negotiis: non clericos in vinculis habeat. Non colonos Ecclesiæ verberibus afficiat, si non beneficiis alliceret, & honoribus, at injuriis quibus nunquam parcit abstineret. Insanit miser avaritia. Reditum exoptat, ut quo propinquius eo commodius expilet ac diripiat Ecclesiam, quicquid præterea catholicorum eleemosynis nobis erogatur homo impius, id totum Ecclesiæ extorqueat. At non semper vivet. Succedet aliquis mitioris ingenii. Quid si pejorem sufficient? Diutius nos fratres hæc spes frustrata est hac una expectatione centum & amplius annos, id est ab Athila in hunc usque diem meliorem Ecclesiæ statum expectamus. Deterior indies est factus, sed alium finge minus avarum fore quænam obsecro fideli satis grata accidere potest vita inter infideles? Aut quam ego deteriorem molestioremque existimem, quam inter hæreticos? Cum gentili homine nunquam fere accidit contentio. At vero nulla datur pax cum hæreticis, vel propter quotidianos Ecclesiarum fructus*

A *qui ab eodem christiano nomine utrisque proveniunt, vel quia ferre non possunt in eadem asseveranda veritate superari. Elati sunt & superbi. Si quando admonitionibus exemplis sanctorum dictis cum iis agitur, mox ad jurgia prorumpunt, pati non possunt vinci se se ratione & a catholicis compelli ad confessionem veritatis. Si vota vestra fratres accedunt, sententia mea hæc est: ut in hunc locum patriarchalis transferatur sedes, hic pacatam, hic christiana religione dignam agere vitam licebit, si non tam lautam, & opulentam, at pace plenam atque concordia. Pacem dominus noster generi suo quasi hæreditariam legavit, pax sectanda nobis, ipsi procul ab ejus ocu-*

B *lis agemus, & a nostris ille. Non dubito Romanum pontificem, & Imperatorem, cum intelligent quibus in calamitatibus hæc versetur Ecclesia, facile hoc nostrum votum comprobaturos.* Assensere omnes. Missi continuo nuntii ad *Pelagium* pontificem concilii nomine supplicatum ut *Venetas* Ecclesias miseratus, extremis in difficultatibus constitutas *Aquilejensem* transferat dignitatem apud oppidum *Gradense*, ubi procul a *Langobardis* longe tranquilliorem securioremque vitam acturi sunt, annuit benigne *Pelagius*. Translationis illius series nunc etiam extat, quam apponere operæ pre-

C tium existimavi, tum ipsa re confirmandis, quæ dicta sunt a nobis atque deinceps dicentur de hujusce provinciæ calamitatibus, tum ut veritas *Gradensis* honoris magis illucescat, præterea non erit injucundum, ritum moremque antiquorum patrum in conciliis habendis cognoscere. Cum in civitate *Gradensi Elias* Episcopus sanctæ novæ *Aquilejensis* Ecclesiæ, cum episcopis quorum nomina subscriptiones propriæ manifestant, in concilium convenissent, & in nova Basilica sanctæ venerabilis matris *Euphemiæ* consedisset, positis in medio sacrosanctis evangeliis, *Elias* primæ sedis Episcopus dixit. Ineffabilia sunt opera domini nostri Jesu christi, & paulo post. Nam in-

D ter angores quibus Ecclesia domini circumquaque depressa suspirat, & gentium ferocissimas manus cladesque miseræ provinciæ nostræ fateor me supra spem meam, ad hunc venerabilem cætum invitavisse sanctissimam vestram caritatem: Et infra. Dignum ergo sanctissimi fratres mansuetudo nostra ducit ex consensu Beatiss. Papæ *Pelagii*, cui communiter nostram descripsimus necessitudinem. Si vestræ placeat sanctitati, hanc civitatem *Gradensem* nostram confirmare perpetuo metropolim, novamque vocare *Aquilejam*. Et infra: quoniam quotidie hostile aliquod toleramus flagellum, jam pridem

E ab *Athila Hunnorum* rege *Aquilejensis* civitas nostra funditus est destructa. Et postea *Gotthorum* incursu, & cæterorum barbarorum quassata vix spirat. Sed & nunc *Langobardorum* nefandæ gentis flagella substinere non valens, ex consensu Beatissimi *Pelagii* papæ: si vestræ placeat sanctitati, hanc civitatem *Gradensem* nostram perpetuo firmare Metropolim novamque eam vocare *Aquilejam*. Sancta Synodus dixit. Quæ vestra Beatitudo proposuit, omnes pari confirmamus assensu. Si vestræ placeat sanctitati Beatissimi papæ *Pelagii* privilegium pro hac ipsa intentione ab ipso transmissum in medio recitan-

F dum deferatur; *Laurentius* præsbyter legatus apostolicæ sedis repræsentavit privilegium *Gradensis* Ecclesiæ. Sequentur litteræ apostolicæ. *Pelagius* urbis *Romæ* Episcopus: Et infra: Compatientes mæroris necessitudini & rabiem furentium perpendentes *Langobardorum* inclinati precibus vestris, per hujus præcepti seriem suprascriptum castrum *Gradense* totius *Venetiæ* & *Histriæ* Metropolim perpetuo confirmamus cum omnibus Ecclesiæ pertinentibus, statuentes &c. Quo com-

completo universi Episcopi voce compari, exaudi christe *Pelagio* vitam omnes uno consensu sanctissimi *Pelagii* præceptionemque vestram sequimur. Et infra. Sancta synodus tertio confirmavit, fiat, fiat, fiat. Per hunc maxime modum *Elias* ex *Aquilejensi* Episcopo, *Gradensis* patriarcha renunciatus est. Agebatur autem annus Domini quingentesimus octogesimus, aut circiter. Hæc subjecisse placuit ad declarandam *Gradensis* Ecclesiæ nobilitatem. Quæ metropolitanum honorem plus annis centum, ante *Aquilejensem* est consecuta, ut postea docebimus. Domum *Elias* satis amplam in Aedem Beatæ *Euphemiæ* construi curat, dedicatque. Inque ea locat sanctorum corpora *Hermagoræ* & *Fortunati*, quæ ex *Aquileja* vetere deportarat ea corpora usque ad annum domini M. apud *Gradum* summa veneratione sunt habita. Periclitata vero *Hotonis* ducis tempore, & *Ursonis* ejus fratris patriarchæ *Gradensis*. Nam cum ambo per seditionem civilem in *Histriam* concessissent, *Pepo Aquilejensis* patriarcha gente *Germanus* acerrimus *Venetorum* hostis arrepta occasione armis *Henrici* Imperatoris per dolum insidiis positis incautos *Gradenses*, urbem templumque & Ecclesiam invadit. Diripuere pretiosissima quæque & thesauros omnes Ecclesiæ. Altare autem *Hermagoræ* & *Fortunati* in quo fama ferebatur eorum esse corpora, spoliant dux & patriarcha ex *Histria Gradum* advolant. Prius autem quam *Veneti* armati *Gradum* accurrant: *Aquilejenses* fuga arrepta domum reversi. Scribit autem *Andreas Dandulus* sanctorum corpora, quæ ablata ab *Aquilejensibus Veneti* verebantur: cum diligentius de loco perquisissent, reperta in crypta quadam sancti *Marci* secretiore loco collocata: Aedificat præterea *Elias* monasterium apud insulam propinquam barbariam appellatam, inhabitandamque sacris virginibus tradit in honorem beatissimæ genitricis. Templum idolorum vetustum, situm in littore e regione urbis transfert in Aedem Beati *Petri*. Quantis vero tunc premeretur calamitatibus *Italia*, illud maxime declarat, qui *Pelagius* pontifex cum ferre non posset illius gentis injurias adactus transmittere est ad *Tiberium* Imperatorem, *Gregorium Gordiani* filium, *Romanæ* Ecclesiæ levitam, qui postea fuit pontifex primus ejus nominis, opem imploratum *Italiæ* atque Ecclesiæ *Romanæ* malis. Igitur *Elia* post sanctissime actum pontificatum, perfuncto humanis rebus, *Severus Ravennas* sufficitur anno domini quingentesimo octogesimo sexto. Neque hujus pontificatus atrocioribus caruit injuriis, præter enim id quod a *Longobardo* quotidie vexaretur, hunc *Smaragdus* patricius *Ravennas* Exarchus, qui *Longino* successerat, novo persecutionis genere aggreditur. Siquidem Imperatores atque eorum Exarchi quibus poterant honoribus *Ravennatem* sedem amplificare contendebant æmulatione *Romanæ*. Ea causa fiebat, ut *Ravennates* Episcopi sæpe deficerent a *Romanis*. Cum autem *Joannes Ravennas* Episcopus, severum Antistitem *Aquilejæ* pellicere ad suas partes haud quaquam posset, adhibuit *Smaragdum* Exarchum qui primum precibus pollicitationibusque deinde minis atque terroribus *Severum* adortus est. Cum vero illa non proficerent vi agendum ratus, *Gradum* proficiscitur. *Severum* de Basilica tractum secum adducit *Ravennam* aliis tribus cum Episcopis, quos tandem omnes communicari *Joanni* schismatico invitos adigit. Post elapsum autem annum, quum ad sedes quisque reverteretur suas, *Veneti* rudes adhuc earum rerum, nisi quod *Romanum* nomen illis summæ erat venerationi substitere aliquantisper, an essent recipiendi, concilioque super ea re omnium op-

A pidorum indicto, cum plerique suscipiendos existimarent, neque id illis noxæ tribuendum, quod inviti compulsique fecissent, & si forte quippiam deliquissent pœnitere non eos & abjurare hæresim paratos: alia ex parte quibus sanior esset mens censerent id non esse arbitrii secularis, hæreticos qui per annum in hæresi permansissent seculari ausu Ecclesiæ catholicæ reconciliare, pontificis *Romani* id munus esse ad quem maxime omne de catholica fide judicium pertineat rem ad eum deferendam. Et expectandum, quid eos agere placeat. Vicit tandem hæc sententia, & ex ejusdem pontificis responso non prius a sua quisque Ecclesia recipitur, quam in synodo decem
B Episcoporum apud *Maranum* oppidum, quod olim *Varanum* fuit coacta in omnium conspectu abjuratæ hæresi renunciarent. Tantum valebat apud novellos populos fidei, & *Romanæ* sedis reverentia, secuti sunt anni Beatissimi *Gregorii* summi pontificis, quibus nimis multa contigere mala. Nulla certior afferri species potest, quam ejusdem pontificis scripta, cum aliis multis in epistolis, homiliisque, tum in expositione *Ezechielis* has calamitates deplorantis. *Quid est quod jam in hoc mundo libeat? ubique luctus aspicimus, undique gemitus audimus, destructæ urbes, eversa sunt castra,*
C *depopulati agri, in solitudinem terra redacta, nullus in Agris Agricola, pene nullus in urbibus habitator remansit: Et tamen ipse parvæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie & sine cessatione feriuntur. Alios in captivitatem duci, alios interfici videmus. Ipsa etiam quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma conspicimus immensis doloribus muliplicitur attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum: jam de illa potentes ablati sunt. Ubi enim Senatus? Ubi jam populus? Omnis in ea dignitatum ordo exstinctus. Et tamen ipsos nos paucos, qui remansimus, adhuc quotidie innumeræ tribulationes pre-*
D *munt. Jam vacua ruit Roma: ruinis namque crebrescentibus ipsa destrui ædificia videmus. Et postquam defecerunt homines etiam parietes cadunt.* Et alibi. Post hæc gravior plaga fuit adventus *Agilulphi*: ita ut oculis meis cernerem *Romanos* more canum incola * funibus ligatos, qui ad *Franciam* ducebantur venales: Vidit etiam ille pontifex (quid enim mali non vidit suo in pontificatu) exisse ex *Syria* classem *Saracenam* prædabundam: Tunc primum apud Christianos auditam: quæ littora *Siciliæ* insulæ omnia fœdissimis populationibus diripuit ac vastavit: Extat ejus epistola ad Episcopos insulæ, qua usus pietatis officio gra-
E vissimis consolatur verbis, ut interim forti sint animo, non defutura domini auxilia; si ad eum toto corde confugiant. At hic tamen Beatissimus *Gregorius* quæcunque potuit his malis adhibuit remedia. Nam *Agilulphum* Regem convertit ad Christi fidem, annitente uxore *Theudelinda* pientissima femina, cui ob eximiam religionem dialogorum librum inscripsit. Ea gens prius gentium Deos adoraverat, at paulo post in *Arrhianam* omnes deflexerant. Unius *Aritperti* Regis virtus ea tempestate memorabilis habetur: præter enim *Domum Alpium Cotiarum* Romanæ ecclesiæ, in quis *Genua* fuit cum omnibus e-
F jus urbis oppidis, solitum scribunt, mutata veste sæpius regnum perlustrare, ut intelligeret, quid de se præfectisque suis populi loquerentur. Sed qui post *Gregorium* secuti sunt anni, fuere superioribus atrociores. Quia imperium nunquam cessavit ab Exarchis exercitibusque in *Italiam* transmittendis: ita ut triplici jam bellorum genere *Itali* premerentur. Nam præterquam quod mutuis inter se *Langobardi* (ut diximus) digladiabantur bellis, *Græci* alia ex parte nunc *Romanis*

* *Forte* colla.

nis pontificibus ferebant auxilium, nunc eos sævissimis persequebantur edictis, contra sanctorum patrum Catholicas sanctiones, ut nulla jam neque animis, neque corporibus daretur quies. Dum igitur occultum Dei judicium lacerandam proculcandamque *Italiam* impiis nationibus tradit, *Patavium* jam tertio ab *Agilulpho Langobardorum* Rege penitus deletur. Apertum enim & vallo tantum plancisque a *Theodorico* munitum jacuerat: quum vero efferre paulisper caput, & frequentius habitari accepisset, casis ex asseribus constructis, quibus ea maxime abundat regio: teneretur autem ab Hexarcho valido militum præsidio, iratus *Agilulphus* civitati, qui cum Hexarcho sentiret, admotis ad urbem castris, reperit eam validius quam putaverat permunitam. Quum igitur aliquotiens superare munimenta tentasset, repulsus est. Tandem ventum nactus vehementiorem, noctu faculas pice illitas multis ex partibus scorpionibus conjici in urbem jubet. Corripuit facile ignis materiam. Extemplo autem ubi collucere simul pluribus ex locis flamma conspicitur, milites oppidanique periculo consternati, primum unde erumpant quærere. Dum non inveniunt, urbem addacti periculo, *Langobardo* dedunt. Urbs concremata, Cives quo vellent abire permissi. Pari clade affectum *Acelum* agri *Patavini* oppidum, cui nunc *Monssilicis* nomen est. Multi tum mortales omnis ordinis *Venetias* commigravere, præsertim *Metamaucum*, *Rivaltum*que, quorum frequentia quam prioribus tribus insulis haud commode colligerentur, addidere quartam *Geminam* appellatam. Sita hæc est inter *Rivaltum* & *Olivolum*, in ea duæ Basilicæ ædificatæ, altera Beato *Johanni Baptistæ*, altera Beato *Martino*. Clades hæc *Patavina* mirum in modum *Venetiarum* opes & libertatem confirmavit, neque enim deerant (ut inter vicinos solent) quotidianæ rixæ contentionesque, invidia præcipue navigationum, quas sibi ereptas querebantur. Solus externus absterrebat metus, ne si forte armis decertarent, præda uterque populus esset tam *Græcis*, quam *Langobardis*. *Severus* autem patriarcha post impetratum a *Gregorio* pontifice novæ sedis privilegium, vita excedit, cui *Martianus* sufficitur, & *Martiano Candianus Ariminensis*. Hujus *Candiani* tempore alia Episcopalis sedes ab Hæreticorum sacrilegis manibus erepta, ad hæc littora confugit. Nam *Gisulphus Venetiæ* Dux horum populorum hostis acerrimus, quum veteris *Aquilejæ* sedem *Gradum* translatam ferre non posset, neque pellicere eos Antistites pollicitationibus ut redirent, *Johannem* quendam Abbatem patriarcham præter jus fasque constituit. Eam rem *Joannes Concordiensis* Episcopus, vir sanctus & justus permoleste ferens: Ego ne inquit diutius Ecclesiam meam patiar Sathanæ inservire? Equidem vindicabo eam ipsumque me in libertatem. Et ubicunque morari datum erit, sub alas suas suscipiet Dominus *Jesus*, fidelemque nobis sese in omnem fortunam ducem præbebit. Itaque relictis *Concordiæ* resurgentis ædificiis, ad *Caprularum* oppidum littoreum, jam antea a *Concordiensibus* captum cum omni re sacra confugit. Ejus sedis translatio confirmatur a *Deodato* summo pontifice. Schismatis hujus paulo post *Gisulphus* acre persolvit piaculum. *Avares* enim nunc *Bavari* appellati ingressi *Italiam* per *Venetiæ* saltus, *Gisulphum* obvium factum, nec pugnam detrectantem, multis confectum vulneribus interficiunt, & *Langobardi* pene omnes ad internicionem cæsi. Secundum id prælium *Avares* in aliquot divisi partes *Liburniam* *Venetiam*que rapinis & incendiis longe lateque fœdavere. *Cacannus* vero (sic enim *Avares* Re-

A ges appellant) quum omnia circum oppida aut per vim, aut per deditionem recepisset, *Cormonum*, *Osopum*, *Nemasum*, *Arceniam*, *Glemonam*, *Obliginum*, ad *Forum Julium* ducit. In quod oppidum *Gisulphi* conjugem cum omni Thesauro confugisse compererat: Mulier impudica *Avarem* conspicata obequitantem oppidi mœnibus, crispo capillo, & aurea chlamyde fulgentem, exarsit in illius libidinem, neque diutius tulit, quin sese cum urbe munitissima, Thesaurisque omnibus *Avaris* fidei permitteret. Non fefellit omnino datam fidem *Avaris*, semel illa abusus: Abi inquit in malam crucem impudica B mulier, exple libidinem, quam nec ætas provectior, nec vidualis pudor, nec regale decus cohibere potuit, tuoque corpore dignis hominibus commiscere. Eam duodecim deinde *Avaribus* in omne ludibrium abutendam prostituit, palo deinde suffixit. Evertit ab ipsis radicibus oppidum, ut non solum instauratum sit nunquam, sed ubinam situm fuerit, nullis certioribus vestigiis, aut monumentis extet, nisi quod dum in eam provinciam legationis munere profecti, ad, miraremur interiisse nobilis oppidi vestigia: dum scrutamur & incolas, & loca, tandem repertus est in ingressu Alpium aliquanto supra *Tulmetium*, C vicus adhuc nobili Ecclesia. Ubi pavimenta conspiciuntur musivo opere depicta, & lapides juxta templum antiquis & magnis incisi literis. Ejus loci nomen quum quæreremus, & *Zulium* respondissent, facile intelleximus locum esse, quem quærebamus, & *Zulium* corrupto nomine pro *Julio* appellari. Illud est certum *Plinio* quoque teste, *Julienses Carnorum* gentem esse, sive *Carnis* finitimam. Oppidi postea nomen versum est in provinciæ, patria *Foro Juliana* appellata. Hæc quæ audivimus vidimusque, non omittere placuit, tanquam de re & antiqua & obscura, donec certiora oppidi illius vestigia forte reperiantur. Cum D autem pervincere *Gradenses* Antistites *Langobardi* non possent, ut a *Grado Aquilejam* redirent, deligunt ipsi sibi pontificem *Fortunatum* quendam *Arrhianum*, non Cleri, non populi consensu, nec expectata quidem summi pontificis auctoritate. Hic *Fortunatus Langobardorum* armis fretus, magna militum manu navibus imposita, *Gradum* improviso adortus, Ecclesiam diripit, cæsis nonnullis, aliquot vulneratis, abacta in naves præda sese in fugam proripit. Hunc *Honorius* pontifex certior injuriæ factus, tanquam hæreticum deturbat pontificatu, inque ejus locum sufficit *Primogenium* gente *Aretinum* subdiaconum E Ecclesiæ *Romanæ*, sed neque huic pacatior extitit pontificatus. Nam ut illa sedes nunquam a *Langobardicis* injuriis conquiesceret, tum direptionibus & rapinis, tum captivitatibus *Gradensium* hominum, qui decepti publica fide in eorum manus incidebant, Patriarcham compulerunt expostulare per legatos opem ab *Heraclio* Imperatore. Intempestive quidem & alieno tempore, qui maximis curis orientalium bellorum *Heraclius* esset implicitus, quo uno potuit amorem, pietatemque in illam Ecclesiam declaravit, dono *Primogenio* misit vasa quædam aurea, argenteaque damnorum solatium & F præterea Cathedram Beati *Marci*, qua apud *Alexandriam* pontifex fuisset *. Quamque ipse post devictum *Cosdroem* ab *Alexandria* cætero cum apparatu afferri in triumphum curavit. Nihil omisit ad declarandum animum, & ad dignitatem *Gradensis* Ecclesiæ in gratiam *Venetorum* augendam. *Rhotarius* interea suffectus *Arioaldo Agilulphi* filio regnum accipit, ferox ingenio & immitis, justus alioquin. Quippe qui codicem ipse quoque legum, ne ulla in re *Justinia-*

* *Scilicet, usus.*

B. *Justinianus.* F *nia-*

niano videretur inferior, gloriabundus conscripsit. Is autem *Rhotarius* non armis solum *Romanas* partes exscindere est annixus, sed astum quoque adhibet *Arrhianæ* perfidiæ, quæ mirum in modum increbruerat per omnes orbis partes. Nam quum videret catholicos cum *Romanis* pontificibus hexarchisque sentire, ut partes suas reddat firmiores, & nos inquit *Arrhianas* fovebimus ne ulla nobis in re catholici superiores existant, qui viribus & armis sunt inferiores. In eam sententiam facile barbaram gentem trahit. Jamque ad id ventum, ut in omnibus fere *Italiæ* urbibus duæ essent Ecclesiæ, duo Episcopi, alter catholicus, alter *Arrhianus*. Ut non injuria questi simus initio secundi libri, tum fidei christianæ, tum imperii detrimenta ab hæreticis profecta. Porro hæc pestis traxit tandem ad sese cæteras hæreses. Et per omnem fere orbem diffusa semper increvit. Sed ipsa quoque orientis Ecclesia, quæ ob imperii majestatem cum *Romana* de dignitate certaret, nunquam novis inventis conquievit. *Johannes* præsul *Constantinopolitanus* ausus est sibi titulum præscribere Episcopum universalem, maxime subnixus *Mauritii* imperatoris auctoritate. Enimvero commotus hominis imprudentia *Gregorius* pontifex, & ut *Romanum* genere, & ut Summum pontificem auctoritate par fuit, inhibuit ingenua cum libertate, ne eo titulo uteretur. His maxime verbis. O tempora o mores! Ecce cuncta in *Europæ* partibus Barbarorum juri sunt tradita, destructæ urbes, eversa castra, depopulatæ provinciæ, nullus terram cultor inhabitat. Sæviunt & dominantur quotidie in morte fidelium cultores idolorum. Et tamen Sacerdotes, qui in pavimento & cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt. Hac præterea tempestate *Cyrus Alexandrinus* Episcopus, & *Sergius Constantinopolitanus* excitavere ingentibus studiis hæresim *Monochelitarum*, unam tantum naturam in Christo asserentes, ad quam abolendam cum quatuor in conciliis agitata esset hæresis, tandem omnium consensu damnata. Hanc hæresim *Heraclius* post tantas de *Persis* victorias, summi Dei beneficiis ingratus & suscepit & magno studio defendit. Atque deinde ut fere Hæresiarchæ omnes ad magicas artes sese convertit. Persolvit autem paulo post impietatis pœnas lacerato a *Sarracenis* imperio & omnibus fere provinciis orientis amissis, ut quod sæpe queri solemus maxima ea tempestate sit facta jactura, tum imperii, tum religionis. Porro altera fere semper alteram secuta est. Perseveravit hæc impotens pertinacia, atque catholicæ fidei scissura ab his temporibus ad nostram usque ætatem. Qui si aliquando resipiscere, & ad *Romanam* reverti fidem velle sunt visi, metus a Barbaris, quem cum periculo semper pro tempore metiti sunt, eos adegit, non autem libera ingenuaque confessio siquidem ad hunc diem quindecies a *Romana* defecerunt, totiens videlicet quoad tam religione, quam imperio spoliati per orbem vagantes exemplum cunctis mortalibus dedere, nullas esse tam ingentes opes, quas non superbia seditioque comminuat. Sed de *Sarraceno* imperio aliqua paulo post, si prius de *Venetis* nonnulla, quæ intermissa sunt, expediemus. *Rhotarius* igitur omni cis *Apenninum Ethruria* & *Lunensi* ora *Liguribus*que, & deinde *Gallia*, quæ ad Hexarchum defecerant ad partes suas retractis,

A signa in *Venetos* convertit. *Opitergium Venetiæ* oppidum instaurari cœptum expugnat ac diruit. Et id quidem tertio ab *Athilæ* demolitione circiter annum domini sexcentesimum quinquagesimum. Præsidebat Episcopus *Opitergio Magnus Altinas* vir eximiæ sanctitatis. Miserabatur assiduas commissi sibi gregis calamitates. Virus tamen illud *Arrhianum* ferebat longe molestius, qui acerbiores illi essent de fide contentiones, quibuscunque rerum incommodis. Blasphemi vero in Deum homines non illi ferri posse videbantur. Neque ulla spes suberat ad saniorem mentem revocandi avaros homines & superbos, qui favere illis *Langobardos* cernebat magistratus. Tutius igitur visum

B animis corporibusque cedere. Locum capit in stagnis haud procul a continenti. Amor autem sanctissimi viri maximam secum mortalium turbam traxit, multaque eum nobilitas comitata est. Quæ quasi parentem potius quam præsulem deserere non possent. Ibi civitatem condit, quam *Heracliam* appellat in *Heraclii* gratiam. Nec dum enim labes illa, quam diximus *Heraclium* infecerat, sed summa cum christianæ fidei gloria imperium administrabat. Civitas deinde nova a posteris dicta. Eam sedem deinceps *Severinus* summus pontifex & *Primogenius* patriarcha *Gradensis* confirmavere. Maximam auxit apud omnes

C sanctitatis opinionem pietas & amor, quem erga profugos paterna quadam pietate declarabat, non verbis tantum & blandiori sermone, sed ipsa quoque re, vel ex proprio, vel ex amicorum beneficio collata. Vixit ad ultimam usque senectutem. Multis miraculis claruit, memoriæ mandatis ab his, qui ejus vitam scripserunt. Mortuus, inter sanctos relatus est. Tenuit fama constans, ad hunc usque diem, sanctum illum, novem Ecclesias in hac *Rivalto* divina monitum revelatione, construxisse, quarum nomina etiam hodie feruntur. Hoc *Andreæ Dandulo* non placet. Quin eas a quibus sint conditæ & quo tempore sigillatim recitat. Eodem exemplo *Paulus*

D *Altini* urbis nuper instauratæ Episcopus *Arrhianos Langobardos*que fugiens, *Torcellum* se confert, quem catholica gens fere omnis secuta est. Quid amplius moramur inquiens? Quibus nec corpori, nec animæ, capere salutem licet? Sequamur vestigia vicinorum patrum. Detulit secum corpora sancti *Theonisti Trabatæ*, *Liberalis*, brachium beati *Jacobi* Apostoli. Et multas præterea sanctorum reliquias. Vita post mensem functo, subrogatur *Maurus* qui hujus translationis privilegium a *Severino* urbis Antistite meruit. Construxit ædes complures, quas inter Monasterium nobile *Joannis* evangelistæ, quod nunc etiam extat, virginesque sacræ ab eo ibidem dicatæ. Ea

E quoque tempestate *Paulus Patavii* Catholicus Episcopus urbis totiens exscissæ, nuper concrematæ, quum ad cæterarum ærumnarum cumulum videret accedere, *Arrhianæ* quoque perfidiæ molestias, quasi desperatis rebus, *Metamaucum* confugit, ibique aliam condit Episcopalem sedem. Perseveravit eo in loco annis ...... donec urbs assiduis tempestatibus conquassata: fatiscentibus fundamentis, arenæ impositis, Aestibus præterea a noto vento tandem expugnata totaque inter fluctus absorpta est. Sedes deinde Episcopalis *Clodiam* translata, ubi in hunc usque diem perseverat.

LIBER OCTAVUS.



Anno domini ſexcenteſimo quinquageſimo a prima vero Eccleſia in *Rivalto* condita ccxxx. Quinque jam Eccleſiis pontificalibus, atque earum una metropolitana *Venetiæ* condecoratæ ſunt. Qui ſi vel ſpacium littorum vel oppidorum adhuc exiguitatem metimur, nimis multæ fortaſſe videri poſſunt. Cæterum id facile donatum a ſummis pontificibus, tum uti catholicis Eccleſiis populiſque, qui ad hæc æſtuaria confugerent ab hæreticorum injuriis daretur quies, tum ad comprimendam *Aquilejanæ* Eccleſiæ nimium ſuperbientis auctoritatem. Quæ ut ſupra libro tertio dictum eſt, ob ejus ſedis opulentiam in his hæreticorum contentionibus, male interdum *Romanæ* Eccleſiæ parebat. Si quando præterea (quod ſæpe contingere erat neceſſe ob crebras Eccleſiæ diſſenſiones) concilia cogerentur, eo facilius ſecundum ſummi pontificis ſententiam decreta ferebantur, quo pluribus Epiſcoporum ſuffragiis inniterentur partes Eccleſiæ. Maximo fuit adjumento his inſulis ad libertatem Pontificum auctoritas. Atque dum ad ea tempora diligentius animum adverto, non dubito plus ad incolendas augendaſque *Venetias Arrhianarum* perſecutionum contuliſſe labem, quam *Gotthorum Langobardorum*que ſævitiam. Non igitur mirum ſi ab hujuſmodi profecta initiis ſemper fuit apud eos divino in cultu religio, aucta deinde, atque ſacrarum rerum, quam nunc videmus, in immenſum creverit amplitudo. Præter etenim urbem *Romam* nullam crediderim extare ſacris rebus divitiorem, aut, Parochiales quas appellant, ſacris ædibus, aut ſanctorum reliquiis, aut monaſteriis utriuſque ſexus & omnium ordinum, aut ſupellectile ſacra, aut domibus hoſpitalitiis, aut ſcholis (quas fraternitates vocant) innumeris, aut denique ubi majori ſumptu pompaq́ue, tum ſupplicationes, tum divina officia celebrentur omnia. Sed ecce jam peſtilentior altera ſuperioribus omnibus lues extollere caput cœpit: *Sarracenæ* videlicet gentis ſecta. Quæ non orientis ſolum imperium, ſed *Italiam* quoque maximis laboribus involvit. Diverſa tamen ratione. Exorta ſiquidem mox invaſit imperium, *Italiam* vero, quia oppreſſo a *Sarracenis* imperio eo liberati metu *Langobardi*, non habebant quem metuerent, extorquebant rapiebant quicquid libido ſuggeret. Omnis enim ea tempeſtate pontificatus auctoritas imperii viribus ſtabat. Itaque relicta ad eorum libidinem *Italia* eſt. Hoc tamen alibi fortaſſe commodius. *Sarracenæ* autem ſectæ nihil apud ſuos, apud noſtros commentaria reperiuntur nonnulla. Quæ deinde poſteriores, ſacris litteris dediti, non tam ſcribendæ hiſtoriæ gratia, quam ejus confutandi erroris, memoriæ tradidere. Ea proſequi non inſtitui, ſed admirationi multorum occurrere. Quo videlicet pacto homo omni ſcelere opertus, auſus ſit adverſus chriſtianam religionem tantis rationibus, miraculis, prophetarumque teſtimoniis toto orbe receptam, fœdam eam ſtultamque inſaniam evomere. *Sarracenum* nomen *Agarenum* antea dictum, non ſacri tantum auctores tradunt, ſed *Strabo* etiam, qui in *Arabiæ* deſcriptione, *Agareni* nominis meminit. Apparet ex *Ptolemeo* deinde id nomen ementitos ac prætermiſſis *Agarenis*, *Sarracenos* ſe appellaviſſe. Quaſi puderet ex ancilla, non ex libera originem duxiſſe. *Agareni* autem olim dicti, ab *Agar* ancilla *Saræ* uxoris *Abraæ*. Ex qua progenitus *Hiſmael*. Ejus
A ſtirpis poſteri tum *Hiſmahelitæ*, tum *Agareni* dicti. Hinc mirari licet ſummi Dei judicia, qui ad unius ancillulæ ab ipſo reprobatæ ſemen totius pene orbis imperium redigi permiſerit. Tenuerunt *Petreæ* montes in Arabia, qui *Melanes Græco* nomine, *Latino Nigri* dicuntur. Ab oriente *Judæam* contingunt contra ſinum *Arabici* maris. Ab occaſu pertinent uſque ad *Aegyptum*, *Arabia* dicta, quia *Arab* eorum lingua, deſerta ſignificet. Prioribus tamen ſæculis *Sabæa* gens appellata, ut apud *Geneſim* eſt videre, in Patriarchæ *Noë* poſteritatibus. Hanc *Arabiam* alii fœlicem: *Solinus* ſacram dicit appellatam. Quia omnis generis aromata atque odoramenta gignat, quibus Dii ſolent
B placari. Extenduntur longe lateque ad dexteram & ad lævam, ut & *Syriæ* montes & *Aegypti* pleraque ac *Lybiæ* deſerta incolant. Iccirco fera & immanis gens eſt, cum omnibus ſuperioribus ſæculis, tum in hunc uſque diem latrociniis maxime dedita. Rapto vivunt, & venationibus. Urbes, aut vicos rariſſimos habent. Sub divo cum uxoribus & liberis in tentoriis, *Scythico* de more vitam agunt. Arma illis nulla, præter ſcutum, enſem, & lanceam ex arundinis genere, quæ apud illos naſcitur ſolidiſſima: Et ipſi quoque ferro inviolabilis, corporibus ſiccis & humore carentibus, ſtatura juſta, fuſca facie, barba rara,
C Cæterum viribus & agilitate præſtant. Geſtus & inceſſus gravitate plenus. In latrociniis nemini parcunt, ut ipſe *Sultanus* tutum liberumque viarum tranſitum ſtatuta pecunia redimere cogatur. Apud *Arabas* igitur *Mahumetus* emerſit *Hiſmahelita* genere, ſordido loco, & parentibus idololatris. Utroque orbatus, puerilibus annis furaci quæſtu victum quæſivit, locandis conducendiſque mulis, ac camelis ad merces deportandas. Nam in hunc uſque diem furaciſſimi ſunt omnium. At vero ut primum adolevit, morem *Arabicæ* gentis, inter quos verſabatur, ſecutus latrociniis ſe totum dedidit. Inque ejus quæſtus genere tum calliditate ingenii, tum corporis robore, quibus
D rebus plurimum præſtabat, cæteris ex eodem genere latronibus ſicariiſque facile ſuperior evadit. Pecuniam ſibi comparat, manumque cogit, duobus aut tribus fortiter factis nomen inter populares adeptus eſt. Superatis igitur fortunæ impedimentis, primus illi affulſit ad dominatum favor viduæ mulieris, in cujus amorem ſeſe inſinuans, tum præſtigiis quibuſdam, & amatoriis carminibus, quibus apprime eſſet inſtructus, tum blanditiis variiſque artibus (ut fit) deceptam, ad conjugium pellexit, ſurripuit illi non pecuniam modo, ſed caſtella quoque a viro relicta. Quibus inſtructus, modo finitimos regi *Perſico* ſubjectos prædis abactis exagitat, modo alio rſum excur-
E ſiones facit. Secutus eſt *Heraclii* partes eo in bello, quod maximum cum *Coſdroe* geſſit. Non deſunt ex *Græcis* ſcriptoribus, qui *Turcum* quendam dicunt *Coſdroe* militem, quum procul eſſet *Mahumetum* conſpicatus audacius præliantem ſubditis equo calcaribus in eum incurriſſe, atque ſecundum faciem vulneraſſe. Eo confecto bello, creſcente indies dominandi libidine (ſemper enim cupiditati cupiditas major accreſcit) ecce apud *Conſtantinopolim* ingentem illi occaſionem ad magnas obeundas res fortuna contulit. Nam *Sarraceni*, quos diximus, *Heraclii* partes ſecutos, quum ſtipendia ægrius ſolverentur, diſtribueren-
F turque in pecuniæ locum togæ militibus, *Sarracenus* autem procurator ſuis quoque militibus togarum partem importunius expeteret, reſponſum a Spadone quæſtorio acrioribus verbis: *Quid*

me Sarracene tantopere urges? Ego ne Canibus panem dedero, quem debeo filiis? Accensus ira *Sarracenus*, *Canes igitur sunt*, *qui tantum imperii sanguine proprio Heraclio pepererunt? ipsi viderint.* Statimque citato ad suos equo: *Vacuus* inquit *milites pecunia ad vos redeo*, *plenus contumelia.* Relato Quæstoris responso indignabundi ad unum omnes *Umaro* duce ad *Mahumetum* transiere. Elatus tanto copiarum accessu *Mahumetus* non jam arenas, nemoraque *Arabicas*ve rupes, sed imperium ipsum orientis meditari cœpit. Nam *Persarum*, *Medorum*que regna, post adversum *Cosdroes* conflictum ad summam erat inopiam redacta, bellatoribus autem & exercitibus exhausta. Provinciæ vero *Romanæ* nullis ferme tenebantur præsidiis. Quæ dum animo secum volvit ecce lævum nescio quod numen a *Constantinopoli* Monachum suscitat nomine *Sergium*, qui incenso ad dominandi libidinem animo majorem quoque lignorum struem superinjiceret. Erat hic Monachus ingenio & facundia plusquam doctrina instructus. Honorem quem virtute & meritis assequi non posset, per nova dogmata consequi conatus. *Nestorianam* hæresim professus, de Ecclesia summo cum dedecore depulsus est. Ira concitus atque omni spe dejectus recuperandi apud catholicos honoris, audax autem ad omne facinus. *At ego* inquit *honorem quem hic assequi non possum*, *posteaquam aliunde quærere necesse est: Græcis* ostendam quid *Sergius* valeat. Celebris erat jam *Mahumeti* fama multaque de illius hominis, tum ingenio, tum nova crescente indies potentia ferebantur. Itaque ad eum proficisci constituit. Venisse se dicit ut illi ostendat, quo pacto si se audiat facile assequi possit orientis imperium. Duo illi esse necessaria vires videlicet, & populorum voluntatem. Copiis eum abundare, præsertim hac recenti *Sarracenorum* defectione. Nec dubitare quotidie alios quoque idem facturos. Nam omnes imperii duces, & copias ad extremam redactas inopiam. Amorem autem populorum, duo in primis maxime conciliare licentiam vivendi & religionis metum. Audivisse oportere quantis universæ *Romanæ* provinciæ premantur oneribus, exactores imperatorios non quidem exigere, sed diripere. *Heraclii* nomen paucis annis toti *Asiæ* non gratum solum, sed venerabile, nullas nunc aures ferre posse, odisse hominem propter avaritiam & detestari. Neque enim solitis esse contentum exactionibus, addere tributa tributis, onera oneribus, colere agros miseris colonis jam non licere, agrestia jumenta una cum instrumentis per vim auferri, mortem sibi omnes imprecari potius quam tantis in malis vitam ducant, avaritiam hominem excæcavisse, nihil aliud quam aurum sitire, aditus ad eum nullos esse, neminem audire qui de suis queratur exactoribus, omnia per interpretes agere, respondere illos non quod jussi sunt, sed quod ipsis est commodo, gemmis cogendis intentum inter pellices, & obsoletos vitam ducere. Nunquam igitur inquit optare potuisti certiorem o Rex occasionem ad imperium occupandum, quam nunc fortuna, quasi plenis tibi velis offert. Unum illud deest, ut ad ea, quæ illa subministrat ipse non desis. Ingenium artemque ad populos conciliandos addas. Miscere religionis aliquid opus est, & auctoritatem ex cælo petere. Quod principes multi fecerunt. Moventur populi in primis religione. Rudes & indocti omnis rationis expertes in fide labant. Discissi sunt christiani centum in hæreses, attriti oneribus, si veluti cælo demissus illis appareas, viamque illis libertatis ostenderis, pronuntiarisque omnium tributorum absolutionem, hac mercede, qua nullam gratiorem præstare po-

A tes, omnes ad tua signa concurrent. Iis & hujusmodi verbis *Sergius* ardentem suopte ingenio hominem, longe magis inflammavit. Advocatis *Judæis* aliquot ex multis, quos circa se plurimos habebat, aliisque christianis hæreticis, ex communi consilio decrevit cujuscunque sectæ populos pro viribus & ingenio ad amorem adjicere, addere divini numinis opinionem aliquam, miscere in unum *Judaicam* legem, cum fide christiana, & ex utraque accipere quicquid esset populis difficilius, tum creditu, tum factu. *Judæis* Messiam se asserit, promittit hæreticis ab Ecclesia pulsis profugium, populis autem omnibus B tributorum liberationem, ut autem christianis gratum se reddat, christum in primis sibi laudandum censuit, virum dicens fuisse sanctissimum & omni virtute præstantem, ut in Alcorano fateatur, supra hominem extitisse. Verbum & spiritum, & animam Dei nuncupat. De virgine natum confitetur, quam miris effert laudibus. Miracula omnia concedit, & quicquid Evangeliis continetur: Dum tamen Alcorano suo non discordent, corrupisse enim evangelia dicebat apostolorum discipulos, ut necesse fuerit per Alcoranum suum emendari. Inque ea confessione, usque adeo christianis eblanditus, ut baptizari voluerit a *Sergio*. C Hæc ad capiendos christianos in universum. Cum singulis autem hæresibus id servavit. Ex una quaque hæresi excerpsit aliquid quod servandum diceret, ut videretur cum omnibus consentire. Ex iis in unum confusis, ipse suam composuit. Negat siquidem trinitatem cum *Sabellio*: Binarium numerum in divinis ponit cum *Manicheo*. Negat æqualitatem patris & filii cum *Mario* & *Eunomio*. Spiritum sanctum dicit creaturam cum *Macedonio*. Probat cum *Nicolaitis* multitudinem uxorum, & per omnes ferme hæreses circumiens, aliquid ex unaquaque deligit quod sequatur. Nec *Judæos* expertes novæ legis sinere D voluit utrunque instituit & circumcisionem, & baptisma. Christum purum hominem Dei naturam simplicissimam. Testamentum vetus confirmat. Nisi quod idem quod de evangeliis supradiximus, dicebat corruptum multis in locis, a Judæorum posteris: Simulacra etiam inhibuit. His autem non contentus majorem ad capiendum omne genus hominum sagenam intexuit. Non fuit ullus unquam *Aristippus* ex *Cyrenaicis:* non *Cynicus* quispiam *Diogenis* canis sectator, qui ausus sit sordidiora fædioraque scriptis demandare. Gulæ, venereis & omnibus voluptatum generibus habenas dedit. Usque adeo ut suam post mortem E paradisum hisce in rebus constituerit angelos *Sarracenis* epulantibus pincernarum officium præstituros omnem turpitudinem ibi reperias. Addidit ad hæc fabulas quasdam, ne pueris quidem, & aniculis recitandas. In quibus tempus terere operæ pretium, non putavi. Quisquis nosse desiderat legat Alcoranum, generis humani miserebitur. His confectis rebus, pronunciari se se imperat a summo Deo legatum cælo demissum ad liberandum genus humanum ab injustis exactionibus, placari eum oportere hujus legis susceptione traditum sibi a Deo gladium, quo invitos & parere recusantes pœna mortis afficiat. Sin minus F tributis cogantur solis armis, non verborum ambagibus, rem divinam dijudicandam. Finxisse etiam ferunt Columbam ad ejus aures advolare solitam & Taurum mansuefactum scripta deferre cornibus involuta, quasi delata cælo. Legi qui scripserit: Non *Mahumetum* Alcoranum edidisse, sed ejus posteros scripta, quæ ille reliquerat collecta rithmicis versibus composuisse. Prius autem quam delecti compositores in unum convenirent, magnis contentionibus actum ut nonnul-

nullas provincias armis quoque ad eum librum recipiendum cogi neceſſe fuerit. In eo autem libro ſane nihil reperias ullo ordine, ingenio, doctrina, aut denique naturali ratione ſubnixum. Facile præ ſe fert compoſitum potius ab arma tractante, quam ab homine ſapientiæ dedito. Omnia vim, libidinem, licentiam ſpirantia. Adeptus igitur, tum armis, tum iis fallaciis, magnum in oriente nomen, arma movet adverſus imperium. Primus illi rerum ſucceſſus affulſit, rebellione *Damaſcenæ* urbis, & omnium fere *Syriæ* civitatum, convertit inde arma adverſus *Hormiſdam Perſarum* Regem *Coſdroæ* filium. Fractum adverſis paternis bellis facile compulit ad tributum, atque ad ipſius legem ſuſcipiendam. Inde reverſus *Antiochiam* urbem maximam nobiliſſimamque, & chriſtianæ religionis quaſi parentem, per deditionem recipit. Fuit hæc civitas duplici cincta muro, turribus ſexaginta ſupra cccc. Eccleſiis ſexaginta ſupra ccc. *Antiocheno* vero patriarchatui tres & quinquaginta ſupra centum Epiſcopi ſuffraganei extitere. Quæ civitas nullis profecto viribus, aut machinis expugnari poterat, quia tamen ſciſſa eſſet centum hæreſibus, quum audiſſent tributorum liberationem, facile afflictæ gentes, & omni ſpe deſtitutæ, ſine certo doctore, ſine lege ad excutiendum tam religionis quam tributorum jugum, ad eum convolavere. Similem quoque cladem ſacroſancta civitas *Hieroſolyma* perpeſſa. Nulla omnino virtute, aut viribus defenſa, cervicem fædiſſimæ genti ſummittit. Hæ artes & hæc conſilia plus etiam quam eblandiri ſpes ulla potuit, illius imperium propagavere. Non illa quæ nonnulli fabuloſa narratione tradunt. *Heraclium* ſemel acie victum & quinquaginta ſupra centum millibus amiſſis, iterum reparato exercitu nocte ea, quæ diem pugnæ præcedebat, alia quinquaginta millia nullo invadente hoſte exanimata reperiſſe. At ſi cauſas tam fælicis citatique progreſſus diligentius exquirimus, neſcio an ulla major *Mahumetum* juverit, quam *Heraclii*, ſive ingenii pravitas, ſive ignavia. Mox ſiquidem poſt debellatum *Coſdroem*, crucemque domini tanta cum gloria receptam, horum immemor a chriſto beneficiorum, omni ſe perfidiæ labe contaminavit. Suſcitavit primus hæreſim *Monochelitarum*, quæ deinde plurimum invaluit, unam tantum in chriſto voluntatem aſſerentium, ſortilegiis & magicis divinationibus ſe totum tradidit. Acceperat ab iis ut caveret gentem circunciſam, ab ea ſibi periculum imminere. Effugiſſe periculum viſus eſt propoſito edicto, ut *Judæi* ubique gentium vel inviti ad baptiſmum cogerentur, quaſi nihil a *Sarracena*, quæ eodem circuncidendi ritu uteretur, ſibi eſſet periculi. *Romæ* in vaſa ſacra per vim ab Exarcho direpta, manus injecit. Uxore defuncta, filiam ejus in matris locum conjugem accepit, ſuperavit tamen hæc omnia ingens ignavia contemptuſque rerum omnium, quæ ad rem publicam pertinerent. Qui quotidie ruere cernens imperium amiſſa præſertim *Aſia*, *Syria*que & *Aegypto*, quaſi vecordi animo ac ſtupente, omnia perditum iri permitteret. Itaque vix diſcerni queat, an audacia *Mahumetus* majori fuerit, an ſucceſſu fæliciori. Extinxit hæc labes & *Arrhianam* hæreſim, & cæteras præterea omnes. Ita ut quicquid erat veneni ſparſum inter illas minus annis centum in hanc unam confuſum conflatumque ſit per hos ſiquidem annos, *Syriam*, *Phænicem*, *Aegyptum*, *Aphricam*, magnam *Hiſpaniarum* partem a chriſtianis avulſam *Sarraceni* in ſuam poteſtatem redegere. *Bethicam* quidem, quam nunc *Granatam* appellant, *Vandali Gotthi*que obtinebant *Arrhiani* omnes. Admixti deinde *Sarracenis* jam ſeptingentis & amplius annis, in eos confuſi, atque tum locorum munitione, tum virtute, & armorum exercitatione tranſmarinis etiam ex *Aphrica* auxiliis, pelli inde ab finitimis chriſtianis Regibus non potuere. Ex iis temporibus cœpere *Veneti*, nunc cum imperatoriis claſſibus, nunc propriis ſignis & nomine, arma cum ea gente conferre, quin ſi alia non intercederet bellandi ratio, piraticam *Sarraceni* ab anno ſexcenteſimo ſemper exercuere, ut neceſſitas *Venetos* impulerit, qui tum per omnia maria navigabant, ſæpiſſime cum his navalibus præliis decertare. Executi ſumus hunc *Sarracenorum* curſum quam breviſſime potuimus, tam gentis quam ſectæ & imperii, rem ut mihi quidem videtur in primis memorabilem. Gentem enim aliam ab omnibus ſæculis ex tam humilibus initiis, tam brevi in tantum vel imperii vel ſectæ amplificationem excreviſſe non reperio. Tempus ad *Venetos* redire eſt. *Venetiæ* nomen uſque ad hanc tempeſtatem omni provinciæ mediterraneæ fuiſſe dubium apud neminem invenio. Cæterum *Langobardi* deinceps id nominis ſuſtulere, & publico gentis decreto, quicquid eſt ab hoc noſtro Alpium angulo ad *Abduam* uſque intra *Padum* & Alpes *Langobardiam* appellavere. Primus apud quem legerim *Venetias* numero plurali dictas, *Caſſiodorus* eſt. Poſtea videlicet, quam omnibus acciſis mediterraneis urbibus, earum profugi ad proximas inſulas & littora confugerunt. *Paulus* etiam *Diaconus*, qui ſcripſit *Langobardorum* temporibus poſt *Caſſiodorum* plurali numero *Venetias* appellat, ea præcipue ducti ratione, quia cum multa in his ſtagnis oppida eodem pene tempore conſurrexiſſent, quorum nomina haud ſatis eſſent externis nota, non irrationabile rati ſunt, eodem quoque nomine omnia appellare, libertati vero earum atque incremento, cum haud minus inviderent *Langobardi*, quam ægre ferrent cum Hexarcho *Romaniſ*que ſentire, laceſſere quotidie aliquo injuriæ genere, detinere, ſpoliare, fidem publicam fallere. Et quo acrius in oriente imperium premeretur, eo plus in *Venetam* gentem audere. Non tamen ut publice bellum unquam intulerint. Nam ex eorum Emporiis & navigationibus magnas tum commoditates, tum utilitates capiebant. Ferebant eos *Veneti* utcunque poterant impigre, ubi opus eſſet, occurrere. Nec dies nec noctes arma ponere. Longe diverſa a *Gotthorum* temporum ratione. Tunc enim tenues opibus, potius contemptui eſſe quam invidiæ. Poſtea vero quam auctis, tum opibus, tum populorum frequentia, invidia accrevit, neceſſitas inerat per virtutem præſentiamque animi libertatem conſervare, præcipue poſt orientalis imperii inclinationem. *Heraclii* ſiquidem poſteri quaſi paternam imperii hæreditatem accepiſſent ad imperium funditus evertendum, ita apud eos immutatæ ſunt naturæ morumque leges. Solent mortalium animi admoneri adverſis in rebus corrigique ac miteſcere, illo autem cadente imperio nequiores avarioreſque imperatores quotidie reddi. Amiſſæ jam erant totius orientis provinciæ quum *Conſtans*, quem alii *Conſtantium* appellatum volunt, *Heraclii* nepos, quaſi avo bene ceſſiſſet *Monochelitarum* hæreſis ab *Heraclio* cæpta ardentius illam quam avus ante feciſſet propagare adnixus eſt. *Martino* pontifici per nuncium imperat, neque enim precibus agere ex imperii dignitate cenſebat, ut eam hæreſim ſuſcipiat. *Martinus* ſumma virtute & ſanctitate Pontifex, id vero ſe facturum conſtanter negat, Imperatori jus eſſe petere quicquid in *Martini* bonis numeretur, Chriſti fidem & religionem ad unum Deum omnipotentem per-

pertinere, eam defendendam suscepisse. Nequaquam illam proditurum, videat quid avus paterque profecerint. Rem *Sarracenorum* & *Langobardorum* his seditionibus atque discordiis non imperii actam, qui *Asiam* pene totam & *Aphricam Italiam*que subegerint. Commotus indignatione *Constans* dissimulat ejus rei dolorem, transmittit ad pontificem ex suis quempiam, qui confingat Imperatorem pœnitentia ductum redire in gratiam velle cum pontifice, & Ecclesia, at vero vinctum catenis *Constantinopolim* deducant. Pontifex eo nuntio gaudio perfusus facile liberalibus blandisque verbis decipitur. Itaque ferreis compedibus injectis ad naves delatus *Constantinopolim*que miseranda specie transportatus *Cersonam Ponti* oppidum relegatus est, eundem habuit *Martinus* exitum, quem *Clemens* ejus nominis *Primus*, simili ferme injuria eodemque loco in exilio finivit. Enimvero *Constans* tanti sceleris paulo post multiplex piaculum tulit, nam *Mahujas Sarracenus* classe scapharum M. vcc. cum *Constantis* classe congressus, *Romano* fuso ac profligato; *Cyprum* insulam cepit ac diripuit. Anno insequenti idem *Mahujas* classe iterum educta *Cretam* Insulam depopulatus est. Induciæ deinde biennii inter eos pactæ, quibus peractis, alia super addita Imperio clades: *Armenii* quidem qui semper ad eam diem cum Imperio steterant *Sarracenis* fœdere juncti sunt: Amissaque per hunc modum illa quoque provincia est.

Tertio iterum *Mahujas* classe repetita ab *Alexandria* solvens, *Rhodum* insulam duxit cepitque. Colossum omnium maximum in portus ostio constitutum, non illius tantum urbis, sed orbis etiam ornamentum, *Judæo* homini pretio comminuendum dedit, eo ære noningenti cameli onerati. *Constans* ea clade permotus classem, quam maximam potest, conficit, congressusque iterum *Sarrhacenis* apud *Liciam* jam quartum fusus fugatusque, ea addita ignominia, ut mutata veste cæteraque relicta classe satis habuerit navicula fugam arripere. His tot tantisque flagellis admonitus, qui respicere debuerat, crudelior indies fieri ea *Monochelitarum* insania vexatus in multos parere recusantes tum verberibus aliisque cruciatibus tum bonorum spoliationibus, & exiliis atrocissime desævit. Dum ea in oriente geruntur non videtur hoc loco prætereundum *Aritperti* Regis, qui per ea tempora *Langobardorum* regnum tenebat, factum præclarum in regni administratione, longe diversum ab eo, quod in susceptione edidit. Nam qui Regnum *Comperti* Regis filio interfecto per scelus invaserat, summam suscepto regno in deum pietatem & in creditos sibi populos justitiam declaravit. Siquidem præter alia in *Romanam* Ecclesiam pietatis testimonia, *Alpes Cotias*, ubi nunc *Genua* est, tractumque illum *Ligusticæ* gentis ad inferum vergentem dono dedit Ecclesiæ. Justitiæ autem conservandæ usque adeo animum intendit ut interdum depositis regiis insignibus, ac mutata veste Regnum lustraret, exploraretque diligentius quid populi de se, quid de iis, quibus administranda credita erat justitia, sentirent, ut pro dignitate unicuique meritum referret. Adeo interdum, qui legitimum suscipit imperium, per omne latrocinium administrat, qui per scelus, & injuriam, pie sancteque, ludatque per omne ludorum genus mortalium animis fortuna, effugere enim primi facinoris piaculum non potuit. Nam conjuratione adversus eum facta, dum in fugam se proripit, atque in *Ticinum* amnem incumbentibus tergo inimicis se se cum equo demittit suffocatus interiit. Neque eo uno piaculo pœnas luit, in filios impuberes, qui nihil meruerant pœna processit. Ea

A siquidem re cognita *Grimoaldus* dux *Beneventanus*, relicto *Romoaldo* filio ad *Beneventi* & *Apuliæ* præsidium, quibuscunque potest copiis *Papiam* advolat, deturbatisque *Aritperti* filiis ipse Regnum invadit. Hos *Italiæ* motus *Clodoveus Francorum* Rex, quum persensisset, tentare ipse quoque fortunam statuit, si quando per eas *Langobardorum* dissensiones ad *Italiæ* dominatum posset irripere*, transmisit aliquot equitum cohortes quasi *Aritperti* filiis opem laturus. *Grimoaldus* dux fortis & impiger vix dum satis occupato regno illis ad Alpium radices occurrit. Collatis invicem haud magno intervallo castris, simulat timorem

* Forte: irrepere.

B fugamque. *Grimoaldus* castra relinquit, præda ac cibariis plena, præsertim vino, cujus est ea gens maxime appetens. *Galli* fuga hostium bene credita in deserta castra impetum faciunt, diripiuntque ac veluti jam parta victoria se se mero ingurgitant. Erumpit ex insidiis *Grimoaldus*, atque hostem nil tale expectantem invadit. Illi repentino insultu attoniti, incerti quid agant, facile opprimuntur, cæsique aut capti ad unum omnes. Expiatum tandem primum *Aritperti* regis facinus est. Nam *Perteris* filius a *Grimoaldo* paterno regno pulsus, dum patria extorris & errabundus per *Gallias* auxilium amisso regno quæritans vagatur

C nec invenit, atque in *Britaniam* trajicere meditatur: Vocem sine auctore ad eum perlatam ferunt. *Quid moraris regnum repetere? Quonam tibi iter est? Advola in Italiam defunctus est Grimoaldus, & tibi regnum servatur.* Miratus *Perteris*, & ut erat vir fortis & acer, sed divinis quoque rebus maxime deditus in *Italiam* flectit iter. Inque paternum regnum magno *Langobardorum* consensu subvectus est. Dum hæc in *Italia* geruntur, alia ex parte depravatum nimis *Constantis* ingenium quum intermittere non posset, quin aliquid nefandum semper cogitaret, expeditionem in *Italiam* meditatus est. Honesto quidem titulo, ut eam a *Lan-*

D *gobardis* liberet, quod nihil se per Exarchos proficere quereretur rem esse, quæ ipsum exigat imperatorem. Usus tamen eo consilio sapiens princeps, ut si id non succedat tamen ne vacuus redeat opimam ex ea provincia prædam *Constantinopolim* reportet. Magnam conficit classem multoque milite complet. Sumit ab *Athenis* navigationem, nec ullibi subsistit, donec *Tarenti* omnes copias exponeret, allati in *Italiam* rumores de Imperatoris adventu magnam cunctis populis expectationem præbuere, terrorem *Langobardis. Luceriam* urbem in *Apulis* munitissimam, per vim expugnat. Fælix principium cito fortuna destituit. Nam *Geruntiam* & *Beneventum* ag-

E gressus, repperit eas a *Grimoaldo* optime permunitas. Reliquerat ad earum præsidium *Romoaldum* filium, ipse ad evocandas undique copias, munienda oppida cæteraque paranda, quæ diuturno ac magno sustinendo bello opportuna judicabat profectus. Filius egregiam patri operam præstitit. Nam juvenis impiger & magni animi ubique occurrens imperatorios conatus elusit. *Constans* amisso copiarum duce *Græco*, quem secum advexerat *Saburrum* quendam *Neapolitanum* civem suffecit, non tam sine virtute quam sine nomine & gratia militari. *Græci* indigne ducem

F *Italum* ferentes, omne certamen cum *Langobardis* detrectavere. Itaque *Constans* tametsi copiis superior, tamen nonnullis suis cœptis incommodis, & præcipue, quod adventare *Grimoaldum* afferebatur satis habuit tuto posse *Romam* proficisci, obviam prodiit *Vitalianus* pontifex, sexto ab urbe milliario totius cleri populique frequentia suscepit, deduxitque maximo cum honore. Ipse vero summa usus mansuetudine & Pontificem adoravit, & Apostolorum & alias urbis Basilicas,

quas

quas omni opulentia refertas repperit. Nam sublato ex ea urbe Imperio reliqua remanserat auctoritas pontificatus, quam quisque per orbem veneraretur, & ad quam haberent adversis in rebus aliquid confugii. Itaque magno in cultu & honore pontifices habebantur. Afferebantur quotidie donaria amplissima, tum ex *Italia* tum undecunque. Itaque *Constans* quicquid studii in perlustranda urbe adhibere videbatur spes illud direptionis, & prædæ faciebat. Cœpit rerum omnium sine discrimine tam sacri usus, quam profani delectum habere, *Græcos* secum advexerat artifices harum rerum peritissimos, qui eum docerent, quid secum auferendum esset, & quid pontifici ac *Romanis* solatii causa relinquendum. Quæ tamen vasa maximi essent ponderis ea plurimum probabat. Itaque *Romam* a nullo unquam hoste tantum detrimenti passam ferunt. Una in re quam *Gotthi* aut *Vandali* prudentior, qui illi multa destruxerunt, laceraverunt, comminueruntque ac detrimenta reliquerunt, tum ut essent posteris testimonio Barbaricæ crudelitatis, tum quanta olim fuisset ejus urbis magnificentia ex reliquiis extantibus perciperetur. *Constans* ne ullum appareret vestigium furtorum latrociniorumque suorum, integra quæcunque potuit vasa, toreumata, statuas, columnas, marmora, tabulas pictas duodecim diebus, quibus urbem lustravit, in naves asportanda curavit. Eo patrato sacrilegio solvens, *Neapoli* dum apud *Syracusas* balneo ac libidini dat operam, a suis occiditur, & *Mezentius* quidam vel ut alii volunt *Missesius* a nonnullis ex ea classe militibus imperator est acclamatus. Interea *Langobardi* post imperatoris ex *Italia* discessum omni priore soluti timore effrenata licentia abuti. Unum aut duo subjiciemus exempla insigni crudelitate memoranda. Primum in *Venetis* patratum. Nam *Lupus* dux *Forojulianus* innato genti in *Venetos* odio diripere & ipse *Gradensem* Ecclesiam instituit navibus compluribus coactis militibusque completis *Gradum* annavigat. *Gradenses* incauti, & qui nihil tale metuerent, facile opprimuntur. Ille basilicam quæ quotidie magis florere incipiebat spoliat diripitque. Sed aurum illud sacrilego homini permagno stetit. Dedit enim continuo meritas sacrilegii pœnas. Nam dum *Lupus* ob eos, quos supradiximus de *Constantis* adventu ex oriente rumores haud mediocrem de re *Langobarda* concepisset metum, *Grimoaldus* autem *Lupi* copias evocasset ad suarum civitatum defensionem, quas in *Apulia* tenebat obaudivit. *Lupus* apud *Forojulium* se se continuit, maluitque alieno in periculo eventum expectare, quam spoliari viribus & copiis, commotus est *Grimoaldus*, vindictam autem distulit, donec *Constans* ex *Italia* decederet. Iterum vero *Franci*, qui hos motus audirent majorem quam antea manum parabant, quibus ut obsisteret *Grimoaldus Papiam* sibi relinquendam ex usu non existimavit. Sed ibi omnes copias continere statuit, ab *Avaribus* amicis petiit, ut in *Forojulium* descendant, atque *Lupo* duci quam maximum possint, bellum inferant. Cum *Avares Grimoaldo* amico satisfacere decrevissent, atque magna manu pararent in *Forojulium* descendere, *Lupus* vir impiger ac strenuus, qui hoc rescisset obviam illis ducit. Et apud *Flumen Histriæ* oppidum cum *Avaribus* congressus. Quatuor diebus pugnatum. Tertia *Lupus Avarum* castra capit ac diripit, ipsi ad montes dilapsi ibi sese continent, magnamque suarum copiarum partem, quæ nondum advenerant, expectant. Aucti copiis & præsertim recentibus, *Avares* prælium redintegrant, atque in *Langobardos* impetum faciunt. *Langobardi* triduano prælio de-

A fatigati cum sustinere vix arma humeris possent, fusi fugatique sunt, & *Lupus* est interfectus. *Avares* deinde *Venetiam* ingressi cædibus & rapinis omnia longe lateque fœdavere, nec nisi maximis precibus, annitente *Grimoaldo* (qui quas cupiverat de inimico pœnas sumpsisset) stragibus finem fecere. Cæterum quoniam historiam earum rerum texere in animo non est, libet summatim hoc addere vix unquam *Venetias Forojuliumque* ex eo tempore quo *Langobardi Italiam* ingressi sunt, annum sine cædibus & rapinis transmisisse. Præcipue vero post *Heraclii* & imperii in oriente inclinationem, ut extemplo dicemus. O- B mittendum autem non est insigne *Grimoaldi* crudelissimumque facinus. Quo uno impietate ac crudelitate omnem Barbariem superavit. *Forum Popilii Flaminiæ* civitas *Romani* imperii fidem semper secuta, non nihil *Grimoaldi* militibus, qui inde iter agerent (ut in bellis plerunque solet) damni intulerat. Id vero indignanter tulit *Grimoaldus*, & simulato in *Ethruriam* itinere per *Apennini* juga convallesque insuetis tramitibus cum expeditis aliquot equitum turmis in *Flaminiam* descendit. Prima luce sabbati sancti cum suis consedit haud procul ab urbe. Et qua hora populum omnem convenisse ad Basilicam divini C celebrandi officii causa est arbitratus, Civitatem ingressus ad Basilicam exsertis gladiis pergit. Convenerat populus clerusque omnis sacris amicti vestibus ad solennia peragenda. Cædem ab his *Langobardus* incipit, tum deinde in omnem multitudinem veluti furore concitus, debacchatur. Non ab veneranda senum canitie, non ab infantibus puerisque temperatum, quum in sinu & complexu parentum jugularentur. Parentes deinde ipsi cervices præberent. Grassatum pari perfidia & crudelitate in omnem sexum, & conditionem. Completa cadaveribus Basilica miseranda specie, tum per reliquam urbem excurrit, D eandemque ubique cædem edidit. Neque eo contentus in omnia urbis ædificia desævit, atque uno die & civitas desiderata est & omnia urbis ædificia solo æquata. Sed non ibi conquievit *Italiæ* & præsertim *Venetiæ* malum. Quin iterum nova non attigerit calamitas. Nam *Arnephites Lupi* de quo supradiximus filius, *Sclavorum Dalmatarumque* manu repetere paternum *Foro Julii* ducatum adortus cum multorum ejus provinciæ defectione populorum secundo successu pervenisset ad *Natissonem* usque fluvium: missus a *Grimoaldo Vectarius* dux *Vincentinus* delectis copiis occurrit. Acre commissum inter eos præ- E lium, *Vectarius Arnephitem* magna cæde profligatum interfecit. Nec satis illud afflictæ *Venetiæ* fuit, quippe quum *Grimoaldus* cognovisset *Opiterginos* in *Venetis Arnephiti* partes sequutos eodem odio percitus paucis post diebus in eos ducit. Civitatem capit & jam quarto radicitus evertit. In corpora civium tamen haud aliter desævit, quam ut relictis armis cum singulis abirent quo vellent vestimentis. Agrum omnem divisit in *Forojulianos*, *Tarvisinos* & *Cenetenses*. Profugi cives patria extorres ad paludes sese recipiunt. Quum vero *Heraclia* novum *Venetiarum* oppidum confugientem multitudinem capere F haud posset, adversum littus tenuere. In quo *Equilum* oppidum constructum, & alia Episcopalis sedes dedicata. Idem fecere plurimi majoris ordinis viri, ut inde *Torcellum* se conferrent, novas construerent Ecclesias. Aliam *Sergio* & *Baccho*, aliam *Maximo* & *Marciliano*. Vicum appellaverunt *Constantiacum* a *Constantio* imperatore, qui tunc vitam agebat. Quod si pro vero recipimus: Sic enim *Andreas Dandulus* scribit: Ergo alio nomine tunc appellatus est, quum pri-

primum ex *Altini* ruinis est ædificatum. Sex enim scribit tunc conditas insulas & earum unam *Constantiacum* appellat. Neque enim tunc eo no- A mine potuit appellari. Extant adhuc ejus vici monasteria. Ipse vicus a fluctibus submersus.

LIBER NONUS.

Si cui forte nimium externis in enarrandis rebus insistere videmur, pauca de *Venetis* attingere. Primum quidem profitemur nos longe magis, si datum esset optavisse, ut eorum, quæ illis accidere temporibus uberiorem memoriam mandatam litteris haberemus, deinde admonemus nos operis initio professos, non tam primam *Rivalti* originem descripturos, quam eas, quæ accidissent causas & eos labores cur *Venetiæ* conderentur, sed adactis paupertate & inopia litterarum scribere tantum licuit, licetque quantum nobis a majoribus relictum est. Elaboratumque paulominus annis quadringentis priusquam perfecta dici possit & absoluta. Continuatæ siquidem *Italiæ* calamitates, & incommoda, quæ tamen conjunctæ rebus labantis imperii, fecere, ut apud *Venetos* cresceret quotidie convenarum frequentia, unde tandem condita dici posset. Quo autem pacto in dies singulos aliqua accesserit familia, atque aliquod construeretur ædificium, id vero memoratu impossibile, cum præsertim non aliquo subitario mortalium concursu coaluerint ad eam magnitudinem, quam exquirimus, sed sensim, & per continuata quæ dicimus annorum spatia, ut cum quotidianæ clades nunquam desinerent, quotidie quoque aliquid his insulis accederet. Prosequemur igitur cætera ut fecimus, & qui plusquam dimidium itineris peregimus, centum quoque qui supersunt annorum labores breviter transigemus. Illud fortasse intelligere quispiam expectet, nunquid oppida in æstuariis posita a maritimis injuriis vexata sint, an vero, quod vix credibile sit, tranquilla semper pacataque perstiterint. Nam cum mare hoc *Dalmatis*, & *Histris* gentibus feris & latrociniis maritimis assuetis infame semper extiterit, fieri sane non potuit, quin aliqua aliquando a mari illata vis aliquod incommodum non sit acceptum. *Gradum* sæpe oppidum & spoliatum, & direptum, cum a *Langobardis*, tum a *Saracenis* accepimus, propter eas, quas initio quinti libri *Venetiarum* diximus, conditiones. Aliis vero de insulis & oppidis nihil legimus. Unius tantum apud *Rivaltum* de piratis vindictæ vel tempus, vel causam incertus sum vicissene dicam altitudinem temporis, an vero adhuc in obscuro versari. Vestigium tamen illius extare potius dixerim, quam claram quasi faciem. Ea est seu vindicta seu victoria, ob quam supplicatio *Mariarum* a majoribus appellata originem habuisse fama celebravit. Morem ferunt fuisse, ut *Venetæ* virgines cum parentibus & cognatis statuto quotannis die, quarto videlicet nonas februarias ad Ecclesiam Episcopalem in castello insula sitam accederent. Juvenes autem convenirent ad virgines contemplandas. Ibi præsentibus parentibus & agnatis de nuptiis agebant, cum quisque quæ sibi magis placeret, posset deligere. Accidisse autem ferunt, ut nocte ejus diei, quo conventus celebrari soleret (Annus enim quis fuerit incertus) *Tergestini* piratæ *Venetorum* hostes, aliquot cum navigiis profecti hora conventus Templum invaderent, ornatumque virginum diriperent. Fugientes cum præda piratas Juventus *Veneta* navibus agillimis insecuta, eos offendunt ultra *Caprulas* oppidum, fessos tum vigilia tum labore remigandi, ita integri obrutos vino somnoque inva- B dunt, parvo negotio naves cum hostibus capiunt, aut mergunt, prædaque omni recepta pœnas de prædonibus gladiis repetiere. Ob eam lætitiam memoriamque bene gestæ rei, ut illis temporibus magna cum lætitia susceptæ indictam ferunt supplicationem in singulos annos. Hanc ego sive victoriæ sive vindictæ nomen meretur veram extitisse non dubito. Supplicatio siquidem antiquissima est, neque ab re existimari debet instituta, sed fœlicem aliquem & insignem pro tempore eventum designavisse. Fama per manus a majoribus tradita in hunc usque diem perseverat, Victoriam de *Tergestinis* prædonibus eo die partam. Quo vero tempore acciderit obscurius, *Gotthorum*- C *rum*ne, an *Langobardorum*. Nam *Petro Polano* Duce (ut quidam volunt) nullo modo placet. Siquidem *Venetorum* opes ea tempestate majorem in modum erant auctæ, ut credibile non sit paucos piratas in frequentem omni populo Ecclesiam, duobus cum navigiis ad hoc facinus impetum fecisse. *Langobardorum* vero credibilius. Nam & aperta tum erant omnia oppida insularum littorumque, ut fieri non potuerit quin crebro cum his navalibus *Veneti* certaminibus dimicarent. Cæterum dum hæc scribimus ille nobis mos silentio prætermittendus non videtur, quem scribit *Herodotus* apud *Babylonios* extitisse. Et nos initio hujus operis perstrinximus. Scribit *Secun-* D *do Historiæ Libro* solitos quotannis *Babylonios* juvenes virginesque ad locum convenire ex lege constitutum nuptiis celebrandis. Lex ea erat ut præco ab omnium pulcherrima inciperet, & publice interrogaret, quis nam juvenum vellet majori eam pretio licitari, plus offerenti tradebatur. Deponebatur pecunia apud magistratum. Eo pacto per pulchritudinis gradus ad alias descendebatur. Pulchris viro datis, tum ad deformes se præco referebat, & a turpiori incipiens, eam licitabatur, qui minori vellet. Perque hunc modum ex pulchriorum pecunia deformibus dotes comparabantur. Additque *Herodotus* audivisse morem E hunc apud *Enetos* existere in *Illyriis*. Qui si hæc ea gens est, quod ego initio operis pro incerto posui, potuit ille licitandi mos vetustate deleri, servari solummodo quasi vestigium aliquod ejus consuetudinis apud eam ætatem de qua scribimus. Enimvero hujusmodi pompa sicut illis sæculis minores erant opes, ita minori quoque apparatu agi solitam probabile videtur. Crescentibus vero opibus luxuria quoque (ut fit) in immensum excrevit. Centum enim ab hinc annis abrogata penitus est, ut eam hæc ætas nunquam viderit. Tota oblivioni data publicis in monumentis ejus vestigia quædam videre licet. Singulæ urbis viciniæ numero ad sex & sexaginta pro cu- F jusque frequentia, Virgines duas ex nobilioribus, aut ad summum quatuor exornabant aureo & gemmis & omni cultu corporis quam poterant splendidissimo. Exornandi cura mandabatur ejus viciniæ primoribus per vices singulis quibusque annis. Petebatur hoc munus ingenti ambitione, & certamen erat in his componendis maximum. Primum ducebant honorem sumptu cæteros superasse. Hoc igitur ornatu ad sanctum *Marcum* navibus quæque suis conveniebant. Duce honoris causa salutato universa pompa iter castellum versus dirigebat, ibi solenni celebrato sacrificio,

Epi-

Episcopum clerumque omnem naves accipiebant, & sancti *Marci* versus pompa deferebatur. Dux omni cum nobilitate *Bucentaurum* conscendebat: Navis ducalis ea est: *Bucinatoriam* latino vocabulo eam nonnulli interpretantur. Nescio an probari hoc debeat navem omnium maximam, quæ Ducem majestatemque publicam veheret, navem *Bucinatorum* appellatam. Suspicari potius libet insignitas fuisse puppes pictura aliqua, quæ magnum centaurum repræsentaret. Quod fieri semper solitum apud *Venetos* in puppibus longarum navium videmus. Conjectare enim in hujusmodi obscuris decentius est, quam pro certis asserere. Nam & poëtæ centauri, & chimæræ & pistris nomina navibus dedere. Hoc apparatu supplicatio ordine ferebatur. Celebrabatur tribus festis diebus. Primi diei pompam exposuimus in sequentibus duobus per urbis *Euripos* deducebatur, in plures divisa quasi ordines. Contendebatur interdum acerrimis studiis, quibus duceretur rivis, magnæque ex hoc discordiæ sæpius ortæ. Dum quisque propter domum propriam devehi contendit. Descendebant etenim virgines in privatas nobilium propinquorum domos. Ibique frequentibus tum conviviis epulisque, tum aliis quoque lætitiæ generibus agebatur dies. Sublatum hoc festi genus, seu potius per desuetudinem abrogatum post *Clodiense* bellum, quod maximum gessit hæc civitas, centum ab hinc annis. Illud nascentis populi lætitiæ superstes vestigium permansit, ut dux quotannis vigilia ejus diei ducalibus exornatus insignibus, & ingenti nobilium comitantium pompa, ad ædem Beatissimæ *Mariæ Formosæ* gratiis agendis excedat. Quocunque autem tempore hæc acciderunt, nunquam hujusmodi injuriæ a mari destitere. Siquidem post translatam in *Rivaltum* ducatus sedem, sæpe a *Sclavis* piratis interdum a *Saracenis* littora hæc & insulæ vastatæ. *Gradus* ipsa & *Caprulæ* depopulatæ. Dum hæc apud *Venetos* aguntur, illuxit in orientem novi post *Constantium* imperatoris pietas & virtus, ut superiorum imperatorum malignitati perfidiæque nonnulla daretur intermissio. *Constantinus* siquidem *Constantii* filius cum de patris nece (ut superiori libro descripsimus) esset allatum, classe e vestigio summa celeritate confecta, ad opprimendum *Magnetium*, qui se pro imperatore apud *Siciliam* gerebat, advolavit. Reperit tyrannum nudatum spoliatumque copiis tam terrestribus quam navalibus. Proditus a suis in *Constantini* potestatem venit, meritasque luit pænas. Facili deinde negotio & exercitum & classem & *Italicam* omnem gazam recepit. Reversus *Constantinopolim*, magna cum gloria suscipitur. Scribunt nonnulli *Saracenos* audita *Constantis* morte ex *Aphrica* in *Siciliam* transfretasse. Transvexisse *Constantii* prædam in *Alexandriam Ægyptum*que. Ego tamen hac in re *Græcæ* historiæ, & *Andreæ Dandulo* magis accedo. Statim enim *Constantinopolim Romanis* illis ornamentis refertam omnes viderunt videntque statuis præcipue columniis, aliisque admirandis opibus, quorum tanta fuit copia, ut ad ornandas quoque *Venetias* multa deinde translata sint. Vasis item & Gemmis, atque auro miro artificio fabrefacto, quarum profecto rerum nihil omnino apud *Alexandriam* conspicitur. Reversus *Constantinus* seu naturæ bonitate, seu paternis avitisque flagellis admonitus, *Monochelitarum* obrenunciata hæresi, Catholicam fidem professus collapsas eorum Ecclesias majorum negligentia, summa cura restituit. Quibus intellectis rebus *Agatho* pontifex summo gaudio perfusus atque ab eo invitatus *Constantinopolim* est profectus. Maximis susceptus est honoribus. Multa de componenda utriusque ecclesiæ pace collocuti. Quibus in rebus facilem se præbuit imperator. Cæterum illud quoque *Agatho* perficiendum sumpsit, si forte posset, pacem quoque & concordiam inter *Langobardos* imperiumque componere. Ea vero dum agitantur, *Saraceni* majori quam unquam antea confecta classe, *Constantinopoli* ipsam petere adorti sunt. Magno tunc periculo christiana res versata est. Affuit imperatoris pietati optimus Deus, nam quum *Gallienus* quidam architectus ab *Helyopoli Syriæ* transfuga ignem *Romanos* edocuisset, qui sub aqua arderet, eo artificio concremata omnis *Saracena* classis, hostilesque copiæ ingenti accepta clade dissipatæ, usque adeo ut pacem ab Imperatore *Saraceni* petierint, eamque conditionem acceperint, ut quotannis libras auri mille persolverent, servos quinquaginta equosque totidem. Quoniam autem magnas jam radices miserat hæresis illa *Monochelitarum*, placuit tum imperatori, tum Pontifici convocari concilium. Sexta igitur synodus apud *Constantinopolim* celebrata, ad quam validius firmandam *Agathonis* pontificis oratores advenerunt. Hæresis magno consensu damnata. Quoniam autem tum propter urbis nobilitatem, tum propter propinquitatem harum paludium sæpius nobis de *Ravenna* urbe, & habita mentio est, & habenda, hoc non omittendum videtur. Creverat ut libro quinto docuimus magnam in amplitudinem, Jamque ad id devenerat, ut *Romano* Pontifici non pareret. Nam quum ex primis patrum institutis omnis electio Episcoporum ad clerum accedente consensu populi pertineret, confirmatio autem ad proximum superiorem, utpote ad Archiepiscopum, Archiepiscopi ad Primatem vel Patriarcham, Primatis ad summum Pontificem, summi vero Pontificis ad Imperatorem. *Ravennæ* autem urbis Archiepiscopus nullum haberet superiorem Patriarcham, ejus confirmatio ad summum Pontificem jure ipso pertinebat, servatusque erat mos iste, donec in immensum evecta in deliciis esse cœpit Imperatorum, quorum erat jus non in Episcopos solum, sed in ipsum quoque Pontificem, facile ea civitas ab Imperatore impetravit, ut statim delectus Archiepiscopus, nulla habita confirmationis ratione, pro confirmato haberetur, inoleverat mos iste ad usque *Constantinum* & *Agathonem*. *Ravennates*que Archiepiscopi deligere soliti suffraganeos sibi subjectos & consecrare. Nullum omnino neque in eo quod diximus neque alia ulla in re adversus illos *Romano* Pontifici jus erat. Accidit autem ut *Theodorus* Archiepiscopus sive innata homini fide ac virtute, sive (ut nonulli ferunt) commotus cleri *Ravennatis* petulantia, & injuriis, laudante eam rem *Olympo* Exarcho eodemque comite *Romam* proficisceretur. Ibi *Theodorus* solenni consensu se suamque sedem *Agathoni* sedique *Romanæ* submisit. Edidit aliud quoque signum *Constantinus* pietatis in Deum & in *Romanam* sedem reverentiæ. Nam quum antea *Romani* Pontifices *Romæ* delecti confirmationem ab Imperatore expectarent, ut supra *libro* VII. docuimus, is *Constantinus* edicto pronunciavit, ut quem Clerus & populus, & exercitus Pontificem delegisset, is sine alia confirmatione Imperatoria pro Pontifice haberetur. Dum vero hæc aguntur, tractatus concordiæ pacisque inter *Langobardos* & imperium dilatus. Quod quidem imperium ne diutius conquiesceret, nova *Bulgaræ* gentis examina ad *Danubii* ripas consedere. Incertum habeo utrum illa gens fuerit ea, quam supra *Agelmundum Langobardorum* Ducem interfecisse docuimus, an ea, quæ *Zenone Isaurico* imperium tenente *Constantinopolis* subur-

bana depopulata eſt. Novam fuiſſe plerique volunt. Quum igitur tranſire *Danubium* pararent ejus gentis metu percitus *Conſtantinus* occurrere illis inſtituit, flumen omnibus cum viribus tranſmittit, ut in ulteriori potius *Miſſia* & procul ab imperii corde bellum gerat, quam poſt receptum intra viſcera hoſtem de imperio dimicare cogatur. Cæterum fefellit eum ſpes, nam hoſti congreſſus, maxima ſtrage eſt profligatus, atque poſt magnas longe lateque depopulationes, ſatis habuit inito cum his fœdere, atque amicitia utramque *Miſſiam* inhabitandam concedere. Quievere interim *Bulgari* aliquot per annos, ſed nulla ſatis firma ferocis inter ingenii populos eſſe pax poteſt. Alterna itum viciſſitudine pacis & belli, poſtea vero quam majorem in modum deminutum illud imperium eſt. Firmiorem deinde aliquanto pacem reddidit Beatiſſimus *Cyrillus* oratione ſiquidem & miraculis Regem cum univerſa gente ad chriſtianum ſuſcipiendum baptiſma perduxit. De quo quidem Rege memorabile illud. Qui cum præter chriſtianum characterem ad monaſticam quoque vitam ſe contuliſſet, Regnumque adminiſtrandum majori natu filio reliquiſſet, atque ille paterno contempto exemplo rediſſet ad gentilitatem, Pater commotus filii temeritate, egreſſus monaſterium, & monaſtica tantiſper veſte depoſita, ſceptro regio reſumpto, filium in vincula conjicit, atque tam viſu quam regno deturbat. *Non ego* inquiens *te regem inſtitui, ut aliter quam a me edoctus eſſes, Regnum meum gubernares, amittes tu viſum regnumque poſteaquam tibi mentis oculos animi impietas excæcavit.* Suffecto itaque in ejus locum filio natu minori, ſumma gentis concordia & pace, ad monaſticam vitam, quam ſemel voverat reverſus eſt. Ejus autem gentis adventus, ſedeſque datæ, non parvo tandem imperio uſui fuere. Tenuere eas uſque ad *Turcorum* in *Europam* tranſmiſſionem, multa cum iis prælia geſſerunt, repreſſi *Turci* multoties, neque ullam gentem ferociorem acrioremque in bellis experti ſunt, ut ætate quoque noſtra *Bulgari* complures de *Turco* hoſte victorias reportarent. Hæc autem quæ ſupradiximus Imperatoris *Conſtantini* adverſa cum *Bulgaris* prælia in *Italiam* allata pacis tractatum omnem cui *Agatho* magnopere ſtuduerat diremit, *Langobardorum* animi elati ad omnia quæcunque libido & avaritia ſuaſiſſet audenda, cum viderent imperium duplici vexatum morbo, uno externis *Saracenorum* *Bulgarorum*que bellis, altero diſcordiis pontificum, & imperatorum, nihil jam in *Italia* ſanctum, nihil fidei reliquum eſſe. Pontifices deſtituti tranſmarinis auxiliis, per ſe ipſi quid poſſent? Mittebantur Exarchi ſine ullis copiis viribuſve. Copiæ, quas apud *Ravennam* puſillas tenueſque tenerent, paſcebantur civitatum ſociarum non tam proventibus quam rapinis. Itaque pontificis atque Imperatoris partes ad id jam redactæ, ut nihil relinqui videretur, niſi quod *Langobardus* ſponte & velut in gratiam permiſiſſet. Maxime ea tempeſtate *Venetiæ* auctæ cum tanta malorum incommoda *Italia* ferre non poſſet. Multæ acceſſere familiæ, multæ Eccleſiæ conditæ, in quis apud *Torcellum* Eccleſia cathedralis Beatiſſimæ virginis, ubi depoſita corpora ſanctorum *Heliodori Altinenſis* Epiſcopi liberalis confeſſoris *Trabæ* & *Rabatæ* & *Theoniſti* martyrum. Item brachium Beatiſſimi *Jacobi* Apoſtoli. Scriptum legi cum *Luitprandus* Rex, qui paulo poſt *Grimoaldum* regnum accepit, omnem *Flaminiam*, *Ethruriam*, *Campaniam* uſque vaſtaret, Urbemque *Romam* ſe jam jam obſeſſurum minaretur, *Gregorium* Pontificem mari legatos ad *Carolum Martellum* miſiſſe, imploratum auxilia *Romanis*

A & Eccleſiæ laborantibus. Bellum gerebat *Martellus* adverſus *Saracenos*, qui ſubactis *Hiſpaniis* magnam *Galliarum* partem omnem videlicet *Aquitaniam Pireneis* montibus adjacentem *Rhodanum* uſque occupaverunt, tanta fœlicitate uſus ut ccc. Lxx. millia *Saracenorum* uno prælio ab eo interfecta ſcriptores tradant. Fama tantarum rerum permotus *Gregorius*, miſit ad eum per legatos claves confeſſionis baſilicæ ſancti *Petri*, ſic enim appellant, his verbis: defendis tu nunc *Gallias Carole* a Chriſti hoſtibus, ſi Chriſti amore duceris, præcipuam chriſti ſedem tutare, Regnum *Franciæ* propagaſti, eripe ab inimicis B arcem chriſtianæ fidei in extremum diſcrimen adductam, alioquin non Chriſto ſed tibi tot labores ſuſcepiſſe videbere. Illud memineris majores tibi gratias referre Chriſtum poſſe, quam tu concupiſcere. *Carolus* legatos Pontificis perquam magno honore accepit. Reſpondit videre eos quantis nunc diſtineatur, tum curis, tum periculis. Cæterum bono animo faciant Pontificem & *Romanos*. Non dubitare pro eo, quod ſibi eſſet cum *Luitprando* Rege, fœdere, atque amicitia in ſui gratiam ab urbe *Roma* & a Pontifice temperaturum. Erant jampridem magno vincti amore. Neque aut *Martellum* ſpes fefellit, aut C *Gregorium Martellus*. Audito ſiquidem *Caroli* nuncio *Luitprandus*, reſpondit perquam liberaliter, obſequi ſe illius deſiderio paratum. Caſtra continuo ab urbe *Roma* procul amovet. Nam *Luitprandum* accipio (ut illius Regis prudentia ſummopere laudatur) nihil diligentius per tempús omne, quo regnum tenuit obſervaſſe, quam ut *Francorum* & *Avarum* amicitiam diligenter excoleret. Illa maxime ratione, qui hinc *Avares* ab oriente, hinc *Francos* ab occidente finitimos haberet. Illis autem amicis nihil eſſet regno ſuo metuendum. Ex his autem quæ poſtea conſecutæ ſunt rebus, *Francorum* nomen ſingulariſque D præterea ejus gentis in *Romanam* Eccleſiam pietas celebrari cœpit, inque ejus potentiam omnes reſpicere. Quippe cum res *Italicæ* imperii viribus, & auctoritate ad eum uſque diem ſtetiſſent, neceſſe erat, ut illo labente hæc quoque conſueto ſeu proprio deſtituta auxilio caderet. Nam *Juſtinianus Secundus* eandem *Monochelitarum* hæreſim ſuſcitare aggreſſus, manus & ipſe in *Sergium* Pontificem injicere per Exarchum adortus eſt. Paulo poſt pænas ſceleris dedit. Bis imperio dejectus, bis ægre reſtitutus. Truncatus denique naribus auribuſque, ludibrio orbi fuit. Neque evolvere hominis fortunam nunc nobis ani- E mus eſt. Satis fuerit miſerabile *Ravennæ* urbis exitium breviter perſtringere. Nam dum *Juſtinianus* flagellis admonitus magna ex parte reſipiſſet, excolere autem & gratificari *Romanæ* Eccleſiæ omni pietatis ſtudio contendit, perdidit pene *Ravennatem* Eccleſiam & civitatem. Extulerant *Ravennam* ut ſupradiximus Exarchi Imperatorii maximam in ſuperbiam, inflictum illi Eccleſiæ ab *Agathone* Pontifici Archiepiſcopi confirmandi vulnus. Tulerant ægerrime & præcipue omnis fere nobilitas, maxime quia poſt *Gotthorum* tempora, vetuſtæ illæ nobileſque *Romanæ* familiæ ceciderant. Ea re factum erat, ut F *Roma* pene collapſa, vix ſpiraret. *Ravenna* autem mirum in modum cunctis rebus eſſet amplificata, ut tandem parem ſe faceret nobilitate. Itaque quum *Fælix* ejus urbis Archiepiſcopus a nonnullis novarum rerum cupidis elatus vendicare omnino ſe ſe in libertatem tempore *Agathonis* amiſſam conſtituiſſet, veteremque pecuniæ penſionem, quæ *Romano* debebatur pontifici, pernegaret, inque cæteris rebus a *Romano* Pontifice imperatis ita ſe gereret, quaſi nihil ſibi negotii cum

cum *Romana* esset Ecclesia, posteaquam certioribus nunciis est allatum *Constantinum* Pontificem detulisse ad *Justinianum* de *Ravennatis* Archiepiscopi contumacia, etsi difficile *Fælix* existimabat Imperatorem quicquam acerbius adversus civitatem imperio carissimam commissurum. Audacior tamen quam ad resistendum paratior, convocatis ad concionem civibus præsertim amicis & necessariis, quibus *Romanum* pontificem existimabat invisum. *Ravennates* inquit *cives mei, & si vobis ecclesiæ nostræ causam cum Romano pontifice perspectam esse non dubito, quam ex me sæpius audistis. Tamen & innocentiam purgare nostram decrevi, & sententiam quid agi placeat explorare. Privatæ quidem cum illo mihi nunquam fuere inimicitiæ, omnes vestra causa susceptæ. Sane commoda rationesque meæ poscebant, ut illius potius amicus esse cuperem, quam inimicus, sed eam demum summam patriæ charitatem semper existimavi, si honorem dignitatemque meorum civium cæteris post Deum commodis anteponerem. Fateor me ferre non posse illius injurias, nobilissimamque totius orbis Ecclesiam ab Imperatoribus regibusque omni semper honore decoratam, a Romano Pontifice quotidie intolerandam in servitutem redigi. Quid enim superiora recenseam? Quæ vobis sunt non magis memoriæ quam dolori, ut contra jus fasque extorquere a nobis Agatho ausus sit, quod amplissimo atque æquissimo Imperatorio privilegio possedimus. Solebat hæc sedes Imperatorum beneficio, immunis omnino esse a Romana, quem Archiepiscopum deligere vobis placeat, is nulla indigebat Romani pontificis confirmatione. Nunc si Deo placet Romanæ confirmationis necessitatem instituerunt, ut si Romanus nolit eum, qui a vobis deligitur, ejici spoliarique vestro beneficio necesse sit. Ergo quia Theodorus vobis, & huic sedi inimicus prodere voluit honorem fidemque sedi suæ promissam, id ergo nos per ignaviam omnes patiemur? Quis hanc contumeliam ferat? Solebat hæc sedes vicinarum Episcopos Civitatum, quæ huic urbi circumstant deligere, unde & pentapolis est appellata, Beneficia totius Exarchatus conferre, causas dijudicare, appellationes admittere. Duravit mos iste ab usque patrum avorumque memoria. Eripuere Romani pontifices vobis omnia hæc, & unius Archiepiscopi vestri superbissima violentia, qui non Archiepiscopum, sed tyrannum hac in sede se se gerebat, Romam transtulere, nunc eo non contenti hanc adinvenere pensionem, nimia facilitas novam facile injuriam parit, nuper repertam dicunt vetustis in codicibus, eam quasi debitam repetunt. Recusavi fateor, recusaboque, nisi forte perdere quoque hoc mavultis, & quod ipsi cupiunt, servitutis jugum subire. Ergo si aliud quoque confingant tributum, incognita re persolvemus? Quis tandem illis erit finis injuriarum, nobis servitutis? Omitto quædam falsa conficta de me crimina, ut qui jure non potest, ad maledicta confugiat. Non ea pertimesco. Id ægre fero, id molestum est, nobilissimam hanc sedem vestram hoc pacto pessundari. Vixi semper in oculis vestris, vivoque. Si quid a me peccatum, illud est quod Ecclesiam vestram vosque omnes nimium semper dilexi. Nunquam inconsultis Ravennatibus meis patiar hujus Ecclesiæ jura perfringi, neque gloriabitur Romanus Archiepiscopum vestrum minis adactum permisisse omnibus ornamentis & commodis vestram Ecclesiam spoliari. Cur enim permiserim? Non video unde illi tantum superbiæ accreverit, vobis autem tantum virium sit imminutum. Quid si unquam fuit tempus fratres optimi in libertatem vindicandi, hoc profecto illud est. Quid Romanis antiqui roboris restat? Omnis extincta ejus urbis nobilitas. Civitas jacet desolata ac deserta incolis, obruta ruinis. Nullus senatus, nulla justæ civitatis species. Translata sunt in hanc urbem summi Dei benignitate omnia Romana illa antiqua decora nobilitatis magnificentiæ, opum, ipsius denique virtutis, ut vetus illa Roma resurrexisse apud nos videri possit. Adde quod externa, quæ illis adesse solebant auxilia, omnia sunt amissa. Dissident cum Imperatoribus. Expilantur, spoliantur. Nonne iis annis Constantius quicquid apud eos fuit insigne, vel pretio, vel arte, omne aurum argentumque cælatum cæteras denique ejus urbis reliquias Constantinopolim advexit? Nuper Justinianus Zachariam Protospatharium Romam ad injicienda Sergio pontifici vincula nonne transmisit? Et tamen hominum sive sævitiam sive superbiam augeri videas. Quid vos? Quo loco vos habet Imperator? Diligit hanc urbem perinde ac oculi pupillam. Hæc sedes imperii est. Hic ærarium. Hic castra observantur Romana. Est mihi præterea cum Langobardo Rege vetus familiaritas. Fidissima cum Mediolanensi Aquilejensique Archiepiscopis amicitia, qui Theodori Archiepiscopi vestri factum, indignissime tulerunt. De liberandis nostris Ecclesiis sæpius inter nos actum. Non dubito quin si quid acrius moverit Romanus, non aliter quam ad commune depellendum jugum præsto sint affuturi, cum omnibus opibus sociarum civitatum. Nolite hanc occasionem omittere, quæ semper non aderit. Audendum nunc est. Plura interdum præstat animus, quam vires, libertatem, quam eripere volunt, liberis vestris retinete. Nuncium ego si ita videtur ad Justinianum quamprimum mittam purgatum, quæ pontifex detulerit. Nos quibuscunque necessariis occurremus.* Hæc cum *Fælix* dixisset & illius amici ad exacuendas concionis iras magis quam ad consultandum convenissent, pro se quisque laudare *Fælicis* consilium, & se se in libertatem vindicare velle profitentur. Neque enim fieri posse credebant, ut *Justinianus*, qui plura ante in Pontificem *Romanum* odii multa in *Ravennam* urbem amoris dederat argumenta, adduceretur, ut gravius quidpiam adversus eam statueret civitatem. Cæterum omnia *Fælici* temere agenti infæliciter cessere. Raro enim fælix temeritas est. Quippe *Justinianus*, qui nihil magis optaret quam offerri sibi occasionem declarandi erga Pontificem animi, imperat *Theodoro* patricio classem apud *Siciliam* agenti, ut quamprimum aucta classe *Ravennam* proficiscatur, det operam ut *Fælix* Archiepiscopus pontifici satisfaciat. Quod si forte facere comtemnat, vinctum cum quibus visum sit *Constantinopolim* deducat. Archiepiscopus & illius factio ut primum facti sunt certiores de illius adventu, evocare omni studio contendunt ex omnibus *Flaminiæ* civitatibus, *Cervia*, *Comaclo*, *Cæsena*, *Forocornelio*, ac *Popilio* quæcunque possunt auxilia, idemque ex omni Exarchatu. Nec segnior *Theodorus* postea quam cognoscit per nuntios re armisque non verbis agendum fore, in *Illyricum* declinans inde non supplemento solum sed numero quoque classem auget. *Arenetis* quotquot naves in promptu habeant accersit, & ut in tempore adsint ad *Ravennam* admonet. Quibus comparatis rebus postea quam classis se se in conspectum dedit, consternati metu *Ravennates* turbulentius omnia, quam res exigeret obire, festinare, trepidare, interdum quid agant incerti subsistere, excurrere interdum, neque satis quid consilii capiendum dispicere, progrediendumne esset, an regrediendum. Sed raptis ut primum potuere armis convenerant ab Exarchatu auxilia omnis generis multitudine. Itaque cum non amplius tempus egeret consilio accurrere ad mare omnes ad arcendum procul a littore hostem. Cum vero *Theodori* milites tranquillam nacti tempestatem pluribus de locis cœpissent ex navibus in littus

proſilire, *Ravennates* autem ſine duce, agreſti impediti potius quam inſtructi multitudine, quæ & inermis & ſine telis adveniſſet, cum impares ſe ſe viribus perſpicerent, territi hoſtium audacia, maxima pars a littore retro cedere & ad fugam ſpectare cœpit. Pauci conductitii pugnam cum *Græcis* conſerere auſi. Nonnullum ibi prælium commiſſum. Cæterum parvo negotio cæſi ac repulſi terga vertunt. *Theodorus* eos cædendo conſectatus cum fugientibus in urbem eſt ingreſſus. Quæſtione deinde habita, eorum, qui Archiepiſcopo faviſſent, nonnullos interficit, alios *Romam* delegat, pleroſque una cum pontifice in vinculis habitos, venditis direptiſque omnibus eorum bonis *Conſtantinopolim* deducit, *Fælici* Archiepiſcopo *Juſtinianus* candentis æris inſpectione viſum hebetavit, atque una cum cæteris *Ravennatibus* per *Ponti* oppida relegatos diviſit. Hanc cladem *Ravennatem*, ut ſcriptores tradunt, ſi quis non ſolum hujus belli *Langobardici* tempora percenſeat, ſed *Gotthorum* quoque calamitates, vix ullam reperiet huic ab infælicis pontificis temeritate exortæ, conferendam. Ne-A que dubito finitimos circa populos exhorruiſſe, cum ſpoliatam tam brevi civibus nobilioribus primariam *Italiæ* civitatem viderent, quæ nuper alias omni floruiſſet opulentia, ſibique mirum in modum pertimuiſſe. Adeo fluxa incertaque erant omnia. Eo miſerabiliora quo haud ſatis ſtatuere animo poſſent, Imperatoriane ſequerentur ſigna an *Langobarda*. Cum par utrinque periculum non parentes conſectaretur, *Veneti* quidem non miſerari non poterant, quantum licet iis in rebus, quæ alioquin ex uſu commodoque accidere videntur. Nam quum ea civitas in viſceribus harum paludium hæreret, non poterat non cum periculo libertatis *Venetorum* oppidorum accreſcere, nec B decreſcere quidem, quin eorum libertas tutior, & cæteræ commoditates ampliores redderentur. Haud ignarus ſum aliquot me annos excurriſſe, ex quibus *Veneti* primum jam ſibi ducem delegerant. Cæterum malui prius *Juſtinianum* expedire, & applicare ſuperioribus, ne in ſequentem librum ſeriem narrandi noſtram interruptio aliqua turbaret.

LIBER DECIMUS.



Quo pacto auctæ *Venetiæ*, & præcipue *Rivaltus* vel frequentia civium, vel locorum amplificatione, ſuperius declaratum. Ut non ab re quiſpiam forte miretur tot loca tanto inter ſe ſpatio diſtantia hinc inter barbaros conſtituta & ſuſpecta omnia hinc vero inter piratas *Illyricos*, quaſi tamen uno eodemque ſpiritu, tot ſæculis libertatem tueri potuiſſe, ſed longe magis ea increſcit admiratio, quod annis fere ſexcentis (tot enim fluxere ab Eccleſia prima in *Rivalto* condita uſque ad primum fortunæ fælicioris acceſſum, quæ anno domini milleſimo aſpiravit) nihil unquam ab externis *Venetæ* genti ſuis in ſtagnis fuerit ereptum, nihil ipſi terra, vel mari alieni acquiſitum, continuere ſe ſe propriis æſtuariis incluſi littoribus & continentis ora. Prima ſiquidem illis fuit *Dalmatiæ* receptio. Nam cum ab accolis montanis per principum ſeditiones aſſiduis vexationibus premerentur, imperium autem orientis indies concideret, ut auxilium afflictis ſociorum rebus ferre non poſſet ſponte *Venetos Dalmatæ* accerſiere. Qui explorato Imperatoris conſenſu, magna confecta claſſe, Duce *Petro Urſoilo* urbes illas accepere in ditionem. Hæc mari, terra vero ante annos mille ab urbe condita Dominatus gratia in continentem *Veneti* pedem non poſuere. Ea cum mente mecum ipſe volutarem, videbam hanc tarditatem accidiſſe, qui maria fere omnia, portus, inſulæque ſtante *Romano* imperio, facile in officio ac pace continebantur. Quum autem poſt annum domini milleſſimum multis tum bellis, tum ſeditionibus fatigatum iret in præceps, Barbarique illud & præcipue *Turci* jam jam oppreſſuri viderentur, concurriſſent autem Chriſtiani principes ad illius auxilium, quum proficere nil poſſent, ne Chriſtianorum loca præda eſſent infidelium, multas civitates & inſulas recepere. Multa tum *Veneti* pretio, multa per deditionem adepti. Eam rem cum ſtagnorum *Venetorum* accolæ, quique Civitates eas principes tenebant magno (ut fit) concuſſi metu *Venetæ* ſurgentis potentiæ quotidie acrius animadverterent, ad ejus excidium intendere animos cœperunt, novum belli genus meditati, ut videlicet longius productis in hæc æſturia fluminum foſſis omnia arena complerent in continentemque C redigerent, Caſtella pro terminis erexere. *Veneti* qui facile animadverterent, quid ſibi vellent hujuſmodi munitiones aliis fruſtra tentatis remediis ad arma iere, perque tercentum & amplius annos conſtituendis finium terminis depugnatum, donec *Tauriſium* primum & aliquot poſt annis *Patavium*, *Vicentiam*, *Veronam*, circiter annum domini milleſimum quadringenteſimum receperunt. Longius autem digreſſis ad tempora de quibus ſcribimus reverti placet, & brevibus refellere, quod interdum ſubire multorum animos ſolet, repletas tum fuiſſe has inſulas & littora ex infimo hominum genere, nullos autem nobilioris conditionis viros acceſſiſſe. Qui hoc exiſtimant D meminiſſe debent centum fere annis ante hæc tempora ſcriptam fuiſſe *Caſſiodori* epiſtolam, in qua *Venetias* prædicabiles appellat, plenaſque nobilibus dicit. Ut ſi de oppidis jam in ſtagnis conſtructis loquebatur certiori non egeamus teſtimonio. Sin vero de *Romanis* circum ea ſtagna coloniis, cuinam incredibile videri debet, eos non propinquas potius ſedes appetiiſſe, præſertim tutas, atque ſub eo cælo poſitas cui aſſueviſſent ab infantia, quam excluſi tam *Italia*, quam patrio ſolo in tranſmarinam aliquam, *Tranſalpinamve* Barbariem, tam lingua quam moribus diſſimillimam tranſmigrarent? Adde quod in illis etiam nationibus nihil erat ea tempeſtate tutum, nihil paca-E tum. Nam & *Heraclii* temporibus amiſſa eſt *Aſia Syria*que, *Phœniciam* & *Aegyptum*, & *Africam Saraceni* magna ex parte ſuas fecerant, uſque adeo, ut & in *Siciliam* & *Italiam* ingentes educere claſſes auderent, omniaque direptionibus populationibuſque fædare, *Germaniæ* vero atque *Galliæ* ab *Athila* uſque ad hæc tempora omni bellorum genere jacebant attritæ. Ita quidem ut illa ſæcula conſideranti mihi, non natio, non lingua, ſed totus pene orbis in ruinam concidiſſe videri ſoleat. Quis præterea non videat conſtare non potuiſſe diutius tantam mortalium multitudinem ex infimis ordinibus, niſi nobiliores di-F vitioreſque commiſcerentur? Humanam ſiquidem ſocietatem pluribus temperari ordinibus neceſſe eſt, quorum ſinguli cæteris indigeant, ſingulis cæteri ea quibus abundant, conferre poſſint. Varietas, enim humanæ indigentiæ, quæ ſparſa per omnes eſt ordines, varia quoque ſupplementa

ta poscit. Quibus multa oportet cum artificia tum studia subministrent. Ordinem vero nobiliorum, quis non maxime necessarium existimet? Cum in omni conventu nedum Civitate, ordo ille locum teneat, quem tenet caput in corpore, ut juxta sit civitatem stare sine nobilitate, atque quodcunque corpus sine capite. Quinimmo si ordinum vim & naturam diligentius inspicimus, longe magis inferiores confugere videbimus ad superiores, quam inferioribus accedere superiores, ad copiam etenim semper indigentia confugit. Abundare autem magis divites quam inopes nemo nescit. Quod si locorum angustiæ animo subeunt, ut non satis commode potuerint viri nobiles & laute vitam ducere, meminisse debent ducentorum annorum spatia præbere potuisse satis magnam parandis necessariis omnibus commoditatem ad honestum vitæ cultum. Nam sicuti omnia tempus aufert, ita omnia quoque tempore perficiuntur, ut sane existimandum sit, non defuisse illis locis nobiles colonos, nec loca colonis nobilibus excipiendis, sed ut non tantum nobilitate crescerent, quam dignitate & moderatione rerum, factum est novis incommodis acceptis, quæ nunc dicemus. Non etenim solum ex commodis incommoda sed commoda etiam ex incommodis sæpius eveniunt, accidit enim eodem fere tempore, ut nonnulli ex finitimis, latronum more quasi communi consilio diversis ex fluminum ostiis erumpentes *Gradum* & *Heracliam* & *Rivaltum* oppida invaderent. A mari quoque naves nonnullæ onerariæ quæ ex oriente venissent, a piratis noctu æstuaria ingressis, cum custodias *Veneti* negligentius agerent, furtim opprimuntur priusquam navium custodes somno obruti, satis intelligant, quinam mortales in eas transcenderint, re palam facta, & clamore excitato a propinquis aliis navibus, quæ juxta in anchoris starent, fit undique concursus, Prædones cum se detectos intelligerent, in suas resiliunt, cum telo quod primum ad manus illis obvenerat. Prius autem quam concursus pugnam dirimat, atque illi se se in fugam vertant, cæsi aliquot, non nulli quoque vulnerati onera tamen navium magna ex parte conservata. Ea cædes & damna, cum querelis omnia complevissent, statim indictum apud *Heracliam* concilium. Flebiles ibi primum exaudiri voces, maxime vero quorum intererat, non esse mirum hoc accidisse, illud admirandum non quotidie pejora nunciari, ignaviam magistratuum in culpa esse, qui nec leges nec mores revereantur bona civium pro nihilo haberi. Itaque singuli (ut in hujusmodi solet) post rem peractam memorare aliquid, quod si esset actum nihil susceptum esset detrimenti, spectare jam res ad seditionem, nec audere majores natu adversus concitatam multitudinem quicquam proloqui. Circumstant *Christophorum* patriarcham, orant ut pro auctoritate, qua maxima inter eos populos tum pollebat, compescat & temperet eos motus. Grandior erat ætate vitæ quoque sanctitate ac meritis & usu rerum humanarum, quicquid consuleret, quasi oraculum haberi. Facile omnes ad eum oculos convertunt. Itaque oratione breviter facta ad implorandum sancti spiritus auxilium, sic deinde locutum accipio. *Exposcitis a me fratres carissimi quid in his vestris periculis ac malis, quæ vobis ab infestissimis insidiatoribus quotidie inferuntur censeam faciendum. In quibus lugeo vobiscum miseratus fortunam vestram, in qua ego pariter vobiscum senex confectus ætate constitutus sum. Etsi vero ab hac re videatur abhorrere professio mea, cogit me tamem caritas vestra ut vobis quoquo modo possim satisfaciam. Neque enim erit ab re qui curare debeo animarum salutem, consulere quoque ve-*

A *stræ omnium incolumitati. Cum ad bene recteque vivendum conducat non parum salutaris rei publicæ defensio. Ad quod officium me compellit, tum vetus illa pietas, qua ad me olim pari animorum consensu hæc dignitas delata est, tum vel maxime recens hæc quam ex præsenti studio erga me vestro intueri licet, misereor igitur vestri fratres, atque hujusmodi lachrymas, & incommoda ut a vobis abigam libenter, si liceat in me meaque ipse convertam. Non tamen ut diffidendum ducam de divina clementia. Monemur enim ab Apostolo, ut adversis in rebus spem fiduciamque non amittamus, quæ magnam habet apud eum retributionem. Itaque forti simus*
B *animo, & quod primarium est, mali causa diligentius dispiciatur. Causa enim cognita facile remedium adhibeas. Primum enim illud considerandum videtur qualem nobis locorum, qualemve rerum statum dederit seu natura, seu loci necessitas. Vasta patet stagnorum amplitudo. Coguntur hi accolæ vestri & naves instruunt ad oram. Unde sint erupturi non intelligitis. At illi prodeunt quasi ex insidiis latronum more. Quid nos? Et per mutuam pietatem, ne sint hæc dicta in ullius injuriam. Non enim ea nobis persequi licet, culpa enim est rerum locorumque, non aliuscujusquam. Primum conventus indicitur, expectatur ut tribuni conveniant. Tum consultatur,*
C *qui classi præsint. Hic vero nihil dicam amplius. Neque enim decet, & tacerem si per caritatem liceret. Satis fuerit unum aut alterum exemplum attulisse, ex quo facillime malim per vos ipsi, quam a me causam teneatis. Fortunatus olim solvens ab Aquileja decem navibus nocte intempesta, refracto Natisse ostio, cum ad officium antelucanum canonici convenissent, spoliato per vim & arma Patriarchio posteaquam prædam per otium sortitus est, pridie quam vestri tribuni gradum appellant, incolumis Aquilejam cum præda est reversus. Quanta cum indignitate non dico. Sane si audita re statim Venetus advolasset, impetum fecissent in latrones, deque*
D *his prædæ adhuc incubantibus, quod facile licuit, supplicium sumpsissent. Quis dubitat quin nec Lupus Forojulii dux, qui Gradum iterum, nec Lupi filius, qui Equilum & Heracliam petivere, nostras aquas nunquam attigissent? Illinc igitur celeritas hostium mihi videtur in causa, hinc tarditas nostra. Hæc autem nonsolum naturæ vitio oritur, sed rerum etiam interdum necessitate, vincere tarditatem nisi diligentia & celeritate non possumus. Diligentia quidem ut munitionem vigiles in officio continenter maneant, in occurrendo aut auxilia si fieri possit advolent, quæritis igitur quo pacto id efficiam, loquamur liberius, detegatur morbus non in contume-*
E *liam, sed ut curetur. Hostis antiquus humani generis, nullo sæviori telo mortalium petit animos quam ambitionis, Eorum præsertim qui excellere videntur, aut natura, aut fortuna. Flens dico, imperare omnes volumus, parere nemo. Sic pereunt una duo vel maxima omnibus in principatibus bona. Quis enim bene imperet non bene parenti, aut quis bene pareat ardens imperii cupiditate? Hinc seditiones, diffidiaque, dum omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ rei publicæ, contenditur in sententiis. Quæ sunt decreta tergiversamur. Moras inducimus. Quod alteri placet, displicet plerunque alteri. Cedere invicem nolumus. Primi sumus ubi utilitas,*
F *at ubi periculum paucos videmus, sed quæ rebus agendis maxime nocet propria populorum tarditas & negligentia irrepit, de quibus querimur cui quidem malo, nisi providetis, plures parentur naves licet, melius instruantur, aptiores sint vestri milites ad nautica opera, semper ad hujusmodi cædes & rapinas, lachrymæ & ejulatus vestrorum audientur. Quod igitur inquiet aliquis remedium? Non ego afferam aliud, quam quod sapientes semper attulerunt, ut contrarium contrario tollam, calido frigidum, fri-*

gido calidum, si enim in multitudine vitium est, nempe nihil magis multitudini contrarium, quam unus, reducatur res ad unitatem, salva erit res Veneta. In uno igitur principe qui cuncta moderetur, cuique cæteri ordines libenter cedant illa insunt commoda: Primum quod abstuleris incommoda, quæ dixi, & contentionis & æmulationis. Omnia deinde graviter & mature deliberari, & ab uno celeriter effici videas. Quibus duabus in rebus agendarum rerum fælicitas inest. Considerate præterea etiam atque etiam animis vestris longe dissimilem vobis ac populis cæteris, qui multitudine reguntur, esse vivendi rationem, siquidem cæteri conclusi iisdem mænibus quotidie una conveniunt, dictis sententiis decernitur, statimque peragitur. Et tamen impediti multitudine vix evitari incommoda multa possunt. Vobis autem ratio longe dispar. Siquidem ambitus est maximus. Ex altera parte pro mænibus littora sunt, ex altera continentis ora. Multa utrinque ostia veluti portæ, multa oppida, multi tribuni. Accedit ad hæc incommoda, quod interdum eodem tempore & ab hostibus ex continenti, & a Piratis a mari improviso invadimur. His tot tantisque malis multi eant obviam, sed ad unum principem omnes respiciant, necesse est, unus sit temporum rerumque moderator. Continebit fluminum custodes in officio. Naves instructæ signum expectabunt. Ut primum navem ipse insilierit contectas aquas navibus videbis. Ipse ad primam periculorum molem procurret, ad minora mittet alios. Liberius vos fratres cum finitimis hactenus habuistis, exiguis opibus, & extra invidiam constitutis. Quædam enim animalia parvitas ipsa reddit tuta. Nunc quia auctæ sunt opes, invidia metusque accrevit. Et quid præterea dicam quantum in re gerenda valet auctoritas? Auctoritas in quam vel apud tuos, ut pareant, vel apud externos ut pareant injuriis? Ipse Senatus populusque Romanus pene collapsus, nunc unius pontificii nominis sustinetur auctoritate. Et Langobardi cum in multos sese divisissent duces post multa detrimenta ad Regem tandem reverterunt. Nec mirum. Quis enim sine duce exercitus, quæ sine Navarcho navis, sine patre familias domus, bene rem gerat? Agite igitur bene juvante Deo eligite fortem, justum, deum timentem, in pauperes pium, in improbos severum. Honore insignibusque sit princeps, justitia & innocentia par cæteris. Pœniteatne vos hujusmodi principis? Sed ubi inquiet aliquis phœnix iste? Satis sit interea deligere cæteris meliorem. Nemo enim quia caput non habet omnis expers vitii, non mavult habere caput, quam sine capite hac illacve agitari. Sedere hoc in consessu video aliquot, quorum si quem unum deligatis, non pœniteat. Ipse Deus omnipotens vota secundet vestra. Ea cum dixisset Patriarcha maximis laudibus ejus sententia ab universis accepta. Itaque absumptis aliquot diebus tum quotidianis sacrificiis, supplicationibusque, tum erogandis etiam eleemosynis omni studio summi Dei clementiam placare annixi sunt, ut principem daret, qui *Venetam* rem pace & ubertate salvam præstaret & incolumem. Prius autem quam electio haberetur, placuit de nomine & de regendi potestate consultari. In ducis nomen consensum. Cum regium nimis videretur invidiosum, & in *Italia* desuetum, semper enim hæc civitas tam nomina quam mores, qui præ se nimiam ferrent elationem, odio est prosecuta. Nostro siquidem sæculo vidimus regiam dignitatem a *Frederico Tertio* huic oblatam civiatati, quamvis autem summi Dei benignitate *Venetum* posset imperium ejus majestate nominis sustinere, nemo tamen unus inventus, qui auderet eo de nomine tanquam insolentiori ad senatum referre. Nam quod nonnulli existimant hanc dignitatem *Venetis* collatam ab Imperatore, non invenio Imperatores in ornandis illustrioribus viris, nomine usos ducali, sed aut patricios, aut tribunos aut consules aut magistros militum, aut protospatharios nuncupasse. Sane Ducum dignitate eodem fere tempore, hinc *Langobardi*, hinc Exarchi *Ravennates Italiam* replevere, Nam & *Beneventanum* Ducem, & *Spoletanum*, & *Forojulianum* & *Bergomatem*, & *Taurisinum* legimus. Neque in his solum urbibus, sed & *Bononiæ* & *Anconæ* & *Iaderæ* etiam præfuisse duces: Prius autem quam deligerent, lege diffiniri placuit ducis potestatem. Ne postquam esset creatus, aut ipse sibi majorem arrogaret, quam par esset, aut per gratiam popularem consequeretur. Itaque decreverunt, ut præesset majoribus in causis, quæ publicam dignitatem salutemque respicerent. Jus haberet concionem publicam convocandi. Tribuni vero jus dicerent privatis in causis, ut antea. Eosque unusquisque sibi populus constitueret. Provocare tamen ad ducem liceret gravioribus in causis. Concilia Episcoporum & clericorum non nisi permittente duce cogerentur. Prælaturæ & Ecclesiastica beneficia a clero & populo delata acciperent a duce possessionem, quam appellant investitionem. Quod ne cui mirum videatur civitates religioni, & *Romanæ* sedi semper deditas ita constituisse, meminerit quod supradiximus sæculis illis morem fuisse, ut *Romani* pontifices a Clero populoque delecti non tamen inirent pontificatum nisi confirmati prius ab Imperatore. Siquidem *Gregorius Gordiani*, qui postea fuit primus summus pontifex ejus nominis, missus est a *Pelagio* novo delecto pontifice ad *Mauricium* Imperatorem purgatum *Pelagium* si pontificatum iniisset, antequam principalem confirmationem acciperet, coactum enim invitumque fecisse. Idem quoque facere *Ravennates* Archiepiscopos oportebat. Aliquot autem per annos hoc confirmandi munus obiere Exarchi Imperatorum nomine. Primus *Constantinus Constantii* filius & *Justiniani* secundi pater, sanctionem edidit, ut quem Clerus & exercitus populusque *Romanus* elegissent, is e vestigio pro pontifice haberetur, nulla expectata aut a principe aut ab Exarcho confirmatione. Ex *Veneta* igitur nobilitate *Paulus Heraclia* oriundus Dux creatur anno Domini sexcentesimo nonagesimo septimo virtute & claritate generis facile primus. Jusjurandum a patriarcha præstitum omnium nomine populorum juste ac sancte ducatus administrandi. Quæ tum insignia susceperit, haud quaquam ab ullo traditum accipio, præter capitis ornamentum. Non tamen ut extento posterius in altum cornu tereti atque pleno, quale nunc Duces gerunt, extiterit. Sed ut ex antiquissimis picturis videre pluribus in locis licet & præsertim in Aede sancti *Marci*, mitra altius eminebat, quasi in pyramidis figuram, ut summorum Pontificum mitras videmus, licet illæ albæ, hæc vero purpurea. Limbus semper aureus oram bireti præcinxit. Collum quoque circundare monili, quod *Bavarum* vocant ab ea fortasse gente nomen profectum, quod eo prima usa fuerit, sandaliis quoque sive calceis picturatis uti illis egregium fuit. Nihil prius *Paulus* duxit, quam intestinas externasque discordias sedare, omnis publicæ fælicitatis inimicas. Quod facile est consecutus, tum nova auctus dignitate, tum diligentia prudentiaque. Id etiam facilius, quod apud *Forojulium* nunquam inter *Langobardos* civiles motus cessavere, dum desciscunt Duces a Regibus. Siquidem Reges plerique apud *Ticinum* regiam cum tenerent, Duces vero *Forojuliani*, aut *Spoletani*, quum abessent inde longius deficiebant sæpius a Regibus, & fere semper in armis

mis erant. Inito Ducatu firmavit diligentius fluminum custodias, & castellis munivit. Statuit ut oppida omnia navium numero pro opibus imperato ad omne Ducis signum, in armis essent. Navalia construerent septa munitaque, quorum adhuc vestigia videmus, ne aut accolis aut piratis paterent. Factum principis diligentia per omnem ejus ducatum, ut *Veneti* fines illæsi ab omni externorum injuria perseveraverint. Cum *Aritperto* Rege amicitiam coluit. Fædus iniit cum *Luitprando* a quo multis immunitatibus est donatus. Quod bellis alii plerunque solent, ipse amicitia & officiis patriæ fines auxit. Propagavit eos a *Plavi* majore ad usque alveum vetustum, qui *Plavis* siccus appellatur. Eosque deinde privilegio *Desiderius Langobardus* confirmavit. Scriptum reliquit *Dandulus* id egisse *Paulum* de finibus prorogatis una cum *Marcello* militum magistro. Quod si ita est, apparet eum magistratum, aut ante Ducem fuisse, aut cum ducatu cœpisse. Scribit præterea magistros militum apud *Græcos* omnibus tribunis ante latos extitisse, quasi populi moderatores. De eorum temporum magistratibus plura profari haud facile est. Neque enim ulla fere extant, quod sæpe querimur eorum temporum bene digesta monumenta. Si tamen decet hæc & hujusmodi conjectura assequi, multos crediderim ejus generis extitisse creatos magistratus, qui nunc extant. Quis enim credat judices non datos mercaturæ? non datos rei nauticæ? non stabilibus bonis? non pactis conventisque? Quin progrediar si licet ulterius, multa quoque eorum temporum nomina in hæc usque nostra continuo usu derivata. Cum nomina novandi, non videam quænam ulla satis digna afferri possit ratio in his præsertim magistratibus, qui ex civitatum natura, non autem ulla ingruente nova ratione, semper creati sunt. Quales multos videmus, tum forenses, tum conciliorum genera. Sicuti *Romæ*, ex quo cepere prætura, ædilitas, tribunatus, censura. Cæterum quemadmodum suspicari quodcumque libet, licet ita temere affirmare quæ obruta sunt tanta oblivionis caligine non decet. Idem quoque dici de legibus jure videtur posse. De his enim scribere certius aliquid non ausim. Duo in universum attingere non piget, quæ & innata sunt genti, quæque nunc etiam videmus extare. Nam tamesi tempora delabuntur, locorum tamen natura, & quæ ab ea proficiscitur vivendi disciplina, mutari nequeunt, ex quibus duci leges oportet. Nam cum omnis *Venetorum*, hominum vivendi ratio mercatura constaret, gerendis autem negotiis, nihil esset tam infestum adversumque quam implicatum litigiis, foro detineri, ubi tempus contereret, melioribus impendendum rebus, tollendæ illis fuerunt causæ omnes, ex quibus lites orirentur, aut in longum protraherentur. Primam igitur his malis dare causam viderunt legum multitudinem & prolixitatem, qua ex re varii interdum fallacesque a causidicis sensus, diversæ & vafræ interpretationes subministrantur. Fieri autem ex eo, quod qui valerent ingenio & lingua, dominarentur in judiciis, novis semper cavillationibus, & versutiis intenti, quibus ementirentur veritatem in æternum causarum exitus protrahi curarent. Ex his immodici subsequebantur sumptus capite ipso majores. Ad eas evitandas res utile existimarunt paucas esse leges, & quam fieri posset brevissimas. Facile hoc comprobatur ex his, quibus nunc in foro utuntur. His nihil potest esse brevius. Legibus igitur imperatoriis omnino abstinuerunt, quod nonnulli ad eam causam referunt, ne præjudicium facerent *Venetæ* libertati, nonnullorum Regum exemplo. Ego tamen magis in eam partem accipio quam supradixi, adinvenerunt autem judicandi formam longe breviorem contractioremque. Quoniam autem paucis brevibusque legibus causæ omnes comprehendi non possent, aliud necessario consequebatur, ut videlicet cum deficerent scriptæ leges, æqui & boni ratio apud eos plurimum valeret. Innatus est enim gentibus fere omnibus æqui bonique sensus & ratio, ut secundum ea judicari omnes cupiamus. Nam quæ scriptæ sunt leges, hominum leges recte dici possunt, æqui vero bonique rationes divinæ existimari solent, quoniam ab ipsa natura proficiscuntur. Hæc pauca de forensibus legibus, quibus contrahentium inter se civium voluntates mutuæque obligationes diffiniuntur, statuta *Veneti* appellant. Aliud apud eos legum fuit genus, quas veteres *Romani* tum plebiscita, tum senatus consulta appellabant. Hoc legum genus variabile est juxta rerum temporumque conversiones ad reipublicæ statum magis pertinent, quam ad privatum civitatis usum. Has leges *Veneti* partes vocavere. Quod quidem nomen unde sit deductum, non accipio, nisi quod hujusmodi decreta, vim ullam non sortiuntur nisi a majori parte concilii comprobata. Inde captam partem dicunt. In multa autem genera dividuntur, quarum singulæ ad diversos pertinent magistratus. Quales autem illis temporibus extiterint, cum nullis litteris hactenus memoratum acceperim, non est quod a me scribi quispiam expectet. Hæc igitur pauca de legibus. Cum *Paulus* ducatum summa cum pace administrasset annos viginti menses sex dies octo vita decedit, magno *Venetorum* mærore in *Heraclia* sepelitur. In ejus locum *Marcellus* sufficitur. Patria *Heraclianus* tranquillo ingenio & mansueto. Amicitiam siquidem *Langobardorum* Regum a *Paulo* susceptam, diligentius fortasse coluit, quam erat necesse. Caruerat etenim *Aquileja* vetus canonico patriarcha usque ad hæc tempora, *Gradensis*que sedes & dignitate & opibus magis magisque in dies augebatur. Tandem quod superiores *Langobardi* principes pervincere non potuerant, primus *Luitprandus* cum nemo quæreretur, aut reclamaret, impetrat a *Gregorio* tertio, ut patriarcham *Aquilejensem* in gratiam recipiat, palliumque quod est Metropolitanæ dignitatis insigne, ex more *Severo* patriarchæ transmittat. Quo quidem *Aquileja*, ab *Helia* patriarcha, cum *Gradum* translata *Aquilejensis* sedes est annis ferme quinquaginta supra centum, ad eam diem caruerat. Divisæ tunc sunt Ecclesiæ *Gradensis* & *Aquilejensis* & utrique in partem suffraganei Episcopi dati, ut mediterranei ad *Mincium* usque *Aquilejensi* cederent. *Venetiarum* vero & *Histriæ* totius ad *Gradensem* pertinerent. Hinc sumpsit initium continuatumque ad annos usque nostros, utriusque Ecclesiæ *Aquilejensis Gradensis*que dissidium. Cum duas Ecclesias metropolitas propinquitas pacis & quietis inimica non ferret, quippe quæ invicem abessent paulo plus passuum x. millibus. *Severus Luitprandi* armis fretus continuo *Gradensem* invadit Ecclesiam, *Candianum* patriarcham multis indignitatibus & contumeliis afficit. Mox apparuit quid inter *Pauli* diligentiam studiumque, *Marcelli* vero seu negligentiam, seu desidiam interesset, pacemque constare, non in sola principum voluntate, sed in animi præstantia fortitudineque. Nunquam fere deinceps *Aquilejensis* destitit ab inferenda *Venetis* injuria. Aperto sæpe bello persecutus non *Gradensem* modo sedem, sed oram omnem *Venetiæ* maritimam, dum præsules *Aquilejenses*, *Venetos* invadunt fines, vel eorum hosti-

hostibus tum auxilium armis afferunt, tum receptu commeatuque juvant. Novissime autem maximo *Genuensi* bello (Sic enim tum propter magnitudinem tum propter pericula appellavere) *Forojuliani*, *Ungari*, *Genuenses*, *Patavini*que fœdere conjuncti *Venetum* omnino nomen exscindere conati. Justiorem partem Deus non adjuvit solum, sed etiam imperio auxit. Ducatum *Marcellus* tenuit annos novem dies XXI. Concilio rursum apud *Heracliam* indicto, *Ursus* sufficitur nobili genere anno Domini. VCC. XXVI. *Venetum* nomen magnitudine animi, & rebus præclare gestis primus illustrat. Excitata est sub hoc Duce *Veneta* juventus mirum in modum ad arma tractanda. Nam qui, cum corporum agilitate tum robore præstarent, animis vero nulli ferme genti cederent, nactos Ducem spectatorem laudatoremque virtutis, pudere jam semper pro uxoribus & liberis arma capere. Impune licere non solum accolis paludium, sed *Histris* quoque & *Dalmatis* in se insurgere, damnis afficere, cum interea vindictam capere & pænas repetere non daretur, neminem non videre quid sibi velit hæc patientia. Quid enim aliud, quam ut quotidie magis magisque & hostibus animi & *Venetis* metus accrescat? Itaque exercere eos *Ursus* decrevit, & lucta firmandis membris & jaculo & sagitta, in primis scorpione, quæ machina semper in pretio habita est apud *Venetos*, non quidem ut Rotula intenderent, quam molinellum vocant, ut nunc solet. Cujus quidem rotulæ nec nomen tunc fuit, nec usus. Pudor erat alio uti auxilio. Sed succinctis unco ferreo renibus, ut stantes assuescerent, firmo gradu simul & machinam tendere, & sagittam emittere, nec labare pedibus movente navi, sed ictum statim ingeminare. Ad ea quoque *Ursus* armatorum militum numerum in singulis auxit navibus. Adeo autem & agilitate & ad omnem ferendam tempestatem firmitate idoneas reddiderunt, ut & *Liburnicas* & *Dalmaticas*, quarum celebre semper fuit nomen, omni præstando officio superarent. Itaque non jam contenti prædones, piratasque in fugam vertere, insequi eos etiam, & in eorum portus irrumpere, munitiones ingredi, in terram descendere mænia turresque tentare, concremare navigia, prædas agere. Classes Imperatoriæ eos maxime *Saracenorum* temporibus ut supra diximus navalibus pugnis exercuerunt. Erant ea tempestate *Græci*, sicut fere semper antea rei nauticæ principes. Cum his *Veneti* militabant, & stipendia agebant, aut auxilio erant Imperatoribus, disciplinam itaque navalem diuturna bellorum consuetudine ab his maxime accepere. Magnum autem egregiumque *Venetæ* genti nomen & decus peperit *Ravennæ* urbis receptio, quam nunc scribemus. Ut non tam *Langobardorum* deinceps nomen vereri aut formidare quam velut ex æquo lacessere viderentur posse. Nam dum *Luitprandus* cives *Ravennates* partibus discissos animadverteret, & nobilitatem actam in exilium, eamque civitatis partem nomini Imperatoris infensam copiis admotis, expugnandi eam urbem periculum facere instituit. Cum vero spes minus succederet, *Classense* juxta oppidum capit diripitque. Parat deinde *Ravennatem* obsidionem acrius urgere. Cæterum *Luitprandi* cœpto aliunde exortum impedimentum. Nam *Carolus* forte *Martellus* dum *Saracenos* per omnem *Galliam Hispaniam*que acerrimo bello exagitat, transmisere ex *Aphrica Saracenis* auxilia innumerabili multitudine, & provinciam omnem *Narbonensem* occupavere. Cum vero *Carolus* se longe inferiorem viribus copiisque perspiceret, constituit ipse quoque undique auxilia contrahere, in primis ab amico *Luitprando*. *Luitprandus* igitur ut majori *Carolum* beneficio devinciret, ipse cum lectissimo militum robore in *Galliam* proficiscitur. Relinquit ad *Ravennatem* obsidionem *Ildeprandum* nepotem & *Perendeum* Ducem *Vicentinum*. Hi quidem post *Luitprandi* discessum nacti bene gerendæ rei occasionem per aliquot nobilium factionem urbe potiuntur. *Paulus* Exarchus elapsus fuga, ad *Venetos* se confert, cum aliud non haberet profugium. Magno a *Venetis* honore excipitur. Hortatus eum est *Ursus* ad bonam spem, hos solere ludos facere fortunam. Et quidem si fortes invenit animos, restituere solere, quæ eripiat cum usura. Secuti sunt eum paulo post *Gregorii* pontificis nuncii, causam Exarchi brevi quidem epistola, sed admodum efficaci commendantis. Exemplum fidei causam visum est annotare.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei: Dilecto filio Urso duci Venetiarum.

Quia peccato favente, Ravennatum civitas quæ multarum caput extat Ecclesiarum a nefanda gente Langobardorum capta est, & filius noster eximius dominus Exarchus apud Venetias, ut cognovimus, moratur, debeat nobilitas tua ei adhærere, & cum eo nostra vice pariter decertare, ut ad pristinum statum sanctæ reipublicæ in imperiali servitio dominorum filiorumque nostrorum Leonis & Constantini magnorum imperatorum ipsa revocetur Ravennatum civitas zelo & amore sanctæ fidei nostræ. Deus te incolumem custodiat dilectissime fili. Quibus perlectis litteris, concilium omnium insularum ex more indictum, ubi primum pontificis litteræ recitatæ. Exarcho deinde dicendi quicquid vellet, potestas facta. Tum ille. *Fortuna* inquit *Urse dux humanis in rebus nimium præpotens adegit imperatorium Exarchum, ut factus exemplum instabilitatis humanæ, ad te confugiat. Pulsus Ravenna & Exarchatu per conjurationem a communibus hostibus Langobardis, qui jam animo præsumunt totius Italiæ dominatum. Et profecto spes illos non fallet, nisi quorum interest & prævideant quid meditentur, & impediant. Duo optime dux ut huc me conferrem potissimum impulerunt. Primum quod egregia semper fides atque opera erga Imperatoriam majestatem omnibus temporibus, tum Græcis, tum Langobardis declarata a vobis est, deinde quod ea gens non minus vobis est inimica quam imperio. Nam siquid vobiscum quasi amici dissimulant, totum hoc si recte causam dispicere volumus ab pontificis & imperii metu proficiscitur. Et hoc sane eorum principum beneficium est. Videte igitur an illi nobis spernendi sint propter quorum metum, vobis illi amicos esse se fingunt. Nam si diutius eam retinere urbem Luitprando dabitur, cogitare etiam atque etiam oportebit, quo pacto hæc æstuaria oppidaque ab eorum injuriis defendatis. In manibus vestris est, aut imperio Ravennam restituere, aut Luitprando permittere. Alterum vobis statuendum. Non possum existimare vos dubitare utrum præstet. Sane negare opem amico, quam conferre facile possis auferre est. Occasionem igitur vobis attuli maximo vestro beneficio gratiam imperatoriam novo merito promerendi. Porro paucis diebus imperatorium Exarchum sine impensa sine periculo in Exarchatus sedem restituere potestis. Quam gratum sit hoc futurum Imperatoribus intelligitis, tum ex urbis præstantia, tum ex litteris pontificiis, quantis nunc precibus apud vos agant, si detur coram id agere? Sic tamen vos statuere decet ac si præsentes adsint, non ego hoc a vobis Paulus exigo, sed Leo & Constantinus imperatores. Quid illis vobis sit respondendum cogitate. Quam vero gratum etiam pontifici sit futurum ipsius vobis litteræ declarant. Itaque eodem facinore, data vobis facultas apud summos orbis principes ingens beneficium promerendi.*

Pace

Pace tua dixerim optime Dux, non ita mihi videtur emortua omnis tum pontificia, tum Imperatoria majestas, ut superum clementia illis non satis sit huic solvendo vel referendo beneficio. Omnis nunc se offert opportunitas ad rem benegerendam. Luitprandus abiit in Gallias cum omni delectu roboris Langobardi. Ravennam duo juvenes obtinent, qui quasi extra omne periculum constituti negligentius & urbis custodias, & cætera omnia administrant. Diripiunt sacra ac prophana. Mortales omnes per avaritiam & libidinem certatim sibi infensos reddunt, ut in summa ea civitas nunc versetur desperatione. Nihil aliud quam aliquod undecunque remedium malis expectant. Id ego compertum habeo ex profugis, qui quotidie ad me transeunt, ex quibus hæc omnia cognoscere potestis. Civitas a mari infirmior est, tum murorum humilitate, tum rarioribus custodiis. Nullum enim nobis fuit unquam à Langobardis ab ea urbis parte periculum, neque enim mari unquam Langobardi valuerunt. Inde recipienda vobis est. Id facile consequi potestis, tum copia rerum navalium, tum virtute vestra. Non hæc vobis amittenda opportunitas. Occassionem quasi aviculam, si manu semel emittas, frustra recipere eam coneris. Si itaque videbitur premere urbem a terra eodem tempore, mihi in animo est, ut tametsi difficilis ab ea parte est oppugnatio, intentis tamen omnibus ad eam defensionis partem, vobis ejus urbis a mari recipiendæ & honos & meritum debeatur. Cæterum maturato est opus, neque expectandus Luitprandi reditus, qui difficiliora omnia sit facturus. In vestram fidem confugi, vestram fidem imploro. Nolite omnibus mortalibus palam facere rem Imperatoriam tanto in discrimine constitutam vobis contemptui fuisse. Posteaquam Exarchus finem dicendi fecit, eo summoto sententiæ ex *Veneto* more, rogari cœptæ. Cum autem varie dicerentur, & ambigua fore deliberatio videretur, maxime autem memoraretur *Aritperti Luitprandi*que Regum, cum *Venetis* amicitia, fædere etiam conjuncta, quam violari non minus periculosum, quam turpe videretur. Tum *Ursus* quanquam inquit *pleraque memorari audio, ad hujusmodi rei sententiam dicendam, incipiam tamen patres a fide publica, quæ me magis moveret, si eam violatum iri (ut nonnulli existimant) intelligerem. Mihi vero minime omnium placet fidem fallere, fædera contemni. Quo enim pacto sine fide genus humanum constet? Quin pro ea auctoritate quam in nos contulistis, vos hortor, ut tum hac in re, tum cæteris aliis fidem justitiamque, quæ viros magnos maxime decet, colatis, sed eam ut assequi possimus causam altius discutiemus, quæ nunc agitur. Est nobis fœdus cum Luitprando, sed est quoque cum imperatoribus. Cæterum meminisse debemus in Luitprandi fædere cautum exceptumque fædus Constantinopolitanum, ne quid fraudis illi fiat. Semper etenim aliis in fæderibus id servatum, neque id mirum. Siquidem ab eo salus libertasque vestra pendet. In Constantinopolitanis autem fæderibus, nihil excipitur omnino. Proferantur si placet orientis fædera, privilegia, fidesque tum datæ, tum receptæ. Nihil usquam aliter reperietis, neque hoc secretioribus tantum scripturis mandatum, sed omnibus hoc Italis ita est exploratum, ut nemo ambigat omnem vobis salutis spem, siquid forte adversi accidat, tum in imperio, tum in pontifice esse collocatum. Quam quidem opinionem sustinete patres per Deum immortalem quantum potestis. Quibus enim in auxiliis siquid adversi accidat, spem ponatis? Nihil enim vos magis defendit ab injuria vel vicinorum, vel Barbarorum, quam quod existimant, nunquam vobis hæc auxilia defutura. Parumne videtur in his humanarum fluctibus rerum navim nostram his ambabus quasi fundatam anchoris stare? nisi forte id minus notum esse creditis Langobardis, qui profecto nullis infligendis abstinuissent malis, nisi multis didicissent experimentis, vestros homines, libertatemque vestram pontificatui & imperio esse carissimam. Quæ cum ita sint cautio hæc quæ memoratur in imperatorio fædere adhibenda illa quidem est, non in Langobardo. Reliqua hujusce rei deliberatio mihi planior videtur, quam ut multis indigeat. Siquidem hæc Ravennæ recuperatio per magni Patres æstimanda. Vultisne ab ea parte aditum Langobardis relinqui, ut quandocunque libeat (nunquam etenim non libebit) liceat armatis irrumpere in hæc æstuaria? Nisi forte murum ducere per Padusam paludem, & majoribus munimentis eam excludere consilium est. Quibus eos navibus si per æstuaria? Quibus exercitibus si per littora ducent, resistetis? qui si neque pontificis auctoritas, atque ejus epistola, quæ nuper est recitata vehementius vos moveret, vestra tamen causa suscipienda vobis alacri & forti animo esset hæc restitutio. In qua non de aliena, sed de vestra agi salute & libertate dissimulari non potest. Nunc autem cum summus pontifex intercedat cui omnia debetis, potestisne dubitare, quid vobis sit respondendum? Recitate iterum epistolam, & videte quo loco Langobardos habeat. Quo loco ejus urbis amissionem, & imperatorum injuriam. Quid denique de vestra in se fide, & erga imperatores observantia polliceatur. Potuitne efficacius scribi? Dixi de pontificis litteris. Quid de Exarcho? Qui tam supplici oratione fidem vestram implorat. Tametsi dixit, & quidem vere dixit imperatores eos esse, non autem Paulum, qui fidem vestram requirunt. Aut repudianda igitur vobis eorum supplicatio, aut admittenda. Cogitate etiam atque animis vestris quid si negatis expectandum sit, non tam a Luitprando ereptam querentur Ravennam quam a vobis. Vestra erit noxa, rejicietur in vos culpa omnis. Quis est enim sperandus in amore fructus, si non amicum amor allicit ad facilia eademque commoda? Quantum vero illud est qui Ravennam si non recipiunt, cedat imperium Langobardis necesse est, de omni Italiæ possessione? Ea est enim unica fere Exarchi sedes, ea omnium imperii militum quasi castra. Ibi ærarium publicum. Ravennam denique si sustuleris imperio cum Exarchatu, quid illi ditionis in Italia remanebit? Calaber scilicet & Brutius & Apulus, & Samnis nescio quis. Vultis igitur ejicere ex Italia imperium ut pro eo Langobardi servitutem adeatis? Permittite Ravennam Langobardis. Contemnite Exarchi preces. Ne cito permutationis pœnitebit. Majores nostri hoc consilio atque mente in hæc se stagna contulerunt, ut libertatem præcipue conservarent. Vanum profecto & multis objectum periculis consilium, nisi una quoque constituissent quibus se principibus tuendos defendendosque permitterent. Duos potissimum & viderunt & delegerunt Pontificem & Imperatorem. Illis adhærescere, illos sequi voluere. Placuit in eorum auctoritate armisque omnem spem salutis libertatisque ponere. Aut igitur mutandum vobis consilium est, & Langobarda sequenda signa, aut in imperatorio fœdere perseverandum. Quicquid auctæ sunt Venetiæ vel dignitate, vel opibus, vel potentia, totum ab his principatibus est collatum. Nulla mihi credite satis firma amicitia est, quæ accipiendis solum beneficiis studeat nunquam referendis. Cur igitur dubitamus & fidem servare & vestram libertatem vestra virtute redimere? Pericula non prævidere, nec antequam ingruant propellere, sed expectare, mulierum consilia sunt non virorum. Mea sententia est, ut Exarcho respondeatur, molestam nobis extitisse hanc Luitprandi injuriam. Semper imperatorum majestatem & Pontifices Romanos omni honore & reverentia prosecutos, paratos esse opes, vires, vitam denique exponere ad eum in sedem restituendum. Tum de ratione recipiendæ urbis cum Exarcho agatur.*

tur. Ipse Forum Cornelii proficiscatur quasi repudiatus a Venetis atque inde excitis undique imperii copiis machinisque comparatis, aggrediatur urbem terra, vos navibus & mari. Deus vota secundet vestra. Venit in ducis sententiam omne concilium. *Ursus* pacis diebus in instruenda classe consumptis, ea fuit navium octoginta omnis generis. xx. majoribus & altioribus capitibus longarum etiam totidem, post meridiem solvit, leni Boreæ spiritu, & molli remigio tempus expectans simulata in orientem profectione, quasi laturi opem Imperatori *Saracenos*, ante lucem ut erat cum Exarcho compositum, haud procul ab urbe aliquantisper moratur, donec terra Exarchus oppugnare urbem adoriatur, ipse vero eodem tempore aggressurus a mari. Ignibus igitur a classe editis redditisque, Exarchus ipse urbem a terra quam maximo potest impetu & clamoribus invadit. Exciti a somno juvenes *Ildeprandus* & *Perendeus* nocturno insultu & ignari quidnam rei esset, ad portas murosque militibus firmandos accurrunt, ut vero dilucescente aurora jam classem ad urbis mænia applicitam nunciatum est, ancipiti periculo districti, cunctari primum quid consilii capiant, tum vero, ut majorum navium mali atque antennæ armatis oneratæ murisque pontibus injectis incubuere, & de superiore loco urbis propugnatores telis lapidibusque propelli cæpere novo exciti periculo & clamore *Ildeprandus* & *Perendeus* pro muro magno animo, prælium ineunt. Cæterum cum jam *Veneti* magno numero in urbem de muris armati desiliissent, urbe jam pene capta *Paulus* ad mare suis circumductis accurrit. *Ursus* vero cum delecta juvenum manu effracta maris porta, tandem cuneo facto, urbem invadunt. Occurrunt *Langobardi*, & cominus hostem propellere nituntur. Atrox pugna committitur. Cæterum tum quia plerumque plus animi est invadenti quam repellenti, tum quia populus cum Exarcho sentiret, ut primum sine periculo id se facere posse cognoscunt, arma capiunt. Repulsi itaque duplici hoste *Langobardi* atque urbs recepta magna universæ civitatis lætitia. In eo prælio *Perendeus* dux *Vicentinus* pugnans occumbit. *Ildeprandus* in *Ursi* ducis potestatem venit. Atque per hunc maxime modum Exarchus in sedem suam a *Venetis* est restitutus. Hanc ita se habuisse victoriam, cum omnia *Veneta* monumenta testantur, tum *Paulus* Diaconus meminit in historia, quam de *Langobardis* scriptam reliquit, adeo ut cum in *Luitprandi* regis laudes, & victorias videatur fortasse nimius, hanc tamen infeliciter rem gestam, subticendam non existimarit. Dum hæc ad *Ravennam* geruntur. *Leo* imperator apud *Constantinopolim* vix ulla virtute præstans insigni autem perfidia atque avaritia, aliquot ante annos perditum ire imperium omni ratione properabat. Quoniam autem ea de quibus scribimus tempora haud satis apud scriptorem ullum reperiuntur bene in ordinem digesta. Quin tam regum, quam pontificum magna insit varietas, consilii non est singula exequi, aut explicare. Satis fuerit breviter ea perstringere ad declarandam eorum temporum malignitatem. *Leo* igitur iste direptioni Ecclesiarum intentus, omne adhibuit studium, ut quascunque posset nobiliores *Constantinopolis* primo tum reliqui orientis basilicas auro gemmisque & omnibus pretiosis rabida quadam avaritia, spoliaret. Ejusmodi injuriam Deus optimus maximus ferre non potuit *Zulemonem Saracenum* Admiratum exsuscitat, qui tercentarum classe navium *Constantinopoli* bellum intulit. Duplici se se virtute populus tutatus est. Non destitit in primis quibuscunque posset modis, auxilium ex alto petere. Erat quotidie in sacrifi-

A ciis supplicationibus, jejuniis, orationibus, inde præterea nihil omissum a juventute, quin murorum portarumque custodias summa diligentia agerent, stationes quisque suas servaret. Sæpe tentata expugnatio Urbis est, semper repulsa. Pertulit ea civitas fere biennium durissimam obsidionem, miserandam famem, ingens pestis est subsecuta. Ex qua trecenta mortalium millia desiderata sunt, solatium illi fuit, quod ea profectione classis *Saracena* haud minori calamitate afflictata est, quam civitas obsidione. Nam frigoribus ac tempestatibus conquassata ipsi quoque difficultates omnes passi. Absumptis trecentis aliis
B millibus ad nihilum pene redacta in *Syriam* revertit. *Leo* igitur quasi victoriam aliquam consecutus, seviore quam antea avaritia insanire cœpit. Tentare si possit *Romanas* quoque basilicas ausus. Imperat Exarcho ut pretiosissima quæque sibi *Constantinopolim* mittantur, qui si Pontifex aliquid objiciat impedimenti transmittat eum *Constantinopolim* in vinculis, aut morte quavis afficiat. *Romani* ea de re certiores facti (fama siquidem continuo vulgatum quid *Leo* moliretur) maxima horrendæ rei indignitate commoti assistere dies noctesque Pontifici, excubias agere, utcumque possent, hortari ne animo deficiat, aut tantum
C permittat patrari scelus, sibi in animo esse eum usque ad sanguinem cum liberis non deserere. Vim facere aliquotiens Exarchus immissis satellibus militibusque conatus est præliis nonnullis interdum factis repulsus. *Langobardi* qui hæc intelligerent, ut est eorum hominum natura, qui discordiis seditionibusque aluntur perlibenter eam rem accepere, atque ut imperatoris existimationi quam possent maxime detraherent *Romanis* & Pontifici peditum equitumque aliquot turmas suppetias miserunt. Cum videret *Leo* tam caram esse *Romano* populo pontificis vitam cedere ipse quoque & diversam tenere viam, aliquanto tamen
D pejorem instituit. Aliquot menses quiescit, eum interea blanditiis pollicitationibusque demulcet quasi in gratiam cum eo redire vellet. Excogitat autem horrendum aliud facinus sanctorum videlicet imagines apud omnes christianos delere igni ferroque. Idololatriam eas sapere causatus ut autem pontificem quem in sententiam pellicere non posse dubitabat, commodius adjecto metu perducat, cum *Langobardis* ipse novum fœdus init, ut eo metu pontificem perterrefaciat mollioremque reddat. Postea igitur quam id agere decrevit, simulat ea de re cum Pontifice agere velle. Pontifex abominatus atrocitatem sceleris,
E primum audacter negat, deinde litteris nuntiisque conatur avertere hominem a proposito. *Leo* nihilominus indies pertinacior edictum in oriente pronunciat, *Romam* deinde ad Pontificem deferri jubet. Excogitavit improbus homo id sceleris, non tam ad religionem, cujus esset hostis infensissimus, quam ad avaritiam, ut omne argentum, aurumve signatum sanctorum imaginibus, parere nolentibus, jure posset extorquere. Cum hujusmodi edictum *Romam* esset allatum, mira quædam indignatio defixit omnium animos. Nondum erat *Ursus Ravenna* cum classe *Venetias* reversus, cum *Ravennam* hoc allatum est. Maxi-
F mi ubique tumultus orti, ipsi quoque imperatorii milites ejusmodi scelus ferre non posse, quin palam una cum cæteris omnium voces exaudirentur, nunquam pontificis & christi causam deserturos. Hiccine Imperator christianus est? Hoccine præsidium adversus Barbaros? Barbaris ipse omnibus *Mahumeto* quoque deterior? Ille enim christianis non interdicit quin sibi quas volunt, imagines habeant, suis legibus utantur. Hic christianorum prædo, non Imperator, cæcus

ava-

avaritia, tollere christianam fidem, non imagines meditatur. Alio christianis populis Imperatore opus est. Deligendum non qui hæc scelera committat, sed qui committunt omnibus cruciatibus & suppliciis afficiat. Jam enim increbruerat *Caroli Martelli* pietas, auctoritasque, ad eum omnes respiciebant. Illum dictitare principatu dignum, illum imperio. Verum enimvero præstare existimavit pacis amator pontifex rem interim dissimulari, fore fortasse ut Imperator ab ea insania resipiscat. Neque tamen non semel atque iterum *Leonem* admonet, ut desistat ab incepto. Interea vero epistolas per orbem dimittit, principes provinciasque christianas certiores omnes facere non desinit, quid impius conetur imperator. Hortatur ut in antiquorum patrum traditionibus perseverent. Pertinacior quotidie cum redderetur, percussit eum pontifex anathemate, & præterea sanctionem edidit, qua illi *Italiam Hispaniam*que subtraxit, interdictis earum vectigalibus provinciarum. *Leo* nihilominus perinde atque insaniret annis octo supra viginti, quibus imperium tenuit, nunciis per orbem dimissis, tum precibus agens, tum minis, nihil omisit ad obtinendum quod animo proposuisset. *Venetos* etiam & *Ursum* ducem per legatos aggressus est. Responsum ab his magno animo animadvertere eum potuisse, quanto semper studio & honore omnibus temporibus imperatoriam excoluerint majestatem, maxime tamen novissima *Ravennæ* urbis receptione. Non veritos in eorum gratiam regem amicum, & fæderatum, bello lacessere. Esse tamen ita a majoribus institutos, ut ubi de sacrosancta agatur religione, *Romanæ* Ecclesiæ saluti & honori nullo modo desint, cum omnipotenti Deo potius quam ulli mortalium sit parendum. Itaque *Romanum* Pontificem non deserturos. *Leo* autem *Constantinopoli* & in oriente debacchatus, omnis generis supplicia cruciatusque edidit adversus edicto parere recusantes. Passi tum multi martyres, in quibus *Theodosia* & *Paulus* genere & principatu clarus, & præterea vir maximæ sanctitatis. Cujus corpus *Venetias* delatum apud sancti *Georgii* majoris nunc veneramur. *Constantinus* quoque regiæ urbis Episcopus illi acriter resistens, verberibus cæsus, capite truncatur. In ejus locum *Nicetam* spadonem impurissimum hominem præter omnis cleri & populi consensum, intrusit, Sacerdotes ipse instituit, nec prius ab insania cessatum, quam *Romæ Gregorius* synodum Episcoporum octingentorum trium, qua nulla unquam frequentior habita est, ob eam insaniam congregavit. Imagines sanctione patrum confirmatæ, & Imperatori aqua & igni interdictum est. Eadem peste *Constantinus* filius infectus, congregato apud *Constantinopolim* concilio Episcoporum CCC. conatus est rescindere acta synodi *Gregorianæ*. Majore vero parte ad sanctorum patrum traditiones inclinante, dissolvi jussit concilium, & re infecta discessum. Qui vero jam ad omnem Christianæ religionis contemptum ac pene odium pervenisset, fœdus amicitiamque iniit cum *Abdalla Saracenorum* Admirato acerrimo christianorum hoste ac persecutore, velut in vindictam repudiatæ hæresis imaginum. Dum hæc per orbem geruntur orta inter *Heraclianos Equilanos*que *Venetos* de finibus controversia, quæ cum tolli haud quaquam videretur posse, ad arma concursum. Biennio vario eventu bellatum, ad internicionem usque amborum populorum. *Ursus* ingenio ferocior eo in bello vitare non potuit *Venetæ* gentis odium, dum favere civibus suis nimium putatur. Itaque quasi malorum omnium auctor, orto tumultu interfectus est. Ducatum gessit annis undecim, mensibus quinque summa cum gloria, nisi finis infelicior, magnis illius virtutibus invidisset. *Calistus* interea *Aquilejensis* patriarcha, quietis impatiens, duas in *Venetis* insulas per hos annos occupare adoritur, alteram quæ *Centenaria*, alteram quæ *Mussionum* appellabatur. *Veneti* cum ablata repeterent, nec restituerentur, & armis non minus quam jure eodem tempore bellum appararent, *Gregorius* gravibus minis *Calistum* increpitum temeritatis, compulit ad eas insulas *Gradensi* restituendas. Paruit *Calistus*, atque restituit. Interiit penitus *Centenaria*, alterius vero turris nunc solum visitur inter paludes, quæ in hunc usque diem *Mussionum* nuncupatur.

LIBER UNDECIMUS.

Cum *Venetorum* hominum ingenia eorum præcipue temporum de quibus scribimus, cum hac ætate comparare otium est. Distare invicem natura, haud sane mediocriter videntur. Fuere siquidem prisci illi quantum ex iis, quæ extant memoriis conjectare licet ferocioribus ingeniis, ac manu promptis atque ægre injuriam ferentibus. Argumento sunt tum duces, tum magistri militum quorum acta cum populi, qui libertati fuerant assueti, ferre non possent, acrius in eos animadverterunt. Animus illis fuit ob injuriam ab imperatore orientis acceptam totius gentis solenni decreto votum emittere barbas abradendi, quibus tunc utebantur, donec derupto fædere ablatisque rebus satisfaceret. Perseveravit ea ferocia annis circa. L. supra. VCC. At vero ex eo tempore in præsentem usque diem vix ulla memoratur seditio, non major aliquis excitatus motus. Hujusce rei causas consideranti mihi non tam naturæ immutationi tribuendum videbatur, quæ semper eodem cælo subjecta eadem quoque gignit ingenia, quam disciplinæ vivendi legibus recentioribus emendatæ. Admirabili namque legum temperatura factum, divina (ut ita dixerim) potius quam humana, ut nullius civitatis extet memoria, quæ majore civium concordia constantiori gubernandi disciplina tot sæcula transmiserit. Duces primum populi acclamationibus deligebantur. Quis autem nescit quantum plebis concitatæ valeant voluntates, largitiones, odia, vindictæ, seditiones, cæteræque hujusmodi pestes? quamdiu autem in usu hæc fuit eligendi consuetudo, nunquam fere cessatum ab hujusmodi turbulenta principum nece, ut ex quadraginta aut circiter ducibus, qui per eos annos rempublicam tenuere, dimidium fere infælici ac violenta morte sublati sint. Post ea tempora cœpere majores suffragiis deligere. Primusque *Sebastianus Zianus* ab undecim electoribus est creatus. Auctus deinde paulatim numerus, & ad unum supra. XL. subductus. Variatæ quoque leges in cæteris deligendis magistratibus. Priscis siquidem temporibus interdum duo, quatuor interdum ex primariis civibus quotannis a senatu populoque deligebantur, quorum erat potestas omnes creare pro arbitrio magistratus. Eum morem consideranti mihi & si videbatur nimiam tributam quatuor civibus potestatem, ut judices darent privatis omnibus publicisque causis honores, quibus

videretur demandarent, duo tamen bona majores secutos existimabam. Primum quod omnis quæ solet adhiberi in suffragationibus ambitio, tollebatur, & juventutem, quam nunc videmus omnem fere ætatem conterere in honorum magistratuumque petitionibus melioribus exercitiis intendere oportebat. Quibus & corporibus vires accederent, & animis usus rerum atque experientia. Non autem tabescere otio, aut ad malas artes animum applicare. Aliud quoque videbam eos commodum secutos, civilis siquidem justitia primum civitatis bonum per eum legendi ritum liberius administrabatur, neque enim judex metuebat sententiam ferre adversus eum, cujus deinde suffragium & judicium non esset subiturus. Hoc autem quantum juridicundo noceat, querimur quotidie omnes. Cæterum in hac humanæ vitæ consuetudine, bona malis admixta sunt. Vix enim quicquam reperias tam bonum, ut non secum aliquid interdum afferat malitiæ. Multorum suffragatio profecto plus habet æquitatis. Nec illud quoque non habet, quod augetur civilis amor, atque concordia petitionibus, salutationibus, officiisque mutuis. Qualem autem locum teneat in civitate concordiæ bonum, quis referat? At habet incommoda quæ diximus ut justitiæ interdum fiat injuria. Sed quænam esse potest sine justitia in civitate concordia? Igitur nihil illa sententia præclarius. Studere principem oportere, non tam ut bonis utatur legibus, quam ut bonos faciat cives, quod autem bonum civem efficiat nihil æque reperias, ac si virtuti præmium, malefacto supplicium applicueris. Idque non tam fiat lege quam facto.

Post *Ursi* ducis patratam cædem variæ (ut fit) contentiones ortæ, aliis indigne ferentibus mortem fortissimi & clarissimi ducis, aliis ferocitatem improbantibus, qui duos inter se populos decertare invicem & quasi digladiari subegisset. Cum vero de indicendo populorum concilio sermo haberetur, & apud *Heracliam* de more vocavissent, jactari voces per *Venetos* cæptæ. Enimvero indignam rem, *Heracliam* sibi jam regiam *Venetorum* præscripsisse. Cur enim non & alibi concilia cogantur? posteaquam & multitudine civium, opibus & vetustate non æquari modo aliæ quoque urbes possint *Heracliæ*, sed etiam superiores haberi. Exhaustam præterea jam esse civibus *Heracliam*, destitutam viribus propter assidua bella. Alibi conveniendum, & communicandus honor cæteris quoque populis. Decretum igitur ut apud *Metamaucum* cogatur, quod erat ea tempestate cæteris frequentius ampliusque. Ibi vero quum de eligendo duce tribuni referrent, major orta contentio, adversantibus plerisque ne Duces deinceps deligantur, pro dominis enim se gerere, non pro ducibus, agere omnia ad libidinem, cæteros contemptui habere, non servare leges, non plebiscita, commemorare præterea *Ursi* ducis ferociam, ut semper armatis stipatus incederet, bellum ex bello sereret, nec pace, nec quiete contentus, quid enim impulit majores nostros ad incolendum paludes, nisi ut liberi pacatique vivamus? Et neque regibus serviamus neque imperatoribus? Quod si servitus placet, multæ sunt regiones civitatesque ubi ævum ducere sit præstantius. Itaque rejecta omnium populorum suffragiis ducis electio est. Placuit annuam potestatem creari, eosque magistros militum appellari, qui magistratus apud imperium Tribunatu habebatur major, sed utcunque fuerit, ego tamen existimo magistros militum proprie dictos, qui exercitibus præessent. Nam omnes quos eo titulo legimus ubicunque delectos, Duces armorum fuere, & ob eam rem tum crediderim dele-

A ctos, ut in bellis haberent *Veneti* quos sequerentur. Id quidem *Venetis* ea tempestate ut supra diximus maxime fuit necessarium. Hunc magistratum apud *Heracliam* initium habuisse vult *Dandulus*. Cum & Monachus & omnes fere alii, qui de *Venetis* rebus scripsere initio creatos velint apud *Metamaucum*, nam ut diximus & frequentia & opibus maxime *Metamaucum* increverat. Portui propinquum *Meduaco*. *Metamaucum* vero appellatum quasi transmeduacum. Est enim ab *Histria* ad *Meduacum* portum tutior navigatio, quam si dexteram teneas ab *Anchone* & *Ravenna* ob illud *Italiæ* latus omnino importuosum. Nam

B a Borea vento maxime periculum est. Conditum autem ultra *Meduacum* portum visitur passus circiter quinque millia. Neque situm tum fuit oppidum ubi nunc est, sed passus circiter quingentos in mare projectius. Delectus primus magister militum *Dominicus Leo* anno domini septimo & trigesimo supra septingentesimum. Nihil eo anno memorabile gestum. Exacto anno *Fælix Cornicula* sufficitur, Vir mansueto ingenio & amabili, cui nihil fuit potius, quam tollere simultates diffidiaque. Restituit ab exilio *Deodatum Ursi* ducis filium. Cæterum ne unquam finitimi *Venetis* populi a Barbaris conquie-

C scerent, eo anno *Sclavi* magna contracta manu in *Forumjulium* prædatum descendunt. In quos *Rachis* dux *Forojulianus* delatus, non reppulit solum, sed ingenti quoque cecidit strage. Anno circumacto *Deodatus Ursi* ducis filius magister militum creatur, quem nonnulli scribunt biennio magistratum tenuisse. *Jubianus Hypatus Deodato* sufficitur. Is ad egregiam virtutem nobilitatemque addidit etiam consulatus decus ab Imperatore donatum. Sunt ex nostris, qui scripserunt eo anno receptam a *Venetis* bello *Ravennam*, & Exarcho traditam majore tamen auctoritate subnixum non est. *Jubiano* subrogatur

D *Joannes Fabriciacus* infælici suffragio. Prius enim quam annum circumagat, magistratu dejicitur & oculis privatur. Eo anno *Heracliani* & *Equilani* iterum renato bello, maximo prælio decertavere, juxta canalem ad hunc diem arcus appellatum. Adeoque infensis animis pugnatum, ut a meridie ad noctem usque non nisi defessi mutuis cædibus vulneribusque quieverint. Fractæ eo bello vires amborum populorum & pene ad nihilum redactæ, *Venetos* interea pertæsum (ut mobile natura vulgus est) magistrorum militum. Et jam flagitare duces incipiunt, cum indicto ob eam rem concilio oblita multitudo paternæ ferocita-

E tis, & infælicis *Ursi* ducis exitus ducem creant *Deodatum* filium. Isque primus in *Metamauco* ducatum accepit, haud multo tamen feliciori ab *Ursi* genitoris eventu. Apud *Langobardos* interea regnum suscipit *Astulphus* vir impiger & armis præstans opera maxime *Zachariæ* pontificis, quem *Astulphus* multis pollicitationibus demulserat, ut *Rachisium* fratrem fortis quidem sed mitioris ingenii, ad cedendum sibi regnum hortaretur. Ipse si regnum obtineat magna pontifici *Romanis*que pollicitus. Moritur paulopost *Zacharias* inque ejus locum *Gregorius Quartus* suffi-

F citur. Eum *Astulphus* iterum multis precibus promissisque demulcet. Novam cum eo pacem fædusque constituit in annos XL. solenni pactorum forma astipulata. Atque adhibito jure jurando, quicquid secundum ea convenissent re ipsa comprobaturum. Sed nulla sunt ingenia falli magis idonea quam bonorum. Vixdum enim peracto fædere *Astulphus* ingenium perdidit vafrum atque fallax. Vexare Ecclesiam adoritur supra cæteros ante se reges. Habita siquidem erat a plerisque superiorum aliqua Dei & honoris Ecclesiæ

lesiæ ratio. Temperaverunt fere omnes ab urbe *Roma*. Et si quando illi detrimentum inferrent, videri malebant ob vindictam quam ultro ob odium fecisse. Is omni pudore & humanæ fidei sensu rejecto, ante exactum tertium pactorum mensem *Romanarum* partium urbes invadit, agros diripit vastatque, nec prius conquiescit, quam *Ravennam* & plerasque illi adjacentes urbes in suam redigat potestatem. Admiratus pontifex per nuntios queritur, hæccine promissa conventaque? Cæterum nunquam verba desunt cupienti fallere. Quos interea ludos pontifici dederit, tum promissis, tum minis, quantis muneribus pontifex eum demulcere conatus sit, scribere non est necesse. Neque enim id agimus, mala majora instant. Mittere primum pontifex decrevit *Paulum* fratrem *Constantinopolim* ad imperatores patrem filiumque opem imploratum afflictis Ecclesiæ & *Italiæ* rebus, celeri auxilio opus esse. Siquidem Ecclesiam *Romanam* & totius *Italiæ* statum ad eas rerum omnium difficultates redactum, ut nisi primo quoque tempore firma mittantur auxilia, opem a quavis gente imploraturos. Haud dubie *Pipinum* & *Francos* significans, dum igitur *Gregorius* legatum mittit, defunctus erat *Leo* & acceperat solus paternum imperium *Constantinus*, *Leone* patre truculentior. Hic *Cabalinus Ochopronymos* dictus est. Addidit ad paternam impietatem, ut maleficiis adjectus dæmonum responsa cruentis consuleret sacrificiis, in delendis quoque imaginibus cum *Paulus* applicuit, perseverabat. Et quoscunque edicto rebelles inveniret suppliciis afficiebat crudelissimis. *Stephanum* celeberrimæ sanctitatis virum, edicto non parentem, quinimmo & apud populum, & apud Imperatorem impietatem edicti magna cum libertate damnantem, crudelissime occidi jussit. Pænas tamen tanti sceleris vindex Deus paulo post repetiit. Nam cum *Bulgaris* bellum moturus navium classem duum millium eduxisset, continuis tempestatibus usque adeo tum in *Hellesponto*, tum in *Euxino* est afflictata, ut vix tertia pars nulla penitus confecta re domum redierit. *Paulus* itaque *Gregorii* frater repperit omnia opinione deteriora. Alia enim ex parte *Turci* superato *Tauro* monte, quem complures annos insederant descensione facta, in adjacentem planitiem, magna coacta manu populabundi finitimas quasque provincias excurrere cœperunt. Hanc *Turcorum* gentem multos per annos satis obscuram extitisse, neque ullis antiquorum scriptorum litteris celebratam invenio. *Scythas* fuisse & a *Caucasi*, aut *Caspii* montis rupibus erupisse, fere omnes consentiunt. Egressos prius pastorali & contemnenda manu, in *Perside* & *Media*, latrocinia exercuere. Perque multos annos ibi fuere sine egregio nomine. Paulatim autem successu temporum tantum & viribus & animis increvere, ut nonnulli tradant *Justiniani* temporibus penetrare ausos ad *Hellespontum* usque, & Duce *Bocano Turco Bosphorum Thracium* opulentam urbem aggredi ausos, ut mirum videri debeat, quo pacto nihil omnino de ea gente usque ad *Constantinum Quintum* de quo nunc scribimus annis ferme ducentis, scriptum reperiatur. Vix in eo bello, quod cum *Cosdroe* gessit *Heraclius*, eorum nomen auditum. Quicquid id fuerit *Constantino Leonis* filio imperante ex *Perside* egressi, *Ciliciam* quam nunc minorem *Armeniam* vocant, occupavere. Semperque eam regionem tenuere. In maximam aucti multitudinem, illinc cum *Persis*, hinc cum *Sarracenis* continenter bella gesserunt ad annum usque domini octogesimum supra millesimum. *Sarracenis* autem diuturnis *Turcorum* vexationibus defatigatis, finis tandem bello impositus. Ea lege ut suscepta *Sarracena*

A superstitione, *Turci* illis imperitarent. Factum hoc decem aut circiter annis priusquam christiani principes communi consilio maximum illud bellum ad terram sanctam recipiendam, tum terra, tum mari inferrent orienti. Quis autem tum esset earum gentium status cum christiani transmisere. Et quo pacto ea tempestate *Turcicum* nomen propagatum sit, non ego apud ullum reperio probabilius descriptum, quam apud *Andream Dandulum*. Eam rem propter scriptoris auctoritatem cui facultas affuit quæcunque altius condita in lucem eruere, ex *Græca* præsertim historia, quam habuit familiarem, ut ex chronicis ejus appa-
B ret, commemorare non pigebit. Scribit enim *Belzethem orientis Regem præpotentem innumerabili multitudine Persarum aliarumque gentium succinctum, Asiam versus, vastatis quacumque iter faceret omnibus igni ferroque intermediis tam urbibus quam agris cum Constantinopolitano Imperatore Romano, nomine conflixisse. Maxima tandem strage Romanum fusum profligatumque. Barbarus ea victoria elatus, omnem Asiam Syriamque diripuit ac vastavit. Quatuor autem quasi compedes illis injecit provinciis. Siquidem Solimano nepoti, Turciam obtinendam tradit, quasi murum inter Persas & imperium, alium vero nomine ducatum Damasco urbi*
C *præficit adversus Calipham Aegyptium, siquis ab ea parte motus excitetur, Antiochiæ vero Auxicum genere Turcum, & Alapiæ quam olim Epiphaniam, nunc Alepon vocant, Assagurum.* Hæc *Dandulus*. Decem post annis transmisere christiani, ut diximus in orientem, atque ex ea tempestate *Turcorum* nomen antea vix satis notum maxime celebrari cæpit. Porro *Saladinum* cujus in eo bello inclytum fuit virtutis nomen, quique tam *Syriæ* quam *Aegypti* imperium ex ea gente primus obtinuit, genere *Turcum* fuisse apud omnes constat. Quamvis utraque gens in unum deinde quasi corpus sese confuderit, ut & *Turci* pro *Sarracenis* &
D *Sarraceni* pro *Turcis* haberentur. Nam cum christiani principes eas terras bello petiissent delendæ *Mahumetanæ* sectæ causa, tam *Turci* quam *Sarraceni* quasi ad commune incendium concurrere. Maximos tum christiani *Turcorum* exercitus profligavere. Complures opulentas civitates aut recepere, aut expugnavere, omnem fere *Ciliciam Armeniam*, *Cappadociam*, *Syriam*, *Phœnicem*, *Palestinam*, *Hierosolymam* tandem sacrosanctam urbem recepere. Cæterum magnis fortuna successibus fere semper inimica, paulopost subvertit omnia, quæ prius læta præstiterat. Ducentesimo nanque post primam transmissionem anno ea-
E dem fortuna christianos expulit oriente, ut autem ad *Turcos* redeam *Sarracena* gens majori imperii parte spoliata, post christianum bellum, primas *Turcis* partes facile concessit. Nullus deinceps ex ea gente principatum obtinuit, quin *Sarraceno* homini in hunc usque diem tractare arma non licet. Soli dominantur *Turci*, ut Aulici ac nobilissimi quique *Turcica* loquantur lingua, pudeat *Arabica* verbum facere. Qui aliquo præterea principatu præstant, *Asiam* & *Persida* versus, *Turcomanos* se nuncupant. Qui vero *Syriam*, *Palestinam*, *Aegyptum* populi incolunt, *Sarraceni* dicuntur, *Mauri*, qui *Africam* prisco gentis nomine. Pulsis
F vero ex oriente christianis, major deinde *Turcis Asiam* tenentibus rerum successus fuit. Omnia nanque ad *Hellespontum* usque brevi tempore occupavere. Multa de ea gente scitu digna se se scribenda offerunt, sed non ea historiæ mandanda suscepimus. Illud non omittendum quod multis in locis deploravimus seditiones & bella, cum cæterorum invicem principum christianorum, tum vero *Venetorum Genuensium*que. A quibus *Genuensibus* per ducentos fere annos, id est post

Cretæ insulæ emptionem, usque ad *Philippi Mariæ Mediolani* ducis dominatum, nulla fere unquam fuit *Venetis* quies. Maximam *Turcis* commoditatem præstitisse ad christianum Imperium terra marique evertendum. Quo etenim usque conjunctis classibus *Turcis* obstitere retro potius *Turci* pedem tulere, quam ut ultra processerint. Cum vero ruptis fœderibus quibus ambo populi juncti erant una cum *Joanne* XXII. Pontifice & *Alexio* Imperatore *Constantinopolitano*, cæpere invicem conserere arma, tunc *Morbassanus Achajam* subegit. *Baixetes* deinde *Constantinopolim* obsedit. *Sigismundum Ungariæ* regem & *Joannem Burgundiæ* ducem apud *Nicopolim* insigni victoria pluribus captis principibus in fugam dedit. Et nisi *Tomiris Tartarus* genere, quæ *Tamberlanum* vulgus adhuc vocitat, per eos dies decies centenis millibus in *Asiam* irrupisset, *Baixetem*que *Turcum* congressum acie, profligatum cæpisset. Eo tunc exitu iisque armis *Constantinopolitanum* cecidisset imperium, quibus deinde quinquaginta post annis a *Mahumeto Baixetis* nepote expugnatum extinctumque est. Hæc pauca de *Turcis*. Ut ad *Gregorium* & *Astulfum* redeamus. *Astulphus* cum delegatis missis rescisset, ira concitus, nec minus optime intelligens quid pontifici & *Romanis* ex oriente sperandum esset, nuncio ad *Gregorium* misso, *Tu ne mihi* inquit *minas intentas? Magno tibi stabit hæc in orientem legatio. Itaque præter alias a me latas conditiones, Populus omnis Romanus mihi singulos aureos in capita in annum tributum pendat, sin conditiones non accipitis, mox ad urbem ducemus, & hostilia omnia tam in corpora quam in urbis ædificia a nobis expecta.* Consternatus metu eo nuncio pontifex populusque *Romanus*, quum neque viribus valere se intelligerent, nec ullam expectarent ab imperio salutem, dissimulandum tamen & priusquam se ad alia consilia convertant, ducendam rem satius existimant, donec *Paulus* pontificis frater ex oriente revertatur. Itaque emollire contendunt muneribus barbari atque avari hominis crudelitatem. Obstinatior ille quam mitior his rebus fieri, usque adeo ut cum protrahi rem animadverteret, rursum denunciarit, nisi quam primum conditiones a se latas accipiant, nullam deinceps illis reliquam spem salutis fore, urbem cum sacris profanisque omnibus in ditionem velle. At vero hoc secundo perlato nuncio miserabilis omnium animos mæstitia defixit. Pontifex ad lachrymas orationesque conversus, consilium afflictis extremoque loco constitutis rebus ex alto petere, supplicationes quotidie habere miserando habitu & lachrymabili corporis cultu. Concursus ad eas maximi ex omni populo fieri. Præferebatur crucis vexillum, atque sub ea fœdera cum *Langobardo* icta innexa pendebant. Lachrymis vocibus ejulatibus omnia complebantur. Postea vero quam satis placata divina clementia attritione populi visa est, tum consilium & conventus omnium ordinum habitus. Atque ibi de novo aliquo remedio capiendo actum. Quæ vero per ea tempora urbi *Romæ* fuerit regendi forma, apud neminem scriptum invenio, nisi quantum exquirere ex his licet, quæ mandata memoriæ sunt. Exarchus quidem apud *Ravennam* pro imperio cuncta in *Italia* administrabat, atque ad eum referebantur omnia, quæ ad summam imperii pertinerent. Res præcipue militaris & omnium pecuniarum rationes in illud ærarium conferebantur. Legimus etiam ab Exarcho, duces *Romam* mitti solitos publicasne ad imperii res administrandas, an vero privatas dijudicandas, incertum habeo. Ipse tamen omnium erat arbiter atque præceptor. *Romæ* vero urbanas civilesque res senatus populusque administrabat. Quæ vero ad *Romanæ* reipublicæ statum pertinerent, gerebantur pontificis auctoritate. Neque enim apud Exarchum procul agentem tractari poterant. Neque alius quisquam præter Exarchum *Ravennatem* erat magistratus, in cujus fide virtuteque aut imperium aut *Romanus* populus conquiesceret. Pontifex vero seu cum delecto ad id senatu, seu cum primoribus urbis decernebat. Non ambitione sed pietate audire populum oportebat, monere, hortari, cæteraque id genus. Maxime hoc videre licet ex *Gregorii* epistolis ad *Mauricium* imperatorem. Qui quidem imperator haud aliter *Gregorium* quibusdam in rebus redarguit, quam si apud ipsum totius gerendæ reipublicæ cura consisteret. Necesse igitur fuit, ut absente imperatore & Exarcho illius vicem gerente, ad aliquam majorem auctoritatem negotia, tum consultanda, tum peragenda deferentur. Nomina vero quæ tum fuerint, aut magistratuum aut consiliorum incertum. Mutata enim pro temporum varietate, Consules alia auctoritate quam superiores, & bandaresios & senatores & præfectos, & regionum capita legimus & audivimus. Cæterum ut ad consulta *Gregorii Romanorum*que revertamur *Paulus Gregorii* frater ex oriente reversus, quid egerit renunciat. Verba sibi a *Constantino* multa data. In his autem nullam ponendam spem. Quod illud quoque imperium variis multarum gentium incommodis affligetur. Cum igitur non amplius differendum videretur, exquirerenturque sententiæ. Enimvero omnium voces in *Pipinum Francorum* Regem consentire. Eum unum qui possit tantis mederi malis. Si non exaudiat comploratam esse rem *Romanam* & Ecclesiam. Itaque omnium consensu legationem decernunt, quæ miserandis *Italiæ* rebus opem imploret. Decreti ad eum legati, Primus ejus familiæ *Francorum* regnum *Zachariæ* pontificis auctoritate fuerat consecutus. Celebre tunc erat per universum fere orbem *Pipini* nomen, patrique *Carolo* atque *Pipino* avo haud quaquam dissimilis. Præclaras res bello gesserat. Magnam autem spem præbebat *Martelli* patris exemplum. Cujus & virtus & auctoritas effecerat ut *Luitprandus* Rex ad primas illius litteras ab obsidenda *Roma* copias amoveret. Dum itaque hæc *Romæ* geruntur, *Veneti*, qui intelligerent hæc omnia, & quorsum evasura essent conjectura assequi non possent, sibi tamen non poterant non timere, maxime vero *Ravennæ* urbis amissione, quæ quidem urbs cum omni Exarchatu in *Langobardi* imperii & avari hominis ditionem venisset, metuebant autem ne latius hoc incendium corriperet. Finitima siquidem cum essent *Veneta* æstuaria *Ravennatibus*, ut supra diximus, littora vero aperta præcipue a *Clodia* oppido usque ad *Fossam*, quæ nunc *Fornaces* olim vero *Carbonaria* appellabatur. *Brondulanum* tantummodo littus *Athesis* fluminis ostium intercidebat, unde in mare influit. Erat autem is locus sine ullo munimento, ut igitur si quando ab eo capite urgeret hostis, longius arceretur, neque liber illi transitus per omnia littora pateret, placuit *Brondulum* munire Castello validiori, quasi propugnaculum ad omnes ex ea parte impetus sustinendos, atque ut ejus ostii transitus semper esset in *Venetorum* potestate. *Deodatus* igitur dux cum XIII. Ducatus anno ad id maturandum opus profectus esset, *Galla* civis *Metamaucenus* audax ad omne facinus, cæteris autem in rebus, quæ ad promerendum honorem valent, penitus destitutus, stipatus conjuratorum manu *Deodatum* operi intentum improviso adoritur. Committitur prælium aliquanto iniquius, cum parati imparatos adorirentur. Metu perculsi, qui

qui circa ducem versabantur, fugam capessunt, Dux oppressus capitur a *Galla* ducatuque & oculis privatur. Neque *Gallæ* tamen patratum scelus diuturniori fuit lætitiæ. Nam vix peracto anno omnium *Venetorum* consensu ejicitur ducatu male parto & quod *Deodato* injuste inflixerat, oculis ipse juste erutis vitam finivit. *Dominicus Menegatius* dux deligitur anno domini septingentesimo quinquagesimo *Metamauco* oriundus. Diminuta ducis potestas est, duobus adjunctis Tribunis ad omnes causas administrandas. Eos cum ille ferre non posset, duosne duci vestro compedes injecistis? Superbiæ primum notatus, qui patriæ legibus iniquius contumaciusque pareret, dum conatur ducatum in pristinam potestatem redigere, ab indignanti populo anno octavo ipse ducatu pellitur ac visu privatur, interea missi a pontifice *Romanis*que Legati: quid egerint, non prius dicemus quam de *Francorum* gente ac nomine *Gallicane* sit an aliunde irruperit perstrinxerimus. *Francorum* nomen a *Franconia Germaniæ* provincia originem habuisse constat. Ea provincia *Burgundionibus* contermina est. *Clodius* & *Meroveus* principes ejus gentis *Valentiniano* imperante primi transire *Rhenum* adorti novas quærendi sedes gratia. *Etius* dux *Romanus* qui tum *Gallias* obtinebat, etsi novam gentem recipere intra *Galliam* non placebat, tamen cum ad ingentes *Athilæ*, qui ferebantur motus, animum & curam intenderet, repellere illos ex usu reipublicæ non indicavit*. Sedes illis benigne attribuit, ut amicorum potius opera uti posset contra potentissimum instructissimumque hostem, quam novis augeri *Athilam* auxiliis. Sapientis officium existimans plures sibi inimicos eodem tempore non facere. In eo igitur prælio quod maximum omnium in *Catalaunicis* campis consertum est, dexterum cornu *Etius Meroveo* regendum demandavit. *Meroveo Clodoveus* filius in regno succcedit. Is *Clodoveus* multis fœliciter gestis bellis, maximum sibi comparat in armis nomen. Memorabile illud quod primus *Clodoveus* & qui insecuti sunt Reges ad hunc usque diem annis plus mille Catholicam semper fidei regulam nulla infectam hæresis labe sunt secuti. Transmisere in posteros regnum per quinquaginta supra ducentos annos usque ad omne regium munus. Quo tempore forte *Pipinus* in *Austrasiis Germana* & ipsa gente acri ingenio juvenis & manu promptus, principatum tenebat. Is adjecit animum ad *Franciæ* regnum. Gradum illum per opportunum existimans, si ejectis aliis ipse ad regni administrationem irreperet, improbis quibusdam hominibus demandatam. Eam igitur cum per pacem consequi posse desperaret, coactis quam maximis potuit copiis, transmisso *Rheno* in *Gallias* irrumpit. Prælioque cum regni gubernatoribus acri marte commisso, profligatis & in fugam actis, susceptus a Rege benigne est, & domus regiæ magister creatus. Ea apud *Francos* maxima dignitas habetur. Successit patri *Pipino Carolus* cognomento *Martellus*. Is virtute & gloria rerum gestarum nemini fere superiorum omnium regum concessit. Nec tamen alium sibi in regno titulum aut honorem *Martellus* quæsivit, quam magistri domus, quem a *Pipino* patre accepisset. Moritur *Martellus Pipino* secundo filio relicto. Is patri avoque similis, cum pro *Chilperico* Rege magnas gessisset res, magnamque sibi tum gloriam, tum apud omnes regni principes gratiam conciliasset, ea, qua *Pipinus* avus arte magisterium regiæ domus apud *Francos* vendicaverat, ipse regnum adeptus est. Nam cum *Chilpericus* ineptus & ipse ad tantum administrandum regnum haberetur, Principes ejus re-

* *Fortasse* judicavit.

A gni (incertum sua sponte id fecerint, an *Pipini* suasione) *Zachariam Romanum* pontificem consulere decreverunt, quem maxime regno præfici oporteret. Pontifex respondit regno digniorem, qui regno foret utilior. Per hunc maxime modum *Pipinus* ex magistro regiæ domus totius regni princeps est declaratus. Atque ex ea tempestate *Francorum* regnum illud ex *Gallico Francum* appellari cæptum. Ad hunc igitur *Pipinum* secundum legati a pontifice atque a *Romanis* missi perquam benigne accipiuntur. Ex quibus maximus natu longa oratione deploravit miserabilem & lugubrem sub *Langobarda* gente Ecclesiæ *Ro-*
B *manæ* & totius *Italiæ* statum. *Desolatas urbes, exustos agros & relictos sine cultore. Multas urbes cum omnibus civibus desideratas. Nemo quispiam invictissime rex eam nunc terram cognoscat, qui semel ante viderit. Nihil illi pristini decoris restat. Avaritiam ejus gentis inexplebilem quis dicat? Diripiunt, extorquent, aut per vim aut per calumnias, quicquam auri aut argenti in domo Itali civis non facile reperias. Tributa exigunt in capita civium Romanorum. Sæviunt in libera corpora non aliter quam in pecudum. Quid enim dicam raptus virginum & puerorum cæteraque id genus? Tutæ in parentum sinu virgines, uxores in conjugum thalamo*
C *esse non possunt, eandem crudelitatem avaritiamque in templa sacraque omnia exercent. Quotidie pontifex senatusque Romanus, Langobardica defigi signa, media in urbe expectant. Vivit pontifex palpitanti corde. Metus interdum re ipsa pejor est. Finem res habet, metus non habet. Gotthorum crudelitatem nullam fuisse dicas si conferatur Langobardæ. Siquidem illi contendere bello ne Italia quam per tot annos juste possederant, pellerentur. Hæc gens nepharia & alienam rapuere terram, & indigenas omnes si possint in desertas insulas deturbent. Jam vero quod ad christianam religionem attinet, pro hostibus habent quotquot se catholicos profitentur. Arrhium pro Christo colunt perfida gens & Sarracena*
D *deterior. Illius venenum apertum est. Hi vero Christi divinitatem pietatis simulatione blasphemant. Non sic Theodoricus Gotthique. Sed licebat cuique quam malebant hæresim sequi. Hi vero catholicis vim adhibent, pellunt Ecclesiis, fructibus spoliant. Una in re pietatem dicas colere, quod Arrhianis Ecclesiis nihil tribuunt, sibi ipsi omnia rapiunt. Quid multa? Evellant si possint pontificatum a radicibus & ipsam urbem Romam cum omnibus sacris. Ad hæc præterea adjecit sæpius a Constantino imperatore opem imploratam & auxilium, relatum nihil præter verba. Nulla jam Pipine potentissime regum, spes salutem spondet, nisi quam tu dederis. Eam si ne-*
E *gas, in alias terras Italis est migrandum. Et cogitandum cujusnam gentis fidei commendanda sunt capita principum Apostolorum, & præterea tot martyrum millia. Gessisti tu quidem pater avusque tuus plurima bella pro sacrosancta christi fide. Nempe omnes illas generi vestro victorias, non cæca contulit fortuna, sed omnipotens Deus exercituumque dominus. Quis autem earum fructus, si tu hic in Galliis vincas. Hostes autem tui arcem Ecclesiæ, quæ Roma est, exscindant? Tuam itaque opem Pipine poscimus. Tuum imploramus auxilium. Te inquam obsecramus per Dei omnipotentis hominumque fidem, ut tantis in malis periculisque constitutam non dese-*
F *ras, sed ab hac gente superis immortalibus atque mortalibus omnibus inimica, salvam liberamque præstes, qui unus potes præstare quod vis: longe etenim tibi gloriosius fuerit voluisse quam potuisse.* Ad hæc verba *Pipinus* graviter animo commotus est. Cum lachrymis etiam legati non temperarent, respondit acerbum sibi admodum fuisse audire quibus in ærumnis pontifex populusque *Romanus* a *Langobardis* agitetur, devinctum se priorem benefi-

cio

cio ab *Romana* Ecclesia, & regnum *Franciæ* illi debere. Daturum operam, sanguine etiam si necesse sit, non ingratum videri. Proinde bono sint animo. Urbem *Romam* pontificemque brevi restituturum in pristinam dignitatem. Sunt qui dicant hæc per litteras acta, ne *Astulphus* resciret. Quod mihi non probatur. Neque enim verisimile tantam rem tantis in difficultatibus constitutam, non coram per legatos sed solis litteris commendatam. Neque dubium esse poterat *Astulpho*, si cum pontifice non conveniret non idem facturum *Gregorium* quod alter *Gregorius* ab *Martello* patre petiisset. Multa prætereunda nobis quæ interea *Astulphus*, avertendi *Gregorii* causa ne *Pipinum* accerseret tum minis, tum pollicitationibus conatus est: idem *Constantinus* Imperator communicato cum *Astulpho* consilio & conjunctis oratoribus, tam apud pontificem quam *Pipinum* non dissimulanter tentavit. Cum uterque pati non posset *Francorum* regi quicquam negotii in *Italia* esse. Quasi divinarent quid tandem esset futurum. Irrita cessere omnia. Nam per *Langobardum* stetit quominus pax coiret. Adduci nunquam potuit ad *Ravennam* & Exarchum restituendum. Omni igitur pacis sublata spe, *Gregorius* in *Franciam* est profectus, exceptus maximis honoribus, & quicquid poposcit liberalissime est consecutus. At *Pipinus* ingentibus copiis in *Italiam* veniens ad *Papiæ* obsidionem consedit. Neque interim *Astulphus* variis pollicitationibus artibusque eludere tam *Pipinum* quam *Gregorium* desistit, adeo ut firmatis iterum prioribus solenni stipulatione fœderibus, *Pipinum* adduxerit, ut priusquam peractum esset, quod in fœderibus cavebatur, in *Franciam* cum omnibus copiis redierit. *Pipini* discessu insolentior truculentiorque factus *Astulphus* quam maximum potest exercitum cogit, atque in urbem ducit, nulli parcens generi crudelitatis, diripit omnia suburbana ferroque & igni vastat, tris menses totos urbem durissima pressit obsidione, ut vix unquam antea tanta detrimenta sit passa. Statim pontifex & *Romani* duos secundo *Tyberi* oratores in *Franciam* advolare jubent, ut quo in statu res *Romana* sit *Pipinus* cognoscat. Cæterum jam antea certior factus quippe in fide *Romanis* data constantissimus ad reditum accingebatur. Magnis igitur itineribus iterum superatis Alpibus ad *Papiæ* obsidionem consedit. *Astulphum*que astu & mendacio meliorem, quam viribus adigit ad deditionem, & ad imperata quæcunque voluit peragenda. Quum interea *Constantinus* Imperator eorum omnium, quæ agerentur in *Italia* certior factus missis & terra & mari ad *Pipinum* legatis, impedire ac perturbare omnia conatus est. Tantum livori concessit, ut antiquissimum capitalemque hostem mallet *Ravennam* & Exarchatum obtinere, quam pontifici *Romanis*que permittere. Ne *Francorum* gens compositæ *Italicæ* pacis gloria potiretur. Ante vero quam *Pipinus* in *Gallias* reverteret *Astulphus* apoplexi correptus interiit. *Constantini* autem oratores contendere statim innituntur apud *Pipinum*, ut *Ravenna* & Exarchatus, quem semper imperium tenuerat restitueretur. Excusavit *Pipinus* res *Italicas* omnes in unius potestate pontificis constitutas. Ferunt nonnulli *Pipinum* priusquam ex *Italia* discederet dono Exarchatum Ecclesiæ dedisse. Complectebatur autem Exarchatus quicquid citra *Placentinum* agrum includitur *Pado* atque *Apennino* & *Adriatico* mari *Venetorum*que paludibus *Ariminum* usque, ut dubitem interdum permissa potius a *Pipino* pontifici quam dono data, quæ nunquam *Pipinus* acceperit in ditionem, non armis non jure alio. *Caroli* magni potius crediderim eam fuisse

A donationem, quæ postea subsecuta. Utcunque fuerit desiit hac tempestate *Græcorum* Exarchatus in *Italia* qui annis quinque & septuaginta supra centum perseveraverat. *Constantinus* interea apud *Constantinopolim* morbo Elephantiaco correptus, maximisque vexatus cruciatibus defecit, ut fama dispersum sit clamantem expirasse: *Flammæ sum inextinguibili damnatus.* Ejus corpus *Theodora* nurus mulier christianissima hortatu *Theodosii* patriarchæ de sepulchro extrahi & publice comburi pulveremque in mare jactari jussit. Dum hæc in *Italia* & oriente geruntur, res quotidie apud *Constantinopolim* in deterius labi, quum fere semper nequiores parentibus filii infœlix illud sceptrum capes-

B scerent. Nam *Leo Canstantini* hæretici filius defuncto patre solus administrandum imperium suscepit. Gemmarum amore insaniens. Siquidem non contentus his, quas undique conquisierat: *Quid* inquit *moror? Cur tantum auri, Gemmarum Carbonum, Margaritarum, Hiacynthorum in hoc sacrario deperditur? Paupertatem Christum laudasse asserunt non Gemmas. Educamus eas in lucem, & Imperatorum caput ornemus.* Manum misit ad sacram coronam miræ pulchritudinis, quæ per multos annos in Sacrario sanctæ *Sophiæ* maxima veneratione servabatur, Carbunculis, Sapphiris,

C margatitisque distinctam. Dum vero illam capiti accommodat, & in publicum gloriabundus incedit, mox illi caput carbunculi apostemate intumescit, ut paucis post diebus morientem, Sacras res in usum attigisse pœniteret. Imperium suscepit *Hyrene Atheniensis* genere quam *Constantinus* pater huic *Leoni* ob eximiam pulchritudinem in matrimonium dederat. Prudentia quidem non minus quam forma præstitisse ferunt. Hæc cum pro *Constantino* filio adhuc adolescente imperium administraret. Mulier viro olim *Leone* ac socero *Constantino* prudentior mox dedit operam, ut septima apud *Constantinopolim* synodus pro imagi-

D num hæresi tollenda cogeretur. Convenere patres quinquaginta supra ccc. ibique tandem summo eorum consensu hæresis damnata. Versus ibi duos tunc editos ferunt, qui deinde in latinum versi, nunc in Æde Beatissimi *Marci* leguntur.

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa.
Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Hæc dum in oriente geruntur post infælices & infaustos nonnullorum vel ducum, vel magistrorum militum eventus, *Mauritius* apud *Metamaucum* dux deligitur patria *Heraclia*, genere nobili & opibus insignis. Primum omnium dat ope-

E ram, civilem amorem, discordiis e medio sublatis, conciliare, in quo fuit fæliciffimus. Nam per annos tres & viginti, quibus ducatum tenuit nulla intestina seditio apud *Venetos* orta. Ob eamque rem fuere etiam res externæ fæliciores. Civilis quippe consensus externas quoque res pacatiores præstat. Quod externi motus sæpe aguntur civilium rerum flatu. *Histriam* autem & *Forojulium Langobardi*, itemque Urbem *Romam* & Ecclesiam, hinc *Langobardi*, illinc *Græci* multis affecere incommodis. Nec eo quidem tempore defuere *Gradensi* Ecclesiæ quotidianæ a *Langobardis* injuriæ. *Joannes* siquidem *Aquilejensis* patriar-

F cha occasione arrepta, discordiæ inter *Stephanum* pontificem & *Astulphum* ortæ, adversus *Romanam* Ecclesiam, animos sustulit, ut quicquid videretur fretus *Langobardorum* potentia ad libidinem auderet. In primis autem aggreditur *Gradensem* quam maxime potest Ecclesiam deprimere. Traxit ad se omnes fere *Histriæ* Episcopos, ut a *Gradensi* sede abscissi, *Aquilejensi* essent suffraganei. Illi itaque omnibus in rebus ita se gerere, quasi nihil esset negotii cum *Gradensi.* Id vero

vero cum *Mauritius* cæterique *Veneti* ferre non possent, questus *Mauritius* Dux & *Joannes Gradensis* patriarcha per nuncios apud *Stephanum* pontificem opem adversus implorant injuriam. Dedit quam primum Pontifex literas ad *Aquilejensem* plenas doloris & comminationis, imperat acrioribus verbis, ut ab eo facinore desistat. Similes ad alios *Histrienses* Episcopos. Nihil autem cum illæ proficerent, *Veneti* coacto concilio decernunt ex *Mauritii* sententia, ut priusquam armis vindictam repetant, per legatos iterum agant. Querantur apud *Stephanum* litteras nihil profuisse, acriori opus remedio. Duo decreti oratores: Magnus sacerdos & Scriniarius, quem nunc Secretarium vocant, & *Constantinus* tribunus, qui *Romam* una cum *Stephano* Patriarcha proficiscantur. Eo cum venissent priusquam ad pontificem admittantur, vita defunctus *Stephanus* est, & *Adrianus* patria *Romanus* genere nobili, virtute autem ac morum sanctitate conspicuus, in pontificatum subrogatur. Admissi ad pontificem *Veneti* oratores, & jussi dicere quam ad rem venissent: peractis de more gratulationibus de novo pontificatu, ita cæpit patriarcha. *Etsi neque animus neque vires Beatissime pater superum benignitate, ad Aquilejensis patriarchæ propulsandam injuriam Venetæ genti desint. Mauritius tamen dux Venetique dum ad honorem pontificium potius quam Venetum respiciendum putant, arbitrati sunt filiorum officium priusquam aliud remedium experiantur: Sedem hanc sacrosanctam consulere, quid illis agendum putet. A cujus consultis imperatisque discedere nullum illis consilium est. Joannes Aquilejensis patriarcha magna elatus superbia ob pallium illi Ecclesiæ Luitprandi precibus transmissum, immemor tanti accepti ab Romana Ecclesia beneficii, annum jam integrum sollicitare non desistit Istrienses Episcopos tum minis, tum promissis, ut deserta proditaque Gradensi Ecclesia, cujus sunt suffraganei, transeant ad Aquilejensem. Neque id deprimendæ tantum Gradensis Ecclesiæ causa moliri se dicit, quam ut parem se faciat dignitate potentiaque Romano. Cujus jampridem excutere jugum conatur. Aliquos facile in sententiam pellexit. Nonnullorum in tua fide constantium vi aggressus, vastavit agros, villas diripuit aut combussit. Eo quoque insania prorupit, ut omni contempta Christi religione, adversus sanctorum pontificum decreta confundere consecrationes omnium Ecclesiarum ordinumque non vereatur. Questi sumus dum viveret apud Stephanum pontificem. Maxime commotus animo est, acerbas dedit ad hunc Joannem litteras. Quid existimas pater sancte? Quo supercilio, qua superbia recepisse credis? Nam legisse dicere non possum. Nihil respondisse satis certe scio, cum aliis de causis, tum vero quod a superioribus injuriis plures & majores deinceps addidit contumelias. Dictitat palam nihil sibi esse negotii cum Romano pontifice, habere socios Episcopos, quorum auctoritate suffultus, nihil sibi metuat, Mediolanensem credo dicat & Ravennatem. Tuum est igitur Beatissime pater prospicere Romanæ dignitati, & videre an hæc tibi sit indignitas & contumelia ferenda. Nos diutius ferre nisi te volente atque adeo imperante non possumus. Aut nobis nostræ Ecclesiæ deserendæ, aut tu prohibe injuriam qui potes. Quæ si nostro aliquo merito accideret, esset fortasse alicui solatio locus. Sed quid unquam a nobis Aquilejensi sedi injuriæ illatum? Quis primus impetravit stabilem in Grado sedem? Nonne Helias? Hic vero, quis fuit? Sane Aquilejensis Episcopus priusquam Gradensis. Laudavit eum hæc sanctissima sedes. Atque ejus auctoritate non propria Gradum translata Aquilejensis Ecclesia est. Et ut nomen rem ipsam testaretur, novam Aquilejam appellari Gradum voluere. Hoccine peccatum nostrum est pater sancte? Ideo ne transcendant in nostra littora, vastent omnia diripiantque. Quid dicam quotiens patriarchium invaserint, quotiens ipsam Ecclesiam? Tandem pacis conciliandæ causa, placuit huic sedi dividere Ecclesias earumque suffraganeos, vix ea decreta constitutione, Centenariam insulam Severus Aquilejensis invasit. Ignosce pater sancte. Liberalitas bonitasque Gregorii pontificis, qui pallium illud ad Langobardi regis gratiam dono misit, Venetas Ecclesias in has impulit calamitates. Satis illi primum erat superbiæ, transmissum a Gregorio pallium ad insaniam redegit, ut ad hunc usque diem nunquam ab injuria crudelissimæ gentis sit cessatum.*
B *Quod si ea est hominum invidia, ut querantur compluribus jam sedibus Episcopalibus has insulas decoratas, obsecro pater sancte, expulsine ab Arrhianis hæreticis miseri Episcopi, qui ad nos confugerent, suscipine a Venetis debuerunt, an vero expelli? Simulant de nobis queri, quorum peccatum nullum est, queruntur improbi homines de sacrosancta hac sede deque superioribus pontificibus, quorum imperio atque auctoritate, quinque jam sedes Episcopales barbaros gladios & Arrhianam perfidiam fugientes in hæc se stagna receperunt, quas si videas tum cleri frequentia populorumque, tum templis & monasteriis instructas sane retulisse gratiam Romanæ Ecclesiæ videbuntur. Eas quotidie augeri & excresce-*
C *re ferre non possunt, viam excindendi meditati sunt, si Gradensem dignitatem extinguant. Nam si hoc recipis pater sancte, nimirum cæteræ desolentur Ecclesiæ necesse est. Neque id satis. Revertantur oportet, insulæ omnes & oppida in pristinas paludes, fac enim ut Aquilejensi subdantur. Credis ne pater sancte aliquid magis Langobardos principes tentaturos, quam ut tot pulcherrima oppida, tum littorea, tum insularia desolentur? Ea igitur omnia sustuleris, si Gradensem, quæ caput est, dignitate spoliaris. Non possumus existimare tibi æquum videri. Sane huic sanctæ sedi, nec decori fuerit, nec orna-*
D *mento, ut nulla unquam hæresi Ecclesiæ pollutæ, nullo schismate contaminatæ, pontificum dicto semper parentes, pro gratia meritoque excidium a barbara gente permittente ac volente pontifice patiantur. Quod si forte in hujus sanctæ sedis honorem, aut commodum, libet destruere quæ condidistis, impera ut libet. Durum erit fateor, & morte pejus. Sed extingue Gradense nomen, demolire Ecclesiam meam quæ perquam magnifica surrexit. Dirue oppidum a fundamentis, vacuumque littus in arenam verte. Feremus omnia. Tu pater es. Tu christi vicarius. Non minus imperata faciemus in deserendo quæ condidimus, quam cum ob profanata istorum dogmata ab eorum consuetudine, hac imperante sede discessi-*
E *mus. Nostris omnia peccatis attribuemus. Si hæc placent, fac tu. Non illi faciant. Non sibi arrogent quod tuum unius est. Sin magis ut speramus semel statutas, & in optimam frugem evectas Ecclesias conservare libet. Noli Beatissime pater tantum Aquilejensi tribuere, ut destruere possit quod tua Beatitudo sustinere non valeat. Potes tu quidem sancte pater facere quod vis, illi te nolente non possunt. Honorem summi Dei a christo tibi creditum, nefandæ genti profanandum ne prodideris. Hæc pro me dicta velim, proque tot cleris & Ecclesiis tibi deditissimis. Cæterum ut omnia tibi pater sancte sint nota, nihil est illis hac*, Jure tam acerbum molestum-*
F *que, quam quod intelligunt, nisi confestim succurratur, & ad priora conventa, ut suo quæque jure Ecclesia contenta sit, redigantur, difficile fore ne populi ad arma bellumque concurrant. Id minime omnium devotissimæ tibi ecclesiæ volunt, quin prius quam id accidat, omnia in se suaque supplicia deposcunt.* Tribunus deinde *Mauritii* ducis nomine, pauca quædam in eandem sententiam & præcipue extremæ partis addit. Commotus est *Adrianus* eorum oratione haud mediocriter, dolere se dixit eo-

* Forte. Hac in re.

eorum vexationibus, & ipsorum vices miserari, neque relicturum communi humani generis inimico occasionem, ferrum & arma capiendi, dat continuo operam ut acres scribantur litteræ, quæ imperent tam *Aquilejensi*, quam *Histriensibus* Episcopis, ut ad sacrosancta Romanæ Ecclesiæ decreta redeant, nec consecrare audeant aliena in Ecclesia, præter patrum instituta sub æternæ damnationis comminatione. Quod si facere ne- A gligant, acrioribus statim pænis eorum perfidiam persequuturum. Irrita omnino non fuere mandata. Cæterum plus instantis periculi metus, quam verba profuere. Neque enim prius illi opere executi, quam post *Caroli* adventum in *Italiam*, deletumque *Langobardum* nomen. Adeo metus sæpius quam honestas, redigit homines ad officium.

LIBER DUODECIMUS.

Dum ad *Caroli* magni tempora majoresque ab ea gente difficultates propius accedimus plura nobis scribenda sese offerunt memoratu digna. Nam & maximi regis in *Italiam* adventus & finis *Langobardici* regni & *Romanæ* Ecclesiæ principatus admodum auctus, & *Romani* imperii sive divisio, sive ut nonnulli volunt translatio. Magna sunt omnia, neque a nobis prætereunda, præsertim quia prius aliquot per annos maximis est periculis laboratum, deinde conversa, ut sæpe solet fortuna ex *Francorum* imperio *Venetiam* urbem maxime nobilitatam multis in bellis accepimus. Breviter tamen omnia transigemus. Quod si nonnulla forte diversitas reperietur annorum Pontificum Imperatorumque, præfari nunc etiam libet probabiliora secuturos, defuncto apud *Langobardos Astulpho* Rege, & *Stephano* Pontifice in humanis adhuc agente, *Langobardi* duces fere omnes in *Rachisium* bellica virtute præstantem consentiebant. Quem *Rachisium Astulphus* frater ut supradiximus suadente *Zacharia* pontifice regno fraudarat, inde plus indignatione quam voto monasticam arripuerat vitam. Tenebat autem ea tempestate *Desiderius Histriæ* dux *Hethruriæ* quoque præfecturam, & copiis satis validis erat succinctus, regnum igitur occupare adortus, nunciis ad *Stephanum*, qui tunc pontificatum maximum tenebat, dimissis, precibus, blandisque pollicitationibus postulat ut ad regnum suscipiendum pontificias illi opes subministret, quum id rescisset *Rachisius Desiderii* olim inimicus, elatus ab amicis ad regnum recipiendum, quod bis jam sibi deberetur, egressus monasterium copias *Langobardorum*, quæ fere omnes præter *Hetruscos* in eum respiciebant, quam maximas potest cogit. Eo metu perterritus *Desiderius*, ne impar viribus cum *Rachisio* congrediatur, fædus cum *Stephano* componit, pollicitus se restiturum quicquid Ecclesiæ a *Langobardis* fuisset ereptum, adjunctis tum quibus potest blanditiis, tum diris etiam execrationibus si fidem fallat. Fuit enim *Desiderius* ingenio ad fallendum percommodo, vel minis ubi opus esset, vel blanditiis. Nulla homini fides, nulla religio, perinde habere, pactum fallere, ac servare. Gloriæ non tam cupidus quam potentiæ. Militaribus quidem artibus satis instructus, ut tamen in obeundis periculis animo potius interdum destitueretur, quam ipsi superesset audacia. *Stephanus* magnis delinitus pollicitationibus fædere cum *Desiderio* inito nuncios ad *Rachisium* mittit, admonet, *Desiderium* a se Regem appellatum, proinde armis abstineat, caveatque omnipotentis Dei iram, qui votum religionis quod solenne semel emisisset ementiatur. Meminerit præterea sibi rem futuram non cum *Desiderio* solum, sed cum *Romanis* & *Francis*, quorum auxilia non sint *Desiderio* defutura. Assensere tandem pontifici *Rachisius* & *Langobardi*. *Desiderius Ferrariam*, *Faventiam*que Ecclesiæ continuo restituit. Cæte- B ra bonis datis verbis differt. Sub idem fere tempus *Stephano* defuncto moritur *Pipinus* apud *Gallias*. Ejus audita morte, *Desiderius*, cui semper *Gallorum* potentia fuerat suspecta, quasi eo freno liberatus ad ingenium redire, ludosque *Romanis* & pontifici dare cæpit, ut non solum ablata non restitueret, sed etiam alia confictis dolis surriperet. Interea *Stephanus* peropportune humanis decedit. Subrogatur in ejus locum totius cleri populique consensu is quem supradiximus *Adrianus*, cui præter cæteras virtutes insignis erat animi magnitudo. At vero *Desiderius* accepta tanti viri in pontificem electione (Quippe tyrranidi semper invisa virtus est) ut erat in utrunque animi C habitum, & minandi & demulcendi semper paratus, occupare hominis benevolentiam statuit. Itaque postulat per legatos fædera instaurari, quæ sibi cum aliis essent pontificibus. Paratum se esse respondit *Adrianus*, si *Desiderius* ea restituat, quæ per eadem, quæ instaurari expostulabat, fædera a se vel a superioribus pontificibus erepta restituat. Alioquin *Adrianum* novis non indigere fæderibus, posteaquam veterata facile antiquarentur. *Desiderius* autem cum illi nihil verba proficerent, minis in pontificem agere constituit. Arma undique movet, omnia miscet, nunciis litterisque per *Italiam* dimissis magna se moliri demonstrat. Neque tamen non etiam re comprobat. D Nam Exarchatus & *Ravennatum* fines ingressus, omnia diripere ac vastare cæpit. *Ravennates* sublato jam Exarchatu, qui per quinque supra centum & LXX. annos a *Narsetis* morte incolumi dignitate steterat opem per legatos a pontifice implorant. Monet pontifex *Desiderium*, ut desistat ab incæpto, nec fædera vix adhuc mandata litteris infringat. Respondet *Desiderius* arrogantius longe quam antea, *Veniat* inquit *ad me Adrianus, & doceat ipse quid velit, justa impetrabit si videbuntur*. Eadem bis per oratores, & acta & relata, ut nunquam tamen destiterit quascunque valuit Ecclesiæ civitates sollicitare asciscereque in suas partes. E Omnia *Adrianus* ad *Carolum Magnum* aut per nuntios, aut per legatos defert. In eum spes omnes suas conjicit. Sed qui difficile rem ad arma converti vellet, tentare decrevit humana divinaque omnia priusquam externas in *Italiam* advocet nationes. Abbatem mittit sanctæ *Sabinæ* ad *Desiderium*, & viginti præterea monachos pullata veste, atque horrenda specie, cum humanis, tum divinis obtestationibus, qui moneant abstineat ab injuria, ablata repetant. Contemnit eos ut erat impotens animi: *Gladiis* inquit *gerenda res, & breviori veste, non larvis istis & personatis hominibus*. Respondet per legatos pontifici nisi quam primum ad eum veniat, F castra ad urbem moturum. Pontifex nihil ob id territus claudi portas urbis imperat, mænia refici ac muniri. *Carolo* singula per litteras denunciat, totumque populum quotidie habet in orationibus supplicationibusque. At vero cum videret *Desiderius* sibi rem esse cum eo, qui

qui minas nihil extimeſceret, nec jam dubitaret *Adrianum* ſe ad *Carolum* recepturum (Sic enim increbruerat) occupare *Carolum* per nuncios ſtatuit. Itaque longe ſecus ac ſe habeant de rebus *Italicis* certiorem facit. *Adrianum* accuſat pertinaciæ ſuperbiæque, per eum ſtare quominus res ad pacem componatur. Nec alium ſe judicem quam *Carolum* optare. Cum autem videret *Deſiderius* nullam verbis haberi fidem, alia avertere *Carolum* via aggreditur, ab ope pontifici ferenda. Conventum *Papiæ* indicit principum *Langobardorum*, ſimulat ſe quaſi feſſum hujuſmodi laboribus & pænitentia ductum decreviſſe in gratiam redire cum *Adriano*. Teneri quoque jam pridem *Deſiderium* viſendi ſacra limina Apoſtolorum. Itaque *Romam* proficiſci inſtituiſſe, deque omnibus *Italiæ* rebus cum *Adriano* colloqui, non dubitare facile conventuros, ducere quoque ſecum inſtituit *Aldigiſium* filium & *Carlomani* liberos una cum *Berta* matre quaſi ad pontificem adorandum. Undique præterea nuncios cum litteris dimittit, rem ſibi cum pontifice conveniſſe, ut ejuſce rei rumor in *Gallias* quam primum ad *Carolum* perferatur. Iis igitur compoſitis rebus priuſquam ingrediatur iter Legatos mittit ad *Adrianum* duos ex *Langobardis* principibus, qui moneant de *Deſiderii* adventu, decreviſſe Regem in gratiam cum eo redire paratum facere quæcunque velit facile rem conventuram, neque tot legationibus indigere. Et præterea ex longo tempore votum ſibi eſſe viſere Apoſtolorum limina, utrique officio una profectione ſatisfacturum. Iis igitur peractis compoſitiſque rebus iter ingreditur maxima pompa, ut latius fama diffundatur. Ea valebat plurimum, non tantum ad *Carolum* remorandum, ſed ad confirmandos etiam in fide ſocios. At vero *Adrianus* nunciato apparatu regio, & paulo poſt intellecta legatione nihil dubius quam ad rem hæc omnia compoſuiſſet, diſſipare illius inſidias forti animo inſtituit. Imperat quam primum tris epiſcopos *Albanenſem*, *Præneſtinum Tiburtinum*que ire obviam *Deſiderio* ac proteſtari ne *Romani* Ducatus fines ingredi audeat, alioquin diras omnes execrationes & anathemata denuncient. Obſtupuit *Deſiderius* ad hujuſmodi nuncium, ſuſpenſus aliquandiu quid ageret. Tandem ut exiſtimationem inter ſuos retineat, multa pontifici minatus, nec ultra progredi auſus, *Papiam* cum omni comitatu regreſſus eſt. Quum autem male ſibi fraudem ceſſiſſe animadverteret, neque jam dubium videret fore, ut irritatus ea re *Carolus* ſuppetias pontifici longe promptius afferret, ſtatuit ſe ad bellum ſuſtinendum parare, cætera omittere. *Adrianus* autem nihilo ſegnior ſenatum cogere inſtituit, deque his rebus conſultare. Quum conveniſſent, quanquam fere omnis clerus *Romani*que palam *Carolum* vocarent, ſolum eum dicerent, qui ferocem retundere tyranni animum poſſit, in eo uno ſpem ponendam, ſententias de more exquirere, cohortari tamen & ad bonam ſpem afflictum Senatum erigere, non ſpernendum duxit: Deum præfatus ſuperoſque omnes ita cæpit. *Quonam peccato noſtro fieri dicam fratres in chriſto cariſſimi, ut ducentis fere jam annis ab hac nefaria gente laboret Eccleſia, vexetur & laceretur Italia? quam immerito Deum judicem appello. Quid enim unquam a nobis injuriæ huic genti illatum? Sed omittamus ſuperiores Reges illos, quorum ſuperbiam crudelitatemque ſenſere miſeri Itali. Tamen ut a patribus noſtris accepimus nonnulla interdum dabatur quies. Quod autem hoc genus hominum an ferarum dixerim? Quales inquam fuere ambo hi proximi, quos jam annos.* XXX. *patimur, Aſtulphus & Deſiderius? Quis eorum ingratitudinem perfidiamque ſatis digne queri*

A *poſſit? Aſtulphus a Gregorio regnum adeptus eſt. Ab eodem Gregorio Stephanoque Deſiderius. Ambo quæcunque voluere fœdera, quaſcunque dixere pacis conditiones, obtinuere, & tamen tantorum immemores beneficiorum, fœdera icta in annos.* XXXX. *vix quarto elapſo menſe violavêre. Neque ſolum ulla facta reſtitutio, ut ſolenni aſtipulatione ſancitum erat, ſed aliæ quoque ſuper alias civitates Eccleſiæ ſurreptæ: hæc a perfidis hominibus gratia pro beneficio pontificibus reddita. Illud profecto eſt. Hæc mala patimur fratres quemadmodum Apoſtolus ait, ut probatio fidei noſtræ pretioſior auro ſit & argento, quod per ignem probatur. Emolliendum quiſpiam fortaſſe*
B *dicat animum hominis ſi fieri poteſt. Prudens ſane conſilium. Sed quotiens id ſumus experti? Quotiens pactis etiam iniquioribus? Sævior fit & truculentior, tametſi nulla illi fides eſt, nulla religio. Si promiſſis ſtamus decipimur, ſi quod poſtulat negamus, armis agunt. Quo autem ſtatu eccleſia ſit, quis non advertat? Avertit omnem Exarchatum, magnam Romani partem ducatus per vim obtinet. Italicæ omnes copiæ Langobarda ſequuntur ſigna. O miſeram & Eccleſiæ & Italiæ conditionem. Servitutem noſtram homo ſuperbiſſimus meditatur. Quid enim aliud ſibi vult, quum jubet ut ad eum accedamus? Æqua ſi petierimus impetraturi. Ergo De-*
C *ſideri tu mihi judex eris? Judicem non habet Eccleſia regina gentium, niſi eum cui aſſiſtit in veſtitu deaurato. Num ergo ſummi Dei maximus pontifex huic portento ſerviet? Mori me fratres malim quam eum diem videre.* Quum omnis ſenatus idem ſe malle repetiſſet, reſumpſit pontifex: *Bono ſitis animo fratres. Vocem hanc veſtram pietate plenam dominus non contemnet. Illud me in hac rerum difficultate magnopere conſolatur, quod habet Eccleſia firmum potenſque præſidium Carolorum regum, quorum bis jam periculum fecimus. Superavimus aliquando in orientis auxiliis, nunc autem quid dicam? Ignoſcite fratres, invidia labefactat omnia. Tor-*
D *quentur animo eos qui jam centum fere annis adverſus omnem barbariem decertant creſcere in nomen & amplitudinem. Quis autem dubitet divino factum conſilio, ut hæc Carolorum familia pro Eccleſiæ ſalute ad hanc potentiæ gloriam evecta ſit? Reliquum igitur illud eſt, ut ibi ſint auxilia quærenda, ubi & potentiſſima ſunt, & cauſæ noſtræ fidiſſima. An non hoſtis ipſe noſter idem judicavit? Qui quotidie tum legatis, tum muneribus fatigare ac precibus Carolum non deſiſtit. Horret Caroli nomen, non aliter quam Leonem vulpes. At videte hominis ſive levitatem ſive pertinaciam. Fruſtratus cæteris quos expertus eſt dolis, illam (ut noſtis) his diebus frau-*
E *dem confinxit, ut ſimularet ſe nobiſcum conveniſſe, iter ad nos ingreſſus eſt maxima pompa ut fama ad Carolum perferretur. Advolabit ejus malo citius fortaſſe quam vellet. Statim ſiquidem Carolum admonuimus, quid nos in illius repulſam & ignominiam feciſſemus. Quid igitur conari miſer potuit, aut Carolo acerbius, quam nepotes ſecum deducere, aut ad rem noſtram optabilius quam quo eſſet in Carolum animo apertius oſtenderet. Incidit infœlix in foveam quam fecit, ut convertatur dolor in caput ejus & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendat. Teſtor dominum noſtrum, ſuperoſque omnes, invitum accerſere externas in Italiam nationes ſed quid*
F *obſecro aliud conſilii reſtat afflictis rebus? Adactos ad extrema omnia quoque extrema decet experiri, potius quam perire. Venenum interdum veneno pellas oportet. Ita tollendum quando aliter non poteſt malo breviori bellum ſempiternum Quanquam hæc Carolorum familia inter externos cenſenda non eſt, qui neque ab hujus ſedis traditionibus unquam deſcivit, nec eam deſeruit ſummis in laboribus conſtitutam. Non enim ille minus cenſendus eſt civis qui virtute & ſanguine, quam qui origine civitatem meruit*

ruit. Ad primum Martelli nuncium Luitprandus signa ab urbe retulit. Utinam sic iste faciat. Quoniam autem hæc nobis spes non est, alterum Pipinum experiatur oportet. Non ita ut spero Langobardus iste verba ludosque dabit Carolo, quales Astulphus Pipino dedit. Habeo multis nunciis exploratum illius animum. Itaque bene juvante Deo decernite legationem ad eum cujus paternæ & avitæ virtutes undique jam per totum orbem celebrantur. Magistratus quæ curanda sunt curent, & præsertim murorum portarumque custodias. Nos nec privatim nec publice officio deerimus, ut sanguine etiam publicam salutem si opus sit pristinum in gradum restituamus. Legati pontificis maximo honore a *Carolo* suscepti. Quæ vero de *Langobardis* regi ad urbem simulata profectione retulerunt commovere mirifice *Carolum*, & præcipue de *Berta* filiorumque comitatu. Itaque non amplius verbis agendum ratus, mittere duos ipse oratores ad pontificem deinde ad *Desiderium* instituit, qui referant nisi quam primum *Langobardus* pontifici satisfaciat, mox iter Alpium ingressurum. *Adrianus* autem qui *Desiderii* ingenium egregie calleret, veritus ne verba iterum utrisque daret, duos ex suis cum *Gallicis* ire imperat. Et si quid *Desiderius* cavilletur respondeant. *Gallici* vero utrunque audire, & nosse diligentius omnia possint. Quidque de utriusque justitia audiverint ad *Carolum* referre, ne novo ullo impedimento profectionem *Caroli* remorentur. Nihilo mollior hujusmodi legatione *Langobardus* est factus. Legati pontificii cum *Gallicis* ad *Carolum* reversi, eos quum audisset, mihi, *Carolus* inquit, tu quoque ludos? nil morandum ratus, castra movere statuit, & *Italiam* versus tendere. Fuit hic princeps tam pacis quam belli virtutibus excellens. Nam religione ac pietate in Deum, bonitate, justitia, munificentia in omnes, magnificentia quoque operum superiorum omnium gloriam aut superavit, aut æquavit. In bellis autem administrandis difficile dicas utrum fortior, an fælicior extiterit. Res ab eo gestæ optime declarant. Nemo unus unquam tantum in *Europa* terrarum gentium nationumque subegit. *Galliis*, *Hispaniis*, *Germanis*, *Polonis*, *Sarmatis*, *Pannoniis*, *Illyriis*, *Sclavis* dominatus est, *Italiæ* vero parti & majori & opulentiori. Amavit præterea litteras ipse non indoctus. Doctos autem viros summo pretio habuit. Conventum doctorum hominum apud *Lutetiam Parisiorum* instituit, quanto cum beneficio sacrarum litterarum, non est opus commemorare. Qui quidem conventus per tot sæcula, non solum nunquam a vera aberravit fide, sed plagam omnem illam occidui climatis firmam in fide præstitit, & inconcussam. Musica tam vocis quam soni inter occupationes delectatus est. Abduxit secum in *Gallias* quos maxime præstare in utroque genere intellexit. Illud in ea regum stirpe fuit insigne naturæ donum. Raro enim summa virtus parem atque ejusdem gradus virtutem demittit in liberos, rarius in nepotes, rarissime in pronepotes. In hac autem stirpe per hos gradus quatuor parentes omni virtute excellentes a filiis sunt superati. Interea *Desiderius* de *Caroli* adventu certior factus urbem *Papiam* validissimis obsepit munimentis. Alpium tramites aut castellis obstruit, aut succisis arboribus, eos maxime quacunque *Carolum* iter facturum esset verisimile, ipse saltus *Taurinos* & *Cæsaream Augustam* omnibus *Langobardorum* copiis insedit. Castra locat opportuno loco, ut sive per *Cinisium*, sive per *Jovis* saltum hostis transcendat, paratus occurrat, transitumque prohibeat. *Carolus* vero qui omnia experiri mallet, quam armis agere, posteaquam montem *Cinisium* conscendit semel iterumque per nuncios *Langobardum* tentat, an possit pecunia pontificem & Ecclesiam ab hoc labore redimere. Quum vero repetitæ sæpius preces obstinatiorem redderent quam molliorem, frustratus omni spe, *Descendamus* inquit *ex hoc vertice, & hominem hunc malesanum, nec Deum nec homines metuentem flagello ad sanitatem adigamus.* Itaque per avia inviaque (quid enim est obstructum potentiori?) superatis quibuscunque castellis & tramitibus multorum cæde facta deturbare custodias, & dissipare munimenta cæpit. Perterrefactus audita re, nec tamen credita, *Desiderius*, quum respicerent sui omnes ad fugam, omittit consilium occurrendi *Carolo* & acie decernendi. Ad spem illam se vertit, ut eum distineat quam potest diutius *Papiensi* obsidione. Ad quam urbem obsidendam profecturum *Carolum* non dubitabat. Nam fore existimabat ut majoribus regni sui rebus implicitus in *Italia* diutius morari non posset. Itaque jam antea urbem quibuscunque potuerat ad diuturnam obsidionem sustinendam necessariis instruxerat, eam ingressus est cum flore roboris *Langobardi*. *Carolus* transmissis Alpibus & cognito *Desiderii* consilio quum expugnationem munitissimæ urbis haud quaquam facilem videret, obsidionem vero diuturnam fore, dimittit copiarum partem ad urbes alias *Langobardi* nominis recipiendas. *Veronam* præcipue in qua *Desiderius* liberos & uxorem cum pretiosissimis quibusque deposuerat. *Romam* ipse ad pontificem profectus maximis honoribus susceptus est. Concursus totius *Romani* populi ad Basilicam Beatissimi *Petri* factus. Quo quidem loco uterque populus *Romanus* videlicet & *Gallicus* perpetuum inter se fœdus amicitiamque solenni jurejurando sanxerunt. Ea intellecta re plerique *Langobardi* duces publica illis data a pontifice fide ad urbem venere, barbam & capillum totondere, quo prolixiore utebantur, seseque Beatissimo *Petro* pontificique maximo permisere. *Carolus* ibi aliquot moratus dies multisque una cum *Adriano* compositis rebus post sextum obsidionis mensem ad urgendam gravius *Papiam* revertitur. Evocatis auxiliis machinisque undique advehi jussis ad urbis expugnationem necessariis, tentare eam primum instituit a fluminis parte, quæ esset infirmior. Ad quam rem conficiendam quum navibus indigeret, cognoscit *Venetos* eos esse apud quos omnium navium sit copia, posse inde eum quotquot velit, & cujuscunque generis, affatim urgenti necessitati providere. Quoniam autem intelligeret gentem esse imperii studiosam, ut faciliores ad concedendum reddat, postulat a pontifice nuncium, qui una cum suo ad *Venetos* proficiscatur. Eo ambo quum venissent, & quid vellent exposuissent. Addidit *Gallicus* audisse *Carolum* multa de *Veneta* gente, eam esse in *Galliis* ad oram oceani positam. Genus idem hominum & nomine & disciplina navali, habuisse semper inter carissimos. Itaque orare ne graventur obsequi ea in re, cujus gratiam non esset oblivioni traditurus. Dux *Mauritius* utrisque nunciis honorifice ac liberaliter acceptis, concilio de more coacto ad tribunos rem defert. Diu variis disceptationibus consultatum. Quibusdam enim gratificari maximo & præpotenti Regi quemque jam fama increbresceret Imperatorem fore, e republica videbatur præter summi quoque pontificis desiderium, cui omnia sese debere existimarent. Alii vero metuere ne *Constantinus* Imperator gravi & iniquo animo rem eam acciperet, quem non erat dubium moleste laturum augeri *Francorum* in *Italia* potentiam. *Desiderii* quoque Regis erga se studium multis in rebus perspectum memorabatur, præcipue vero in *Heracliensium*

sium finibus, quos a *Luitprando Venetis* donatos amplissimo privilegio *Desiderius* confirmarat. Vicit tamen sententia præsentis ut solet rerum fortunæ. Itaque naves quinque supra viginti contectas adversus missilia ex alto cadentia optime tam remigibus quam militibus instructas *Papiam* ad *Carolum* transmisere. Quæ omnia cum *Desiderius* intelligeret, nec jam posse & a terra & a flumine oppugnationem sustineri diutius, desperatis rebus *Carolo* sese, urbemque supplex permisit. Per hunc maxime modum *Langobardorum* regnum quod viginti supra. cc. annos *Italiam* obtinuerat, finem habuit. Addunt rerum scriptores, alias quoque terrarum civitatumque donationes Ecclesiæ a *Carolo* factas in *Hethruria*, *Umbria* &c.

Referunt autem nonnulli non tam factam quam confirmatam Ecclesiæ a *Carolo Pipini* donationem, & multarum præterea civitatum. Quæ quidem sententia mihi non probatur, nisi forte scriptis appareat certioribus confirmata. Sed *Caroli* potius donum arbitror extitisse, ut supra docuimus. Nam totius *Langobardi* confecti belli gloria, earumque civitatum receptio, longe magis ad *Carolum* pertinuit, quam ad *Pipinum*. Visum est autem pontifici *Carolo*que *Lagobardam* gentem non omnino delere, quæ jam confusione commixti sanguinis cum *Italo* per affinitates tot sæculorum, una eademque gens videri poterat. Veste quoque & lingua magna ex parte non dissimiles. Imperium illi & magistratus adimere satis est visum, præterquam nonnullis in *Lombardia* locis, a quibus minus esset periculi, permissum autem *Lombardiæ* nomen civitatibus, quas Apenninum inter & Alpes obtinuerant. *Ravennam* vero Exarchatum olim *Flaminiam* deinceps *Romandiolam* appellari placuit. *Carolus Pipinum* filium in *Italia* relinquit, ad persequendas belli reliquias si quæ restarent, ipse vero his tantis summa cum fælicitate confectis rebus ingenti parta gloria in *Franciam* revertitur secum abducto quasi in triumphi speciem Rege *Langobardo*. Rediturus sic statuente Deo iterum haud magno temporis intervallo in *Italiam* ad majorem gloriam repetendam. Non sum nescius scriptum aliquos reliquisse transfretasse *Carolum* in orientem ad sancta veneranda ac recuperanda loca. Seriem deinde longam narrant rerum fæliciter illis in provinciis gestarum plurimasque secum retulisse dono sibi datas a *Constantino* reliquias, eam ego historiam non ausim improbare, nec probare quidem. Sane non video *Carolo* tunc in *Italia* fuisse, quum ad infesta omnia proficisceretur, copiam navigiorum, quibus exercitum transmitteret dignum *Carolo*, præsertim cum imperatores ægerrime ferrent *Gallicam* potentiam in immensum augeri. Qui si reversus in *Galliam* eam expeditionem desumpsit, scribendum etiam fuit unde navigationem sumpserit, quibus classibus copiisque transmiserit præsertim ad expeditionem tam longinquam & gloriosam. Et præterea *Eginardus* illius regis non familiaris solum, sed etiam contubernalis, qui *Caroli* vitam eleganti stylo, ut illa sæcula ferebant, descripsit, inter alias ejus principis Barbaricas expeditiones, profecto hanc tam insignem & gloriosam omittere non debuit. Illorum ego sententiam magis sequar, qui hanc omnem partem narrationis omittendam duxerunt. Tradunt præterea plerique eorum temporum scriptores *Adrianum* pontificem habito concilio centum quinquaginta trium episcoporum *Carolo* contulisse jus eligendi pontificem, & investituras conferrendi. Aliquibus non placet & cur non placeat admiror, cum hoc idem in sanctorum patrum decretis habeatur. Nam *Di-*

A *stinctione* LXIII. *cap.* II. ita legitur. *Adrianus* papa *Romam* venire *Carolum* regem ad defendendas res Ecclesiæ postulavit. *Carolus* vero *Romam* veniens *Papiam* obsedit. Ibique relicto exercitu in sancta resurrectione ab *Adriano* papa *Romæ* honorifice susceptus est. Post tantam resurrectionem reversus *Papiam* cepit *Desiderium* Regem, deinde *Romam* reversus constituit sibi Synodum cum *Adriano* papa in patriarchatu *Lateranensi* in Ecclesia sancti *Salvatoris*. Quæ Synodus celebrata est a centum quinquaginta tribus Episcopis religiosis & Abbatibus. *Adrianus* autem papa cum universa Synodo tradiderunt *Carolo* jus & B potestatem eligendi pontificem & ordinandi Apostolicam sedem. Dignitatem quoque patriciatus ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere diffinivit, ut nisi a Rege laudetur, & investiatur Episcopus a nemine consecretur. Et quicunque contra hoc decretum ageret anathematis vinculo eum innodavit, & nisi resipisceret bona ejus publicari præcepit. Idem & *Leo* & *Gregorius*. Sequentibus deinde in capitulis habetur *Lodovicum Caroli* filium *Paschali* pontifici, superius privilegium renuntiasse, ut duplici testimonio veritas illa innixa sit. Cæterum conside- C ranti mihi calamitates & vulnera *Italiæ* inflicta per *Langobardos*, credo ego illud posse non inter minora numerari. Qui maxima tunc addita facultas est *Saracenis* non terra tantum, sed mari quoque majores augendi vires. Quibus deinde sæpius & *Neapolim* & urbem *Romam* & totum pene inferum superumque mare depopulati sunt. Ut aliquando in ultimum *Adriatici* maris sinum illapsi & *Gradum* & *Caprulas Veneta* oppida diripuerint. Superioribus sæculis *Italia* mari undique imperitans. Et præterea quæcunque gentes *Italiam* tenuerunt ad *Langobardos* usque non D minori semper cura maritimas excolucre vires quam terrestres. *Gotthi* siquidem & præsertim *Theodoricus* & *Totila* ingentes tenuere Classes in utroque mari. *Langobardi* vero nullam gessere omnino maris majorem curam. Tractum *Italiæ* præcipue tenebant inter *Padum* & Alpes, gloriati eum esse *Italiæ* paradisum. Ob eamque rationem exhausta viribus *Italia* propter nunquam intermissa cum *Langobardis* bella, si quando classibus egeret imperium non erat *Italiæ* unde tribueret. Dum autem hæc *Romæ* geruntur *Rivaltus*que quotidie & frequentia & opibus increscit, & jam propius instarent tempora, quibus non Epi- E scopali solum, sed ducali etiam dignitate extollatur. Cæpere *Rivaltini* ferre indignius quinque insulas populo frequentissimas, quum antiquitate nulli oppidorum cederent, Antistite ad eum diem caruisse. Annuit benigne *Mauritius*. Concilioque *Venetorum* super ea re habito decretum, agere apud *Adrianum*, ut novus detur *Rivalto* circumjacentibusque insulis Episcopus, benigne ab *Adriano* impetratum. Coacta igitur Synodo totius Cleri populique assistentibus duce & patriarcha primus creatur episcopus *Obeliatus Eneagrii* tribuni *Metamauceni* filius, constituitur autem Episcopalis sedes in insula *Castellana*, quæ ut an- F tea diximus *Olivolus* appellabatur. Unde & Episcopo *Castellano* semper nomen mansit. *Ursus Particiacus*, qui eum Episcopatum tertio tenuit loco, Ecclesiam erexit, quæ nunc extat dignam civitate & Episcopo. Eam Beatissimo *Petro* Apostolo dicavit. Ibi perseveravit donec ætate nostra *Nicolaus Quintus* pontifex maximus patriarchali titulo auxit. Transtulit enim *Gradensis* Ecclesiæ dignitatem in hanc *Venetiarum* urbem suppresso utroque titulo & *Gradensi*, & *Castellano*. Primum *Venetiarum* patriarcham creavit *Laurentium*

tium Justinianum, qui vivens moriensque multis claruit miraculis. Translatio facta anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, Octavo Idus octobris. *Mauritius* interea ob ingentes præclarasque virtutes nomine quoque factus illustrior, undecimo sui ducatus anno, consulatus honore ab imperatore decoratur. Dum autem tranquilla in pace principatum administrat, ob eamque rem carus est omnibus, rem impetrat a *Venetis* male tunc intellectam, turbulentum daturam posteris *Venetis* exemplum. *Joannem* siquidem filium consortem sibi in ducatu cooptat. Septem per annos cum filio ducatum tenuit. Tertio & vigesimo ducatus anno vita decedit. Reliquit magnum sui desiderium ob bene gestum principatum. *Joannes* deinde filius solus ducatum administrat, moribus & vita longe patri dissimilis. Nam quas *Mauritius* pater discordias civiles e medio sustulerat, eas in integrum filius pravitate ingenii restituere annixus est: *Heracliensium* maxime & *Equilanorum*, qui de finibus longas habuissent ante controversias. Impetravit ipse quoque utriusque malo tam filii quam patris, ut *Mauritium* filium exemplo paterno ducatus consortem sibi populus arrogaret. Suffragatum adolescenti, *Mauritii* avi nomen & ducatus memoria benegesti, neque non illud etiam accessit ad favorem, qui cupiebant filii facere periculum, si forte patris temperaret crudelitatem. Visus est tamen quum primum juvenis ingenium pertractari, & agendis rebus diversari cæpit patri quam avo longe similior, ut jam *Venetos* pœniteret facilitatis, quam viginti ante annis erga *Mauritium* avum præstitissent. Primum his ducibus operum fuit, ut mortuo *Obeliato* Episcopo *Olivolensi*, *Christophorus* gente *Græcus* annum natus duo de vigesimum in ejus sufficeretur locum. Id vero maxima cum indignatione populus omnis accepit & jam quotidie simile aliquid patrare, tyrannumque potius quam ducem sese gerere, Virgines violare, nobilioribus feminis injuriam facere, rapere, crimina confingere. Deinde acccepta pecunia remittere, nullum omittere aut avaritiæ, aut crudelitatis exemplum, superstes erat adhuc, *Gradensem*que tenebat sedem *Joannes*, quem supra docuimus *Romam* ad *Adrianum* Pontificem profectum. Is vir sanctus & justus, grandis jam ætate ab omnibus *Venetis* miro tum amore, tum veneratione colebatur. Quum igitur audiret ducum istorum flagitia, rapinas crudelitatesque, non poterat non animo moveri. Admonebat nunc patrem, nunc filium, ut aliquanto mitius temperatiusque se haberent erga fidissimos sibi populos. Amore & gratia ducendos esse, non vi & injuriis. Memorabat illis *Mauritium* patrem avumque facilitate, justitia, liberalitate, iis moribus facile quicquid voluerit, impetravisse. Hæc quum semel aut bis paterno affectu pro officio commonefaceret, ira tum pater, tum filius commoti sunt. Nihil enim homini flagitioso acerbius commonefactione pungitur, & incrudescit conscientia repræsentatione scelerum. Et quod sanctus vir illis in salutem firmitatemque ducatus memorabat, id depravata ingenia in suam perniciem pervertere. Hem quantum petulans hic senex sibi arrogat. Statim occupare eum per insidias tendunt. *Mauritius* filius sic imperante patre causa dissimulata aliquot instructis navibus, *Gradum* proficiscitur. Pontifex ignarus insidiarum quum honorifice excepisset Ducem ab ejus satellitibus comprehensus & de summa turri præceps dejectus est, cum exprobratione, *disce putide senex in duces dominosque tuos deinceps non oblatrare. Documento eris cæteris tui similibus ut de moribus ad vulgus loquantur, Principes omittant.* Noluit optimus Deus martyrem suum merito honore fraudare. Cruor ubi cecidit subjectum marmor maculis infecit. Quæ per multa deinde sæcula in tanti sceleris testimonium sese visendas venerandasque præbuerunt. Ea res mirum in modum omnium *Venetorum* turbavit animos, adeo ut nisi commonefacti duces ab amicis & familiaribus, supplici & demissa oratione apud quoscunque poterant facinus purgassent, aut igni, aut ferro piaculum tanti sceleris persolvissent. Solatio turbatis mentibus illud fuit, qui fortunatus ejus sancti nepos in demortui locum omnium oppidorum ac totius cleri consensu suffectus est. Quasi restituerent in propinquo dignitatem, quam innocenti patruo duces eripuissent. Perfecta est hoc tempore ædes sancti *Moysi* prophetæ *Archizesiorum Scopariumque* facultatibus, ut ab eis testamento fuerat constitutum. Nam hæ familiæ tunc erant extinctæ, prædiis præterea dotata magnis, inter quæ vinea fuit adjacens Ecclesiæ, ubi magna deinde ædificia constructa, magnæque ædium moles nunc visuntur. Hac tempestate æstuaria præter modum intumuere. Tum continuatis per multos dies imbribus ex quis cadentia desuper flumina, ripas omnes & aggeres superaverunt. Tum vero irrumpentibus a Noto vento maritimis fluctibus descensum fluminum morantibus, ut omnes insulas & altiora quæque loca duobus ferme pedibus altior unda pervaderet. Timuerint omnes eo diluvio pelli *Venetiis*. Nobile redditur hac tempestate apud *Brondulum* in *Venetis* divino Archangeli monitu Beati *Michaelis* monasterium. Siquidem ut constanti fama multorumque litteris apud finitimos celebratum est. *Sergius Senogalliæ* princeps dum lepræ morbo correptus undique remedia conquirit, nec ulla invenit. Admonetur in somnis per visum ab Archangelo, ut si amor illum salutis tenet, adeat Monasterium suo nomini dicatum, apud *Brondulum* situm, cujus honor præter cætera sibi dicata monasteria, curæ est. Expergefactus *Sergius*, communicato viso de nominis loco perquirens, cum certi nihil posset explorare, & ob id maxime animo cruciaretur, insequenti nocte eadem redeuntis angeli forma eodemque vultu se se offert. Iterumque monet ut alacri animo navem conscendat, ventum secundum sequatur, illi se ducem non defuturum, & ad locum usque deducturum. Bis jam eodem visu repetito nihil dubius divinum monitum id esse, paratis omnibus ad profectionem, priusque votis rite factis spei plenus navem conscendit. *Eamus* inquit *socii*, *angelum ducem sequamur*, *præbebit ipse auras fælices*, *& ad locum ad quem tendimus perducet.* Noctu solventes tranquillo mari & leni flante aura, imperat navarcho ut vela vento præbeat, littus teneat quantum potest, nec terram deserat, ut commode explorare possint nomina locorum. Spirabat autem aura a Noto vento. Itaque postridie ad solis ortum, vident in littore Ecclesiam, & juxta monasterium, percunctari *Sergius* jubet loci nomen. Responsum *Brondulum* esse & monasterium Sancti *Michaelis*. Lætus admodum nomine, tam loci quam monasterii, ilico de navi exiliens ire ad Ecclesiam pergit, pergens a lepra mundatur. Tantæ rei miraculo vix sui compos, & nimio gaudio exhilaratus, vota Deo solvit magnis muneribus amplissimisque ædificiis monasterium donat. Neque minus animæ sollicitus quam antea corpori, una cum conjuge *Margarita* gente *Græca*, quia sine liberis essent pie ac sancte vitam finivit, bis hoc monasterium ab eo tempore dirutum, atque solo æquatum, ut paulo post videbimus.

LIBER DECIMUS TERTIUS.



L*angobardæ* gentis calamitates, quibus *Italiam* supra. cc. annos vexavere ad finem perduxisse juvat, ingredimur autem tempora longe *Venetis* difficiliora. Nunquam enim cum *Gotthis* aut *Langobardis* de salute ac libertate dimicatum. Præda aliquando ex *Venetis* acta, illatum aliquod hominibus detrimentum, & *Gradensis* patriarchatus vexatus. Postea vero quam ejectis *Italia Langobardis*, *Galli* principatum obtinuere, tunc salus & libertas in ultimum discrimen adducta: quem autem in modum bellum conflatum, quidque *Gallicos* principes impulerit ad arma *Venetis* inferenda nunc nobis enarrandum; si prius de novo imperatoris delectu, deque imperii divisione & dividendi causa, nonnulla breviter aperientur. Defuncto magna cum gloria *Adriano* pontifice *Leo tertius* subrogatur patria & ipse *Romanus*, haud longe *Adriano* impar & vitæ sanctitate moribusque pontificatu dignis, & animi magnitudine. Liberata itaque Ecclesia *Langobardorum* metu, non tamen omnis penitus extincta humana pestis est, lascivire clerus & majorem in modum honoribus studere cæpit. Natura siquidem comparatum: ut postea quam ab externis quies laboribus datur, intestinæ seditiones facile obrepant dominandi cupiditate. Cum igitur omnis pene imperii potestas ad pontificem esset relata, *Romanus* clerus statim caput extulit. Dumque labante ut solet secundis rebus cleri disciplina compescere illius licentiam, & mores pontifex, intendit. Conjuravere ex clero aliquot audaciores adversus pontificem, ut confictis criminibus, populo ad illius odium concitato facilius eum de pontificatu deturbent. Sed cum apud plebem magna *Leo* polleret auctoritate, vi agendum rati, ingens sunt adorti nefas, innumeris enim affectum injuriis, cæsum, occæcatumque in carcerem trudunt. Affuit suo pontifici optimus Deus, & divinum ac memorandum in eo miraculum expressit. Plagas enim curavit, vires reddidit, & quod majori omnibus fuit admirationi visum ei restituit. Quibus a Deo beneficiis *Leo* affectus deceptis custodibus evasit e carcere, & in *Galliam* ad *Carolum* est profectus. Reversus in *Italiam Carolus* per *Forojulium*, maximi illi honores habiti. Tota provincia ad Alpes usque effusa est. *Veneti* quoque Duces obviam illi prodiere comitatu magno, quibus benigne *Carolus* acceptis, de impenso navium ad *Papiensem* obsidionem auxilio, humane gratias egit. Ut non solum sibi rem gratam fuisse demonstraret, sed re etiam, si necesse aliquando esset, comprobaturum sponderet. Seorsum autem illi quoque obviam processit *Fortunatus* patriarcha *Gradensis*, cujus patruum a ducibus interfectum supra demonstravimus. Atque una *Obelerius* tribunus *Metamaucenus*. Nam tribuni appellati, qui tribunatum gessissent, quasi tribunitii, dives opibus, ingenio prompto & audaci ad omne facinus, & qui ad ducatum per factionem invadendum, occulte aspiraret. Ambo *Romam* cum *Carolo* profecti honoris causa. Muneribus etiam quæsierunt illius gratiam, quam sibi percommodam præsertim adversus duces inimicos fore existimabant. *Carolus* antequam ad urbem perveniret, *Forojulianam* provinciam, quam novis rebus studere cognoverat (ejus siquidem præfectum *Tarvisini* interfecerant) sibi componendam ratus, recepta *Tarvisio* cæterisque provinciæ compositis rebus, ad urbem veniens prodeuntibus obviam omnibus ordinibus totoque populo, majore quam antea gloria excipitur. Concilio indicto, recitatisque ab accusatoribus jactatis in *Leonem* criminibus, patrum sententias *Carolus* scrutatus est. Responsum ab universis decretum vetus extare antiquorum patrum pontificem *Romanum* a nullo alio quam a se ipso judicari oportere. *Leo* autem insequenti die circumfuso populo umbonem conscendens manu tenens evangelia jurejurando affirmavit se insontem esse eorum omnium quæ jactarent inimici. Eique cum tanto miraculo luminis restituti publice conspecto propter opinionem sanctitatis & reverentiam ab omnibus fides est habita. Quamobrem *Carolus* in delatorum caput constituit animadvertere, sed impetravit pius pontifex a *Carolo* veniam inimicis non sine labore. Postero autem die acclamante populo universo declaratur *Carolus* imperator, & *Pipinus* filius *Italiæ* rex anno domini primo supra octingentesimum. Magna tum rerum, dignitatumque conversio facta. Gloriatur ab eo tempore *Romana* sedes, ab se imperium dependere. Cum ante gloriaretur a nemine quam ab uno Deo superari. Imperialia siquidem insignia sibi ipsi occidentis imperator arrogare non audet, solus summus pontifex a nemine tradita, propria gerit auctoritate. Apud Altare parvum in latere Basilicæ sancti *Petri* consecratur Imperator, & a pontifice accipit insignia, Pontifex vero, dum consecratur imperatoriis ornatus insignibus, ad altare majus beati *Petri* accipit unctionem. Hæc breviter de novo delecto imperatore. Restat autem ut de imperii utriusque divisione deque dividendi causa breviter subjiciamus. Dum hæc in *Italia* geruntur, *Irene Leonis* Imperatoris *Constantinopolitani* quondam uxor, quum filium *Constantinum* adolescentem improbum & flagitiosum compescere, & ad regios mores traducere non posset, pertinax filius atque emendationis impatiens, matrem omni spoliatam potestate imperio deturbat. Mater in omni fortuna sapiens & magnanima. *Mihi ne tu* inquit *scelerate manum injicis? jam disces quid sit parenti vim afferre.* Statim resumpto Imperio filium ipsa dejicit, regiaque deturbat, & in Insulam *Lesbon* relegat, quæ nunc *Mytilenæ* appellatur. Fuit ea mulier genere *Atheniensis*, adeo eleganti forma, ut ob ejus eximiam pulchritudinem ductus Imperator, filio desponderit. Multis præterea ferunt regiis virtutibus exornatam. Certior autem facta novum *Romæ* delectum Imperatorem, & si intelligeret prudens mulier, quantum vulnus imperium accepisset, tamen cum esset firmandi imperii cupidior, *Leonem* spatharium oratorem in *Gallias* ad *Carolum* mittit, ut gratulatus primum de novo imperio, tum agat de fædere ineundo. *Carolus* cum oblatam sibi majoris aggrediendæ rei occasionem conspiceret, Legatum *Irenes* & honorifice suscipit, & perquam blande alloquitur. Remissurum se continuo Oratores, qui cum regina colloquantur, & agant de his omnibus, quæ ex usu utriusque sint futura. Missi *Ambinensis* Episcopus, & *Eligandus* comes. His mandat, ut de fæderibus ineundis peragant, tum quibus possunt verbis, mulierem ad nuptias & invitent, & hortentur. Facile si hoc assequatur fore existimans, ut rursus imperium his nuptiis in integrum restituatur. His auditis mandatis *Irene*, quum sobole alia careret, & intelligeret quam sibi præclarum

rum foret si his nuptiis non solum firmaret imperium, sed majorem etiam in modum augeret, haud spernendum duxit oblatum ejus principis connubium. Sumpto igitur spacio ad deliberandum, *Entienis* patricius, qui id rescisset, statim ad *Nicephorum* fratrem rem defert, is apud milites magnæ erat auctoritatis, eum hortatur ad imperium aggrediendum. Communicato cum quibus visum est consilio, spargere primo per vulgus voces cæpere. Enimvero indignam rem esse mulierem ausam inconsulto senatu populoque & militibus, imperium ad Barbaram gentem transferre (Sic enim cæteras gentes *Græci* vocant) Non satis esse quod truncatam dimidiatamque reliquerint imperii majestatem, & ex uno duo creata sint imperia, nisi etiam quod reliquum est a *Græcis* in *Gallos* penitus transferatur. Quid enim aliud sibi volunt hæ nuptiæ? Quis non videat, si conveniant, quoque partem *Gallicum* imperatorem invasurum? Extincturumque *Romanum* penitus nomen a quo cætera omnium gentium nationumque dependeant imperia? Audiebantur hæ voces (ut par est) summo cum dolore, *Græcæ* gentis & indignatione. Facili igitur negotio conjurati mulierem de palatio deturbant. *Nicephorus* imperium occupat ablegata *Irene* in *Lesbon* insulam apud filium. Scribunt alii *Irenen* primum *Caroli* nuptias appetisse, *Carolum* repudiavisse. Sed priori sententiæ magis accedo. An obsecro ille refutaret? Quod si assequi posset ex dimidio totum atque integrum tam imperium, quam gloriam consequeretur? Non caret etiam suspicione, falso *Irenen* de his nuptiis insimulatam, Fratresque *Nicephorum* & *Entienem* eam rem confinxisse, ut facilius exorto ob id populari tumultu imperio pelleretur. Legatos *Caroli Nicephorus* continuo accitos perquam benignis verbis habet, Amicitiam optare *Caroli* demonstrat, eam sperat ex re utriusque fore. Fœdera sibi placere dicit. Si ea perseverent ambos integrum habituros imperium. Itaque cum his facile componit. Reversi ad *Carolum* legati qui tunc in *Germania* agebat quod* (* Forte Apud.) *Saliburgum*, Formulam fœderum & quæcunque ab his acta referunt. Eos *Carolus* transmittit ad pontificem, ut de his omnibus faciant certiorem. *Veneti* autem cum primum divisum imperium, fæderaque inter novos tractari imperatores intellexerunt, ut in maximis solet rebus, multa animo versare. *Gallorum* enim imperium nimium præpotens, & propinquius suspectius habere. Experti nuper *Gotthicum* & *Langobardum* a quibus gentibus nunquam libertati suæ non metuerant. Assueti præterea *Constantinopolitano*, ubi magna tum gerebant negotia. Cumque non nisi mari quærendæ sibi essent opes, longe autem plus valeret mari orientis quam occidentis imperium, dant omni studio operam, occulte submissis qui id prece vel pretio contendant, ut si forte agant imperatores, de dividenda provinciarum cura, ab occidentali eximantur. Facile ab *Nicephoro* impetratum. Et *Caroli* oratores quibus hæc æstuaria haud quaquam essent cognita, paludium statim contempsere nomen. Conditiones igitur fæderum plerique summarias memoriæ prodiderunt, ut alter curam gerat rerum orientalium, alter occidentalium. Præter provincias & urbes, quas quisque principum proprio jure possideret. Neque quod ad *Italiam* attinet alii provinciis dati fines. Infiniti enim extitisset & temporis & laboris. Duo in medio relicta, & neutri parti aliter ascripta, quam ut utrumque colerent imperatorem. Alterum *Venetiæ* stagna oppidaque, alterum *Beneventum* in *Samniis*. Quod *Grimoaldus* ex reliquiis *Langobardæ* gentis maxima virtu-

A te contra *Græcorum* primum, deinde *Gallorum* potentiam fortissime & constantissime conservarat. Scribit Blondus *libro*. XI. utimur enim libenter ejus in hac parte testimonio, quia externus, & hæc de quibus scribimus præter cæteros diligentissime conquisivit. Scribit inquam his verbis. *Beneventanus autem gentis Langobardæ dux, & si Græco magis favebat, neutri tamen imperatorum subditus erat. Pariter altera in Italiæ parte Veneti: Etsi Græco consentiebant magis quam Romano, non tamen in illius omnimoda potestate erant.* Paulo etiam post. *In his autem fæderibus illud accurate apud vetustos scriptores legimus intervenisse, ut Veneta urbs Italiæ maritima, utrunque reverita imperatorem propriis uteretur legibus. Et sive bello sive pace neutrius partis censeretur.* Hæc Blondus.
B
Neque tamen aliam ipse affert rationem cur neutri parti sint definita. Nempe mirum videri potest, in universa orbis divisione, duo hæc loca *Beneventum* & hæc stagna, seorsum quasi sacra quædam inviolata & intacta permansisse. Cæterum eam rem diligentius consideranti mihi, illa fortasse potuit maxime ratio subire. Relicta hæc loca quasi terminos inter utrunque Imperatorem. Nam sicuti hæc stagna media sunt inter *Dalmatiam* atque *Ravennam* quorum hæc *Gallico*,
C illa orientis cedebat imperio, ita *Beneventum* quoque medium sedebat inter eam *Italiæ* partem, quæ ad septentrionem vergit *Gallico* adjudicatam, & eam quæ ad meridiem *Nicephoro*. Hæ quidem fæderum conditiones quibus & *Gotfredus* & *Ugo* & *Pontius* & *Eginardus* & plerique alii diversis verbis, sed in hanc omnes fere sententiam attestantur. Sic celebratam hanc divisionem accepimus. Nunc breviter de dividendi causa. Nam posteaquam opes imperii ea tempestate magnopere inclinavere, ut supra docuimus, in *Asia* quidem nova *Saracenorum Turcorum*que potentia, quos *Constantinopolitani* Imperatores varia bello-
D rum fortuna, nunc repellendo, nunc lacescendo ægre sustinebant, in *Europa* vero *Bulgarorum* in *Messiam* & *Thraciam* irruptione, ad id jam ventum, ut cum a *Romanis* pontificibus auxilia rebus *Italiæ* peterentur, *Constantinopolis* inter has gentes posita, vix satis haberet virium ad propulsandum hostem & se tuendam, nedum in alias terras auxilia transmittenda. Neque ut videtur eadem hæc fuit ratio dividendi imperii, quæ prius a *Constantino* in *Thraciam* transferendi. Siquidem *Constantinus* non ad *Romani* jus imperii, sed ad loci mutationem respexit, qui aut ad imperii locum commodiorem, aut sibi jucundiorem re-
E spectum adhibuit, permansit etenim ipse unus utriusque *Romæ* princeps & Imperator, licet locorum ratio mutata. Hac vero tempestate cura tantum imperii divisa, iccirco novus a pontifice delectus occidentis Imperator, qui armis occidentem & auctoritate tutaretur. Quod *Constantinopolitanus* facere non posset, fædusque & amicitia inter eos principes inita, ut si quando opus exigat, alter alteri ferat auxilium. Itaque quod ad imperium attinet sapienter ac sancte decretum ab Ecclesia est. Quod autem ad religionem, discussa illa quidem erat in oriente hac tempestate, ne dicam extincta. Omnibus spoliata primariis
F Ecclesiis, *Antiochena*, *Hierosolymitana*, *Alexandrina*. Et ipsa denique *Constantinopolis Romanæ* fere semper erat diversa. Solus occasus relictus intemeratus & integer, in quo catholicæ lumen fidei, evicta omni hæreticorum nebula, refulgeret. Cum autem in multa esset divisus regna, ut semper fuit, unum aliquem principem deligi oportuit, ad quem laborans Ecclesia, si forte errarent a fide principes se conferret. Qui tum auctoritate, tum armis compescere eos valeret. Porro

ro si *Gregorio* pontifici *Pipini* arma, aut *Adriano Caroli* confugium defuisset. Quid nam malorum calamitatumque religioni non expectandum a *Langobardis* fuit? Cæterum illud quoque non omittendum: Naturam omnia numeris suis constituisse, neque infinitam esse voluisse ullius regni potentiam. Universi autem orbis si quis populorum regnorumque multitudinem consideret, haud crediderim, ex unius arce mentis recte gubernari posse. Ita quoque nec imperii, quam vero ex usu christianæ reipublicæ fuerit, eventus ipse docuit. Duravit etenim imperium apud occidentem annis paulominus. vc. Ex quo videlicet *Gregorius* solenni decreto legem illam vulgo notam sanxit electionis imperii. Rem raram, neque non admirabilem, in tanta præsertim instabilitate humanarum rerum, nisi quod optimum Deum eam existimem sanxisse. Ut sacrosanctam religionem apud *Transalpinas* nationes ad omnem proclives novitatem, hac Imperatorii nominis majestate, in fide atque officio contineret. Divisionis igitur imperii hæc fuit ratio. Interea vero dum hæc apud novos geruntur imperatores, Primus inter *Venetos* inde motus exortus. *Fortunatus* siquidem *Gradensis* patriarcha haud immemor injuriæ interfecti a *Mauritiis* ducibus, propinqui patriarchæ & *Obelerius* Tribunus *Metamaucenus* flagrans ducatus invadendi cupiditate juvenes ambo & ingenio forociori, conjuratione inita minus quam prudenter adversus duces palam facta, ille in *Franciam* profugit. Nonnulla ut supradiximus apud urbem *Romam Caroli* fretus familiaritate, *Obelerius* vero ac cæteri conjurati *Tarvisium*. *Fortunatus* interea ut & gratiam sibi apud *Carolum*, & inimicis ducibus comparet odium, simulat causam profectionis, eam maxime ut *Carolo* declaret quantum sit acceptum detrimenti in *Nicephori* fœderibus, qui urbes *Dalmatiæ* maritimas amiserit ducum *Venetorum* fraude. Eos id enixe contendisse. Explicat earum regionum opportunitatem percommodam magnis gerendis rebus, seu transmittendis in *Noricum* exercitibus *Pannoniasve*, seu arcendis hostibus ab *Italia*. Commemorat quam commodus olim fuerit inde transitus *Narseti*. Ut recepta sit *Venetorum* & *Dalmatarum* armis, olim *Anchona* nuper *Ravenna*. Hæc prima *Venetis Gallici* belli fomenta extitere. Neque tamen *Italiæ* rebus *Carolus* multum studii adhibere poterat, majoribus implicitus curis. Sed ad *Pipini* curam remittere. Eadem *Pipinus* ab accolis *Venetorum*, crebro audire, qui ferre non poterant crescentem indies *Venetorum* libertatem & opes. Dissimulare tamen & interim expectare præstantius extimabat, donec commodior offerretur occasio. Cum *Venetis* hæc omnia essent aperta, ne forte imparati a *Pipino* opprimantur, legationem ad *Nicephorum* decernunt. Minor natu de more gentis, verba in hanc sententiam fecit. *Missi sumus o Imperator a duce populoque Veneto, ut pro officio ac fide, qua semper a majoribus devincti imperio fuerunt, Majestatem tuam moneamus hisce de rebus, quæ in Italia geruntur. Nequid fortasse detrimenti capiat imperium, perspectum tibi esse debet in fœderibus Gallicis nuper initis, Dalmatiam partibus orientis accessisse, optimo quidem jure, quippe qua divisa ab Adriatico mari tota in orientem spectat. Cæterum cæpisse jam rumoribus per Italiam ubique spargi, Gallicos principes id ægerrime ferre. Non tam quod ex ea re magna sperent emolumenta quam aspirent ad superi maris imperium, siquidem adjunctis quod maxime cupiunt Dalmatiæ urbibus, quis reliquam ejus maris oram ab eorum classibus defendat? Quantum autem momenti ad Italiæ imperium Adriaticum mare semper attulerit, neminem nescire. Justiniani quidem temporibus quum Totila Gotthorum Rex terra marique potens, totam fere Italiam Romanis exercitibus, aut classibus exclusisset, Dalmatiæ Venetorumque classes primum Narseti Italiæ ingressum aperuere. Nam & ab iis Gotthorum classis est profligata, & Anchona urbs recepta. Et Narsetis copiæ opera navium Venetarum superatis paucis diebus septem prealtis fluminibus Ravennam trajectæ sunt. Qui si infero quod obtinet superum quoque jungatur mare, cedat Majestas tua universo mari necesse est. Non sunt autem hæ Venetis vires, ut hinc a Ravennatibus, inde a Dalmatis tutari se valeant. Itaque vel invitos ad eandem ad quam cæteri fortunam inclinaturos. Quod si acciderit ignosce Imperator, speras ne te retenturum ullam in Italia urbem portumve? Oppugnati terra, marique deficient omnes. Atque ea Italiæ ora, quæ semper imperium secuta est, & magna quondam Græcia appellata Gallico serviet imperatori. Siciliæ deinde imminebit, & Corcyræ & in Peloponnesum omnemque Græciam ducet, cum volet. Hæc cum magna sunt, tum vero illa majora, quod cum maximam Europæ partem Francus obtineat, etiam atque etiam considerandum erit, quali in periculo futura sit ipsa Constantinopolis. Nedum Epirus. Missia, Macedoniaque in discrimen non veniant, finem nullum habet regni cupiditas. Qui per mulieris fraudem dimidium pene imperii subtraxit, nisi totam Italiam Romamque sub ditionem miserit, non quiescet. Quod ad Venetos attinet parati sunt ad ultimum excidium perferendum, dum tu gloriam imperiumque tuum, & Dalmatiam, quæ nobis imminet, haud neglexeris.* Per idem quoque tempus legati a *Dalmatis* eadem hæc ad *Nicephorum* querentes venere. Quibus commotus rebus *Nicephorus* bonoque ut animo essent jussis classem in *Adriaticum* se se primo quoque tempore missurum respondit, illisque rebus diligenter provisurum. Quoniam autem bellum hoc proculdubio propter *Dalmatas Venetorum* accolas conflatum est. Haud erit ab re, pauca quædam breviter de ea provincia scribere, scitu non indigna. Ejus fines uti cæterarum quoque provinciarum pro temporum varietate immutatos videmus. Nunc siquidem eam appellamus *Dalmatiam*, quæ a *Pola Histriæ* civitate, usque ad *Catarum* urbem *Albanis* confinem pertingit. Antiquioribus autem temporibus *Liburni*, qui nunc pro *Dalmatis* habentur, accolæ *Histris* fuere. Primamque post *Histros* ejus oræ partem tenuere, eorum metropolis fuit *Iadera* urbs, ut non satis mirer *Blondum Forliviensem*, scriptum reliquisse eosdem esse & *Liburnos* & *Forojulianos*, cum præter cæteros auctores celebre *Liburnicarum* navium nomen satis illi testimonio esse debuisset, non eam gentem quærendam in continenti, sed juxta maris oram, quæ hujusmodi uteretur navibus quod profecto accidere non potuit *Forojulianis*, quibus nullæ unquam fuere maritimæ opes. Cæterum poëta etiam cursum *Antenoris* ordine prosecutus Regna *Liburnorum* ostiis *Timavi* recte præposuit, ut prius ea legeret *Antenor* quam ad *Timavi* fontem perveniret. Qui fons quoque antequam *Forojulium* attingas, apud *Iapidas* in mare prorumpit. Deceptus autem *Blondus* qui *Timavum* fluvium existimavit non in *Iapidia* scaturire, sed apud *Patavos*, eumque esse qui *Brentam* fluvium producit. Atque *Antenorem* prius oram *Forojulii* legisse, quam ad *Brentam* perveniret. Sed explosa jam est ab omnibus doctioribus hæc de *Timavo* sententia. Montana vero omnia, *Croatiam* hæc ætas appellat, cui contermini sunt & *Sclavi* & *Bossinenses*, olim autem *Illyrii*, & *Triballi* appellati. Post eos vero a *Drino* fluvio usque *Dyrachium Albani*, olim *Epirotæ*, quos deinde *Rasiani* consequuntur.

Omnes hæ provinciæ *Pannoniæ*, *Missiæ*que a septentrionis latere *Danubium* versus adhærent, subjectæ semper imperio, inde duces, inde reges dati. Magna ex his civitatibus vectigalia exigebantur. Dum igitur his de *Pipino* curis *Veneti* agitantur, nec tamen quotidie scelus addere sceleri Duces intermitterent, conjurati quos diximus *Tarvisium* concessisse, accitis undique *Venetis* exulibus communicatisque consiliis, *Obelerium* tribunum ducem acclamavere. *Mauritii* duces pater & filius priusquam conjurati *Venetiam* perveniant rebus diffidentes una cum *Christophoro* Episcopo *Castellano* patria excedunt, *Mantuam*que se conferunt. *Obelerius* factione partium stipatus, *Venetias* advolat, & ducatum invadit. *Fortunatus* autem patriarcha cum in *Gallis* ageret, deque fuga ducum ac de novo amici *Obelerii* ducatu certior esset factus liberatus metu, *Gradum* revertitur. Impetrat a *Carolo* amplissimum Ecclesiæ *Gradensi* privilegium. Ex ejus exemplo quod est apud *Andream Dandulum*, videre licet, nullum fuisse tum imperio *Gallico* jus maritimæ *Venetiæ*, additur ad eam rem monumentum aliud admodum efficax. Nam *Carolus* post compositum cum *Nicephoro* fædus, quum *Joannem* quendam ad *Istriam* provinciam administrandam ducem præfecisset: Ea autem provincia insolitis ac novis vexaretur exactionibus mittuntur a *Carolo* tres, ut appellabantur earum rerum inquisitores, qui clerum populumque non aggravent, restituant autem in pristinas ac consuetas *Græcorum* pensiones. De *Venetorum* oppidis verbum fit omnino nullum. Quibus ex rebus facile apparet sicut *Histriam* provinciam occidentali cessisse, ita *Venetiæ* maritimam ab eo liberam permansisse. *Veneti* interea petente *Obelerio Beatum* fratrem ducatus consortem cooptant. Addunt nonnulli tertium quoque ducem *Valentinianum* fratrem, natu minorem. Interea autem *Obelerius* inito ducatu ut erat ingenio ferociori cupidoque novarum rerum, cum quotidie persentisceret expulsos duces de reditu in patriam cum amicis agitare, præsertim cum *Heraclianis* unde essent oriundi favere cœpit *Equilanis Heracliensium* inimicis, odiaque quotidie inter eos majora serere. Invaserat etenim eos populos pestis illa communis omnium gentium, ut crescentibus opibus & sublato *Langobardorum* metu, qui maxima semper in concordia eos continuerat, ipsi inter se novis agitarentur seditionibus. Accidit igitur ut nonnulli cives *Equilani* littus occuparent, quod pertinet a *Liquentia* in fossam *Raymundinam*, ibi sese castellis fossisque muniunt, eam littoris partem *Heracliani* suorum finium asserebant, nec absuit suspicio, factum id conscio & suadente *Obelerio* Duce. *Georgius* autem *Joannasius* nobilis *Heraclianus* vir potens & ducum superiorum amicus coacta maxima ex continenti & ex littoribus *Heracliensium* manu *Equilanorum* munimenta armis ingreditur castella invadit, & diruit. Exciti ad repentinum tumultum *Equilani*, utcunque possunt arma capiunt, & vicinos, signis ex alto editis, ad auxilium conclamant. Oritur inter eos pugna cædesque major, quam pro numero. *Gaulus* nobilis *Equilanus* quatuor fratribus occisis, fugam arripit levi navicula & *Metamaucum* rem ducibus affert. Statim *Obelerius Equilum* advolat, dimittit per omnes insulas & oppida nuncios, præcipue ad *Equilanorum* amicos, ut accurrant ad tumultum. Conveniunt tribuni. Ibi quum variæ dicerentur sententiæ. Aliique aliis (ut fit) magis faverent. Hi quidem accusare *Heraclianos* insolentiæ atque superbiæ. Jam non posse miseros *Equilanos* diutius *Heraclianis* vicinis spiritum ducere. Quotidie cædi, uri, diripi, *Gaulus* fratrum sanguine

A respersus implorare Dei atque hominum fidem. Alii vero contra jactare. Cœpisse *Equilanos* injuriam inferre, qui fines turbassent, castellaque erexissent, queri prius de injuria oportuisse, neminem sibi ipsi jus dicere fas esse. Per hunc modum major inter eos, qui accurrerant ad tumultum orta seditio est. Ut periculum prope jam esset, ne non armis temperarent. Audiri non posse, qui dicerent sententiam, ex superiore loco. *Obelerius* autem qui ut diximus nihil magis cuperet, quam excindi *Heracliam*, diversum sumit consilium, ut majorem fidem nanciscatur. Nam ut erat lingua non minus, quam manu

B promptus. *Videtisne* inquit *optimi cives quid minantur dissensiones istæ atque odia. Latius opinione omnium serpet hoc malum, nisi ante caverimus, prudentia hic opus est. Periclitamur etenim ne contagio hæc per omnes circumeat populos. Et quod duorum oppidorum malum est, fiat omnium. Insanabili laborant isti ut videtis morbo, ter depugnavere usque ad excidium. Jam ipsi se confecere. Quid jam de his urbibus superest? Missurosne unquam arma aut evellere speratis insita medullis odia? Quæ nam familia cædem cruoremque, aut fratrum, aut liberorum ante oculos non habet? Ullumne judicium conventave tollent harum rerum memoriam? Enim-*

C *vero invitus dico, & eorum vesaniæ me miseret. Nullum tamen remedium prospicere huic tanto malo possum, nisi tollantur ambarum reliquiæ, & in alia oppida transeant, prius quam venenum hoc alios inficiat. Durum forte hoc & acerbum alicui videatur. Sed nunquid non videtis ut præterea Heraclia continenti affixa, magnum aliquid periculum omnibus minetur, si forte desperatis rebus aliunde poscat auxilium. Majus hoc mihi videtur periculum quam illud damnum: cavenda vobis o cives surgentis Gallici imperii potentia. Periculum videre videor ne munimenta & quod illis superest paludium jam fere constratum adæquatumque solo transcendat*

D *maximo cum periculo civitatum reliquarum. Quid etiam si quod de Heraclia metuimus Equilum prævertat diuturnis fatigatum bellis? Remedium huic malo reliquum nullum video, quam ut recipiant sese utrique populi alias in insulas aut littora. Complures sunt summi Dei munere optime constitutæ. Nulla est quæ locum illis cæteraque commoda ad transmigrandum perlibenter non impertiat.* Substitit primo ad horrendum novumque consilium concio. Tum *Obelerii* amici & qui verebantur *Metamauceni*, ne referta nobilibus familiis civitas adhuc caput extolleret, & ad repetendam ducatus sedem respiraret, *Equilanos* facile in sententiam tra-

E xerunt. Ut igitur *Equilani* idem quoque contendere cæperunt & vociferari malle per orbem vagari cum uxoribus liberisque quam amplius tyrannidem perferre *Heraclianæ* gentis. Tandem sententia pervicit, quæ censuit ambas civitates desolari, ne externus hostis eas ingredi ac munire posset. Paucis itaque diebus id confectum negotii est. Eoque celerius quo quotidie crescebat a *Pipino* Rege metus. Nobiliores familiæ complures numero magna ex parte *Metamaucum Rivaltum*que translatæ. Earum adhuc extant vestigia civitatum, ex quibus conjectare licet, qualia tunc, non illa tantum fuerint oppida, sed alia

F quoque variis casibus extincta. Eorum magnitudo apparet ex templorum ornatu, & navalibus & turrium altitudine, & amplitudine locorum ad omnem usum, ut mirum non sit si dirutis illis, *Rivaltus* in hanc quam videmus amplitudinem crevit. Non defuere qui scriptum reliquerint. *Pipinum Italiæ* Regem eas urbes exscidisse. Idque etiam bifariam factum tradunt. Nonnulli eo tempore quum in *Metamaucum* duxit, ut paulo post dicemus. Alii autem antefactum volunt bisque im-

pe-

petum a *Pipino* illatum in *Venetos*. Nostra mihi magis placet historia. Nam qui scribunt eversa a *Pipino*, *Caroli* patris jussu factum volunt, & hortatu *Fortunati* patriarchæ. Omitto autem quam sit indignum credere principem tali virtute & gravitate, nulla provocatum injuria in populos bene de se meritos desævisse usque ad excidium. Violasse præterea ab re icta cum *Nicephoro* fœdera contra jus fasque. Qui ea tantopere & appetivisset, & in posteros ut inviolata transmitterentur curavisset, ut omnes scribunt, & nos paulo post docebimus. Cæterum *Fortunatus* etiam causam odii, quam habuerit in *Venetos*, non video ut patriæ excidium quæritaret. Ducum inimicorum exitium concupisse non inficior. Quid autem ad *Venetos*? Qui pœnas de *Fortunati* inimicis usque adeo acres sumpsisset, ut eos ducatu pulsos in exilium egissent? nunquid non duces jam pulsi erant patria & extorres vagabantur quum *Heraclia* eversa est? Et erant præterea duces creati, qui complices *Fortunato* fuerant ad priores duces inimicos expellendos, ut verisimile sit, odii nihil jam superfuisse, vel ingentem bene de se meritam a quibus eo honore affectus fuerat vel in amicos duces in locum inimicorum suffectos. Cæterum quid illo certius argumento, qui creatis amicis ducibus in patriam continuo *Fortunatus* reverti non dubitavit. Reversus autem amplum attulit *Venetis* privilegium cum in sedis *Gradensis*, cui præerat honorem, tum vero immunitatis *Venetiarum* ab occidentali imperio certissimum testimonium. Ullum igitur odii argumentum vel a *Carolo* in *Venetos*, qui tali munere eos ornavit, vel a patriarcha qui impetrarit, profecto non video. Sed belli causam pro magnitudine jam breviter exponemus.

A Vixdum firmato fœdere inter imperatores, ut est mos rerum humanarum, maxime inter principes ejusdem gloriæ æmulos, discordia oriri cæpta. Dum *Carolus*, sive quod magis verisimile est, & a pluribus memoratur, *Pipinus* filius *Italiæ* Rex *Dalmatas* ad suas partes trahere conatur? *Nicephorus* vero præter imminutum ab *Irene* imperium hoc quoque aliud letale infligi imperio vulnus, haud quaquam ferendum putat. *Pipinus* siquidem ægre admodum ferre nullos sibi esse portus ab dextra superi maris ora quibus esset frequentissima, præter *Histriæ* angulum qui clauderetur, hinc a *Venetis*, inde autem a *Dalmatis*. B Omnes autem portus esse in *Nicephori* potestate. Iis præterea portubus maxima esset copia, cum omnis generis navigiorum, tum vero *Liburnicarum* longarumque navium, quæ navalibus gerendis bellis præcipue essent necessariæ. Sibi vero levum relinqui *Italiæ* latus importuosum & omni genere navium destitutum? Ut invito *Nicephoro* cujus semper classes per eam oram versarentur, ipse nisi precario, nec transmittere in *Dalmatiam*, nec omnino per mare navigare posset. Præter id igitur quod insatiabilis est mortalium cupido dominandi, simul quoque indignabatur circumscribi *Italiæ* littoribus, quasi carceribus. C Omnia igitur tentanda sibi statuit, ut *Dalmatas* aut pollicitationibus precibusve, aut si id non succederet, vi & armis ad suas partes trahat. Illa quoque non nihil irritabat spes, qui orientis imperium indies cum inclinaret, non difficile existimabat accidere posse, ut supero mari sub ditionem misso, orientis imperium, ut quondam fuerat, occidentali adjungeretur.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

P*ipino* ut superius demonstravimus quum magnas res animo conciperet, ac statuisset avertere *Dalmatiæ* urbes, incipere a *Venetis* placuit, non quod in iis paludibus esset quid invidiosum, præter laborem & industriam incolarum. Non agri, non vineæ, non quippiam speciosum campestre, aut montanum. Commoditatem quidem transmittendi per *Venetos* haud negatum iri dubitabat. *Dalmatiæ* vero rationes longe diversas videbat, difficilioresque ibi contentiones. Sperabat autem gradum illi *Venetos* ad avertendam *Dalmatiam* facile si vellent, facturos, sciebat magnam inter eos populos animorum esse conjunctionem. Igitur tentare *Venetos* prius decrevit per *Fortunatum* patriarcham paternum amicum. Conciliarat autem invicem eos populos communis timor, maximum concordiæ vinculum. Quippe quum intelligerent quæcumque alterum raperet fortuna, subire eandem alteri necesse fore. Aperit eam rem *Fortunatus Obelerio* duci, facile hominem in sententiam pellexit. *Veneti* tribuni tametsi antea persenserant eam rem curæ *Pipino* esse, & quotidie expectabant aliquid ejusmodi, tamen postea quam aperta sunt *Pipini* postulata, ut videlicet *Venetis* placeret arctiori aliquo fœderis vinculo reverentiam & amorem erga se patremque suum declarare, id si facerent gratissimam utrisque rem fore. Perculit animos omnium, & in ancipiti discrimine constituit, qui viderent his postulatis se in periculum adduci, aut in ejus odium incidendi, si negarent. Quod præpotentem Regem cupere intelligebat, aut fidem fallendi orientis imperatori datam. Digna igitur visa res, ob quam concilium indiceretur. Ibi

D quum *Pipini* postulata recitarentur magnum primo silentium animos defixit. Tum paulatim sermo invicem haberi cæptus, prout in hanc, aut in illam partem quisque magis inclinaret. Cunctantibus tamen plerisque ex suggesto loqui *Obelerius* proclivior ad *Pipini* partes. *Honorium* tribunum *Metamaucenum* excitari per præconem jubet ad sententiam dicendam, quem sciret earumdem partium cupidiorem. Et erat *Honorius* vir magnæ inter *Venetos* auctoritatis, facundiæ vero ut iis temporibus non minoris. In hanc itaque sententiam locutum accipio. *Vellem inclyti duces optimo Deo placuisset, ut sicuti majores nostri salutis gratia in hæc se loca receperunt, ita posteris opes* E *reliquissent, quibus incolumes & ab omni procul animi solicitudine liceret agere ætatem, sed neque collatæ vires pares incertis periculis, & auxilia, quibus aliquando fidebamus, cum magnopere sunt imminuta, tum fortasse etiam longius posita, quam præsentium exposcat magnitudo periculorum. Nimium enim obest longinquitas auxiliis poscendis præbendisque. Gotthicorum quidem temporum annos satis quiete tranquilleque peregimus. Secuti sunt paulopost Langobardi. Cum iis varia fortuna transactum. Sed in malis illud magno erat præsidio, quod Imperatorii Exarchi Ravennam tenentes & Emiliam & Picentes, & in Venetia aliquot urbes, atque iis* F *conjuncta pontificum Romanorum auctoritas sane & deterrebat finitimos ab injuriis, & animos nobis ad eas arcendas repellendasque præbebant. Nunc vero mutata nimium tempora, mutatæ res, quid enim dicam? Qui & vicinum Regem potentissimum habemus hærentem in visceribus. Eumque (nisi providerimus) infestissimum tenentem omnia circumloca, atque nos pene obsidentem? Imperium vero Constanti-*

nopolitanum cujus viribus inniti, & in quo sperare solebamus, postea quam in duas est divisum partes, dimidium quoque virium amiserit necesse est. Gallicum nuper exortum imminet cervicibus. Atque ita jam præ se fert, ut si illius amicitiam contempserimus cogamur inimicitias experiri, quæ res quanti sit æstimanda quum mecum ipse considero (quanquam haud libenter animus novis se se implicat curis) metus me tamen cogit interdum vereri, ne nova rerum conditio novum exigat consilium. Nam si semper eodem cursu se haberent humanæ res, sane consilia variare non oporteret. Stultum enim quum bene te habeas sedem mutare. Quum autem quotidie alia super alia corrumpi, mutari, oririque videamus: Quis non intelligit ut se se illa convertunt; ita nobis quoque esse in consiliis variandum? Et quemadmodum quod experimento utile comprobaveris, mutare sine causa imprudentis est. Ita quum nova se ostenderit causa, non mutare dementis? Quæ quum ita sint, considerare etiam atque etiam debemus qualis sit rerum status, quale periculum. Et providere ne forte dum volumus nimium præteritis consiliis insistere futuris periculis opprimamur. Pipinus Italiæ Rex Caroli Imperatoris filius fœdus nobiscum optat. Aut igitur admittendum aut negandum, alterum nobis eligendum. Difficilis deliberatio. Dicet quispiam fateor. De pace siquidem & bello agitur. Sed quoniam est respondendum, quis pacem bello tam iniquo non anteponat? Nam ut ab eo incipiam, consideramus ne qualis, quantusque est, cum quo nobis bellum suscipiendum? Adjice quod juvenis, & quod in iram dicunt procliviorem. Antea vix nostra turbamur a Langobardi ducis, aut vicini populi injuria, quin perfractis munimentis in ostiis fluminum positis in hæc æstuaria irrumperent. Nunc Regem Italiæ spretum a nobis repudiatumque si bellum adversus vos terra marique moverit, feremus? Et a Langobardis quidem, illud opitulabatur maxime. Diffidebant plerumque inter se duces & mutuis se se lacerabant bellis. Nos quieti eventum spectabamus in eo non anxii, uter superior evaderet. Sic nunquam non dabatur aliqua quies. Nunc autem quum unus sit rerum potens, quumque omnis hæc ora, omne Forojulium, Histria & omnia circunquaque in unius Pipini sint potestate. Si pluribus ex locis fluminum perfractis munimentis, quæ facile abundans multitudine perfringet, uno eodemque tempore irrumpet in nos, quo tandem pacto districti tam diversis irruptionibus resistemus? Quid autem si a Ravenna, quæ fuit semper antea nostrarum partium, nunc autem in illius est potestate, moverit? Atque per littora equitatum illum suum invictum inferet? Quid agemus? Naviculis credo aut cymbis talem repellemus hostem. Quid si ab Aquileja lapidibusque? oblitine sumus majores natu, quam facile Lupus dux Forojulianus in littus trajecerit? Gradum oppresserit? diripueritque? An quod ille fecit hic non audebit? Quid si eodem tempore ab utroque capite Foro scilicet Julio & Ravenna in littora transcendet nostra, quibus nos armis tutabimur? Scilicet oratores mittemus Constantinopolim, capta, direpta, excissa erit hæc omnis maritima, prius quam vestri oratores illuc applicuerint. Et quoniam a nonnullis omnis spes in imperatoriis classibus collocatur, haud inficior equidem illud esse aliquid. Sed videte quæso quid agatis, ne frustra postea pœniteat. Primum quidem quis mihi fidejubeat, Nicephorum vestra pericula pro suis subiturum, vestramque amicitiam amicitiæ Caroli magni præpositorum? Quid vero si aliquo ipse in bello implicitus adversus Sarracenum, aut Bulgarum distinebitur? Quid habetis certi missurum auxilia, quibus ipse fortassis indigeat? Sed mittet inquiet aliquis. Quid inquam si non mittet? An hoc fortunæ ludibrio committendum? Cujus est prudentiæ committere sese periculo, cujus sit finis incertus? Præsertim si* A *ab eo possis abstinere? Unde illud ortum proverbium? Sapientis esse nihil committere cujus eum postea pœniteat. Quod si usu comprobatum videmus, ubi magis illud cavendum, quam in suscipiendo bello? Et eo præsertim quod nulla virium paritate suscipitur? Si profecto Carolus sub cujus jam ditione, & Gallias & Hispanias Germaniamque pene totam conspicimus, ducturum in Pannonias vulgaverit, ut Bulgaris conjunctus Nicephoro bellum inferat, nesciat ille quid consilii capiat, nedum ut bellum suscipiat vestri gratia, Propria deserat ut alienis auxilio sit. Quid illud quoque? Quod si Pipinus velit sublata mercatura, omnes has urbes sine armis deleat? Nolo* B *Pipinus armis utatur non equitatum inferat, non peditatum, tantum prohibeat ne quid nostrarum mercium per ostia fluminum subvehatur ad superiora. Hoc si fecerit, quid vobis vester oriens, vestra Constantinopolis proderit, cujus igitur prudentiæ est cum eo bellum gerere, qui sine bello vos possit conficere? Sed neque illud minus vos debet movere, qui omnis pontificia Romanaque majestas cum hoc novo imperio stat multis invicem officiis obligata. Mementote quantum Romanæ sedi semper tribuendum censueritis. Non dubitastis Leonis quarti & Constantini quinti Imperatorum pro sanctorum imaginibus inimicitias subire.* C *Qui si in pontificis gratiam imperatorum privilegia, quæ nunc jactari audio, pro nihilo duxistis, quanto magis valere debet tot populorum salus & incolumitas, quæ in extremo discrimine constituuntur. Censeo igitur Regis amicitiam non repudiandam, Legatos mittendos qui gratias agant pro oblata amicitia, paratos esse eam amplecti æquis conditionibus.* Hæc ubi *Honorius* dixit inclinare conventus visus in *Pipini* amicitiam. Et fortasse re comprobassent, nisi *Angelus Heraclianus*, qui postea in *Rivalto* primus ducatum gessit & divitiis & nobilitate potens, ingenio vero & eloquentia facile primus, ita esset locutus. *Nonnullam optimi patres Honorius nobis* D *(ut mihi quidem videtur) fecit injuriam, qui cum initio orationis proposuisset ineundum cum Pipino fœdus, aut negandum, dum ineundi causas agit, totam convertit orationem ad negandi pericula, quasi nullum penitus immineret annuenti. Cæterum quum longe plura & majora imminere mihi videantur, si fœdus ineas, maxime cavendum existimo, ne vano decepti timore, pœnas inconstantiæ subeamus. Quid enim honori si doceo nulla magis re Venetos agi præcipites in bellum, & bellum quidem inexpiabile, quam ex hoc fœdere Pipiniano? Bellum tu a Carolo metuis. Ego nullum a Carolo, maximum a Nicephoro. Videamus uter prudentius. Incipiamus a* E *Carolo: Unde quæso ab eo Rege timor? Dubium est princeps ille sit ne clarior armis, an religione. Non ego eum ita expertem credam divini humanique juris, ut tum contra jurata cum Nicephoro fœdera, tum adversus amicos bene de se meritos, nulla lacessitus injuria intemperantius sæviat. At Pipinus minatur nescio quid. Minis igitur tu mecum agis? Nostri majores, si ad Agilulphi Regis, qui Patavium excidit, si ad Rotarii qui Opitergium diruit, minas attendissent, non effugissent servitutis jugum. Non est gravitatis tuæ omni verbo, quasi turbine circumferri. Nimium est verba inter & res. Illud semper cavendum sapienti fuit, semperque erit: ut certa* F *pericula non adeat, ut incerta vitet. Itaque nihil ego causæ in Carolo invenio, nisi forte credas Pipinum filium adversum patris voluntatem arma sumpturum. Quod quidem quam sit absurdum videbimus paulopost. At in Nicephoro, si eum deserimus causas video plurimas & maximas. Omitto superiorum imperatorum beneficia. Omnia tibi vetera condono. Venio ad recentiora. Imploravistis ab eo instaurationem fœderis, facile acquievit. Privilegiorum & immunitatum renovationem liberalissime concessit. Medii ut sitis inter eum & Carolum, id quoque patitur. Peti-*

* *Forte* turbabantur.

tistis nuper auxilia contra Pipini minas, liberaliter transmissurum ex pollicitus. Pro his tot tantisque meritis, vos linquere eum, & hostibus ejus adhærere meditamini? Quonam igitur animo hanc perfidiam (nescio enim quo nomine hoc fædus aliter appellem) laturum existimatis? Sane non mihi pares causæ videntur, alterum læsisse nunquam, invisisse etiam quum potuimus, alterum autem, qui semper fuit amicissimus, fallere & ipsius hosti adhærere. Quid ad hanc iniquitatem addi potest? Siquidem illud pessimum facinus reor si pro maximo benefacto, maximam referas injuriam. Itaque non est Honori quod quicquam metuas a Carolo. Omnia tibi metuenda sunt a Nicephoro. Accipe illud etiam quod non potest Pipinus nobis bellum inferre, quin inter Carolum & Nicephorum bellum erumpat. Siquidem si Carolus arma sumit, aut idem faciat Nicephorus oportet, aut amisso occidentis imperio, expellatur etiam oriente. Nam si Pipinus Venetos & Dalmatas subegerit, paucis annis totum superum sub ditionem mittat, necesse est. Si vero cum infero superum conjunxerit, cedet Nicephorus Italia, cedet Sicilia, cedet Corcyra, nusquam gentium mari imperatoria navis apparebit. Relinquitur igitur quod supradixi, ut si nos Pipinus bello appetat, bello quoque inter se imperatores digladientur. Hoc autem Carolum velle quam sit parum probabile, quis non videat? Ut qui nuper sit a pontifice populoque Romano ex magna orbis parte imperator conclamatus, ut Italiam ab hæreticis infidelibusque defendat. Ipse adversus christianorum imperatorem collegamque, ut ita dixerim, suum cum quo curam hanc imperii partitus est, ruptis fæderibus contra jus fasque nefaria arma induat? Quis hæc portenta credat? Credat etiam pontificem Romanum unum inter reges judicem & arbitrum tueri velle fæderum, quæ tenet in manibus, violatorem. Quod Honorius metuit, persequi acrius. Qui dimidiam ablatam sibi dignitatem æquo animo ferens, non inferat injuriam, sed propulset? Nobis certe eo succenseat minus pontifex oportet. Quo magis & in imaginibus (quod a te satis extra rem & intempestive commemoratum est) comburendis, & cæteris in rebus, quæ ad christianam pertinent religionem, ecclesiæ dignitatem, imperatoriis edictis semper anteposuimus. Vacuum igitur te ab hoc metu præstes licet. Cæterum ut ad Carolum redeam non illi desunt curæ solicitudinesque suæ. A quo nuper Romæ dum acclamationibus in cælum tollitur & Saxon & Danus, & Hispanus descivere. Nunquam nationes illæ quievere, nunquam quiescent indomitæ & impatientes jugi. Quæ quum ita sint nullam Carolo video causam neque adversum nos, neque Nicephorum contra. Quale autem a Nicephoro bellum futurum patres. Horret animus commemorare. Non tenet Illyrium? non Siciliam citra & ultra Pharum? non Corcyram? non loca & maria omnia, quæ circumcirca jacent? non orientem pene totum? At si is a nobis proditus validam instruat classem, quam facile potest instruere, qui mari maxima pollet potentia, & hac lacessitus injuria in loca hæc inferiora descendat. Quomodo te ab ea tuearis? Quomodo defendas? Nonne omnis nostra res in maximo sit discrimine constituta? Ut nec Pipini miles, nec eques te ab isto periculo vindicet? Adde quo in periculo versentur omnium nostrum facultates, quæ in ejus ditione nostrorum hominum negotiatione sunt positæ. Auferent primum (negari non potest) quicquid habent vestri homines in oriente pecuniæ, mercium, nominum. Parum erit hoc. Trudentur in carcerem miseri nostri homines, qui nihil deliquerunt, aut vita etiam luent. Quos gemitus lachrymasque tum video? explebitur ne his? non certe exscindantur & in paludes redeant omnium ingratissimi. Jam classis aderit valida & præpotens, in portus vestros, atque adeo in vestra viscera irrumpet, plena irarum vin-

A *dictamque sitiens. Si converterit illa sese adversum nos. Vulnerati tot cladibus aliis super alias, sustinebitis hunc hostem? Ad Pipini scilicet auxilia confugiendum.. Hic vero mihi sapientia vestra patres opus est. Et videte per Deum immortalem, ne suspectior vobis periculosiorque cum Pipino sit futura pax deserto Nicephoro, quam apertum bellum socio Pipino. Equidem in sociis deligendis illa duo spectanda reor, fidem socialem, & potentiam. De fide satis illud fuerit quod diximus de Caroli religione. Cæterum illa mihi patres præcipue hisce magnis in rebus placere solet fides, quæ proficiscitur ab animorum consensu, non quæ tantum scriptura & tabulis*
B *continetur. Video autem circumfinitimos, sicuti nobis inimicos, ita Pipino quam carissimos. Illos colit, arcana communicat, horum consilio atque opera utitur. Primum igitur nescio quo pacto me tuto committam inimicorum meorum amicissimo. Adde quod juvenis (& ut Honorius inquit) ad iram proclivior. Præter illud quoque, quod reges quodcunque volunt, id pro æquo ducunt. Hæc quum ita sint: Si Nicephorus deseritur, & injuriam Pipinus inferat, cujus nam fidem opemve patres imploraturi estis? Nicephorine? Quo vultu? quo re*? Derisui eritis utrisque. Illi tamen odio eritis maximo cui semper fuistis carissimi, quemque contra omne divinum humanumque jus,*
C *violata fide contemptui habueritis. Quum autem semel Pipinus cæperit, nulla temperabit injuria, abutetur ut servis. Ne tibi tunc Honori nimium Pipinus propinquus videbitur. Pax erit omni bello perniciosior. Eripiet vobis patres pax ista libertatem. Ducatum tu geres Obeleri, aut tu Beate? Duces dabuntur Galli Germanique quos ipse jusserit. Ferre oportebit omnem contumeliam, quam diversa sese offeret rerum facies. Adde quod ferunt aliquando Patavinos tentavisse apud Narsetem redigere Rivaltum in ditionem. Siquid simile nunc apud Pipinum molientur amici & regii contubernales, quisnam pene Deus ab ea nos eripiet injuria? Æquo sa-*
D *ne judice disceptabitur, horret animus reputare hæc ejusmodi mille pericula. Conferte nunc si placet cum Pipino Constantinopolitanos imperatores. Nihil infidum ab his unquam, innumeris beneficiis privilegiisque donati si longis terrarum spaciis disjungimur. Id vero summum beneficium est ad libertatem. Sinunt vivere legibus nostris. Mercaturam apud eos exercemus maxima cum libertate ipsis commodam, nobis uberrimam. Restat ut pauca nunc de potentia, quanquam & si a Constantinopoli magno spatio disjungimur, tamen ejus imperium terra marique tam longe lateque patet, ut ei finitimi simus. Nam si Pipini vires cum Nicephori conferas quantum*
E *ad res nostras pertinet, admodum quidem perexiguæ sunt. Tenet in supero Carolus a Ravenna usque Sypontum, in infero vero a Neapoli Gades usque. Sed quid ad Nicephorum? Sub cujus ditione & superum mare pene totum est, & Ionium, & Ægeum? Pontus quoque & Hellespontus? Insulæ præterea omnes intra Pontum, & Oceanum, Baleares præter? Quanquam enim Saracenorum imperium Syria, Ægypto & Aphrica jam Christianum pepulerit nomen, maria tamen omnia nostra sunt. Classes Imperatoriæ toto dominantur mari, quemadmodum igitur mari positi constitutique mari victum quærimus ita salus & libertas omnis a mari*
F *dependet. Etsi necessitas adigat (quandoquidem versat suas fortuna vices) maritima nobis non campestria, aut montana auxilia sunt quærenda. Nostrum existimare nunc possumus quicquid mari nunc tenet imperium, ad ejus loca navigamus, ibi negociamur, perinde ac in nostris versemur locis, quo fit ut non mirari non possim, qui dixeris maritimam nostram sola mercatura consistere, posse nunc animum inducere, ut tam præclaræ orientis navigationes commerciaque tollantur, quonam enim gentium naviga-*

* Proculdubio; ore.

bunt vestræ naves? Ravennam credo, aut Anconam. Sane ibi liberaliter excipiemini, quippe qui ferre non possunt diminui quotidie apud se mercaturam, crescere apud vos. Ergo reliquum erit ut commerciis orientalibus amissis pulsi ab iis paucis Pipini emporiis ad casas piscatorias redeatis. Nec illud enim verendum ne Pipinus in has insulas transscendat. Inferat fortasse aliquam littoribus injuriam, in insulas non transcendet. Illæ mœnia, illæ arces inexpugnabiles, unam patres teneamus viam, non per multas vagemur. Nulla etenim navis satis certum portum teneat, quæ nunc hac nunc illac agitur in diversum. Alioquin impingat in scopulum necesse est. Classem imperatoriam non ego hostilem ex auxiliari faciendam censeo, quod si contra jus fasque Pipinus bellum inferet, quod nec verisimile est, nec credi dignum. Libertatem patres tuebimur Arbitro fœderum, & innocentiæ nostræ vindice Deo. Censeo igitur in Constantinopolitano fœdere perseverandum. Pipino gratias agendas, observasse vos semper illius majestatem, & Caroli patris, idem semper facturos. Tum legatio ad Carolum mittatur, purgatum, quæ de nobis inimici jactant. Hæc mea sententia est. Optimus Deus meliorem vobis approbet. Hæc quum *Angelus* dixisset, magno omnium assensu ejus sententia accepta est, & procul dubio anceps utrinque periculum imminebat. Cæterum ita erant animati omnes, ut in quascunque potius terras existimarent transmigrandum, quam in his sedibus agendum cum servitute ævum. Eam autem quo pacto fugerent non videbant, cum odio finitimorum, qui maxima apud *Pipinum* gratia pollerent, tum quod hæreret in visceribus *Ravenna* antiquissimum commodissimumque *Italiæ* atque Urbis *Romæ* emporium. Ad eam vero cum hominum frequentia, tum opibus augendam, non erat dubium, quin *Pipinus* omnes vires intenderet. Atque illuc omnia negocia transitura. Desertum autem iri portus omnes *Venetos* & oppida. Sublato autem mercaturæ studio, quid reliqui supererat, nisi servitutem subire morte pejorem? Ab eo die cessatum non est, poscere ex alto *Venetis* rebus opem. Spei non nihil esse in *Caroli* clementia cujus justitia mansuetudoque maxima eo sæculo ferebatur. Decreti itaque ad *Carolum* legati in quis volunt nonnulli *Obelerium* & *Beatum* duces extitisse. Convenere eum apud *Theodonium* in *Germania* agentem. Idem fecere *Dalmatæ* in causa licet diversa, & utrique eodem tempore. *Veneti* exposuere eam maxime causam profectionis, quod intellexissent esse nonnullos tum ex finitimis, tum ex *Venetis* exulibus a quibus delatum sit *Francorum* nomen infestum *Venetæ* genti esse. Id autem a maledicis jactari non tam prodendæ veritatis causa, quam ineundæ vanis artibus apud eum gratiæ. Cæterum spem *Venetis* omnem in ejus sapientia & æquitate constitutam, quam autem a vero sit alienum nemini omnium mortalium magis quam *Carolo* esse perspectum, qui meminisse debeat quum *Desiderius Langobardi*que omnia fere in *Italia* obtinerent. Ad primum ipsius nuncium naves quinque & viginti missas militibus instructas, neque inutilem eo in bello *Venetorum* operam fuisse. Cæterum si in fœderibus cum *Nicephoro* constitutis, neutri parti adjudicati sumus, cui injuriam fecimus nos? Gens innocua, unius mercaturæ studiosi. Non agri nobis, non vineæ, in aquis nati educatique. Majores nostri salutis libertatisque causa in ea stagna commigravere. Ab his ita sumus instituti, ut cum omni mortalium genere pacem colamus. Abstineamus ab injuria omnium hominum commodis inserviamus quoad licet. Neminem pro hoste reputant *Veneti*, nisi forte piratas communes omnium gentium inimicos.

A Ne igitur per Deum immortalem invictissime cæsar dignos nos fecerint inimici nostri indignatione tua, postea quam hinc justitia, atque clementia, hinc vero innocentia, tenuisque fortuna dignos profecto non facit. *Carolus* eorum oratione permotus, ut erat miti ingenio, benignis verbis respondit. Non sibi unquam potius fuisse hostem bello vincere, quam pace fidem servare. Proinde inspectis fœderibus, jussit redirent ad suos, & patriis legibus ut ante assueverant, fruerentur. Jam *Niceta* patricius ab imperatore cum instructa classe missus ad tuendam *Dalmatiam Venetias*que *Epiri* oram legens si qua
B forte in his locis *Pipini* classis obversaretur, quum nullam intelligeret, recta navigans *Dalmatiæ* urbes, quas a *Pipino* tentatas accipiebat, hortatus ut in fide & officio perseverent, *Venetias* est delatus. Ibi inter *Pipinum* & *Dalmatas Niceta* patricio præsente de pace actum. Quod convenire non possent, prorogatæ induciæ usque in Augustum. Quidnam autem *Pipinus* moliretur in *Dalmatas*, ita ut induciis opus fuerit ab ullo auctore non explicatur, ut *Gallicus* etiam scriptor Annonius qui de hoc bello scripsit quædam breviter a nostris omnino non abhorrentia eam rem totam omiserit. *Fortunatus* patriarchæ quum
C primum de *Nicetæ* adventu certior est factus iterum in *Franciam* profugit. Qui haud dubie *Gallorum* partibus favere existimabatur. *Niceta Venetiis* aliquot moratus dies, inde solvit *Obelerio* duce, Spatario declarato multisque aliis ornato donis. Profectus autem cum *Niceta Beatus Obelerii* frater missus, tum ad agendas imperatori gratias, tum ad eum in amore confirmandum. Ire etiam cum eo jussi aliquot magnæ auctoritatis viri, quos pro *Gallis* sentire erat suspicio. *Constantinopolim*que relegati. In quis fuere *Christophorus Castellanus* Episcopus, & *Fælix* ejus insulæ tribunus. Interea *Carolus* dierum & gloriæ
D plenus omnem curam studiumque disponendis regnorum negotiis adhibere, cupientissimus imperatorii servandi fœderis, & in posteros transmittendi. *Pipinus* vero tum ferocior ætate, tum etiam nimia patris fælicitate potentior factus, magnas versare animo res magna imperia classem parare adversus imperatoriam si redeat in *Adriaticum*. *Veneti* principio insequentis anni haud ignari quibus in periculis versarentur nihil jam omittendum rati, primum celerrimis navigiis rursus *Nicephorum* monent, quid *Francus* terra marique moliatur, Classem mittat quam celerrime. Tum naves & quæ sibi aderant instruunt, & quæ aberant accer-
E sunt. Castellum quod in ulteriore *Bronduli* ripa *Deodatum* ducem *Ursi* filium construxisse diximus, valido firmant præsidio. Aliaque parant quæ longinquo sustinendo bello necessaria videantur. Neque *Nicephorus* segnior. Rursum *Paulum* patricium aucta superioris anni classe, bellum *Pipino* inferre jubet quam potest maximum. Is in *Tyrrhenum* mare delatus, ut bellum a *Dalmatis* & *Venetis* avertat, *Populoniam Ethruriæ* urbem juxta eam quæ nunc *Plumbinum* vocatur, partim fraude, partim viribus captam diripit. Cæteras ejus oræ urbes vexat, ferro incendiisque, navigiis omnibus consumptis igni, aut de-
F mersis. Alia præterea *Nicephori* Classis præfecto *Niceta* patricio, in mare *Adriaticum* delata, *Italiæ* oram *Pipini* partium exagitat. *Comaclum* adoritur vetustum oppidum & in stagnis palustribus haud procul a *Ravenna* situm, sed quoniam maritimus æstus, aqua vix vadis innatante majora navigia admittere non valebat, classis altum tenuit, nec admota oppidi mœnibus est. Minoribus quicquid potuit ferro igneque circumquaque demolitur. Tandem vastata omni ea ora in

Dal-

Dalmatas declinat, easque urbes hortatur, ut in fide permaneant, *Venetias* est delatus. Magno exceptus honore ac lætitia. Interea vero quum e *Constantinopoli* dux *Beatus* revertisset multis auctus honoribus præsertim consulatu, qui honos protospathario habebatur major, *Obelerius* in fratrem livore majorem in modum est commotus, quamquam jam antea inter eos haud occultæ essent simultates. Fuisse enim *Beatum* ferunt amabili ingenio atque tractabili, *Obelerium* autem insolentiori, verbisque & factis (ut diximus) ferociori. Præterea hi *Gallici* motus, sicut *Obelerii* gratiam auctoritatemque minuerant, quippe qui *Gallicam* duxerat uxorem, ita auxerant *Beati*. Præter id quod quum *Carolus* ad urbem ire pergeret, profectus est ut diximus ad eum visendum *Obelerius* cum *Fortunato*. Quos *Pipinus* excepit nimium quam familiariter. Eas omnes ob res quum increbruisset opinio cum *Gallis* eum sentire, seque tum despectum, tum suspectum cerneret, novas res volvere animo cæpit. Tandemque ad *Carolum* in *Germaniam* profugit, exponit fratris injurias, quem sponte in ducatus consortium asciviffet, opes communicavisset, male sibi gratiam relatam. Cætera pati potuisse, sed quum insidias suæ vitæ tenderet, non tulisse, confugisse ad opem *Caroli* unicum in terris justitiæ profugium. Tum demonstrat parvo negotio fieri posse, ut *Veneti* vel inviti ad ejus partes trahantur *Fortunato* patriarcha fidissimo amico ad id maxime amittente *. *Obelerium* tamen & *Beatum* in gratiam rediisse, eventus ipse docuit, ut paulopost docebimus. Ambosque quasi *Veneta* desperata re ad *Pipinum* transivisse. Addunt ad hæc alii, & *Gallici* præsertim auctores, quos recentiores sunt secuti. *Pipinum* non multo post audita *Nicephori* classe, quum se imparem maritimis viribus cerneret, nec congredi auderet, ad agendum de pace revertisse. Convenisse pro *Dalmatis* *Paulum Iaderæ* ducem & *Donatum* episcopum. Dum vero inter *Pipinum* & *Nicetam* conditiones feruntur adacti metu *Obelerius* & *Beatus* ne si forte alio sequestre pax conveniat, Ducatu a *Venetis* excludantur, ultro sese his colloquiis ingerunt, & immiscent, ut tam *Venetis* quam utrisque si possint satisfaciant imperatoribus. Temere tamen id aggressi & inconsultius. Nam neque a *Venetis* ea de re mandatum quicquam erat, & *Pipinus* præterea ut magnorum principum mos est, si quid illi sperandum proponerent, promissum sibi ab iis existimabat. Quum vero conditiones convenire non possent, & *Niceta* rediisset cum omni classe in orientem, relicta *Veneta* re. *Pipinus* qui jampridem & suspectos & infensos haberet *Venetos*, mox ira concitus posteaquam videt redigi pacem non posse ad eas, quas *Obelerius* dixerat conditiones, culpam omnem in duces rejecit, qui promissis non stetissent, ab his queritur se delusum, eos objurgat, qui pacem turbassent, ut ipse jactabat. Atque ex eo die bellum adversus eos meditari cæpit. Accessit ad iram quod a *Venetis* audierat imperatoriam classem & supplemento & pecuniis, tum anno superiore, tum in præsentia ad * vitam. Utcunque se res habuerint, belli causam fuisse constat, tum *Dalmatica* ad pacem colloquia, tum constantiam *Venetorum* in imperatoria fide. *Pipinus* igitur *Venetis* bellum moturus Classem statim *Ravennæ* quam maximam potest cogit, tum ad infestandos *Dalmatiæ* portus, tum ut diligentius prohibeat ne commeatus *Venetias* importentur. Ea spe ut exclusis terra marique cibariis, *Veneti* adacti inedia maturius faciant deditionem. Imperat præterea fluviatiles naves quam plurimas potest. *Veneti* vero certiores facti, longe celerius opinione maturari bellum, nuncios mittunt diversis navigiis ad classes imperatorias accersendas. Inde Castello *Brundulensi* præsidium duplicant, aut ad arcendum si possint hostem, aut si minus distinendum donec accurrant orientis auxilia. Nuncii *Paulum Cesseranum* offendunt classis alterius imperatorium ducem, qui recreatis militibus acceptoque remigium commeatuumque supplemento *Adriaticum* versus navigationem instituit. *Veneti* præterea & ipsi bipartito sese accingunt adversus hostem, majores enim Castellatas naves stare juxta portus ostium in anchoris jubent, eumque aditum obstruere adversus classem *Ravennatem*. Tum etiam ut si ex adversa parte per paludes fiat impetus, præsto sint ad procul arcendam. Cæterum adversus fluviatiles *Pipini* naves navicularum classem omnis generis ex omnibus insulis littoreisque oppidis contrahunt. Et ad signum parati sint jubent. Hæc dum apud *Venetos* geruntur *Pipinus* cum terrestri agmine superatis *Padi* atque *Athesis* ostiis contra *Brundulum* constitisset, decrevit Castellum quod ab ea ripa positum munitumque diximus occupare. Situm erat e regione *Bronduli* vici. Distabat autem a mari & vicus & Castellum passus fere quingentos. Canalis utrunque intersecabat latitudinis passuum. xxxx. cum aliquot locis scalis admotis transcendere in muros *Franci* conarentur, *Veneti*que qui præsidio erant, acriter resisterent, deturbarent etiam scandentes omni genere missilium (nam & parvus ambitu locus erat, ut milites plures essent quam pro loci defensione) *Pipinus* quum frustra se tempus terere animadverteret, capit consilium relicto castello impositaque navibus copiarum parte tranquillo mari ostium circumflectere, & copias exponere in littore ulteriori ut occupato ex utraque parte fluminis ostio facilius tutiusque reliquas copias transmittat. Quo facile facto (neque enim *Veneti* audebant in altum procedere minoribus naviculis, Majores autem ad defensionem *Meduaci* portus tenebant) potitur *Brondulano* vico *Pipinus*. *Clodiam* exinde pergens eam recipit. Tum deinde *Palestinam* prope ostium *Bacchilionis*. *Albiolam* quoque haud magno intervallo interjectam a *Metamauco*, alto tamen & lato canali. Restitit ibi *Pipinus* aliquantisper, contemplatus locorum naturam. Quo pacto reliquum quod supererat belli in opprimenda *Metamauco* conficeret. Cognita *Metamauceni* cives *Brondulensis* portus amissione & adventu irati in se hostis, diffidere jam alios portus tutari posse, & transitum *Pipino* prohiberi proinde trepidare ac tumultuari inter se, variæ quoque exaudiri voces. Præsertim posteaquam nunciatum est, *Clodiam* in ejus jam esse potestate. Qui cum *Gallis* senserant, non desistere invehi in eos, & maledictis incessere, qui ab initio vetuissent ne ad *Carolum* *Pipinum*que transirent. Vulgi mos est ab eventu res expendere, culpamque in auctores referre si minus prospere cedunt. Quum etiam jactare satis adhuc temporis superesse (si sani sunt) mittendis ad *Pipinum* legatis, qui rem cum eo transigant utcunque possint, potiusquam ultimum excidium opperiri. Alii vero & præsertim *Angelus* cujus supra fecimus mentionem, populum, ut bono sint animo, hortari. Docere periculum hoc vitari non potuisse, littora semper extitisse pervia terrestribus exercitibus. Insulas vero eas esse, in quibus spem salutis ponant. Ad eas non esse terrestribus copiis trajectionem. Expertos eos tum *Athilæ* temporibus, tum sæpius deinceps *Gotthorum Langobardorum*ve. In insulis tuta fore omnia. Interim haud procul esse imperatoriam classem, eam facile terrores istos dissipaturam, tantisper in proximam *Rivaltam* secedant. Sic fa-

* Forte annitente.

* Legendum credo: adjutam.

facile elusuros *Gallorum* minas. Porro nullam esse salutis spem si eo in loco expectetur hostis. Neque fidei aut promissis *Pipini* standum. Si recte meminerint, quotiens id *Pipinus* postulaverit, quotiens illi negaverint. Haud solere superbos reges tam facile injuriam remittere. Præsertim quum manibus victoriam tenere sibi videantur. Conventu igitur indicto, solennisque sacrificii peracta precatione, placuit sententia in *Rivaltum* transmittendi. Libentius autem *Rivaltus* delecta quod portui *Meduaco* esset propinquior, & quatuor præterea circundata insulis, facile ad omnem suscipiendam multitudinem suffectura. Decretum igitur, ut juventus naves conscendat. Turba imbellis cum omni thesauro transmittat. Omnis igitur certatim populus cum ducibus & magistratibus sacerdotibus sanctorumque reliquiis uxoribus liberisque & omni pretiosa re, tum sacra, tum prophana in *Rivaltum* transmisere. Anno Domini nono supra octingentesimum, paucis apud *Metamaucum* relictis qui totius eventum rei expectare maluerunt. Quum vero *Pipinus* illusum se elapsumque de manibus hostem videret, segniorem autem fore *Rivalti* obsidionem, quia nec mari, nec terra deerant insulis commeatus ob ostiorum multitudinem, quæ diligentius observari non poterant, tum propter maris vastitatem, tum quia classem in multas dividi custodias non placebat, quum indies expectaretur imperatoria, substitit aliquantisper cunctabundus. Erat in conspectu *Rivaltus* propinquus & parvus & sine munimento locus, in quem *Veneti* fere omnes opes thesaurosque congesserant. Conversus ad suos: Quid agimus commilitones? Transmittendane vobis hæc palus, an vero *Ravenna* repetenda infecta re? Nonnulli quibus sanior erat mens, memorabant sine navibus transmissionem fieri non posse, nullas adesse paratas. Inscientia præterea locorum deterrebat. Alii vero ferre non poterant elusos sese ab hujusmodi hoste. Non deerant qui de more gentis assentabundi jactarent. Vide stultitiam superbiamque hominum, qui in fugam versi, & quasi aves funda concitæ in arundinea septa abvolavere, ibi se tutos existimant. Cunctabimurne o imperator qui *Rhodanum Rhenumque* totiens tranavimus, stagnum hoc ignavum

A & emortuum superare? Accerse naves, quæ tibi tot locis in promptu affatim adsunt, imple eas militibus, mox ut per hæc stagna remis & velis agi viderint, genibus tuis advolventur. Vocibus igitur sublatis regem adhortari ad trajiciendum gazasque illas, quas sibi tenere manibus videbantur diripiendas. Concitatus *Pipinus* his vocibus, tamen quod animadverteret haud quaquam facilem transmissionem fore, existimationisque discrimen si non succedat subiturum, decrevit primum tentare per caduceatorem, quem *Galli Araldum* vocant, si forte dedere se velint. Mandat ut in *Rivaltum* proficiscatur referat venisse

B *Pipinum Italiæ* Regem suo patrisque *Caroli* imperatoris nomine ad earum omnium paludium & oppidorum receptionem. Dignos esse *Venetos* omni supplicio, qui quamprimum per legatos deditionem non fecerint. Cæterum ut Clementia innata *Francis* Regibus utatur, esse adhuc si sapiant veniæ locum. Si quod hactenus distulerunt, quamprimum exequantur. Sin malint pertinaciter secum agere, scire debeant, idem se de *Rivalto* facturum deque *Metamauco* cæterisque oppidis a se captis, quod de perfidis teterrimisque hostibus dignum sit, omnia ferro atque igni demoliturum. Hæc a *Pipino* mandata quanquam & superbiæ *Gallicæ* plena videbantur, parum etiam

C fidei irato in se hosti tribuendum, placuit tamen duos ad eum legatos honoris & emolliendi animi causa transmittere. Maxime autem temporis producendi causa, donec classis imperatoria in qua spes erat omnis appareret. Neque rebantur eam longius abesse. Legati ut erat mandatum supplici habitu voceque & verbis, veniam pacemque poposcere. Cum eos ille superbo atque insolentiori supercilio accepisset, ad pacemne, an ad deditionem venistis o *Veneti*? Quum ad pacem illi respondissent, quam æquam judicaret. Rex responso commotus, ad deditionem inquit evocavi, non ad paciscendum, proinde abite, ac vestris renunciate, pænas superbiæ statim da-

D turos, qui nostram totiens contempserint misericordiam. Inde advolare jubet omnia ejus oræ navigia, Bellum navale quam maximum potest parat.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

Veneti & præcipue insulares, jam ab initio quum primum est allatum *Pipinum* littora conscendisse ignari quousque esset progressurus, paraverant sese ad prælium dimicandique fortunam, si forte transmissionem in insulas tentaret. Veriti siquidem ne id accideret, plurimas per id temporis naves ædificandas veteresque reficiendas curaverant. Accincti omnes velut ad repellendum commune excidium. Duabus in rebus spes erat omnis, tum in navium agilitate, quibus longe præstabant, tum in peritia scientiaque locorum, & præsertim canalium ut supra diximus errantium. Animati viam prius per sanguinem & corpora hostilibus præbere armis, quam sine ut pedem in *Rivalto* ponant. Primum omnium *Venetis* fuit placare Deum, & ipsius veniam exposcere, aliquot dierum supplicationibus per omnia delubra arasque. Patriarcha clerusque omnis sacrificia solennia instituit. Matronæ & puellaris ætas circumire delubra ubi conditæ reliquiæ sanctorum, votis jejuniisque opem ex alto petere, inque ea maximam victoriæ spem collocare. Tribuni & Magistratus a curia dies no-

E ctesque non discedere, & quæcumque paranda, agenda instruendaque sunt imperare. Cæteros quidem canales, præter eum per quem agenda *Gallica* erat classis, quibus possunt obicibus, tum pallationibus, tum demersis navibus saxorum plenis muniunt, ne circumagi hostis a tergo possit. Palos quos indices seu metas diximus, qua venturum hostem suspicantur, ex vadis tollunt, ut eorum inscientia, viam hostis tenere non possit. Naves ita dividunt, primam aciem minoribus navibus instruunt ad lacessendum turbandumque hostem, majores & quas ad portum in anchoris locatas superius docuimus, castellis, & propugnaculis instructas, pro tempore accersunt. Pro-

F ximæ enim erant, & quasi statariam aciem in canali, per quod hostes tendere decrevisse ferebatur, ordine invicem vinctos statuunt. Dum *Veneti* ad certamen se parant, non segnior *Pipinus* naves quascunque potest, ut diximus undecunque convocat ad transmittendum, quod non sine ingenti dedecore fore videbatur, si *Italiæ* Rex tam parva territus transmissione retrocederet. Convenere naves maxima ex parte fluviatiles, latioribus & planioribus carinis & quidem satis aptæ in-

indirectum ferri sursum deorsumve. Verti vero & in hanc aut illam partem flecti nesciæ, implevit eas militibus, quippe capacissimas, in quorum multitudine roboreque omnis illi erat spes. Classis *Venetæ* præfectus cui *Victori* nomen fuit nobilis *Heraclianus* magni nominis inter *Venetos*, tum fortitudinis, tum prudentiæ nunciis dimissis per omnes insulas & oppida, ut ad diem instructi paratique adsint. Posteaquam convenere convocatis ad concionem navium præfectis atque navarchis ex puppi prætoriæ triremis loco editiori ut omnes exaudirent, ita eos est allocutus. *Et si fortasse decere minus videtur sapientem belli ducem in committendo prælio nimium fortunæ confidere, ne quod est unius Dei sibi arroget, eodem tamen ipso Deo propugnatore, non possum de fælici crastinæ dimicationis eventu dubitare. Nam quum hinc pro fædere servando, illinc pro violando conserendæ sint manus, ego ne Deum ipsum fæderum testem superosque omnes partibus nostris auxilium laturum non sperem? Quod si terrestri pugna nobis agenda res esset & non navali, non esset adhuc animus victoriam superbo hosti, nisi per sanguinem vitamque concedere. Quid enim tristius quam vinci, turpius quam servire? Sed quum navali prælio sit dimicandum, cujus illi nunquam periculum fecere, vos omnes ætatem in eo belli genere cum imperatoriis classibus adversum Saracenos contrivistis, tantum abest ut eos metuam, ut longe plus verear, ne cæpti Pipinum pæniteat, domumque redeat sine congressu, tanta vobis erepta gloria, & nulla data superbiæ pæna. Primum quidem, quod ad spem bonam promovet, locorum conditio est ubi congrediendum. Sane optare non potuistis vobis commodiora, hostibus impeditiora. Nota sunt vobis vada omnia ubi altiora, ubi humiliora, noti sunt canales eorumque flexus refluxusque marini quoque æstus qua increscunt hora, qua relabuntur. Omnia ignota sunt hosti. Ut eorum naves sive a latere, sive a tergo circumvenire velint, quod inter pugnandum sæpe necesse est, sane flecti non possint quin in vada quasi scopulos impingant præsertim quum nec actuariæ sint & minime agiles factæ ad ferenda pondera non ad celeritatem. Quid præterea si forte qua hora confligendum erit, Ventus & fluctus increbrescet? Creditis ne eos pedibus posse consistere? quam nunquam hæc littora & has paludes attigisse vellent, correpti bili nauseaque quasi comitiali morbo languescent. Ne illis nova videbitur horum camporum facies, & longe diversa, quam ex Albiola prospicientibus apparebat. Occæcavit homines superbia & prædandi libido, ut quid moliantur non intelligant. Postquam dimidium imperii per fraudem rapuerunt, cælum sibi contingere videntur. Expectabant credo leves homines, ut hospitio eos invitaretis, cœnam optimam appararetis, aurum gemmasque conjugum in conspectum daretis. Quicquid placeret sibi uxoribusque tollerent. Hac spe ducti venerunt inflati Caroli & Pipini nominibus. Sed si viri fortes estis, quales in Ionio aut Ægeo aliquando sum expertus, intelligent in gladiis & lacertis, non in vanis istis nominibus victoriam stare. Quin etiam conviciis non parcunt, piscatores & nautas appellant. Bene quidem nautas experientur (ut spero) crastina die, an officium præstetis, nec minus illud quidem salse ac facete quam piscatores. Sed ne fallantur, si me auditis, dabitis operam implere retia vestra atque naves Gallicis piscibus, eosque rogabitis, ut degustent, magisne Venetæ aquæ sint salsæ, an Britanicæ. Ergo levissimos homines non pudet, cum piscatoribus contra jus fasque bellum gerere? Quod si ulla unquam tum justitia, tum necessitas pugnantibus fuit ad omnem explicandam expromendamque virtutem, vobis profecto nunc est. Veniunt illi ab ultimis oceani littoribus ad vestras domos diripiendas, quid injustius? Rogati Carolum juvistis apud Pa-*

A *piam navibus vestris atque militibus, en gratia quam referunt. Sed hoc non est satis. Fœdera Imperatores fecerunt, violatum illi veniunt. Vos fidem & jusjurandum servare decrevistis. Hæc utriusque partis justitia. Sed quænam illos necessitas pugnandi adigit? invadunt vos vestraque, quasi per ludum & jocum, accincti ad diripiendas domos vestras, excindenda oppida. Barbaro Athila longe immaniores. Ille destructis urbibus hæc littora insulasque patribus vestris incolendas permisit. Isti hæc confugia ab eo relicta destructum desolatumque venerunt. De vobis autem quid dicam? defendere pergitis patriam, templa superum sacrasque aras a majoribus*
B *conditas ne desolentur. Domos vestras ne diripiantur. Parentes vestros ne jugulentur. Uxores ne prostituantur. Virgines ne violentur, liberos ne rapiantur, atque post ejusmodi contumelias ne omnes in teterrimam servitutem abducantur. Feræ silvestres si earum cubilia catulique a venatoribus petuntur, ultro præcipites ruunt in venabula. Quid vos tandem, quibus est longe acrior pignorum vestrorum sensus, amorque, facere debetis, latere vestros non potestis, quibus eos animis defendatis. In eorum conspectu res gerenda est. Plenæ erunt speculæ turrium domorumque unde uxores vestræ palpitanti corde prospicient pugnam & eventum. Sed omittamus plura*
C *persequi, ne videamur, aut de omnipotentis justitia, aut de vestra virtute dubitare. Hoc ego vobis polliceor spondeoque si crastina luce in congrediendi proposito perseverent, futuram vobis potestatem, ut quodcunque malueritis vel ferro, vel aqua supplicium de perfido hoste sumatis.* Respondere omnes se ducem suum secuturos forti atque alacri animo. Laudati a præfecto, & domum dimissi, atque in crastinum diem corpora curare jussi. In sequenti luce cum esset allatum ab *Albiolensi* littore *Gallos* solvere paratos, *Venetus* præfectus, qui totam fere noctem parandæ atque instruendæ classi operam impenderat, peractis sacrificiis, jussis omni-
D bus naves conscendere minores & agiliores adversus hostem ferri imperat. His mandat ut quam diutissime possunt, missilibus hostiles remorentur naves quoad æstu refluente aqua decedat. Remiges *Gallorum* sagittis eminus feriant, cominus autem non congrediantur. Igitur *Gallica* classis instructa, ut primum a littore solverunt, procul cernunt, cymbarum multitudinem quasi nebulam adversum se ferri. Admirati aliquandiu in remis subsistunt, ut inconspectum venere, contempta parvitate, classem procedere jubent. *Venetæ* vero quæ sensim eo usque decedentem aquæ fluxum expectaverant, ut vident hostem remiges
E urgere dato signo, instructis cymbarum ordinibus locis quæque suis, equestrem ex celeritate aciem putares, adversus hostem feruntur. Factæ propius ad sagittæ jactum, fretæ agilitate a fronte a tergo & a lateribus hostem lacessere missilibus, ut erat imperatum. Et primum quidem minores hostium naves, facili negotio proturbant implicantque inscientia locorum neque prælio navali aptas, nec celeritati hostium pares. Magna pars refluente æstu in sicco destituuntur, tum majores quæ per canalem vehebantur, eminus petunt, arcu, funda, scorpione, earum remiges feriunt magna ex parte inermes, sed dum ad
F canalis reflexum est ventum, ibi vero aspiceres, nec navem, nec militem officium facere. Naves ægre verti flectique, graves & plenæ militum ferri indirectum, neque gubernacula exaudire, nonnullæ in vada impingi. Miles autem *Gallicus* navalis pugnæ insuetus ut primum inter gerendam rem, nutare sub pedibus navis cæpit gradum sistere non posse, sed trepidare ac conturbari. Multi præterea maritima nausea corripi, ad omne negotium inutiles. Clamoribus conten-

A tionibuſque miſceri omnia. Alia ex parte inſtare *Venetus* & omnifariam miſſilibus inceſſere. Ut vero *Venetæ* naves majores de ſuperiore loco vident hoſtem vadis implicitum, Claſſis præfectus nihil moratus, agite inquit milites, victoria, quam promiſi in manibus veſtris eſt. Vos quod ſpopondiſtis nunc præſtate, ſi modo viri eſtis non mulieres. Ea quum dixiſſet ſignum dari jubet, ſublatoque nautico clamore velis remiſque alacres omnes movent ſecunda aqua quum *Gallus* adverſa ferretur. Nitentem hoſtem flexum alium canalis circumagere invadunt. Tum vero cominus congreſſi ſaxis, telis ex altioribus propu-
B gnaculis hoſtem feriunt, nonnullas autem eorum naves inter pugnandum injectis ferreis harpagonibus ſenſim ad vada trahunt. Nonnullæ accepta ex latere aqua merguntur, aut in ſicco deſtituuntur. Illa vero res victoriam diutius remorari non eſt paſſa. Maximam ſiquidem ollarum multitudinem picis & calcis ſuper hoſtilium navium tabulata jaculantur. Quibus lubricatis nec gradum ſiſtere *Gallicus* poterat, nec virtute uti, vel ad tuendum, vel ad feriendum. Impeditus undique, & neque animo, neque corpore ſatis conſtans, tum vero iniquo nimium pugnari marte cerneres vinctis diceres cum ſolutis rem eſſe. Profligata re-
C gia claſſis, cædes ingens edita, incertum majorne aqua an ferro. Quum neque aut in vadis deſtituti poſſent explicare ſeſe, & obnoxii paterent ad omnes ictus. Naves præterea quæ in canalibus oppugnarentur *Venetarum* roſtris ex transverſo incurſantibus, aquam ex lateribus accipiunt merguntur que. Canale in quo prælium commiſſum eſt orfani nomen in hunc uſque diem obtinuit ob ingentem numerum occiſorum: Certum teſtimonium ejus pugnæ atque victoriæ. Fuere nonnulli qui licentius hujus victoriæ gloria abuſi, tradidere *Pipinum* ponte per paludes conſtrato ſuppoſitis ratibus, vaſiſque ligneis in *Ri-*
D *valtum* trajeciſſe. *Venetos* obſervato aquarum fluxu vento ſecundo impetum in pontem feciſſe, commiſſo de ponte prælio pontem tandem disjectum & *Gallos* in aquis ſuffocatos. Hoc ſicuti vix ſani ſit credere, *Francos* niſi longo tempore pontem conjungere potuiſſe quinque milium longitudinis. Regemque credidiſſe exiſtimationem ſalutemque ſuorum doliis vinculiſque vimineis. Ita longe mihi probabilius, quod narratum eſt. Adde, quis credat Regem non vidiſſe quam facili negotio *Veneti* vel noctu, vel interdiu ignem pluribus in locis in pontem injicere potuerit? vel tempeſtatum etiam periculum non caviſſe? Si
E quæ forte orirentur ante tranſmiſſionem? Vidi ego apud *Metamaucenos* vetus monumentum, in quo memoriæ proditum claſſem claſſi congreſſam *Gallicam* profligatam, ob eamque rem bene geſtam donatos præclara immunitate *Metamaucenos*, quod eo in prælio aſtum quoque virtuti ad decipiendos *Gallos* addidiſſent. Ea adverſa pugna *Pipinus* incertus animi quid deinceps moliatur, hoſtem non ſolum e manibus elapſum, ſed auſum etiam ſibi obviam ire, ferroque decernere. Dum cunctatur quid agat, ecce alia ex parte *Pauli Ceſpherani* imperatorii ducis oram *Dalmatiæ* legentis adventus nunciatur. Alacres eo nuncio
F *Veneti*, majoribus longe animis ex recenti victoria, nulla mora majores naves iterum inſiliunt. Et obviam paulo ire pergunt, ut conjunctis viribus, hoſtem ſi forte expectet in alto, adoriantur. Regii qui circa *Hiſtriæ* portus obverſabantur, facti & ipſi certiores de ejus adventu, veriti illud, quod *Venetus* parabat, ne videlicet utraque claſſis conjungatur, & in ſe ambæ ferantur, expectare non auſi, vento remoque fuga elapſi, ſeſe *Ravennam* recipiunt. *Pipinus* igitur duplici

re male geſta, ingenti ira percitus everſis omnibus oppidis, quæ prius in deditionem receperat. *Albiola*, *Paleſtina*, *Clodia*, *Ravennam* verſus reflectit iter, omnia igni ferroque vaſtat, nec prophanis parcit, nec ſacris. In his monaſterium ſancti *Michaëlis* de quo ſupra diximus ſpoliatum direptumque ſolo æquat. Tradunt hic ſcriptores omnes paulo poſt inter imperatoriæ claſſis ducem, *Venetoſ*que & *Pipinum* amicitiam fœduſque renovatum, ut *Nicephori* partium *Veneti* pace belloque cenſerentur. Eodem anno *Pipinus* apud *Mediolanum* per opportune vita functus, ferociori quam *Venetis* expediret ingenio. Nonnulli ex externis ſcriptum reliquere, *Venetias* hoc bello a *Pipino* ſub ditionem miſſas. Et *Blondus* olim familiaris meus ſcriptor ſane cætera diligens, hac tamen in re, neutiquam ſibi admodum bene conſtat. Siquidem juxta finem *Undecimi libri*, dum bellum *Heraclienſe* deſcribit, dicit *Pipinum Heracliam Equilum*que *Veneta* oppida invaſiſſe, cives autem campeſtrium locorum munitione diffiſos, Civitates deſeruiſſe, *Venetiaſ*que maximo familiarum numero commigraviſſe. Scribit autem paulo poſt initio. XII. *libri* in *Venetis* monumentis eo bello factam *Venetiæ* ſubjectionem. Hæc autem quo pacto conveniant, non ſatis intelligo. Nam ſi tantus familiarum numerus ſponte *Heraclia* relicta *Venetias* confugit, quo igitur pacto *Pipinus Venetias* ſubjecit? Cives profecto relicta *Heraclia Venetias* commigraverant. Quas tu igitur *Venetias* memoras? Supererant enim alia paulominus viginti oppidis. Et tu ſubjectas ſcribis *Venetias*? An qui *Pipinum* fugiebant ultro ſeſe *Pipino* in ſervitutem dabant? Quis hanc repugnantiam conciliet? Quod autem ſcribit haberi ex *Venetis* monumentis, ſane quid iis contineatur, ſcripſi ſuperius. Scribunt etenim demolitam *Heracliam* ab *Venetis* non a *Pipino*. Cæterum paulo poſt facile nobiſcum in gratiam redit, ubi profitetur ſe ex ſententia bellum hoc *Metamaucenſe* ſcripturum. Scribit enim *Pipinum* a *Ravenna* littora *Veneta* tranſcendiſſe, omnia oppida uſque ad *Albiolam* recepiſſe. *Metamaucenos* duces, & omnem ſenatum ſedes tranſtuliſſe in inſulam *Rivaltum*, exceptis qui deſerere patriam noluerunt. Subdit illud quoque poſt imperatoriæ claſſis adventum pacem inter imperatorem *Pipinum*que renovatam, ea conditione, ut *Veneti Nicephori* partium pace belloque cenſerentur. Sed quid de *Paulo Diacono Aquilejenſi* dicam? Qui ſcribit *Pipinum Venetiam* ſubegiſſe per ducum *Obelerii* & *Beati* deditionem? Quaſi nihil interſit inter transfugas homines, & publicæ deditionis auctores, & ut mendacium contegat, ſubdit continuo libertatem *Venetis* donatam. Optime ſane iſta cohærent. Factus eſt cito *Pipinus* ex acerrimo hoſte liberalis amicus. Quin magnæ *Venetis* eſt laudi, qui fugientibus ad hoſtem ducibus, fide ipſi moti non ſunt. Quam vero non fuerit *Venetis* gratus *Obelerii* ducis tranſitus ad *Pipinum*, hinc perſpicue apparet, quod ducatu depulſus *Obelerius*, aliquot poſt annis a *Juſtiniano* Duce captus apud *Vigiliam* civitatem capite pænas luit. Ab hoc autem *Diacono* facile *Blondus* ipſe nos liberat. Scribit enim hunc *Diaconum* ubi poteſt libenter *Venetorum* gloriæ detrahere. Cauſam errori dedere (ſic enim libet magis opinari) tria illa quatuorve expugnata oppida a Rege præpotente, quaſi reliqua etiam neceſſe fuerit in illius veniſſe ditionem. At vero quotiens vidimus amiſſis regionibus, urbes, amiſſis urbibus, arces incolumes ſtetiſſe; Nec ſtetiſſe ſolum, ſed etiam imperium reſtituiſſe. Satis fuerit unius *Romæ* exemplum, cujus libertas in ſolo capitolio retenta, cætera quoque reſtituit. Hæc fortaſſe pluribus

bus quam necesse fuit, sed ne cui forte videremur ab re & quidem haud spernenda externis scriptoribus refragari. Hæc a nobis uberius ac distinctius explicata. Victoriæ pacisque paucis diebus geminata lætitia labores in quibus multifariam per eos dies *Veneti* sunt versati, non solum in oblivionem dedit, sed ingenti etiam spe omnium implevit animos, læta deinde omnia successura. Primum igitur per omnia templa gratiæ Deo actæ, exhibitaque in defatigatam plebem pietatis & largitionis officia. Deinde publico totius gentis decreto expostulata superum venia, coacta concione de firmanda ducatus sede omnium consensu decretum, ut in *Rivalto* quam Deus probasse tanta victoria videbatur, atque ubi jam locum cœpissent firmaretur, nemo non questus est majores non animadvertisse quanto tutior commodiorque ibi sedes ducatus foret, quam in *Heraclia* aut *Metamauco*. Hic pax, hic securitas vel a continenti, vel a mari. Mænibus non indigere non portis, paludium munitionem inaccessibilem, inexpugnabilemque, expertos esse quanto tutiores sint insulæ littoribus. In *Grado* sæpius, nuper in *Metamauco*. Proinde quod fælix faustumque esset nomini populoque *Veneto* bene juvante Deo, sedes ibi firmatæ. Id vero posteaquam est actum, nihil ad omnium populorum lætitiam deesse videbatur, nisi ut in ducem deligendum pari concordia convenirent, aberant siquidem *Obelerius* & *Beatus*, non audebant in patriam reverti. Per amicos & cognatos agebant quibus poterant artibus, ut delectus ducis impediretur. Complures illi favere cum misericordia, quæ plurimum solet mortalium animos emollire in principum hominum calamitatibus, tum *Beati* fratris gratia cujus ingenium amabile. Quicquid forte ab eo peccatum esset, totum in fratris *Obelerii* culpam referebatur. Primores tamen & populi maxima pars, elati victoria, quæ longe magis eorum animos ad orientis imperatorem inclinaverat, illorum reditum audire non poterant. Hæc quum *Obelerius* intelligeret, instituit aliunde petere opem. Perfecta siquidem pace *Nicephorus* duos legatos ad *Carolum* miserat *Leonem* & *Arsaphium* spatarios, qui pacta inter utrosque principes confirmarent. *Carolus* autem apud *Aquis granum* agens quum semper antea honorem imperio detulisset, vinci se liberalitate non est passus. Remittit ipse quatuor Oratores ad *Nicephorum Gildonem* Episcopum, *Ugonem* comitem *Turonensem*, *Aigonem* comitem *Forojulii*. Addit *Annonius Gallicus* scriptor quartum *Obelerium Venetiæ* ducem patria extorrem. Siquidem *Obelerius* inquietus animi, quum exclusum se ducatu ac patria videret, impetravit a *Carolo* commendationem ad *Nicephorum*, quem facile sperabat omnia a *Venetis* impetraturum. Annuit *Carolus*. *Veneti* quum illius profectionem intellexissent, suspicati quam rem fratres molirentur, & ipsi suos oratores quos ad agendas imperatori gratias delegerant, admonent de *Obelerii* adventu, imperantque ut diligenter quid moliatur advertat. Erat quoque tum forte apud *Venetos Obersapius* imperatorius apocrisarius, qui tractandis rebus omnibus, quæ ad bellum *Gallicum* pertinerent, semper affuerat. Eum quoque monent, ut *Nicephorum* certiorem reddat de *Obelerii* adventu. Caveat hominem majestatis suæ inimicum, nihil de eo audiat, nisi prius explorata *Venetorum* voluntate. Interea tribuni accelerare ducis electionem. At vero amici *Obelerii Beati*que omnibus conatibus impedire. Vociferari non posse, nec debere ducem eligi vivis & extantibus ducibus aliis, atque eorum ducatu non abrogato. Qui si per injuriam extra patriam agant, judicium tamen legitimum de his haud hactenus factum. Nec ducatu lege pulsos etiamsi absint, pessimum exemplum agi, indicta atque injudicata causa damnari. Quod enim facinus, quod scelus admisere? Ut & ducatu spolientur & bonis omnibus? Ambitionem nonnullorum in causa esse, quibus dies annus videatur ad ducatum invadendum. Itaque quum esset ad eam rem indicta concio, major adhuc contentio suborta postulatumque ab amicis *Obelerii*, ut potestas ei publica fieret tuto veniendi & coram causam agendi suam. Dicturum enim pro se eorum utrunque, quæ nemo mortalium noverit, scire eos, quæ alii nesciant. Vulgatum esse, Insanum sano propria in causa plus sapere. Rejectis eorum postulatis, postremo maximis altercationibus adnixi sunt, ut referent tribuni prius de *Beati* causa quam *Obelerii*. Facile misericordiam sperabant ob *Beati* mitius ingenium. Id si impetrarent, non erat dubium quin frater fratrem restitueret. Itaque quum diu multumque de ea re esset certatum, neque ea quoque admissa postulatio, tum a maxima tribunorum parte relatum. Sub hac ferme verborum formula. *Quum Obelerius Beatusque male ducatum administrarint atque cum hostibus senserint, placeretne novum ducem creari?* Tandem tribunus *Metamaucenus*. *Vereri* inquit *interdum cogor o patres, ne libertatis nomen, quod usurpare & quo tantopere gloriari nonnulli solent, verbo magis quam re persequantur. Quid est enim tam libertatis proprium, quam æqualis inter cives omnes legum observatio? Leges servari tunc dicimus, quum omnes civitatis ordines, his obnoxii sunt, non quum earum obliviscimur ad majorum potentiorumque libidinem. Omnes autem leges formulam criminalium judiciorum exactissime instituerunt. Primum quidem ut accusetur reus, ut deinde citetur, ut audiatur, ut producantur testes, ut diligentius examinentur. Nunc præpostere omnia, Quid horum obsecro hac in causa servatum. Qui si in privatorum causis hæc servantur omnia, quo pacto, non sese infælicissimos omnium Obelerius & Beatus existiment? In judicium rapi omnium fortunarum nullo eorum, quæ diximus ordine servato? Obsecro tribuni pellere eos ducatu vultis. Quam ob causam? Quia videlicet male ducatum gesserunt. Hoc autem nonne prius istis omnibus probandum fuerat? Simile videtur perinde ac si quis ideo morte dignus judicetur quia furtum dicatur fecisse, nihil autem probetur. Quis hunc damnandi morem approbet? placeatne tribuni si quis de vobis ita referat? Quod si tale quippiam tentari nemo vestrum patiatur, cur non miseret infælicissimorum ducum, ad quorum damnationem nihil nisi tria verba recitantur? Huic vos patres per Deum immortalem, perque eam libertatem, quæ fuit semper vobis, ipsa vita carior, tanto malo occurrite. Et quid afferunt? Mauritios duces ab Obelerio & Beato depulsos, quam sit hoc falsum nostis omnes. Arripuere sponte fugam nemine persequente, sine vi, sine tumultu. Sanctissimi viri anima de turri præcipitata, & conscientia scelerum nocturnis somniis, quasi furiis agitata, expulit eos ducatu. At paulopost Obelerius dux est acclamatus, magnum scilicet crimen. Videte patres nonnullorum impudentiam. Nam si optare ducatum crimen est, cur ipsi nunc ambiunt? Quod licere sibi existimant, cur alii crimini dant? Ab eadem invidiæ radice, illud quoque objectant, quod Gallicam duxerit uxorem. Infortunium illud patres non crimen est. O miserandam humanæ vitæ conditionem, qui nuptiis istis nomen Venetum ducatumque vestrum honestare non fædare existimavit, nunc post tris susceptos liberos, qui patrem appellare vix possint, venit cum filiis in periculum fortunarum. In eo quoque crimine periclitata libertas Veneta est. Qui Romam cum Fortunato ierit. Honestius credo cum scurra aliquo, quam cum patriar-*

cha profectus esset. Iverunt ad spectaculum illud non solum multi quos præsentes hic cernimus, sed Italia fere omnis. At sensit Pipini societatem. Id vero patres si crimen est (libere loquar) actum de libertate vestra est. Si cuique dicere non licet sententiam de republica quam sentit. Tyrannorum iste mos, ut audire nolint quod ingratum illis est, non liberorum populorum. Qui si fælix eventus adversam sententiam comprobasse videtur, meminisse debent datam homini a Deo mentem bonam, fidem, integritatem, non autem divinandi rationem. Tantum ne fuit scelus si pertimuit Obelerius bellum cum potentissimis regibus suscipere? Bellum inquam atrox, pericula, labores, impendia, quæ profecto omnia sunt consecuta Quid est magis ducis proprium quam cives suos in pace continere? bella vitare? Porro si Pipinus complusculos dies in his traxisset moram littoribus. Sed plura non licet, ne damnare videar sententiam quam deus meliorem approbavit. Reliquum est tempus in quo post secundum Nicetæ adventum, de pace inter principes agi cæptum. Ubi jactari audio nescio quæ voce submissiori. Quin altius proferunt, ut omnes exaudiant? Si vera sunt reipublicæ satisfiat, sin falsa, dent ut redargui possint. Jamdudum hoc queror. Oravimus ut illis fiat publica veniendi potestas, exaudire nolunt. Illud profecto mihi tribuni probare non potestis, aliter justitiæ posse satis fieri, quam ut veritas e tenebris in lucem eruatur. Quo igitur pacto melius id consequimini? Testibusne & certioribus argumentis, an solis maledictis, & vulgi suspicione? Cæterum ut quantum sit in ea re periculi, intelligatis. Dicunt Pipinum in jurgio Obelerium proditorem appellavisse. Ergo quia juvenis impotens & iracundus (ut ipsi quoque fatentur) qui quod volebat assequi non poterat, in convicia prorupit, etiam si falsa sit ementitus, perdendus erit Obelerius quasi proditor? Quid si nunc ostendo aliam ejus convicii causam extitisse? An ignoratis patres questum sæpius Pipinum, quod imperatoriam classem pecunia juvissetis, & supplemento? Nonne dignus est hic nodus, qui certioribus testibus dissolvatur? Igitur (ut aliquando finiam) aut vetus vobis servandus est mos plenus justitia, aut ambitionis, & invidiæ morsibus, omnia permittenda. Hæc sunt patres fere omnia crimina quæ conquisitis undecumque calumniis colligere inimici potuerunt, ex ducatu sex annis gesto. Neque hæc defendendi illius causa dixi, quid enim purgarem ea, quæ non objiciuntur? Sed tantum ut ostenderem pessimum exemplum agi, & a vestra æquitate atque justitia procul abigendum. Nihil est enim ad seditionem proclivius præsertim in liberis populis, quam varietas judiciorum. Sed quid tandem Beato fratri objiciunt, cujus de periculo non minus agitur, quam Obelerii. Nunquid & ipse duces expulit? Aut Gallicam duxit uxorem? aut denique quicquam illi rei cum Pipino? Qui abfuit legatus Constantinopoli? Et in periculum una cum fratre rapitur omnium fortunarum. Quæ quum ita sint, non possum existimare patres vos propter alterius forte imprudentiam alterum insontem, & qui nihil mali commisit prodere inimicis velle potiusquam propter Beati fratris innocentiam Obelerii imprudentiæ veniam dare. Orationem amici & propinqui ducum, maximis precibus nonnulli quoque lachrymis prosecuti. Nec deerant, qui tum misericordia *Beati* & juvenis & ingenio peramabili, tum etiam quod objecto justitiæ quasi simulacro, nonnulla ducibus inferri videbatur injuria flecterentur, qui primi valebant opibus insimulati de ambitione, vix audere palam verba facere. Maxime autem in principum calamitatibus mortalium animi non possunt non misericordia moveri. Et profecto data illis fides publica extitisset veniendi, nisi *Timotheus Rivalti* tribunus sententiam dicere rogatus non dubitasset de superiori loco orationem habere. Is propter maximum rerum usum, & ab ineunte ætate libere loquendi consuetudinem, præsertim ubi publicum privatumque commodum, contrariis sententiis ageretur, erexit omnium in se oculos. Dixisse autem in hanc sententiam ferunt. *Utinam patres optimi in hoc bonorum malorumque hodierno convictu, quantum improbis ad fallendum natura audaciæ confert, tantum bonis ad cavendum spiritus & diligentiæ contulisset, profecto non tu Antoni, Obelerii causam audacius, ne dicam impudentius ageres, quam nos reipublicæ salutem diligenter tueremur. Defensor Obelerii qui nullam hanc rempublicam esse voluit. Queritur de legibus & judiciis, qui eam salvam volunt & incolumen, injustitiæ accusantur. Quid vobis videtur? Tu Antoni causam, quæ nunc agitur, quasi privatam, deque privata re tractavisti. Neque id mirum. Qui magnam ætatis partem contrivisti in foro judiciisque. Nos eam publicam existimamus. Immo quæ totam contineat rempublicam, & quam longe secus ac privatæ solent causæ agitari oporteat. Nam publicis in rebus quæritur non quid uni, sed quid universæ civitati utile est. Quod de citatione dixisti, ideo in privatis necessaria. Quia quotidie ab urbe absunt homines ad privata negotia, & obscurum est, cur absint. Ut igitur reo non fiat fraus absenti justa de causa, citatio est instituta. Principem autem a civitate abesse longius non licet, sine causa legitima, & universæ nota civitati. Sin aliter abest, ut Obelerius absentiæ causa, nisi mala ex radice nasci non potest. Quid igitur tum citatione opus est? Omitto autem quam sit ridiculum principem citari, qui ipse sponte debet legibus occurrere. Tu quoque Antoni qui hoc optime nosti, nunquam petisti, ut citaretur, petisti, ut illi publica potestas fieret se coram purgandi. Cur ipse non venit? Fores apertæ sunt. Honestius veniet sine fide publica, si innocens est. Præcidet maledicorum linguas, nemo ducatum ambiet, nemo fortunis eum deturbabit. Cur igitur non venit? Conscientia hominem & malefacta, non minus errabundum agunt per alienas terras, quam modo dixeris ex conscientia priores duces aufugisse. Siquidem haud minus est patriam prodere, quam unum patriarcham aut omnibus Venetis libertatem eripere, quam uni illi vitam. Vivat igitur apud eos, quos sibi dominos delegit. Mittat eos quos ne inter liberos viveret fuga deseruit. Atque ut intelligas, quam ego hanc causam longe putem a privata distare, quæro ex te si duces Mauritii pater & filius, qui nunc Mantuæ degunt, ipsi quoque ducatum repetant. Quid consulas? Ereptum sibi dicant per factiosos homines, sine formula judiciorum, sine testibus indicta causa, quid ad hæc dicas? Suadeasne ut illis potestas fiat ad dicendam causam? Si negas, cur ergo quod in aliis injustum censes tuis in amicis quasi æquum postulas? Nihil ergo ex me audies de Obelerii moribus, rapinis, stupris, & nefariis sceleribus aliis. Non enim persequimur, quæ si singula recitentur, vix mensis sufficiat. Itaque omnia quæ dixisti de conjuratione Taurisina, & de Gallica uxore, & de Caroli amicitia & de eleganti illa oratione qua fædus Pipini suasit, illi condonemus. Sed fuerit ante hac pravis & non ferendis moribus ut omnis norunt. Mihi nunc sane frugi factus videtur, qui sibi ipse a patria exilium indixerit, ut nos ab improba servitute liberaret, vitam illi patres debemus. Salus siquidem exitiumque regni in manu principis est. Nam post illam egregiam orationem, qua suasit ut relicto Nicephoro ad Pipinum transiremus, quum suam sententiam detectam despectamque videret, atque una cum fide amisisse dignitatem, in Franciam ad Carolum profugit. Repudiatus a Carolo ad Pipinum se recipit. Nota sunt omnia, allata litteris, relata per nuncios. Nihil Obelerium dies noctesque apud* Pi-

Pipinum agitare, nisi de bello vobis inferendo, qui si mentior, dicat quid aliud egerit per tot menses. O egregium ducem, qui hostem urget ad bellum inferendum. Suos autem cives deterret a repellendo. An vero eventus ipse non docuit? quas enim partes secutus est Obelerius? Audebisne dicere cum Venetis sensisse, qui semper apud Pipinum, & inter ejus contubernales versatus est? At id agebat, ut pacem componeret, & in patriam redire posset, quid autem egerat, ut non posset? Videtis ne, ut ipse se prodat? cæterum patres majus nunc aliud agitur, quam putatis quod occultant. Deliberastis omnium consensu deserere Metamaucum & huc commigrare, quam sapienter & necessario, non est hujus temporis. Vultisne igitur consultum illud rescindere, & in Metamaucum remigrare? Si consilii pænitet, reducite hunc hominem, rem cito conficiet. Quid enim aliud istos nunc agere existimatis? Hoc volunt, hoc meditantur. Exciditne vobis memoria patres? ad quam rem homo ille respexit cum evertit nobilissimas illas duas in Venetis civitates? Non possum meminisse sine lachrymis, quod majores vestri ducentis & amplius annis in his extruendis urbibus aggesserant, hic bonus princeps viginti diebus nefandis diruit ad solum usque. Sane id diligentius Athila efficere non potuisset. Nihil illum ad tale patrandum facinus impulit, nisi metus invidiaque, ne iterum ducatus in Heracliam transferretur. Ursus Heracliensis qua virtute princeps? Quibus rebus gestis? Tamen quia ferebatur noluisse pacem Equilanis dare, vitare non potuit populare odium & tumultu orto occisus est. Huic autem Obelerio, qui duas ex nobilioribus urbes uno pene spiritu est demolitus, Ducalem parabimus navem, ad eum reducendum? Quid enim nunc aliud de Rivalto cogitat? majores & impotentiores referet quam antea spiritus, plenus irarum minarumque, præcipue adversus hanc insulam quasi causam desolatæ patriæ. Quis illum prohibebit? immo quis adversus eum hiscere audebit? Quum stipatus Gallicis satellitibus iisdemque armatis incedet, quum litteras quotidie a Pipino proferet, quum ore oculis vultuque minabitur? rejicite patres per Deum immortalem ista consilia exitialia pestifera. In opere sunt omnes ut videtis, aedificare apparant sternere paludes, lapides & materiam invehere. Quum primum illum restituitis, tepescat hic ædificandi calor necesse est. Quis enim erit tam insipiens, qui non videat ducem brevi ducatum ex hac urbe in patriam propriam translaturum? Sumptus autem & labores in hac Rivalto positos in irritum casuros? Nec illud quoque patres non etiam atque etiam vobis considerandum. Quid seditionum odiorumque, quid denique perturbationis sit consecuturum. Regnent necesse est illius amici, cum suo duce, fugiant ducis faciem, atque conspectum quicunque ducis libidini sunt adversati. Qualem igitur domi pacem, quam in judiciis æquitatem, in conciliis moderationem, quam denique usquam concordiam speratis? At facilis est ingenii & temperantis. Eodem loco habebit omnes. Si talem cognoscitis, aut experti estis decernite ut lubet, sed si superbissimum, ad vindictam implacabilem, nolite ab hoc homine publicis in rebus expectare moderationem, quam nunquam in propriis adhibuit. Pravitas enim morum secundis incrudescit rebus, non emendatur. Hæc domi, quid foris? Qualis per Deum erit tum rerum status? Vivunt adhuc etiam Nicephorus & Pipinus, sopitæ sunt inimicitiæ, non extinctæ, vivet in sempiternum inimicitiarum fomes. Placetne iterum quæ passi estis denuo experiri? & in superiora iterum pericula revolvi? Vultisne rursum, aut iratum in hæc stagna recipere Pipinum, quem amicum & orantem repulistis? An vero cernere iterum littora vestra compleri equitibus, ardere oppida, portus obsideri? Quiescet scilicet Obelerius oblitus superiora. Nullas modestus

A *homo ad Pipinum mittet epistolas, nullas accipiet. Hoc quantum sit qui non intelligit, aut aliud sibi vult, aut nec illud intelligit, quam sit periculosum libertatem suam prodere amicis inimicorum. Quid autem demens queror? Nihil est quod timeamus. Aderit scilicet ad primum renovati Gallici belli periculum, cum ingenti classe Niceta patricius, quia vero Nicephoro gratias pro beneficio reddideritis amplissimas: quam præterea bene sibi ista conveniunt, ut oratores nunc mittatis agendis gratiis Constantinopolim: hinc vero in ducatum restituatis ejus inimicum? At per Deum immortalem, si quis est in nobis humanitatis sensus, pudor aliquando possit, quod posse*
B *non videtur gratia accepti beneficii. Sane Obersapio illius apocrisario, qui tot menses tanta cum fide & amore apud vos versatus est, cupio intelligere, quo vultu, quo ore, consilium vestrum probaturi estis. Mirari satis non possum quo pacto hæc tot tantaque tum honoris dignitatisque, tum salutis libertatisque pericula non solum subire, sed ne audire quidem possimus. Ite igitur in suffragium patres & quandoquidem male Nicephori fœdus successit, Pipinum sequimini. Nihil profecto erit reliqui, nisi ut domi seditionibus concisi, foris vero deserti ab eo a quo salutem accepistis inimici vestri jugum subire cogamini. Illud vero quod in calce orationis adjecit de Beato*
C *fratre, omnino patres, nihil est, nisi creditis eo restituto, Obelerium quieturum, & utriusque amicos, non de utriusque fratris reditu, semper & per omne facinus molituros. Itaque aut ambo vestra cum salute excludendi, aut ambo cum vestro excidio recipiendi.* Mota universa concio est, prædicare omnes nunquam sapientius, aut fortius senatorem locutum, bene ac feliciter semper omnia *Venetis* processura, si multos ejusmodi cives habeant. Maxime propter ea quæ commemoravit pericula, in quæ incidere nullo modo vellent. Quo autem pacto vitari possent non videbant, si rediret in patriam *Obelerius*. Alio deinde decreto
D paucis interjectis diebus relegatus *Obelerius Constantinopolim*, *Iaderam* vero *Beatus* de quo metuebatur minus. Non defuerunt, qui tradiderint *Beatum* nunquam ducatum deposuisse, in *Rivaltum*que transmigravisse a *Metamauco* una cum cæteris. Et septimo defunctum anno, quod liquido falsum est. Nam sicuti de anno non ambigitur quo hæc transmigratio facta, ita initio insequentis delectum primum ducem a plerisque ex scriptoribus nostris memoriæ mandatum. *Valentini* junioris fortuna qualis extiterit, non satis comperio. Ducis deligendi dies quum advenisset, peractis solennibus sacrificiis quanquam alii
E quoque eum honorem appeterent præstantes opibus & virtute, unus tamen eminebat inter alios. Is erat *Angelus Particiacus*, qui *Pipini* dissuaserat societatem, in eum omnes ordines oculos conjecerant. Itaque summo omnium consensu a populo dux salutatus est. *Angelus* igitur primus hunc honorem in *Rivalto* est consecutus anno domini octingentesimo nono. Addiderunt præterea tribunos duos, qui juxta ducem civiles criminalesque causas judicarent, annuosque constituerunt. Juridicundo palatium locus delectus, ubi nunc est, & domicilium principis juxta constructum. Licet ex aliquarum ædium vetustate, quæ qui-
F dem vetustas honorem quendam majoribus ædificiis, & quasi venerationem præstare solet, nonnulli existiment duces ea tempestate privatis ducatum ædibus egisse. Quod ipsa re secus apparet, neque præter vulgarem opinionem quicquam habet auctoritatis, semper etenim duces juxta Sancti *Marci* ædem forumque & judiciale & venale habitavere. Laxari autem majorem in modum, & ampliores reddi insulas jam captas placuit constratis & in solidiorem humum paludibus

 re-

redactis, ut concurrenti multitudini tecta satis essent. *Pupiliam* quoque insulam medio fere spatio inter *Rivaltum* & *Metamaucum* cepere, eamque latius constravere. Namque ut ex Ecclesia & ruinis aqua obrutis adhuc apparet, frequentius olim oppidum habitatum est. Cæterum deinceps maritimis inundationibus defatigati incolæ omnes in *Rivaltum*, & præcipue in insulam, quam *Dorsum Durum* appellant commigrávere. Impetravit *Angelus* a *Carolo* pacis confirmationem nuper apud *Ravennam* confectæ & multas præterea immunitates. Siquidem *Carolus* ut supradiximus orientalis fœderis atque amicitiæ mirum in modum semper extitit studiosus, *Michaelem* & *Leonem Quintum* imperatores, qui *Nicephoro* successere, omnibus est officiis prosecutus. Instauravit cum iis pacem fædusque, mutuoque sese fratres apellavere paulopost ob summam rerum omnium fælicitatem magni cognomen consecutus, ingenti cum gloria rerum gestarum defunctus est. Easdem immunitates a *Lodovico Caroli* filio *Angelus* facile obtinet, nec minori quoque libertate per plurimos imperii successores itum. Duo supra xx immunitatum privilegia recitat *Laurentius* monachus a *Carolo Primo* adusque *Fridericum Secundum* ex *Andreæ Danduli* chronicis collecta. Nobis ea repetere supervacaneum est visum. Conditæ complures ædes hujus ducis tempore. Urbem *Heracliam* prius dirutam, unde esset oriundus instaurat, Civitatemque novam appellat. *Rivalti* nomen permansit ducali urbi aliquot etiam per annos. Ita ut tum *Rivaltus*, tum *Venetiæ* appellaretur. Termini ejus ab *Grado* oppido ad oppidum *Caput Aggeris*, & quod juxta est *Lauretum*. Qui quidem terminus secundum littus apud portum verum terminatur inter *Fornaces* & *Gaurum Padi* ostia. A continenti autem *Patavinos* fines versus pertinet ad usque castella duo, *Athesi* fluvio interlabente, alterum *Venetia* in hunc usque diem appellatum, alterum vero in adversa ripa paulo superius, dictum *Castellum Ducis*, positum in *Athesis* insula quæ *Pollicinum Rodigii* nuncupatur. Fines autem inter *Venetum* & *Patavinum* qui fuerint, facile percipi licet, & ex iis quæ dicimus nominibus, & ex hujus *Angeli* ducis donatione Monasterio sancti *Ilarii* facta, & a *Dandulo* in chronicis recitata. Pro his finibus conservandis plurima atque ingentia suscepta bella, tum cum *Patavinis*, tum cum iis, qui *Patavio* sunt dominati, *Friderico secundo*, *Ecerino de Romano Scalensibusque*, & novissime *Carrariensibus*.

Bernardi Justiniani de Origine Urbis, Gestisque Venetorum Librorum XV.

F I N I S.

BERNARDI JUSTINIANI,
DE DIVI MARCI EVANGELISTÆ VITA, TRANSLATIONE, ET SEPULTURÆ LOCO,
LIBER I.



Cum *Venetiæ* urbis originem scribere constituissem memini me attigisse operis initio, in ejus conditione accidisse nihil, quale in aliis condendis urbibus solet. Non mænia, non portas, nullas denique arces extructas. Subiit deinde animum paucis post translatum ducatum annis beatissimum *Marcum* evangelistam ex urbe *Alexandria*, ubi octingentis aut fere annis jacuerat, a *Venetis* mercatoribus sublatum & *Venetias* esse translatum, quare non alienum a proposito nostro arbitratus neque præter rem, si ad ea quæ hactenus exposui hoc etiam adjunxero, quo pacto res ea gesta fuerit commemorare constitui, ut is ad urbem novam, vel muniendam, vel ornandam quasi conditor, sane protector nobilissimus accesserit. Cujus munitione & patrocinio invicta tandem & inexpugnabilis redderetur. Siquidem decem aut paulo plures intercessere anni inter absolutam *Venetiam*, & translatum ex *Alexandria* evangelistam. Quod agendum illa etiam res me non mediocriter commovebat, qui isse in oblivionem mihi sanctus videbatur. Ut plerique de nostris etiam (quod nefas dictu existimabam) dubitarent, an corpus illud sanctissimum, nunc etiam in templo sibi dicato situm perseveraret. Eam rem ex memoria pene omnium excidisse, non potui non ægre ferre. Qui & huic sancto subtractus honor, & ipsi civitati de præterito patrono haud mediocris illata videretur injuria, tam ob illius singulares divinasque virtutes, quam ob ingentia erga *Venetum* nomen merita, præsertim quum ea quæ ab illo sancto acta fuerunt, parcius ab aliis sint descripta, quam (nisi fallor) ipsius dignitas & excellentia deposcat, ut non nisi pauca quædam in seriem digesta reperiantur. Quod aliis quoque fere omnibus eorum temporum sanctis accidisse videmus. Ut pauca sint de eorum vita moribusque tradita. Summum illis sæculis decus fuit, & unicus prope honoris cultus palma martyrii. In eo omnis laus, omnis erat gloria constituta, ita quidem ut neminem sacri illorum temporum Canones sancti titulo dignum, præterquam martyres existimarent. Eum qui assequabantur satis amplam relinquebant virtutis suæ memoriam. Aliqua igitur aliunde colligere non piguit quæ digniora visa sunt. Fuit etenim hic sanctus multis divinis exornatus donis, evangelio, prædicatione, disciplina, martyrio. Illuxit inter priscos illos viros Apostolicos veluti præcipuum splendidissimumque sidus. Vitam igitur primum, translationem deinde ex *Alexandria* in hanc urbem describemus. Videbimus deinde, an de loco ubi quiescat sit dubitandum. Fuit *Marcus Israeliticus* genere tribu *Levitica*. Sacerdotium non minus virtute, quam genere promeruit. Destinavit eum dominus ad fortiorem excellentioremque militiam. Cælestem sæpius illius doctrinam audivit. Plurima illius opera admiranda vidit. Primitiasque christianæ fidei corde penitus imbibit ex divino illius ore altius haustas post ascensum autem in cælum ad *Petrum* sese contulit summum Apostolorum ducem. Nomen sub eo principe dedit, atque ab eo

eo baptismatis caracterem accepit, totum se illi tradidit. Factus illius comes individuus. Nunquam deinceps deseruit illius latus. Ut *Petrus Damianus Romanæ* Ecclesiæ Cardinalis quum de discipuli erga præceptorem amore loqueretur, ita scriptum reliquerit. *Ea fide Marcus & dilectione magistrum prosequutus est, ut unum cor, una in duobus anima corporibus habitasse videretur.* Amoris testimonium *Petrus* prima reddit epistola, in qua his verbis utitur. *Salutat Vos, ea quæ in Babylone electa est ecclesia*, & *Marcus filius meus*, Pro Babylone Romam significans. Erat autem *Marcus* ore, verbis, gestu, ita compositus, ut quicquid diceret ageretve, spiraret (quod nunquam sine Deo est) cum prudentia sanctitatem. Tantæ vero humilitatis extitisse ferunt, ut qui sacerdotis officium pertimesceret, quasi nimis amplum, & excelsum, seque eo munere minime dignum existimaret, pollicem sibi amputasse dicatur, quo parum idoneus illi ministerio haberetur. Anno autem domini primo & quadragesimo *Petrus* Apostolus *Antiochena* Ecclesia constituta, quam septem per annos rexit, subrogato *Evodio* successore, *Romam* ad propagandam latius christi fidem *Simonem*que magum, qui illam acrius insectabatur, expugnandum contendit, cum eo *Marcus* profectus est. *Romæ* igitur cum essent, maximam *Marcus Romanorum* fratrum gratiam & amorem comparavit, carior quotidie omnibus esse, unum *Christum Jesum* in ore habere, si quando præceptor majoribus intenderet urbis regiones perambulare, insectari idolorum cultum, & de *Christi* veri Dei cælesti doctrina factisque mirabilibus, quorum ipse multa oculis accepisset, prædicare. Quæ quum maxima a cunctis attentione audirentur, admirationemque parerent, *Clemens* pontifex maximus, & *Papias Hieropolitanus* Episcopus, rogatum a fratribus tradunt. Ut quæ ipse vidisset, & præceptorem de *Christo* differentem audisset, litteris mandaret. Annuit ille, scripsitque *Græcis* litteris evangelium. Breve illud quidem.

Prius tamen edere non est visum, quam cum præceptore communicaret, ipsiusque judicio emendandum si videretur subjiceret. Pio delectatus furto magister est, probavit illud, legendumque & vulgandum cunctis per orbem permisit Ecclesiis: hæc Eusebius. Ut mirari se dicat *Damianus*, cur librum illum patres inscripserint non *Petro* potius quam *Marco*, scripsit autem ut *Martino* historico placet. Anno domini primo & XL. postea vero quum *Petrus* Apostolus diffundendæ latius fidei ardore succensus ad subigendas christiano nomini alias quoque provincias, quasi legatos dimittere instituisset, urbis autem *Aquilejæ* nobilitatem, frequentiamque intelligeret, placuit eam legationem *Marco* potissimum demandare, cujus optime nosset, tum oris gratiam singularesque bene instituti animi virtutes, tum vitæ sanctimoniam, ut tam verbo quam exemplo fructus ederet uberiores. Eam procurationem *Marcus* alacri suscepit animo, non quod suæ fideret virtuti, sed quod quicquid ageret diceretve omnem spem in summi Dei clementia, & principis sui precibus jampridem collocavisset. Dies igitur & noctes ipsum Deum obtestari, sibi vires non esse tantæ patrandæ rei, consilium præstaret ipse & auxilium, de cujus ageretur, cum honore, tum religione propaganda. Responsum accepit, ut forti animo munus arriperet, divinam illi opem non defuturam. Proficiscenti igitur *Aquilejam* primam illi occasionem obtulit rei bene gerendæ *Athaulphus* quidam adolescens nobili loco natus. Qui cum lepra laboraret, & ingredienti urbem *Marco* primus forte occurrisset, intuitus eum

A *Marcus*, & accedens quasi medicus, morbum contemplatus, erexit eum in spem salutis si modo illum audiret. Renuntiat continuo juvenis patri *Ulphio*, quid a peregrino homine audierit. Mox pater accurrens obsecrat *Marcum* summis precibus, ut si quid potest, filii morbo succurrat. Respondet *Marcus* per eum stare quominus sanetur. Nam si monitis suis obtemperet, & medenti fidem præstare velit, facile illi salutem posse restitui. Pater lachrymans omnia se facturum spondet. Tum Beatus *Marcus* idola illi cæpit eorumque vanitatem detestari prædicare doctorem gentium cælo demissum *Christum Jesum* B Dei filium. Medicinam autem & lavacrum ad eum morbum, nullum esse efficacius, quam *Christi* baptisma. Quum assensisset pater, omniaque facturum quæcunque imperaret, polliceretur, oratione *Marcus* ad Deum facta, postea quam juvenem aqua sacri baptismatis lavit, a lepra continuo mundatus est. Hujus miraculi fama, statim urbem pervasit universam. Magni ad novum hospitem visendum concursus fieri, alii genus flagitare, alii adventus causam. Mirari doctrinæ genus inauditum antea. Respondere singulis *Marcus* mira mansuetudine. Uno autem, aut altero edito ad comparandam fidem miraculo, C veluti tellurem aliquam incultam sentibusque plenam, aratro proscindendam accepisset, ita cælestis amore regis incensus, mox accingitur ad idolorum vepres eradicandos. Jamque liberius in Deos gentium invehi, homines fuisse contestans, eorumque principem, vitam stupro, adulterio, parricidio, & omni libidinis genere commaculatam duxisse, idem de aliis quos pro diis habeant demonstrare. Mortuos tandem, famamque & popularem eorum gratiam sibi dæmones fabrefactis eorum simulacris, vendicavisse. Nullum iis inesse spiritum, nullam animam, sed a dæmonibus occultis præstigiis moveri loquique, unum esse D Deum terræ cælique conditorem. Qui misertus tantorum errorum, filium cælo demissum delegarit, ad veritatem mortalibus declarandam. Cæteros esse spiritus fallaces invidos & deceptorios. Fælicitatem aliis polliceri, qua propter superbiam sint ipsi depulsi. Quum autem quotidie ejus nomen increbresceret magnamque christo adscivisset multitudinem, formandam sibi meliori vitæ morumque disciplina ratus, primæ tam ecclesiæ, quam templi in ea urbe fundamenta jecit. Quæ semper nobilissimum in *Italia* tenuit locum. Sacerdotes & diaconos instituit, ritumque, tum solennis sacrificii, tum orandi psallen- E dique diurnis atque nocturnis horis dedit. Quibus rite peractis biennio ad eam rem ibi consumpto, quum eum Beatus Apostolus *Romam* accersisset, assumpto sibi comite Beato *Hermachora*, quem ejus urbis antistitem crearat, iter *Romam* versus instituit, magno totius fere civitatis mærore. Sed in primis eorum quos christi quasi filios pepererat, qui longe plus suavissimis moribus & exemplis purissimam sanctitatem redolentibus ad christi confessionem, quam verbis pellecti, quasi nunquam deinceps carissimum patrem essent visuri, deplorabant. Fertur autem fama multorum sæculorum tradita per manus eorum, qui primi hæc F loca incoluere, accidisse eo in itinere quiddam, quod prætermittendum non videtur. Nam dum ad urbem revertitur, maris autem fæda nimium facies ventis & fluctibus appareret, delegit per paludes unda mitiori iter agere. Itaque divertit ad insulam *Rivaltum*. Ibi perquam benigne ab incolis excipitur. Dum autem noctu quietem capit, Angelus per visum eum adit facie hilariori. Adsum tibi *Marce* fælix de cælo nuncius. Nostine ubi nunc agas? Longior quam credis hic

tibi

tibi debetur quies, cum autem ille naufragium his verbis significari dubitaret bono sis animo inquit. Non tibi tam ignavum mortis genus destinatum, sed post longos adhuc labores tuus te princeps, pro cujus honore nunc certas, martyrii corona decorabit. Cæterum ut tibi gratior iste sit locus, quem tam humilem tenuemque nunc vides, nosse te velim, tempus adhuc fore, quum ossa tua e barbarorum manibus erepta, hic perpetuo quiescant. Evadet in gentem magnam ope tua precibusque, tantum virtutem pietatemque colant, lætus hujusmodi nuncio actisque Deo gratiis iter peragit. *Romam* igitur summa cum laude reversus, magnæ illi gratulationes habitæ, tum a præceptore qui illius fidem & diligentiam magnopere laudavit, tum a *Romanis* etiam fratribus, quorum numerum auctum vicissim *Marcus* quum videret, summa lætitia est affectus Confirmata ab Apostolo *Hermachoræ* electio in *Aquilejensi* sede, Is deinde *Hermachoras* multis editis miraculis, multisque mortalibus ad christi fidem conciliatis, tandem a *Sebasto Aquilejensi* præside in carcerem trusus, cum *Fortunato* Archidiacono fælici palma, capite truncatus est. *Petro* autem visum non est permittendum *Marci* virtutem diutius *Romæ* in otio torpescere, demandat aliam illi maximi ponderis provinciam *Alexandriam*, ut *Ægypti*, *Palæstinæ*, *Cyrenes*que tractum omnem ad confessionem sacrosanctæ fidei perducat. Neque territus est Apostolus legationis magnitudine ac difficultate, qui nulla esset in orbe gens colendis idolis corruptior, & omni mortalium genere frequentior. Sed nihil erat tam arduum tanque magnum, qui jam non posse existimaret maxima cum spe *Marco* demandari. Fælix non illa minus fuit profectio præsagium illi animos fecit. Mox etenim ad eam terram appulsa navi, accidit forte, ut calceus in terram descendenti solveretur. Ille in prosperum prædicationis retulit initium. Ad comites conversus, *Agite fratres bono simus animo. Agnosco domini mei præceptum.* Hoc idem *Moysi* mandavit. Missurus etenim ad *Ægyptios*, *solve* inquit *calciamenta de pedibus tuis.* Et christus discipulis ad erudiendas gentes profecturis: *Nihil* inquit *tuleritis in via*, *neque peram*, *neque virgam*, *neque calciamenta. Prospera reddet dominus itinera nostra*, *liberatis ab omni sorde terrenæ cupiditatis:* urbem ingressus casu divertit apud *Anianum* quendam indigenam a quo liberaliter est exceptus. Accidit autem ut *Anianus* eo forte die manum sibi subula alte defigeret, dolore concitus, exclamat unus Deus. Accepit vocem evangelista, & confirmatus in spem fælicioris eventus, *Bene* inquit *se res habet*, *posteaquam hic quoque aliquis est unius Dei sensus & ratio.* Conversus inde ad *Anianum*, inquit in eum quem invocasti, mox ipse te reddet incolumem. Sputo in terram facto, subulæ ictum linit. Ictus momento cicatricem obduxit. Hoc primum *Marcus* edidit *Alexandriæ* signum, Christi domini exemplum secutus, quum visum homini, quem cæcum mater ediderat, per sputum restituit. Admiratus hospes rei prodigium, non solum viciniam, sed urbem pene totam miraculi fama complevit. Concurritur ad eum visendum. Qua gente sit percunctatur, unde profectus, quam ad rem venerit. Christianum respondet esse, venisse *Roma* Christi fidem ad Ægyptios prædicatum. Secum tulisse mercem regni cælorum, quam vendat *Ægyptiis.* Liberalem se fore mercatorem, & parvo si emptorem habeat vendIturum. Quum his & hujusmodi sermonibus, adjunctis quoque miraculis populum sibi conciliasset, majus restare negotium perspiciebat exstirpandis

A innumeris & inveteratis illius gentis erroribus, ut difficile dictu sit utrum magis fuerit incredibile. Potuisse tantum mortalium numerum adigi ad execrabiles ejusmodi superstitiones, an vero hominem unum tot hominum millia illis exstirpatis insaniis, ad unius veri Dei cultum, tam brevi traducere potuisse. Pro maximis colebant diis *Serapim* olim *Argivorum* Regem *Isidem*que *Inachi* filiam (ut poetæ tradunt) a *Jove* stupratam. Parum hoc erat. Pro diis habebant Crocodilum, Bovem, Capram, Felem, Hircum, Simiam, Accipitrem, atque Ibim, Lepidotum piscem, & Oxyrinthum, murem, & araneam, quorum plerisque & templa & urbes dedicassent.

B Infinita numero hujusmodi portenta venerabantur, ut ad olera usque descenderent, porrumque & cæpe. In primis autem carnem*, illi divinos deferebant honores. Eorum flagitiorum *Ma. Varro* causas late explicavit, quæ interim nobis sunt omittendæ. *Marcus* autem quum hanc Deorum colluvionem aspiceret jam inveteratam, & animis hominum altius inustam, non tamen animo defecit, id primum est aggressus, ut hominis nobilitatem & excellentiam plurimis experimentis edoceat, quantumque cæteris, vel a summo Deo, vel a natura creatis rebus præstet. Rem præposteram

* Forte: Canem.

C ac minime ferendam demonstrat indignissimum quodque a dignioribus adorari Deum unum cælum & terram condidisse, Animantibus replevisse: Cæterisque rebus ad solius hominis usum procreatis, ut pro beneficiis benefactorem adorarent, non ut pro benefactore beneficia, Maximum autem omnium errorem eum esse pervertere naturæ Deique rationem. Qui si portentis istis, quæ colant, juvari interdum videantur, discant tamen non in eo stare divinum numen. Alioquin ad sordidissima quæque adoranda redigatur homo necesse est, quorum illi sit usus, usum enim esse homini eorum omnium. Hæc cum exemplis omnis

D generis confirmaret, tum ad cælestem doctrinam sermonem vertebat. Non esse passum optimum Deum, humanum genus inter hos errores tenebrasque volutari. Filium sibi coæternum in terram demisisse. Doctorem omnibus gentibus dedisse. Explicare deinde Christi Dei filii vitam & gesta, a se conscripta, eamque cælestem disciplinam omnifariam miraculis confirmatam. Sed nihil erat quod magis animos omnium, qui eum contemplarentur, in admirationem adduceret, quam singularis vitæ austeritas & abstinentia, cibi potusque parcitas, tenuitas vestis, & totius corporis neglectus, ut nudo propior, quam induto,

E tam hieme, quam æstate semper incederet. Hæc omnia illius verbis magnam præbebant fidem. Nihil est enim quod magis animos omnium conciliet, quam pecuniæ rerumque earum, quas cæteri mortales pro maximis habent contemptus. Solam hominis salutem quærere apparebat. Maximus jam undique ad eum audiendum concursus fieri. Inter cætera autem non minoris illi operis fuit redigere ad rectam Christi disciplinam nonnullos quos ibi reperit christianam professos religionem, Judaicos autem ritus & cerimonias non desererent. Ea re *Marcus* animadversa, quum eradicandam sibi eam superstitionem videret, mol-

F liter id agendum est ratus, ne eradicata Zizania eradicaretur simul & triticum. Comparata igitur sibi apud eos gratia, & auctoritate, qui ejusdem & ipse gentis olim fuisset, miraculis prætérea, quæ quotidie in omnium oculis edebat, edocuit suos illos prophetas, quibus fidem tantam adhiberent, unum Christum Jesum suis carminibus cecinisse. Veteres autem cerimonias ritusque extitisse novæ legis figuras. Vetera illa omnia abolenda. Neque amplius umbram sequen-

quendam. Posteaquam veritas illuxisset, his & hujusmodi sermonibus (quod maximi fuit operis) ex malesanis *Judæis* optimos reddidit christianos, ita ut eum ubique sequerentur colerentque, & ut carissimum parentem venerarentur. Quum igitur gentilium sacerdotes perspicerent quanta quotidie *Marcus* cresceret auctoritate, quales ad eum concursus fierent, infremere spiritu vehementius, pati nullo modo posse serere hunc hominem novam istam frugem, quæ cresceret indies, fore tandem, ut horrea sua idolatica segete exinanirentur. Cogere igitur quotidie adversus eum concilia, insidias nectere, mortem denique meditari. Ea quum ad *Marcum* res fuisset allata, declinare instituit eorum rabiem, non tam mortis metu (certum enim responsum acceperat ab angelo de martyrio suscipiendo) sed ut priusquam illud subiret fæliciori comitatu pompaque frequentiori ad cælestem suum imperatorem triumphans rediret. Relicto igitur tantisper *Aniano Alexandrinæ* Ecclesiæ præside, institutisque sacerdotibus *Melito*, *Sabino*, & *Cerdonio*, secessit in *Pentapolim*, quæ & *Cyrene* appellatur. Fama ad eas jam pervenerat regiones. Exceptus est magna lætitia, longe tamen majori, posteaquam & videre hominem, & audire licuit. Disciplinam mirari, & sapientiam in Idolorum cultu destruendo, cum rationibus, tum vero signis, atque miraculis. Quibus quicquid diceret suaderetve, facile in sententiam ducebat, potiusquam trahebat. Infirmos sanare, dæmones expellere, cæcis visum, claudis ingressum restituere. Simulacra quocunque iret dejiciebantur. Quum vero lustratis omnibus circa regionibus ad unius Dei & Christi Jesu confessionem, incredibilis accessisset multitudo, plures sparsim condidit Ecclesias, *Libyam* minorem simili successu peragravit. Tantum ubique moræ facere, quantum fructus & salus eorum populorum deposcebat. Postea vero quam diligens agricola quasi demessis omnibus circum provinciis legisse, fælicissimam sibi frugem visus est, instituit *Alexandrinam* Ecclesiam revisere, anno ut ferunt secundo postquam inde discessit. Exceptus est mira fratrum lætitia & gratulatione, reperit magnum auctos in numerum, delubrumque construxisse juxta mare rupibus quibusdam adhærens, eo in loco qui tum dicebatur *Statio Bubulci*, quod nunc etiam *Marci* nomini dicatum est, maxima est affectus lætitia, semina ab sese jacta fructus tam uberes, tam brevi protulisse, ut qui ante ejus adventum Dæmonum illecebris, aut fallaciis irretiti per tenebras errarent, agnita nunc tandem cælestis sideris claritate, oculos aperuissent. Nihil tamen sibi tribuere, nihil omnino humanæ aut eloquentiæ, aut sapientiæ. Omnia Dei potentiæ cujus unius esset corda convertere ferebat accepta. Cum autem de eo sancto multa referantur memoria digna. Tum illud præclarissimum qui Ecclesiam quam ipse instituit *Alexandrinam* arctiori vivendi genere & quasi monastica vita, ita composuit. Ut *Philon Judæorum* disertissimus multa de illius sanctimonia memoranda reliquerit. Hic *Philon Romam* venit *Claudio* imperante, *Petrum* sæpius audivit, atque illius familiaritate plurimum est usus. De baptismate, susceperit nec ne, dubitatur. Is *Philon* seu ad gentis suæ gratiam, quæ primam illam Ecclesiam tenuisset, seu veritatis lumine illustratus, plurima memoratu digna scriptis mandavit. Quæ quidem *Eusebius Cæsariensis* secundo Ecclesiasticæ historiæ libro. c. XVII. diligentius est complexus. Capita quædam tum *Eusebii*, tum *Philonis* inserere visum est. *Eusebius*, *hunc Marcum tradunt ad Ægyptum perrexisse, atque evangelium*
A *quod ipse scripserat prædicasse primamque Ecclesiam apud Alexandriam constituisse. Tanta autem refertur multitudo credentium virorum ac mulierum exemplo sobrietatis ejus & continentiæ congregata ut etiam conversatio eorum qui per ipsum crediderant, & vita abstinentiæ dedita sobriaque convivia, Librorum memoriæ mandata sint a viro disertissimo Philone, quos constat ab eo esse compositos.* Et infra. *Nam in libello quem Philon de vita theoretica conscripsit, primo omnium tradit qui renuncient cunctis facultatibus suis, qui sese ad hujusmodi philosophiam dederint, & bonis suis cedant. Tum deinde quod omnes vitæ hujus solicitudines procul abji-*
B *ciant. Et extra urbem egressi in ortulis vel exiguis quibusque agellulis degant. Refugientes imparis propositi consortia, & vitæ dissimilis contubernia, scientes impedimento esse hoc arduum volentibus iter virtutis incedere. Tali quippe ordine calore fidei incitati, hi qui primitus credebant, vitam duxisse memorantur.* Et infra, denique eidem libro de quo diximus, tale initium dedit. *In multis* inquit *orbis terræ partibus hoc genus hominum reperitur. Oportebat namque perfecti hujus boni participem fieri omnem Græciam, omnemque barbariem. In Ægypto tamen major est copia per singula quæque territoria, præcipue autem circa Alexandriam regio est*
C *magis philosophiæ quam frugibus opportuna supra lacum, cui nomen Meridi sita colliculis quibusdam molliter & clementer erecta, ad munimentum, simul aëris temperiem commoda.* Et descriptis eorum habitaculis *est* inquit *in singulis locis consecrata orationi domus, quam monasterium appellant, vel Semnon, qui in lingua nostra sonat honestorum conventiculum. In quod secedentes honestæ & castæ vitæ mysteria celebrant. Nihil illuc prorsus quod ad cibum potumque pertinet inferentes vel ad reliqua humani corporis ministeria. Sed legis tantum libros, & volumina prophetarum, hymnos quoque in Deum cæteraque his similia. In quorum*
D *disciplinis atque exercitiis instituti ad perfectam beatamque vitam studiis jugibus coalescunt.* Et post aliquot iterum dicit. *Ab ortu enim diei usque ad vesperam, totum ab eis spatium in studiorum exercitiis ducitur, quibus ad divinam prophetiam per sacras litteras imbuuntur. Patrum leges in allegoricam intelligentiam deducentes, quia formas esse & imagines quæ in legis littera scripta sunt, opinantur, latentis intrinsecus profundi cujusdam divinique mysterii. Habent etiam disputationes quasdam & interpretationes veterum virorum, qui & auctores ipsius sectæ extiterunt. Quos allegoricæ ac figuralis intelligentiæ normam, quam plurimis*
E *scriptorum suorum constat tradidisse monumentis, quorum illi velut itineris sui ducum & auctorum instituta pariter sequuntur, & morem.* Et infra. *Itaque non solum subtilius intelligunt hymnos veterum, sed etiam ipsi faciunt novos in Deum. Omnibus eos & metris & sonis, honesta satis & suavi compage modulantes.* Et infra. *Continentiam vero velut fundamentum quoddam, primo in animo collocant. Et ita demum reliquas super hanc pergunt ædificare virtutes. Cibum potumque nullus eorum ante solis occasum capit. Tempus scilicet lucis cum philosophiæ studiis, curam vero corporis cum nocte sociantes. Nonnulli autem etiam post tri-*
F *duum in communicationem veniunt cibi, quos scilicet edacior studiorum fames perurget. Jam vero hi qui in eruditionibus sapientiæ, & profundiore intelligentia sacrorum voluminum conversantur tanquam copiosis dapibus inhiantes expleri nequeunt, & contuendo acrius inflammantur. Ita ut nec quarto jam, nec quinto, sed sexto demum die non tam desideratum, quam necessarium corpori indulgeant cibum.* Hæc *Eusebius* de *Philone*. Multis aliis omissis brevitatis causa. Et profecto quanquam *Philon* paulo

paulo fuit *Marco* recentior, non tamen maxima caret admiratione, tam paucis annis, tantos fructus *Marci* labores edere potuisse. Inde postea per multa sæcula repleta est *Nitria*, & *Thebais*, & *Ægyptus* non tantum monachis, sed pene exercitibus monachorum, ut etiam deserta serpentium potius, & bestiarum, quam mortalium habitacula, monachis sint repleta. Inde *Macarii*, *Ilariones*, *Pauli*, *Antonii*, aliique cælestis militiæ duces tantis laudibus decantati. Hi fructus non immerito illius laboribus adscribendi. Ut non injuria *Cassiodorus*, & *Isidorus*, & *Cassianus Massiliensis Marcum* principem & quasi parentem monasticæ vitæ appellaverint. Nam Cassiodorus *libro secundo de vita monachorum Ægyptiorum* Marcum evangelistam principem ejus vitæ extitisse asserit. Et dedignamur adhuc atque erubescimus christianam profiteri fidem receptam a gentilibus super cælesti quodam spiritu sic agente, signorum testimoniis super omnem naturæ vim atque potentiam. Quæ enim sapientia eloquentiave tam parvo tempore tantam animorum conversionem efficere potuisset? Quum igitur cresceret indies hujus nominis auctoritas per universam *Ægyptum* aliasque circumquaque regiones, idolorum sacerdotes conjuratione adversus eum facta septimo Kalend. majas qui fuit paschalis apud christianos dies, nam his forte diebus *Serapis* solennia agebantur, mortem illi decreverunt. Carnifices misere suos ad eum comprehendendum, qui illis diebus christianam multitudinem in publicum prodire non putarent ausuram. Mortis genus hoc fuit. *Marcum* repeniunt apud christianorum ecclesiam. Celebrabat tum forte rei divinæ solennia. Injecta igitur collo catena fune alligata, ut erat sacris vestibus indutus, raptare per civitatis vias & compita cæperunt, vociferantes, ducamus hunc Bubalum ad loca Bubulci, novam significantes Ecclesiam christianorum. Horrendum sanctus ille præbuit ac fœdissimum visu spectaculum, pertuso laceratoque ore, confractis omnibus membris, tabo fluente, & cruore stillante. Nemo fuit etiam ex gentilibus, qui non indignam deplorandamque rem existimaret innocentissimum virum hujusmodi cruciatibus discerpi ac lacerari. Vespere tandem facto, pene exanimem in carcerem reducunt. Ferunt ad carcerem venisse dominum *Jesum Christum* clarissimo lumine præfulgentem, ut fidelissimum fortissimumque militem consolaretur, atque his verbis usum. *Pax tibi Marce Evangelista meus. Ecce hora prope nunc adest, qua post tantos labores & cruciatus triumphatis Italiæ & Ægypti populis ad sempiternam mecum requiem lætus in cælum conscendas.* Ille autem: *gratias tibi ago domine Jesu, qui me dignum habueris, qui pro nomine tuo patiar, quod & tu prior pro me facere dignatus es.* In sequenti luce carnifices iisdem, quibus pridie vocibus raptare iterum pergunt. Cæterum exanguis & sine ullo jam spiritu, elevatis in cælum oculis, memor magistri verborum, in manus inquit tuas domine commendo spiritum meum, sanctissimam animam in domino exhalavit. Incredibile est quanta christianorum

A multitudo ad illud spectaculum concurrerit. Ipsis etiam gentilibus lachrymas movit ea crudelitas, ut non minus exarserint in iram gentilium sacerdotes ex eo concursu, quam cum publice eum Christi nomen prædicantem audirent, prohibere igitur pergunt ne corpus christiani tollant, in ignem mittere conati sunt, & fecissent illi quidem, nisi dominus servum martyremque suum ab eo furore defendisset. Tulit ipse auxilium ex alto, ferunt etenim sævam continuo obortam tempestatem, sordidissimas cælum nubes operuisse grandine & imbribus. Fulgura præterea corruscationesque & tonitrua toto cælo excitata, usque adeo ut sacerdotum satel-
B lites, qui ad illud rapiendum corpus concurrerant, diffugere continuo, corpusque christianis relinquere adacti sint. Extulerunt igitur illud christiani, cum lachrymis, tum vocibus pietate plenis, quasi patrem ducem doctoremque amisissent. Et in ea quam supradiximus Ecclesia honorifico sepulchro condiderunt. Celebratum sequentibus sæculis maxima veneratione frequentiaque. Epistolæ *Gregorii Romani* pontificis ad *Eulogium Alexandrinum* patriarcham, itemque *Eulogii* ad *Gregorium*, perspicue declarant, quanta sit ibi habitus reverentia, quum & ille se commendari evangelistæ apud eum moranti enixius petat, &
C hic officium perstitisse liberaliter affirmet. Facile patiebantur barbaræ infideles illæ nationes hujusmodi genus sanctorum hospitum apud se in honore esse. Propterea quod haud parvo semper illis usui fuere ab christianis hominibus ad ea loca peregre proficiscentibus, ut nunc etiam videmus. Mortuus est *Marcus* ætatis anno septimo & quinquagesimo, septennio videlicet antequam *Petrus Romæ* pro *Christi* nomine crucem subiret. Nobilem reddidit *Alexandrinam* Ecclesiam tam vita quam morte. Factum etenim eximia illius sanctitate, ut *Alexandrina* Ecclesia secundum ab *Romana* locum obtinuerit, posthabita *Antiochena*. Licet illi aliquando *Petrus* Apostolorum
D princeps præfuisset. Quin etiam Apostolicæ nomen promeruit, ea ut opinor causa, quod *Marci* legatione *Petrus* illi quoque Ecclesiæ quasi præfuisse videretur. Inclytum præterea *Marcus* quinque præclarissimis titulis consecutus est nomen. Primum quidem sacrosancti evangelii scriptione. Duabus deinde nobilibus constitutis Ecclesiis *Aquilejensi* & *Alexandrina*. Monasticæ item vitæ quasi principatu. Postremo triumphali palma martyrii. *Petrus Damianus* hujus sancti vitam sane his verbis breviter & egregie conclusit. *Beata es Alexandria viri hujus sanguine purpurata. Fælix & tu Italia corporis ejus thesauro dives effecta.*
E *Factum est enim ut ad Italiam deinde sit reversus, ut terra in qua datum est ei evangelium scribere, mereretur sacras ejus reliquias possidere.* Hæc *Damianus.* Effigies quoque ipsius mandata litteris est, ut tam corporis quam animæ perpetua illius esset memoria. Venusta facie dicitur extitisse, longo naso, superducto supercilio, pulchris oculis, recalvaster, prolixa barba, habitudinis optimæ, ætate constanti, canis aspersus, moribus gravis, gratia Dei plenus.

LIBER II.
DE TRANSLATIONE B. MARCI.

Descripta Beatissimi Evangelistæ vita quantum licuit ex antiquis monumentis excerpere, Translatio nunc illius quum ex urbe *Alexandria* in *Venetiam* est advectus, nobis peragenda. Quo videlicet tempore, a quibus, & quo pacto, quibusque testibus comprobata. Anno domini VCCC. XXVIII. *Justiniano Venetorum* duce, dum *Leo quintus* imperator *Constantinopolitanus* bellum *Ægyptio* regi quam maximo conatu inferre instituisset, Classem a *Venetis* auxiliarem ex fædere postulavit. Edictum præterea pronunciavit magna adjuncta pæna, ne quis omnino christianæ gentis, navigaret ad infidelium loca. Interea bonus quidam nomine tribunus *Metamaucensis*, & *Rusticus Torcellanus Veneti* ambo, qui magna tunc negotia in *Alexandria* gerebant, sive ut nonnulli scribunt, adversa adacti ventorum tempestate, seu tempus advenisse rati rerum benegerendarum, in *Alexandriam* decem navibus sunt delati. Fuit perquam gratus *Sarracenis* eorum adventus, ob merces occiduas, quibus propter imperatorium edictum maxime indigerent. Quum appulissent, reperiunt templi Beati *Marci* Ædituos, ubi sanctissimum illius corpus jacebat, ingenti affectos mærore. Primum qui rerum omnium premerentur inopia, non accedentibus *Alexandriam* christianis hominibus, ut solebant, ex quorum eleemosynis vitam agerent. Deinde qui *Cararum* Rex qui regias ædes omni pretiosorum lapidum genere exornare instituisset, illis forte diebus imperaverat, ut ex omnibus christianorum templis nobilissimi quique lapides & marmora conquirerentur, atque ad se se afferentur. Et jam regii fabri evellere incæperant ex Beati *Marci* templo, quæ videbantur elegantiora. Accidit autem ut vir christianus hoc cernens, commotus rei indignitate, lapidem ex iis nobiliorem, quem *Saracenus* auferre paraverat, malleo confringeret, & verbo quoque non abstineret. Sacrum ne inquit hunc tu lapidem tolles? Hoc quum *Saracenus* audisset, ex templo christianus comprehensus est, & acriter virgis cæsus. Ea res æedituos tum mærore, tum metu vehementius affecit. Duo ii erant, alter cui nomen *Stauracius*, alter sacerdos nomine *Theodorus*. Quæ quum omnia mercatores quos diximus *Veneti* animadverterent, (videbant enim corpus Evangelistæ (ut fit) adversis in rebus negligentius asservari), subiit animus tentare æedituos, & experiri tum donis, tum promissis num forsitan tradere Evangelistam vellent, ut secum *Venetias* deportarent. Primum igitur queruntur eorum vicem fortunamque qui ejusmodi inopia laborent, deinde qui brevi templum illud ex quo utcunque vitam sustentent, in ruinam sit iturum perituros fame & inopia, nisi alicunde dominus *Jesus* & Beatus *Marcus* illis succurrat. Id quum aliquotiens dixissent, eosque donis nonnullis eleemosynarum nomine sibi devinxissent. Et quid inquiunt moramini? Tam vobis, quam huic sancto salutem quærere? Quum illi quærerent, quid nam sibi agendum censerent. Sinite inquiunt, ut *Venetias* nobiscum deferamus, ubi & sanctus summo erit honore, & vos divitem beatamque semper agetis vitam. Neque enim ulla gens est, quæ hujusmodi res sacras majori pre-

A cio æstimet. Id quum æditui audissent, abhorrere primum visi sunt, tum peccati metu, tum mortis. Ne si forte tam christiani, quam *Saraceni* id rescissent, morte pænas luerent. *Veneti* nihil ob id segnius instare. Quod ad peccatum attinet, mirari se dicunt eos peccatum vereri, ubi plurimum sit rationis & meriti. Nonne videtis inquiunt ut sublatis ornamentis ædes hæc tandem corruat necesse est? Spoliatur undique, crustæ, columnæque asportantur. Corpus hoc sanctissimum remanebit sine nomine, aut in sordidum aliquem abjicietur locum. Monent ut videant etiam atque etiam ne pietas illa quam præ se ferant impietas habenda sit. Qui enim non

B prohibet injuriam quum potest, facere videtur. Monemur ab evangelio quid hujusmodi temporibus sit agendum. Si persequantur in unam civitatem, ut fugiant in aliam. Nonne si præsens nunc sanctus adsit dicturus est? Videtis filii quanto nunc in periculo domus versatur mea? Jam impiæ manus sepulchro malleos injiciunt. Et quid expectatis? An ut ossa mea, quæ semel per hanc urbem raptata sunt, denuo discerptantur, aut in aliquam Barbariem asportentur? Quid igitur ad hæc respondeatis? Futurum *Venetiis* hoc corpus est summo cum honore & veneratione, si nos audieritis, vos autem omnibus in deliciis.

C De morte nihil est quod timeatis. Quo pacto transigi negotium oporteat sine periculo commemorant. Victi tandem sacerdotes hujusmodi pollicitationibus acquievere. Illi cæteris confectis negotiis paratisque navibus ad discessum, admittuntur in templum ab æedituis intempesta nocte. Primum igitur sindonem, qua Beatissimum corpus involutum jacebat a posteriori parte dissuunt sigillis intactis, quæ anteriorem obsignabant. Atque in aliam vestem sericam purissimam transponunt in ejus autem locum substituunt Beatæ *Claudiæ* corpus, quod haud inde procul jacebat, iisdemque muniunt sigillis, sportulæ deinde ad eam rem paratæ, sanctum imponunt, conteguntque

D virentibus herbis. Suillis deinde carnibus, quas maxime *Saraceni* abominantur, operiunt. Ablato per hunc modum sanctissimo furto, miram ferunt odoris fragrantiam undique diffusam, ut suspicati sint nonnulli ex *Saracenis* sacras illas reliquias loco motas, & accurrerint ad locum explorandum. Summa etenim veneratione ad ea usque tempora vel inter gentiles etiam, ut diximus habebatur, perspectis autem sigillis, deposita fraudis opinione multi abeunt, nonnulli diligentius inquirunt. Dum autem sportula ad navem defertur, quasi nauticum cibarium, scrutari custodes quænam res ibi lateret, suillarum fœtorem abominati, nihil ultra perquirunt. Frustratis

E per hunc modum *Saracenis* simul etiam vectigalium custodibus, ut in hujusmodi solet largitione delinitis, ad naves profecti incolumi cum furto perveniunt corpus velis involvunt, vela imponunt antennis, antennas in altum elevant, statimque se se extra pharum in tutum recipiunt insequenti nocte secundo vento iter arripuere. Ea in navigatione multa feruntur ab eo sancto facta miracula, tradidere illud inter cætera, qui quum acrius per totam fere noctem ventus sævisset, atque sublatis semper velis, quasi prosperum tenerent cursum, enavigassent, apparuit Beatissimus sanctus Do-

Dominico monacho *Comaclensi*, magnæ sanctitatis viro. *Age* inquit *Dominice*, *Navarchum mone*, *ut confestim vela demittat*, *terra proxima est*, *impinget in scopulum navis nisi caverit*. Illucescere incipiebat aurora, quum simul jussa Navarchus facit, & montem prospicit imminentem. *Strophades* erant insulæ, quas posteri *Strivalias* dixere. Ad lævam continuo navarchus iter flectit. Nautæ gratiis Evangelistæ actis placido cursu ad *Umagi Histriæ* oppidi portum perveniunt. Statim autem civitas acceptis hujus sacratissimi furti nunciis, navemque in *Histriam* fæliciter applicuisse, data venia legis prævaricationi, Beatissimum Evangelistam pro tanti hospitis dignitate omni lætitiæ genere suscipiunt. Anno domini. vccc. xxviii. pridie calend. februarias. Atque ab eo tempore, eum in patronum peculiarem assumpserunt. Fertur etiam a nonnullis *Theodorum* & *Stauratium* Evangelistæ comites a *Justiniano* duce perquam benigne ac liberaliter susceptos habitosque. Et alia nonnulla facta quæ ab *Andrea Dandulo* in chronicis sunt omissa. Mihi quoque suspecta res est ob eam quam in sequenti libro rationem adducemus. Translatio hujus sancti ex urbe *Alexandria*, quam narravimus, multorum scriptorum testimoniis celebrata est, tum *Venetorum*, tum externorum, *Venetorum* quidem omittemus. Sane *Singibertus*, *Vincentius*, *Sicardus*, *Jacobus de Voragine*, *Paulinus* episcopus, & cæteri fere omnes eorum temporum scriptores, translationem hanc scriptis mandavere suis. *Petrus* quoque *Damianus* sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ cardinalis & summa sacrarum litterarum doctrina eruditus hujusmodi verbis usus est, quodam ex suis libello. *Marcus ex Alexandria transvectus est Deo disponente Venetias*, *ut qui totum orientem velut aureus lucifer illustraverat*, *nunc per plagas occidui climatis præsentiæ suæ radiis enitescat*, *per Ægyptum quippe sibi dedicat ortum*, *per Venetias tenet occasum*. *Illic Alexandriæ sortitus est Ecclesiæ solium*, *hic renascentis Aquilejæ novum statuit principatum*. Hæc *Damianus* uno in tempore ab illis erratum est. Translatum enim nonnulli scripserunt Anno domini. cccc. lvii. *Leone* imperante. *Leonis* igitur nomen causam errori dedit. Nam illi *Leonis* primi tempora sunt secuti. Quum *Leonis Quinti* temporibus sit translatus. Restat ut pauca nunc de loco ubi repositus est, subjiciamus. *Justinianus* igitur *Venetiarum* dux, dum nobile huic sancto templum construere apparat, diem obit. Quod autem vivens perficere non potuit, ut pietati in sanctum satis faceret, moriens multam ad eam rem legavit pecuniam, placuit locus juxta ducale palatium medius inter ducis domum, & ædem Beati *Theodori*, quam supradiximus a *Narsete* conditam. Ibi *Joannes* dux olim *Justiniani* frater, ædem excitavit. Primicerium & capellanos instituit, qui diurnum nocturnumque officium divinis laudibus celebrarent. Capella ducis appellata, corpus autem Evangelistæ Arcula ærea obseratum intra columnam recondunt marmoreis lapidibus compactam summa adhibita diligentia, ne quis locum cognoscat, præter ducem & primicerium. Quæ vero causa eos impulerit, ut ignoto loco reponi mallent, quum res sit perantiqua. Scrutari paulo post conabimur, & ubi requiescat eruere. Stetit autem templum illud incolume a *Joanne Particiacho* usque ad *Petrum Candianum* iv. idest annis circiter centum viginti tredecim ducum successione. Mutari deinde templi speciem necessitas coegit. Sanctique depositio una cum templo translata. Nam quum *Petrus Candianus* quem ducatum ea tempestate tenuisse diximus, tyrannum potius ageret quam ducem. Jamque il-

A lius injurias populus amplius ferre non posset, in illius cædem conjuravere. Difficilis autem erat ad eum opprimendum aditus. Stipatum enim armatis fere semper erat palatium, & præsertim externo milite. Populus igitur quum omnes obseptas videret vias ad ingressum, aliunde meditatur ducem aggredi. Ædes erant trans rivum e regione palatii *Petri Ursojoli* viri divitis & potentis, qui postea ducatum aliquot mensibus tenuit, inde aggrediuntur ducem comburere cum universa familia, faculas ignitas & pice illitas in ædes palatii jaculantur. Facile tabulata corripuere ignem & latius per omnes ædes flamma dif-
B fusa. Alii vero armati egressum illius ad Januas observant. Quum vero duobus in se irruentibus hostibus eodem tempore resistere *Candianus* non posset, maluit se se populi misericordiæ, quam ignis furori committere, tametsi placatiorem populum quam ignem non invenit. Igitur ipse comitesque eripere inde se se, & per Ecclesiam fugam capere instituunt. Quum hoc idem amici illius & necessarii fore a duce intellexissent, convenere omnes ad ecclesiæ januam unde illi foret egressus, non tam resistendi consilio quam deprecandi populi, ut adjunctis eorum precibus supplicantis ducis species miserabilior redderetur.
C Ecce autem apertis Ecclesiæ foribus filium ipse parvulum ex ulnis nutricis acceptum manibus populo protendit, & supplicare lachrymans, veniamque deprecari apparat. Extra Ecclesiam vero cognati & amici armatorum tumultum & clamorem sistere conantur orantes ut duci suo, si non aliud, pauca saltem verba facere liceat. Prius vero quam verbum faceret, quis enim in hujusmodi clamoribus exaudiretur? Certatim omnes quasi primis percussoribus palma deberetur, pene momento multis confossus vulneribus una cum puero filio trucidatus est. Neque eorum morte exsaciatus populus, raptatum pedibus ad macel-
D lum traxerunt, ibique canibus dilaniandum reliquerunt. Eo palatii incendio, Ecclesia illa prima quam diximus sancti *Marci* violata est ob propinquitatem aliquantisper. Idem tamen populus qui incendium immiserat ducis sanguine exsaciatus saluti fuit Ecclesiæ. Nam quum frequentissimus ad cædem ducis convenisset, ut viderunt eodem igne ejectum ex ædibus ducem, & ædem protectoris conflagrare, ultro se se in ignem immittunt. Donec omnino extinctus est. Suffectus in *Candiani* locum *Petrus Ursojolus*, moribus longe dissimilis. Nihil prius hic *Petrus* sibi agendum duxit, quam evangelistæ ædem propriis sum-
E ptibus instaurare. Tabulam auream ad ornatum magnæ aræ (quam palam vocant) apud *Constantinopolim* eleganti opere fabricandam curavit. Eam deinde *Petro Ziano* duce *Angelus Falerius* solus Ecclesiæ sancti *Marci* procurator majorem in modum exornavit gemmis & margaritis circiter annum domini. xx. supra millesimum &. cc. Templi autem instauratio magnificentior decreta, quam antea fuerat, quum populi voces exaudirentur jure optimo Evangelistam eo sacrario non dignatum. Fato permissum priorem Ecclesiam cum palatio conflagrare, ut nobilior magnificen-
F tiorque resurgeret. Excitandam esse superbam aliquam templi molem singularem & raram. Accitis igitur ex *Constantinopoli* primariis architectis, templum instaurari & ampliari qua poterat cæptum. Ornatus quidem & artificium magnitudinem longe superavit. Quoniam ampliorem ut supradiximus molem loci angustiæ non capiebant, satis habuere ut opinor illis præsertim temporibus, atque ea surgentis civitatis conditione, si par magnitudine aut *Salomonis* templo, aut *Jovis* capitolini moles exsurgeret. Quorum alterum sexa-

ſexaginta cubitorum longitudinem viginti latitudinem, non exceſſiſſe legimus. Capitolinum vero & ſi *Hieroſolymitano* majus proculdubio extitit, magnum tamen admodum non fuiſſe illud teſtimonio eſt, qui iiſdem nunc fundamentis exſuſcitatum videmus in templum Beatiſſimæ virginis *Ara Cæli* nuncupatum. Et præterea æneæ tegulæ quibus aliquando capitolinum *Romanus* operuit, tranſlatæ ſunt permiſſu *Conſtantinopolitani* imperatoris in gratiam pontificis, ad tectum Baſilicæ Beatiſſimi *Petri* vix autem illius templi dimidium operiunt. Non enim priſcos apparet, tam delectatos vaſtitate templorum quam pretio & ornatu. Neque enim facile reperias ullum ex gentilium templis cum Baſilicis Apoſtolorum amplitudine comparandum. Molibus etenim multo majoribus chriſtiani deinde templa erexere. Ædes quidem Beatæ *Sophiæ* a *Juſtiniano* condita cæteras ferme ſuperavit orbis moles, quamvis nunc magna ex parte magnitudine ſua collapſa ſit. Dux autem *Urſojolus* ſeu pœnitentia ductus, qui ædes ad incendium palatii & *Candiani* ducis necem accommodaſſet, ſeu innato religionis adeundæ deſiderio, ſecundo ducatus anno monaſticam vitam eſt ingreſſus profectus in *Aquitaniam*, cum Beato *Romoaldo Ravennate*, ibi ſanctiſſime exacta vita, multis miraculis claruiſſe ferunt, rarum apud ſeculares principes exemplum. Placuit igitur templi figura in crucis ſpeciem ſtipite & brachiis tam longitudine, quam latitudine pene paribus, paſſuum ferme quinquaginta latitudine, atque altitudine juxta. Tota ædes penſilis eſt præter fundamenta parietum & columnarum. Itaque fornices per omnem Eccleſiam circumducti ad omnia templi pavimenta ſubſtinenda, creberrimis columnis impoſiti, ut ponderi pavimentorum, ac ſupergredientium mortalium ſufficerent. Altius ſubduxere verſus altare magnum ad eam quam vocant confeſſionem ſecretioribus reponendis reliquiis aptam ob eam autem cauſam facti fornices videntur, ut templi moles eminentior, & ab aquis ſubductior redderetur. Multis enim gradibus initio fuit aſcenſus in templum, qui nunc obruti ſunt tellure. Solum ſiquidem in quo ædes ſurrexit, longe tunc fuit depreſſius, quam nunc eſt, Aeſtuariorum natura ita ferente. Nam creſcentibus continenter vadis aquæ quoque ſemper increſcunt. Arena ex ſuperioribus locis per fluvios in has paludes devecta, ut nova ſemper addi ſtramenta antiquis ædificiis neceſſe ſit. Puteos in ea Eccleſia quinque foderunt. Rationem ejus operis ferunt nonnulli, ut ſi qui forte flatus terram ſubter conciperentur, facilem ſibi meatum exitumque reperiant. Qui ſi ea fuit cauſa, ob eam quoque rem fortaſſe per univerſam Eccleſiam fornices circumduxere. Ut eam molem a tremoris terræ periculo quaſi eructatione quadam molliori liberam præſtarent. Pavimenta omnia tam Eccleſiæ quam porticuum tabulis marmoreis conſtrata circum depictis opere muſivo & vermiculato lapidibus peregrinis. Parietes omnes ad ſupremas uſque coronas marmoreis veſtiti cruſtis, venis ita correſpondentibus, & ſolidum parietem ementientibus, ut depicti potius videantur, quam invicem compacti. Nullus omnino in ea æde lapis niſi marmoreus, aut peregrinus. Supra coronas autem ubi arcus teſtudineſque conſurgunt, omnia muſivo opere, eodemque inaurato, niſi quantum imagines, quas variis eſſe coloribus oportet, occupant, quinque conſurgunt cubi, medius videlicet qui templi contegit medium. Et

A quatuor præterea ex quatuor crucis capitibus. Omnes eodem opere, quo diximus exornati, ut quum ingreſſus Eccleſiam oculos ſuſtuleris auro fulgere omnia videantur. Novi teſtamenti hiſtoria fere omnis ibi depicta, multaque veteris. Cæterum neſcio artificiine laude dignius ſit templum, an ornatu, qui in eo opere octingentæ & quinquaginta aut circiter columnæ erectæ ſunt, quæ quum omnes ad ornatum maxime ſint poſitæ, partem tamen quæque ſuam tanti operis ſuſtinere videntur. Capita omnia columnarum, foreſque templi inauratæ. Cæterum miro artificio omnes templi partes inter ſe compactæ parietibus, columnis, arcubus, teſtudinibus, cubis, vel ſpecie,
B vel firmitate ita ad oculorum ſatietatem compoſitis, ut nihil pulchrius, aut ſpecioſius videatur offerri poſſe. Templum circumdatum porticibus, quæ latera templi atque parietes undique ſuſtentant. Et ipſæ quoque porticus inhærent fornicibus quaſi ſuſtentaculis exterioribus. Ut duplici hoc firmamento tota moles inhæreat. Multi architecti ex omni orbe opus hoc contemplati, ita judicarunt maximo artificio confectum. Nam egregium illud in hoc templo animadvertere licet Arcus teſtudineſque ita compactas & ad ſolum uſque perductas, ut ſi columnæ minores inter arcus mediæ tollantur, opus tamen perſiſtat, &
C minime corruat. Qui primariæ arcuum columnæ, tam craſſæ, ac firmæ ſint, ut alia junctura non egeant, quum illis tellus pro corda ſit. Sed profecto verum eſt. Qui legiſſe memini apud ſummæ auctoritatis ſcriptorem, ſemper fere accidere, ut quæ ad vitæ uſum in ædificiis reperta ſunt, eadem quoque pulchritudinem & decorem afferant. Nam ſi eas columnas inde ſubtrahas, vaſta quædam & deſerta potius area appareat quam templum. Prima eccleſiæ facies quinque teſtudinibus ſubnixa eſt, quas ſupra alii quinque arcus auratis picturis, ut ſupradixi, refulgent, pinnarum ordine & ſtatuarum. Supra ipſum autem templi veſtibulum, extenſa areola eſt, ſita ſub
D divo, cujus in medio quatuor ænei atque inaurati ſuſpiciuntur equi columnis impoſiti, magnum de ſe ſpectaculum præbentes. Eo gradu motuque corporum, ut jam jam deſilere in ſubjectam planitiem pariter omnes velle videantur. Rarum opus & perantiquum, ad ſolis quadrigam fabrefacti, mirum in iis artificium. Nam ita omnes ſunt aſſimiles, ut nihil in ſingulis ab aliis diſſimile omnino reperias. Et tamen & cervicibus & pedibus ita conſiſtunt, ut pari gradu tendentes, ſint omnino & gradu & motu diſſimiles. Vidi ego aliquando in gemma ſignatos, ſculptos etiam vidi in arcu triumphali *Conſtantini* apud urbem
E *Romam*, ubi ſol quadriga inſidens marmore inciſus eſt. Allati ex *Conſtantinopoli* feruntur. Sicut fere cætera pretioſa ejus templi marmora. Plateæ duæ ſeu campi patent circa ipſam ædem, ambæ maximis ſpaciis vel longitudine, vel latitudine. Annis centum aut circiter perfectum opus eſt, & nova Eccleſia dedicata Anno domini. M. LXXXVIII. Octavo idus octobris. Corpus Evangeliſtæ ſublatum ex ea columna, ubi per tot annos delituerat, novo alio delecto loco, eſt collocatum. Antiqua tamen lege ne quis locum cognoſcat, niſi dux, primicerius, & Eccleſiæ procurator. Id vero quo pacto ſit geſtum, quia res cognitu digna eſt, ſequenti libro diſſeremus. Constructa paulo poſt ab Eccleſiæ læva turris eſt eximiæ altitudinis præclarum opus. In his vero paludibus admirandum.

LIBER III.

DE SEPULTURÆ LOCO.

Vita igitur Evangelistæ translatioque, & ecclesiæ conditio quam brevissime licuit a nobis superiore libro sunt enarratæ. Restat ut nonnullis satis fiat, sanctissimas ejus reliquias eo in templo nunc etiam locatas. Qui adduci vix possunt, ut credant ibi sitas, qui sepulchrum nullum appareat, non incisæ litteræ, non designatus locus primum autem peto ut a me non expectent eas proferri oculis omnium cernendas. Satis fuerit probare validissimis tum testimoniis, tum argumentis in eo templo adhuc quiescere. Proferre autem eas in lucem in aliorum situm est potestate. Hanc ego pro viribus non patiar infligi S. Evangelistæ injuriam, non majoribus nostris, non ipsi denique veritati, ut mendaciis permittam credi tanti sancti Translationem esse confictam. Neque etiam profecto illud ut credatur majores nostros tantis periculis laboribusque hujusmodi thesauros vendicavisse templum hoc tantis sumptibus magnificentissimum in illius honorem construxisse, ut deinde per desidiam imprudentiamve, quæcunque illa esse potuit spoliarentur. Aequus modo sit lector & attentus & rationem faciliter admittens. Primum illud quidem satis constat in urbe *Alexandria*, ubi primum patriarchatum condidit, tenuitque & mortuum & sepultum. Hoc omnis affirmat ecclesia, ut dubitare fas non sit. Illi præterea, quos supra memoravimus sacræ historiæ doctores, Posterorum memoriæ mandaverunt transvectum ex *Alexandria Venetias*, quorum scripta repetere supervacuum est. Tertium aliud placet addere, *Venetam* omnem historiam tradidisse, depositum fuisse *Venetiis* in Ecclesia beati *Theodori*, quæ major deinde ampliorque ambitu reddita ejus nomini dedicata est. Hæc quum omnia ita habeant sese, non intelligo cur in ea perseverare non debeat, in qua semel fuerit collocatum, nisi forte probent aut igni corruptum, aut furto sublatum, hæc nisi probentur testibus fidei, quam nostri, non minoris, dubitare profecto non decet. Non tamen aliquibus solum hoc satisfacit. Cupiunt audire aliquid, quod propius accedat ad faciendam fidem. Conabimur efficere & recta incedemus, testes afferemus omni exceptione majores. Remque divinam divinis etiam rationibus certissimam reddemus. Dixi superius, quum universæ civitatis lætitiam pro tanti sancti susceptione describerem, repositum in æde propinqua palatio. Decretum autem illi templum amplius, augustiusque, quod ædem *Theodori* ambire complectique posset. Collocatum fuisse summa diligentia ignoto omnibus loco præterquam duci, & custodibus qui ex *Alexandria* eum secuti fuerant. Post eum autem quem diximus ignem, qui magnam Ecclesiæ corrupit partem, accidit inopinatum quiddam ut videlicet inter id tempus, quo instauratur Ecclesia, ad finem perducto opere, dum dies dedicationis instar triginta supra centum elapsis annis, neque *Vitalis Falerius*, qui tum ducatum tenebat, nec primicerius aliusve quispiam intelligeret, ubi nam locatus esset Evangelista. Sublatis veluti fato quodam consciis omnibus. Id vero mirum in modum grave molestumque esse universæ civitati, Clerus populusque omnis ægerrime ferre. Tantam erectam molem

A in illius honorem, tantos denique sumptus laboresque susceptos centum & amplius annis, nunc autem usque adeoque nescio quo ut querebantur infortunio miserabiliter esset amissum. Neque facile dictu majorine mæstitia, an pudore afficerentur. En quam diligenter asservata tanta res est? quam juste nobis totus exprobrabit orbis? Ut quem furto aliunde substulimus, is furtim quoque fuerit a nobis ablatus. Dum igitur mæsta civitas nullum jam humanum cernit remedium, nisi ut ad implorandam divinam opem, tota sese convertat, solemni triduano instituto jejunio votisque rite, ob eam rem factis habitisque tum B orationibus, tum supplicationibus, quinta & vigesima junii mensis die, quum magna populi multitudo ad evangelistæ Ecclesiam convenisset, accidit miraculum hoc: Quod omnem populum in magnam admirationem excitavit. Lapides callopreciæ cujusdam (ea est columna pluribus ex lapidibus compacta) loco sensim moveri cœpti. Cadentibusque & admirantibus omnibus, arca ubi corpus latebat mira cum odoris fragrantia, omnium oculis sese videndam offert. Incredibile dictu, quanta lætitia oborta, quantis clamoribus, quibusque lachrymis ea res sit excepta. In terram prostrati omnes, quas maximas possunt Deo gratias agunt. Qui patronum ducem pro- C pugnatoremque suum, jam aliis desperatis remediis restituerit. Neque tanta fuit ejus diei lætitia quum ex *Alexandria* transvectus susceptusque est, quanta ejus diei, quo se populi totius oculis præsentem exhibuit. Ex pristino siquidem mærore, major semper solet oriri lætitia. Illustrata dies tanti prodigii gloria est. Decretumque ut festa sit quotannis. Generalis præterea a tota civitate fiat gratulatio. Clerus solenne instituit officium. Atque per annos jam. cccc. solenni pompa hujus lætitiæ memoria celebratur. Traditur hæc apparitio ab omnibus *Venetis* historicis per hunc quem diximus modum. Licet aliqui fabulas addant aliquas indignas, quæ reci- D tentur. Non equidem satis intelligo, quid ad universi populi testimonium labefactandum, a quoquam possit adduci. Nisi forte dicant miraculis istis non facile credendum. Vulgo hæc tradenda, non doctis hominibus. Non diffiteor prudentis esse, hæc quæ præter naturam accidere videntur habere pro suspectis, nisi firmissimis certissimisque testimoniis rationibusque comprobentur. Alioquin nulla miracula fidem habeant necesse est. Quod non solum apud christianos, sed gentiles etiam apud philosophos nunquam negatum. Videamus igitur quibus innitamur testimoniis, & an pro levibus habenda sint, a populo incipiamus. Universus populus tantæ civita- E tis amisso patrono mœrens afflictus in lachrymas & preces omnipotentem Deum solutus, ut suum illis restituat patronum, Solennibus tandem peractis votis, vident ex columna prodeuntem, seseque publice ostentantem, gratulantur, clamoribus excipiunt. Festa decernunt. Hæc nisi populus *Venetus* affirmat, negato ut lubet. Interrogetur enim quasi præsens. An quintum & vigesimum junii diem celeberrimum esse voluerit? Affirmabit. An gratulationes, eo die solennes fieri mandaverit? An sacerdotium clerusque omnis proprium ejus diei habendum in Ecclesia officium in-

instituerit? non respondere non poterit ea omnia ab eo decreta atque instituta, extant tamen tabulæ publicæ, extant ipsius decreta. Quid ad hoc possunt dicere? Sed si hoc non satisfacit, rursum interrogetur populus, cur plus honoris in eum sanctum eo die sit collatum, quam quo, vel quum *Venetias* allatus est, vel cum in cælum sublatus. Ad hujus siquidem diei solennitatem lege decretum est, ut omnes Antistites & prælati *Venetarum* insularum insignibus amicti vestimentis, una cum reliquo clero procedant. Nulla alia ejus sancti solennitate convenire lege compelluntur. Eodem quoque die aquæ sanctæ aspersio ex rosacea conficitur in testimonium fragrantiæ qua populum omnem, ex columna egrediens, complevit. Et præterea digitus ejus & liber & annulus, & quicquid miraculorum ab eo sancto editum est inter pompam, eo die profertur. Hæc autem omnia per. cccc. & amplius annos diligentissime servantur. Quam igitur ob causam hæc omnia sunt instituta? Interrogetur etiam si placet partane sit aliqua insignis eo die victoria. Acciderit ve eo die quicquam tanta lætitia dignum. Et quidem respondebit ingentem victoriam beneficiumque suscepisse. Vicisse antiquitatem oblivionemque. Amissum thesaurum recepisse patronumque suum, dum uberius deplorat, misericordem omnipotentemque Deum præsentem exhibuisse. Hæc ne igitur totius populi contestatio, non verbis sed factis, serie tot sæculorum confirmata hoc non probabit? Ergo aut mendacem fuisse oportet omnem civitatem, falsaque illa finxisse, aut justam habuisse causam tantæ gratulationis, præsertim quum nihil sit, cur quisquam dicat locum hac in re, ulli vel minime fraudi fuisse. Nam si mentiendi libido eorum animos incessit, non video cur non longe melius credibiliusque fallere potuerint, si sepulchrum aliquod erigerent magnificum splendidumque & Evangelista dignum, vel visenda aliqua ossa undecunque collecta quum vellent, proponerent. At superstitionem metuerunt. Recte quidem & vere. Neque enim de Barbaris aliquibus reprobisve idololatris, sermo nunc est, sed de maximo ac religioso loquimur populo vero cultore christianæ religionis. Qui si superstitionem metuisse asserunt, quæ nam aut major, aut execrabilior, quam per annos cccc. adulterinis officiis, falsis gratulationibus, diebus nefastis civitatem implicitam tenuisse? Neque longe plus metuisse Deum evangelistamque suum iis fraudibus atque figmentis ad iram indignationemque, quam ad opem & auxilium provocare, nec plura de populo. Quid dicam de *Henrico Quarto* imperatore, qui quum forte apud *Tarvisium* ageret, & paucos ante dies, *Falerii* ducis filiæ sacri fontis officium præstitisset, audito tantæ rei ostento, dignam existimavit rem, ad quam visendam præsens proficisceretur? Veniens Ecclesiam invisit, Evangelistam vidit, vota solvit, & illi reverentiam quam cupierat, exhibuit. Hoc si confictum extitit quod omnes *Veneti* tradunt historici, cujus fuit temeritatis *Falerium* ducem populumque *Venetum* imperatorem invitasse ad videndam rem commentitiam ficticiamque? Aut cujus levitatis si ipse re male explorata ad ludibrium & derisum *Venetias* est profectus? Venisse quidem *Venetias* multa testantur privilegia, cum huic civitati, tum multis præterea monasteriis concessa. Utrum igitur magis obsecro credendum? Fretos illos confisosque rei veritate quam propter *Tarvisii* propinquitatem centum ex testibus audire potuerat, ut amico gratificarentur, invitavisse, an ut sese derisui perpetuoque ejus principis odio exponerent? Qui

A hoc ultimum credit, mihi videtur, dum non credendo sapiens vult videri, periculum adire, ne non credendo insipiens existimetur. Nulla est enim propior ad suscipiendam fraudem via, quam si eos quos fallas existimes, nihil sibi cavere ne fallantur. Cæterum nihil fuit cur *Henricus* metueret, ne falleretur, vel ipsi ne fallerent. Vidi ego chronicam pervetustam apud sancti *Nicolai* ab Abbate *Zenone* confectam. Quæ ubi apparitionem per eum quem diximus modum narravit, subjicit deinde corpus expositum in Ecclesiæ medio integrum & incorruptum, apparatu celebrandi sacrificii ad depascendos populi oculos usque ad octavum idus octobres, quo

B die Ecclesia dedicata. Multaque scribit eo spatio miracula edidisse. Extat præterea hujus historiæ pictura summo ordine depicta in ejusdem sancti Ecclesia mussivo & antiquissimo opere, litteris pedalibus circumscripta. Mæstum ibi videas sacerdotium. Videas populum prostratum & orantem. Columnam sese aperientem, & corporis sancti arcam quasi evomentem. Ubi vero sanctus deponitur, inscriptum est his verbis. COLLOCATIO SANCTI MARCI. Quod si juris omnes consulti tantum antiquitati tribuunt, ut pergamenæ antiquiori opponi non liceat, etiam si nec Notarius nec testis ullus su-

C perfit. Periclitabiturne igitur totius civitatis hujus existimatio fidesque tot tantisque validissimis antiquissimisque monimentis in hujus sancti honorem memoriæ mandatis, præsertim quum qui nostra non recipiunt, ipsi de suo, quod vel levitatis vel tarditatis signum est, quicquam proferre non audent. Cæterum interrogabunt isti fortasse, an deinceps abhinc annis cccc. alius produci possit testis, hujusmodi depositionis. Seriem igitur, ut temporum sequamur, habemus omni exceptione majorem *Jacobum Voraginensem* dignitate *Genuensem* Archiepiscopum, Religione

D ordinis prædicatorum, ea vero doctrina, & auctoritate, ut ejus scripta sanctorum solennitatibus in Ecclesiis omnibus celebrentur. Is posteaquam evangelistæ vitam breviter descripsit, adjecit nonnulla de eo sancto miracula. Inter cætera autem *Julianum* quendam narrat genere *Faventium*, in *Papiensi* prædicatorum conventu, dum morbo laborat, extremumque agit spiritum, vidisse evangelistam sese juxta ipsius ægroti lectulum ponere, vocemque audisse interrogantis. *Marce quid hic agis? Marcum* respondisse. *Veni ad hunc ægrotum relaturus illi gratias pro ea reverentia ac devotione, qua locum ubi quiesco sedulo visitavit.* Impletus

E continuo locus viris candida veste fulgentibus. Excitatus eo visu ægrotus & spiritu hilaris, vocari jubet conventus priorem, atque illi rem omnem narrat. Statimque inter hymnos & laudes sanctam animam efflavit. Id accidisse narrat anno Domini. M.CC.XLI. Accepisse autem hæc ab ipso Conventus priore. Videant qui hactenus dubitavere, quanta notatu digna paucis in his verbis ab hoc Archiepiscopo recitentur, scribit prius *Venetias* translatum, subdit hunc *Julianum* locum, ubi sanctus requiesceret, assidue visitasse. Dicit accidisse annis centum septuaginta, post eam quam scribimus apparitionem.

F Qui autem rem scribit, & qui sanctum illum visitavit, externi generis ambo, ut eorum fidei detrahi nihil possit. Dicant, excogitent, quantumvis tergiversentur. Profecto nisi damnari pertinaciæ cupiunt, dubitare de loco non possunt, quin in hoc templo sit collocatus. Quanta vero tunc fuerit sanctus noster nominis celebritate, *Faventinus* iste declarat. Posteaquam etiam ex *Flaminia* ad eum venerandum populi confluebant. Nec ex reliqua *Italia* idem factum dubitare

licet. Minus quoque ex oriente, ubi celebri fuerat fama, quum ex *Galliis Hispaniisque* sæpissime illorum principum nuncii veniant ad eum venerandum. *Lodovicus Francorum* Rex his annis voti gratia solvendi quo se obstrinxisset, ducentos aureos sancto offerendos transmisit. Neque causetur quispiam me miracula persequi. Non enim illud ego visum ægroti pro argumento recipio quo beatus illi Marcus, aut ille candidatorum chorus apparuit. Accipio infirmi verba confitentis illud se corpus assidua veneratione visitasse. Quæ quidem omni miraculo carent. Si autem persequendi miracula cupido incesseret, non ego unum, alterumve, sed innumera habeo, quæ proferam & maxima, & omni memoria digna, quibus abstinendum est, tum ne longior fiam, tum ne majoris calumniæ relinquam locum iis, qui ad credenda miracula tardiores existunt. Ut autem per seculorum ordinem incedamus sequuntur anni post centum alios *Andreæ Danduli* ducis qui scripsit historiam. Nam declarare mens est singulis quibusque sæculis non dubitatum eo in templo quiescere. Scribit etenim prius seriem apparitionis in eandem & ipse formam. Subdit deinceps sacratissimum sese illius corpus vidisse, his verbis. *Die itaque octava octobris subsequentis dedicata Ecclesia, conscriisque duce primicerio & procuratore reverendum corpus in ea secrete collocatur. Locus igitur omnibus usque in hodiernum diem præterquam eorum successoribus extat incognitus, Nec propterea nescientium fides vacillet, quum ego qui loquor procuratoris gerens officium, nunc Christi gratia dux effectus possim dicere verba Joannis Cap.* XVIII. *Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis.* Et Joannis penultimo capite: *ut credentes ejus meritis vitam habeatis.* Addit deinceps *Henrici quarti* testimonium, quod supra diximus. Omittamus de *Andreæ Danduli* persona nunc dicere, ut princeps fuerit hujus civitatis, ut in eo principe fuerint quæcunque magna desiderari possunt. Ingenium, doctrina, Juris divini humanique scientia. Usum vero omniumque rerum notitiam. Sed nihil aliud chronici libri, quos supradixi abunde testantur, quibus totius orbis historiam a Christi nativitate complexus est. Duo tantum considerare nunc libet: Quid se vidisse dicat, & eam rem quibus asserat verbis. Posteaquam apparitionem sancti descripsit, gessisse se illius ecclesiæ procurationem scribit, & gerere tunc ducatum, illud præterea corpus tam procuratorem, quam ducem vidisse. Obsecro tantum virum non puderet ea mandare litteris & memoriæ in tanta re, & eorum testem se profiteri, si quæ non vidisset, ea se vidisse perscripsisset? Quum quod narrat ad devotionem quidem conciliandam valeat populorum, suæ autem vel civitatis gloriæ omnino nihil intersit. Siquidem hic nulla est commemoratio, vel devictorum hostium, vel imperii propagati in eo quidem judicio nullus testis posset esse gravior quam civitatis princeps, nullus certior, quam is, qui se asserat & affirmet sanctum corpus bis vidisse, fungentem primo procurationis magistratu, postea universæ civitatis principatu. Addo ad hoc centum scriptorum testimoniis in hanc civitatem sancti corpus esse delatum. Item ex omnibus *Venetis* monumentis locum depositionis ducibus, primiceriis, & procuratoribus notum semper extitisse, quum igitur dux historiam scriberet, quæ vulgata esset omnibus, & non dubitaret ad primicerii procuratorumque manus esse venturam, profecto non scriberet, nisi quæ essent omnium testimonio comprobata. Reliquum igitur est, ut pro verissimo certissimoque habeatur corpus illud Beatissimum vidisse. Atque illud necessario consequitur, ut ab eo tempore quo se se in lucem dedit, usque ad *Andream Dandulum*, qui fuere anni CC. XL. aut paulo plures. Locus semper notus extiterit ducibus primiceriis & procuratoribus. Neque enim aliunde *Andreas* videre illum potuit, nisi edoctus a præcessoribus, memoria per seriem derivata in posteros omnes. Servatum autem semper hunc communicandi morem, ex eo constat, qui quum *Antonius Venerius* dux, qui fuit post *Andream Dandulum* circiter annis triginta decimo sui ducatus anno *Franciscum Bembum* primicerium Ecclesiæ designavisset, ut ordinem servaret a majoribus traditum, communicandi cum primiceriis locum Evangelistæ, accersi primicerium jubet, & seorsum habito secreto patefecit, redigique in publicam memoriam imperavit. Scriba maximus ducis in librum retulit in quo annotatæ erant aliæ res secretiores. Exemplum apposui. Nota quod in anno. M. CCCLXXXXI. Die. XXVI. octobris existente in camera serenissimi domini *Antonii Venerii Venetiarum* &c. *Inclyti ducis, & venerabili & nobili viro domino Francisco Bembo primicerio Ecclesiæ sive capellæ suæ sancti Marci, ipse dominus dux vocavit apud se solum in maximo secreto dominum primicerium antedictum, & dixit ei in maxima credentia nemine audire valente, ubi est corpus sancti Marci in Ecclesia vel capella sua prædicta. Et de præsenti commisit & mandavit mihi Petro de quadraginta Venetiarum cancellario, qui dare deberem solenniter sacramentum domino primicerio antedicto de tenendo de credentia factum prædictum, & quod nullo tempore unquam revelabit alicui aliquo modo. Quod sacramentum de mandato serenissimi & excellentissimi domini ducis prædicti, ego Cancellarius prædictus dedi sacramentum domino primicerio prædicto. Qui juravit tactis scripturis observare & adimplere, ut superius per ordinem dictum est.* Vixit autem *Franciscus Bembus* post eum diem annis sex atque viginti, ut ex litteris sepulchro ejus incisis apparet, duos alios apud duces, *Michaelem* videlicet *Stennum*, & *Thomam Mocenicum*. Qui profecto duces etiam si ab aliis non didicissent, hunc tamen *Bembum* eos edocuisse dubitandum non est, successit *Mocenico Franciscus Foscarus.* Et illi quoque notum locum fuisse, præter alia multa habeo certum argumentum validissimo teste comprobatum. Is fuit Beatus *Laurentius Justinianus* patriarcha. Nam quum forte placuisset principi *Foscaro* dominioque Beatissimi *Nicolai* tumulum portui propinquum aperiri, corpusque ibi multis sæculis obseratum in lucem ad omnium oculos proferri, maximam ea ex re tota civitas lætitiam gratulationemque suscepit. Eo exemplo factum est, ut *Laurentio*, qui ægerrime ferret aliquem credere templum sancti *Marci* patrono spoliatum, idem ut de sancto nostro fieret, vehementius in desiderium veniret. Traxit in eam quoque sententiam *Foscarum*, qui illi omnia credebat. Dicebat autem *Foscarus* rem tantam ac tale spectaculum pacatam optare universam civitatem, ut illi possent quam maximi adhiberi honores. Ingentibus autem ea tempestate bellorum turbinibus, cum *Francisco Sforcia Mediolani* duce res publica jactabatur, pollicebatur autem pace facta se voti civitatem compotem facturum, atque locum ubi quiesceret aperturum. Idem quoque multis dixit aliis, qui nunc etiam vivunt, quos proferre possim si velim. Non visum fuit omnipotenti Deo rem ex eorum fieri constituto. Nam post pacem compositam paucis mensibus *Laurentius* primum sublatus est, & *Foscarus* in valetudinem incidit, ex qua diem obiit extremum. Non re-

eu;

cusabo etiam ego aliquid ad hoc in testimonium afferre, ignoscent tamen ut spero, qui nostra legent, si novissimus testis accessero, & æquo patientur animo, si actoris simul & testis officium hac in re præstitero. Memini adolescens dum Beatum *Laurentium* patruum visito vidisse ac legisse in patriarchalibus ædibus libellum pergamenum vetustate obsitum, in quo descripta noscebantur omnia sanctorum corpora ac reliquiæ in hac urbe sitæ, quibus videlicet in Ecclesiis, altaribusve locarentur. Incipiebat autem a Beati *Marci* tanquam primi civitatis patroni Ecclesia, his verbis. *In Ecclesia. S. Marci corpus Beati Evangelistæ*: locumque ubi situs esset continuo subjiciebat, plura mihi non licet ne videar plura scire velle, quam illi voluerint, quibus tanti custodiendi thesauri cura est demandata. Cæterum movebit fortasse aliquis, quidnam illud extiterit, cur majores eum locum ignorari maluerint, neque sepulcro aliquo specioso splendidoque recondi. Sane ejuscæ rei plures afferri solent rationes, ut de re antiquissima, quam necesse sit conjecturis potius assequi, quam scripturis. Harum illa mihi videtur cæteris præferenda. Quo videlicet depositum illud, omni thesauro pretiosius, tutius fideliusque ab omni injuria servaretur. Nam quum ea ratione has reliquias maximo cum periculo atque lætitia accepissent, ut apud eos sæculis omnibus essent futuræ, cui nam mirum videri debet, si eo loco sitas esse voluerunt, unde nulla vis, aut ingenium, non ignis, non ferrum posset eruere. Nempe ex ignoto loco tollere furtum potest nemo. Ex quocunque cognito ac perspecto tolli potest. Nullæ sunt custodiæ, quas aurum non labefactet, ut neque turres, nec arces ab auri machina sint tutæ, periculum quotidie facimus & videmus. Dederant ipsi paulo ante testimonium, qui hunc ipsum sanctum e sepulchro *Alexandrino* corruptis custodibus, abstulissent. Cur non igitur idem quoque *Veneti* domi suæ fieri posse dubitarent? Sic vertente conditione rerum humanarum, ut quod alicubi accidit, ubique possit accidere. Vidimus ætate nostra furtum illud famosissimum *Stammatii Cretensis*, quo nullum unquam in toto orbe majus, pretiosiusve perpetratum est, quum ex sancti *Marci* sacrario, perforatis Ecclesiæ parietibus evulsisque marmoribus gemmas omnes & vasa quæque pretiosissima quinque continuatis noctibus, domum suam asportavit. Dumque furto incubat atque hæret cogitabundus quid consilii capiat, captus ipse est cum omni gaza & in sequenti luce in crucem sublatus. Viderat semel locum ingressus una cum familia principis cujusdam, cui thesauri ostendebantur. Singula notavit, aggressusque est quod vix ullum ingenium excogitare potuisset. Id profecto non esset ausus, si locum omnem, & quæ circa essent non vidisset, resque ibi quas abstulit oculis non notavisset. Maxima reliquiarum pars quæ in hac urbe visuntur per eundem fere modum sunt delatæ. Itaque verum illud est quod vulgo dicitur. Quæ procul absunt ab oculis, absunt procul a corde. Causa igitur cur ignorari maluerunt tribui non potest nisi Evangelistæ caritati, quemadmodum accidere videmus in pretiosissimis quibusque, ut maxime abscondamus quæ magnopere diligimus. Legi senatus consultum admodum pervetustum, quo majorum diligentia narratur in sanctorum corporibus in hanc urbem deferendis, prohibet autem magnis adjunctis pœnis ne eorum sepulchra aperiantur. Sed diligentissime ferreis repagulis obstruantur. Quod si ea fuere majores nostri diligentia in aliis sanctorum reliquiis, quanto verissimilius est quamcumque ex-

A cogitari potuerunt in proprii patroni salutem & tutamen adhibita? causa nobis est expedita generalior quidem, & quæ ad omnia fortuita cavenda referatur. Cæterum quis ambigat in tanta temporis antiquitate, præsertim ubi non ipsa res, sed sola voluntas quæratur aliis etiam de causis, ut sic statuerent adduci potuisse. Sunt enim qui factum dicant, ne Sultanus *Ægyptius* re cognita mercatores *Venetos* in vincula conjiceret, bonis spoliaret, ut ablatum restitueretur. Sunt qui ne quotidie principibus, imperatoribus, regibus, aliisque principibus nobilioribusque viris operam assiduam impenderent. Qui ejus visendi desiderio

B tenerentur cum rerum impedimento publicarum, ejus vero thesauri periculo. Solet enim in hujusmodi ostendendis rebus crebro accidere, ut vel precario, vel subreptione membrum aliquodve auferatur. Quibus omnibus periculis obstat perquam egregie inscientia loci. Satis igitur ut opinor factum est omnibus, qui certiores esse cupiunt ejus rei, quam totiens repetivimus. Neque video quid reliqui jam supersit, nisi forte respondere etiam illis placet, qui dubitant, aut furto sublatum, aut corruptum igni. De furto quidem nemo omnium mortalium hactenus gloriatus est se furto abstulisse, aut alia quavis ad

C eos ratione pervenisse, nisi forte audiendus est *Constantiensis* nescio quis, qui dicere audet apud se esse. Quo tamen tempore sit ad eos translatum, aut quo pacto hinc sublatum, adhibito quam maximo potui studio, ut mendacium si necesse esset possem refellere, ab iis excipere nihil potui. Quo igitur pacto eum in mendacio deprehendas, qui ne solo quidem verbo uti audet, nedum ut testem afferat, aut monimentum? Et præterea credibile est quem omnibus sæculis *Veneti* obstructum obseratumque tanta cum diligentia custodiendum curaverint, ut nemini eum locum cognitum esse vellent, ad eam deinde negligentiam

D incuriamque prolapsos, ut quasi per ludum jocumque subripi in *Germaniam*que auferri sint passi. Ut autem respondeamus ad ignem. Primam quidem Ecclesiam arsisse dubium non est, in qua elatum e navi deposuere. Neque pluribus est repetendum quo pacto quum amissus crederetur, sit ab universo populo receptus, totiensque visus, adoratusque, postea vero quam in hanc instauratam denuo collocatur, semel sacrarium quoddam minime huic locando thesauro accommodum ignis corripit duce *Jacobo Teupolo* circiter annum domini. xxx. supra millesimum & cc. videlicet post apparitionem annis centum. XL. Ante vero Ar-

E chiepiscopum *Voraginensem* annis circiter decem. Ante *Andream Dandulum* ducem annis. C.XV. Iterum autem ætate nostra circiter annum domini. xx. supra millesimum & cccc. Ecclesiæ cubi lignei arsere. Lapideis vero aut reliquæ Ecclesiæ nulla omnino facta injuria. Præter eos igitur quos dixi nullus invasit ignis Ecclesiam. Itaque nulla ab igne dubitatio relinquitur, sed fac ut alias quoque arserit, quis autem credat eum thesaurum quem haberent tam carum ac pretiosum ejusmodi arca collocatum, quam ignis aut ferrum aliquod posset demoliri? Ligno scilicet commendandus fuit, aut lateribus & non saxis

F & ferro. Et si fieri posset arculæ etiam adamantinæ. Cæterum quid pluribus ego has diluam suspiciones nulli nixas nec rationibus, nec testi? Si quum ipsi auctorem nullum habeant non scriptum non indicium, non quamvis aliam, vel minimam conjecturam, decem tamen testimonia ad quamvis rem arduam comprobandam idonea, satis illis non videntur ad fidem quam quærimus faciendam? Absit tamen ut hoc credam. Spero equidem (nisi me amor hujus glo-

riosissimi sancti fallit, pro cujus honore hunc scribendi laborem summa pietate ac devotione suscepi) neminem fore judicem tam iniquum, at- A que a vero tam alienum & aversum, qui non ea, quæ a nobis sunt dicta, summo cum assensu atque fide suscipiat.

F I N I S.

INDEX NOMINUM, RERUM AC SENTENTIARUM.



A.

Alpes

Bea-

Con-

D.

Fœ-

G.

I.

Lon-

N.

Nar-

Ora-

B. Justinianus. P Pisces

T.

Theo-

Vene-

FINIS.



DONATI JANNOTII,

Reipublicæ Florentinæ à Secretis,

DIALOGUS
DE
REPUBLICA VENETORUM,

cum

NOTIS
NICOLAI CRASSI.

Editio Novissima, Emendatior & Auctior.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

ACCIPE *hic*, Benevole Lector, *florentissimæ æque ac sapientissime institutæ Reipublicæ* Venetæ *descriptionem egregiam. Debemus hanc operam* Donato Jannotio, *Senatori* Florentino, *ejusdemque Reipublicæ à Secretis, ut reliquas ejus dignitates, &, quibus summa cum laude functus est, officia taceamus, provocantes ad subsequens magni* Gerardi Joannis Vossii *Testimonium, ubi & plura recensentur, quæ Auctor posteritati reliquit, eruditionis & ingenii monumenta. Præsentis operis dignitas moverat* Nicolaum Crassum, *ut in illud simul & Gasparis Contareni* de Republica Venetorum Libros V. *quædam annotaret, quæ eandem ac* Jannotii *&* Contareni *Labores apud Viros maximi Nominis videbamus obtinere æstimationem. Subjuncta vero erant sub finem* Jannotii, *nulla nisi aliquot verborum apposita allegatione, adeo ut pervolvendus erat fere à capite ad calcem usque totus Liber, ubi sciri debebat, ad quem illustrandum locum hæc vel illa pertineret Nota. Ea molestia ut levaremus* Lectorem, *cum præsens opus ob utilitatem ejus ac præstantiam, ad optimas editiones, denuo curaremus imprimendum: Annotata illa* Crassi *paginis mox subjecimus, ut Textus & Notæ illum illustrantes uno habeantur intuitu. Nihil præterea omisimus, quo opus quà literas, quà chartam exhibeamus nitidissimum. Nomina propria, ut eo facilius pateant, diversis a contextu literis imprimi curavimus; quod & observavimus, ubi, absoluta una materia, ad aliam transit Auctor. Indicem tandem subjecimus Rerum & Verborum accuratiorem & locupletissimum. Hæc sunt*, Benevole Lector, *de quibus Te monitum voluimus. Vale, nobisque fave.*

JUDICIUM
DE
AUCTORE NOSTRO
GERARDI JOANNIS VOSSII,
Lib. III. Cap 7. de Historicis Latinis.

JANNUTIUS MANETTUS, sive, ut eum *Leander Albertus* vocat, *Janetus Manetus*, discipulus erat *Emanuelis Chrysoloræ*, condiscipulus *Dominici Flocci*. Senator fuit *Florentinus*. Equestri dignitate ornatus est à *Nicolao V.* Legationes varias ad Reges, Principesque, atque etiam Pontificem Maximum obiit. Vir erat trium linguarum peritus: ut qui ex *Hebræo* Psalterium, ex *Græco* Isagogen Porphyrii, & *Aristotelis* Categoriarum Librum verterit. Multa etiam alia illi debemus: interque ea *Libros* VI. *de Illustribus Longævis*; *de Vita Nicolai V. Pont. Max. Libros* IV, qui *Romæ* in bibliotheca Vaticana, & *Pisauri* in Serenissimi Ducis bibliotheca, adservantur; *Historiam de Rebus Genuensibus Lib.* II; *Laudationem Genuensium*, quæ MSa *Oxonii* exstat in bibliotheca Collegii Novi; *Historiam Pistoriensium Lib.* III, quam edidit, cum Reipubl. *Florentinæ* nomine *Pistorium* gubernaret; *Vitam Alphonsi Regis*,

 quam

quam non absolvit. Item *Vitam Socratis*, *Senecæ*, *Plutarchi*, *Dantis*, & *Bocacii:* quarum duæ primæ exstant *Cæsenæ* in bibliotheca Franciscana. De eo sic canit *Ugolinus Verinus* Lib. 11. Florentiæ Illustratæ:

Est quoque Jannocti celeberrima Fama trilinguis,
Plurima qui Hebræo de fonte volumina vertit
In Latium, & nostris dedit hæc noscenda MANETUS.

Ubi pro *Jannocti*, uti *Parisina* habet editio, malim *Jannotti*, cum *Italis* sit *Giannotto:* unde verum nomen sit *Jannottus*, vel *Jannotius*: ut fortasse etiam apud *Leandrum* in Thusciæ descriptione, *Pag.* 70. *Ed. Colon. ann.* 1567. ubi *Jannetus* vocatur, *Jannotus*, vel *Jannotius*, debeat reponi. Natus est *Florentiæ* anno cIↃcccxcvi. ix. Kal. Jul. Obiit *Neapoli* anno cIↃccccLix.

EPISTOLA DEDICATORIA,

QUÆ

In Editionibus veteribus

NOTIS IN AUCTOREM NOSTRUM

Præfixa habebatur.

ERUDITISSIMO VIRO, ATQUE VENETO SENATORI AMPLISSIMO,

DOMINICO MOLINO,

NICOLAUS CRASSUS

S. P. D.



FFERO tibi, Moline, Senator amplissime, Notas, quæ jussu, & auspiciis tuis ad Jannotium, & Contarenum conscriptæ sunt: exiguum profecto munus, sed multis nominibus tibi debitum. Tu namque literatorum Mecœnas, & Princeps, eorum omnium, qui studiis atque doctrinis dediti sunt, scripta jure quodam tuo tibi vendicas. Cum vero nihil Patriæ libertate, atque amplitudine sanctius & antiquius habeas, hæc nostra qualiacunque sint, quæ ad Venetæ Reipublicæ splendorem, & dignitatem pertinent, tibi quidem uni, & hercule merito tuo debentur, præterea nemini. Quid? quod tu non solum in causâ fuisti, ut huic operi manus admoverem; sed multa adjumenta subministrasti, ut à te profectum opus ad te reverti meritissimo videatur. Accipe igitur ab homine, qui jam inde à patre, & majoribus est in ære tuo, æternum hoc non grati minùs, quàm devincti animi testimonium: cumque pro ingentibus meritis in me tuis, viriumque mearum imbecillitate non sim solvendo, concede saltem, ut levi hoc munusculo omnia tuâ causâ & velle, & debere non modò fatear, sed etiam profitear, & præ me feram. Vale.

DONA-

DONATI JANNOTII,

Reipublicæ Florentinæ à Secretis,

DIALOGUS DE REPUBLICA VENETORUM.

PERSONÆ,

TRYPHO GABRIELIUS, ET JOANNES BORGARENUS.



UI ſtudio varios hominum mores cognoſcendi allecti ad urbes, exteraſque regiones peragrandas mentem appulerunt, diligenter animadvertere, notareque ſolent, ſi quid uſpiam offendant, quod ob inſignem aliquam vel conditionem, vel cauſam abſque accuratiſſima contemplatione prætermitti nequeat, unde non ipſi tantum prudentiores doctioreſque fiant; verum etiam qui domo pedem nunquam extulerunt, ex ea peregrinatione fructum aliquem colligant. Quo ſane fit, ut aliqui cum publicorum, tum privatorum etiam ædificiorum exempla capiant; quidam vero, ſi qua ſunt reliqua vetera monumenta, illa perſcrutentur; alii quid regio quæque ferat eximium, atque ſingulare, cognoſcere velint; nonnulli, prout in aliquam vel arcem, vel urbem inciderunt natura, ſive operibus artis ita communitam, ut inexpugnabilis habeatur, ejuſdem formam, atque figuram exprimere ſtudeant, deductis ad ipſam rem imitandam quam proxime lineis: unuſquiſque tandem ea notat, atque obſervat, quibus ſuum ipſius ingenium potiſſimum capitur, aut etiam quorum commemorationem audientium auribus cum jucundiorem, tum etiam admirabiliorem poſſe accidere exiſtimat. Ab hac igitur laudabili conſuetudine cum minime diſcedendum mihi judicarem, aliquid monumentis litterarum prodere conſtitui, quod hæc ipſa præſtaret, ac teſtatum relinqueret, quaſcunque provincias, aut urbes hoc anno perluſtraſſem, poſteaquam mihi *Florentiâ* diſcedere contigit, ſine illo fructu neutiquam obitas fuiſſe, quem trahere, & percipere debent omnes illi, qui dormien-
A dum ſibi in hac vita minime putant. Cum vero diu cogitaſſem, quæ potiſſimum ſcriberem, ea commemoranda non duxi, quæ ſuperius enumeravi, propterea quod ipſorum notitiam quilibet aliunde ſibi facile comparare, atque haurire poteſt; amici autem mei, quibus ego rem gratam facere in primis ſtudeo, his multo præſtantiora, atque majora intelligere cupiunt. Quapropter in eam ſententiam adductus ſum, ut æque jucundos, & hilares, atque ſerios, & graves exponerem, atque traderem ſermones quoſdam, quos cum noſtro *Joanne Borgareno* duo *Veneti* Patricii contulêre, *Tryphon Gabrielius*, & *Hieronymus Quirinus*, atque etiam unus
B è *Patavinis* civibus *Nicolaus Leonicus*, omnes cumulatiſſimi plurimis, maximiſque virtutibus, ipſaque fama celeberrimi, & maxime illuſtres. His autem ſermonibus cum ego quoque interfuiſſem, id quod magnopere ſemper optaveram, ex iis intellexi, *Venetæ* Reipublicæ ſcilicet adminiſtrationem, maxime dignam quidem illam hiſce temporibus, quæ à cunctis intelligatur, nec non obſervetur, neque vero minus à nobis omnibus ſuſpiciatur, quam priſcis illis temporibus ſuſpicerentur Reipublicæ *Lacedæmoniorum*, atque *Romanorum*. Et quoniam ſermo primum habitus [1] fuit *de Adminiſtratione illius Reipublicæ in genere*, deinde
C vero *de ſingulis Magiſtratibus*, poſtremo *de Forma*, ſive *Temperatione ejuſdem Reipublicæ*; à primo nobis etiam fuerit auſpicandum, non ſolum quia natura ita comparatum eſt, ut communiora faciliorem intelligentiam habeant; ſed etiam quoniam ab hoc primo ſermone proximus alter totus neceſſario pendet, ab utroque autem tertius eadem ratione. Atque ut melius intelligatur, & percipiatur, quæ fuerit occaſio *Tryphoni Gabrielio*, horum ſermonum autori, collo-

---

1. *Et quoniam ſermo primùm habitus fuit, &c.*] De *Veneta* Republica tria proponit *Iannotius* tractanda, quæ totidem dialogis complecti inſtituerat. Ex his deſiderantur poſtremi duo, aut non editi in lucem, aut ab implicito occupationibus aliis nunquam conſcripti. Veruntamen ea, quæ altero dialogo de ſingulis Magiſtratibus fuerant explicanda, memoriæ prodidit eruditiſſimus, atque illuſtriſſimus vir *Caſpar Contarenus*, ex quibus expleri poterunt ea, quæ deſunt huic loco: quodque pariter dialogo tertio diſputandum fuerat de genere, ſive forma *Veneta* Reipublicæ. Nos ejuſdem *Contareni* opinionem explicaturi pertractabimus, ut huic quoque deſiderio ſatis à nobis fiat.

loquendi, atque disputandi his ipsis de rebus, paulo quidem altius, & aliquanto longius à re proposita exordium repetam, mox tamen sequar eundem ordinem, quem adhibuit ipse in suis gravissimis, sapientissimisque sermonibus instituendis.

Itaque cum *Patavium* accessissem, ab *Ioanne Borgareno* cive nostro accersitus, ut una liberalissimis artibus operam daremus, ubi quieti dies aliquot sunt à me concessi, id in primis curavit *Ioannes* vir admodum prudens & humanus, ut diligenter, & per otium aspicerem, quicquid esset in illa urbe pereximium, atque singulare, nimirum publica, & privata quæque ædificia cum elegantissima, tum etiam ornatissima, nec non mœnia recentissime exstructa circa totam urbem, quibus inexpugnabilis eadem redditur, alia quoque plurima ejus generis, quibus à me diligentissime inspectis, atque animadversis, dedit ille operam, ut aliquot insignes, atque egregios viros, qui *Patavii* tunc erant, de facie cognoscerem. Quare cum perductus fuissem ab eodem ad virum summis honoribus, summaque reverentia dignissimum *Petrum Bembum*, cujus fama propter eximias animi virtutes longe, lateque diffunditur, sane quam facile aditum impetravi. Conveni præterea *Nicolaum Leonicum*, Græcæ, Latinæque Philosophiæ maximum magistrum, prout unicuique cognoscere licebit ex iis, quæ non pauca conscripsit, atque in lucem edidit. Versabatur *Gabrielius Trypho* tunc in quodam suo prædio, ubi diu, multumque commorari ipse consueverat ab omni procul ambitione liber, atque expeditus à cura, & sollicitudine civilium rerum, & ob eam quoque rem incommodorum expers, quæ urbana vita secum plurima afferre solet. Ille vero in sua villa satis beate, ac feliciter fruitur hac vita, communique omnibus spiritu, & quidem tanta cum animi sui tranquillitate, quantam maxime potest humana mens capere; neque sane ullum tempus intermittit, quin antiquissimos illos, & præstantissimos viros sibi socios adhibeat, *Marcum*, inquam, *Tullium*, *Virgilium*, *Horatium*, *Dantem*, *Petrarcham*, atque *Boccacium*, quibuscum ille continenter ætatem agit in evolvendis eorum voluminibus multum occupatus. Et quoniam villa, in qua degit, non multum abest ab Urbe, usu etiam venit eidem, ut citra incommodum *Patavium*, quoties liber, frequentare possit, ad amicis impertiendum aliquid suæ suavitatis ex consuetudine, quam profecto universi, qui noverint hominem, expetere, atque complecti quam avidissime solent. Nam præter insignem morum suorum gravitatem, refertus est quam maxima comitate, & benignitate, quæ res cunctorum mentibus afferunt incredibile quoddam Viri desiderium. Veruntamen id in præsentia mihi non est propositum, ut hujus nobilissimi Viri egregias virtutes prædicandas suscipiam, propterea quod & ipse laudibus à me profectis non indiget, & ego potius ad sermones, quos habuit, exponendos propero, quæ documenta præstiterint uberiora insitæ virtutis. Posteaquam igitur intelleximus eundem *Patavii* futurum intra spatium bidui, decrevimus expectare potius adventum suum, quam eò nos conferre: quo quidem curriculo elapso statim atque fuit auditum à nobis ipsum advenisse, salutandi causa convenimus ad ædes *Petri Bembi*, apud quem divertere solet, cum *Patavium* venit, ibique Hominem nacti ex animi voto, perhumane atque peramanter ab eo fuimus accepti. Peractis autem mutuis salutationibus, ubi suam operam, atque studium alter alteri detulit, quemadmo-

A dum moris est inter illos, qui non sunt antea noti, in quoddam cubiculum secessimus ab ipso deducti, quod aliquantum aberat ab ædium frequentissima parte, ibique ut assedimus, colloqui cœperunt ipse *Trypho*, & *Ioannes* in hanc sententiam.

Trypho. Multum est, mi *Ioannes*, id, quod tibi debeo, cujus opera, atque studio in singulos dies novis copiis amicorum subinde augeor: quæ sane res tanti est apud me, ut neque abs te, neque à quoquam alio majus, & præstantius beneficium accipere queam.

Ioannes. Si noster amor, nostraque amicitia patitur, suavissime *Trypho*, ut alter nostrum alteri
B quicquam debeat, ego sane plurimum tibi debere me sentio pro multis officiis, in quibus hoc ipsum esse non postremum duco, quod per te mihi licet iis, qui me invisuri *Patavium* accedunt, amicis meis, impertire fructum jucundissimum tuorum sermonum, eoque cum honoris, tum officii genere eos prosequi, quod multo pluris absque dubio faciendum est, quam si quis exhibeat ad spectandum ædificia magnifica, vias publicas, ædes sacras, atque id genus alia, quæ præclara, & maxime insignia videntur esse in hac Urbe. Hinc etenim contingere vix unquam potest, ut aliquis evadat prudentior, & sapientior, quam fuisset antea: sed consuetudines, & colloquia cum probis viris id præstant,
C ut quisque non modo magis prudens excitata industria, verum etiam fiat & solertior, & promptior ad amplectendas virtutes. Quare si quis amicorum me adit longe charissimus, huic ipse tribuere valeo nihil amplius, sat scio, sive ad jucunditatem aliquam, sive ad animi fructum, quam tuam consuetudinem, & familiaritatem. Omnes enim eximias, singularesque virtutes, unde singulorum mentibus ea vis, quam dicebam, ingeneretur, in te perspicere, atque intueri ipse mihi videor. Sed quia in hunc sermonem incidimus, aveo tibi dicere, quid nobis in mentem venerit, cum te modo adire-
D mus.

Trypho. Dicito, mi *Joannes*, quicquid lubet: id enim mihi quoque futurum est perjucundum, quod esse visum fuerit ex animi tui sententia. Unà conterere totum debemus hunc diem, & si aliquid est nobis optandum, quo tædium levemus, nihil optabile magis arbitror, quam scitum aliquod colloquium.

Ioannes. Cum ad te proficisceremur modo ex ædibus nostris, cœperam huic familiari meo tuos mores exponere, & hujusce vitæ rationem à te institutæ, quæ mihi quantum probetur, vix queam verbis consequi. Cogitantibus autem nobis quisnam existeret, quicum conferendus esses è veteribus, is in mentem venit, quem *Cice-*
E *ro* longe amicissimum habuit, suisque scriptis admodum celebravit, *Pomponius Atticus*. Siquidem ambo nati estis è gente Patricia, patriamque nobilissimam, atque celeberrimam nacti: *Pomponius* autem cum materna sua lingua facundissimus esset, *Græci* sermonis fuit etiam sane quam peritus. Tu quoque cum hac vernacula lingua, quâ modo utimur, tum *Latino* sermone, & scribis, & loqueris omnium quàm ornatissime, atque elegantissime. Pares itidem, & similes estis adeo liberalitate, ut ea certo sta-
F tui non possit uter antecellat. Quamvis enim eâdem, quâ *Pomponius* olim magnificentia pecunias, & facultates tu largiri non possis, qui à re domestica non ita es, ut ille, paratus; magna tamen est copia tibi, quæ nunquam deficiet amplissimarum virtutum, atque maximarum, quas cum aliis quia communicare perbenigne so-

soles, hoc sane fit, ut liberalitas tua sit eò major, atque excellentior habenda, quò magis antecellunt virtutes divitiis, atque iis omnibus, quæ vocantur fortunæ bona. Quod autem vos quam simillimos, & quam conjunctissimos efficit, est id vitæ genus, quód uterque vestrum pariter colit, atque amplexus est. *Pomponius* semper à publicis negotiis vacuus, solutusque vixit: tu vero civilium rerum quamvis peritissimus, ut ille quoque fuerat in sua Republica, nihilominus ab ipsarum administratione te contulisti ad hanc vitæ summam quietem, & tranquillitatem, qua certe quemadmodum ille ita fruebatur, ut aliis etiam prodesset, atque adeo prospiceret, quibuscunque consiliis, atque rebus maxime posset: sic etiam tu nihil officii in quiete hac tua prætermittis, quod à te proficisci in communem rem possit. Itaque in hac ipsa collatione facienda cœpimus accurate inspicere, atque animadvertere utriusque temporis rationem, atque conditionem præsentis, inquam, ætatis, atque illius, quæ tunc erat, utrum his quoque intercederet ea similitudo, & conjunctio, quam vobis ipsis intercedere palam intuebamur, ut id, quod vulgo prædicari, jactarique solet, easdem sæpenumero conditiones temporum redire, & incurrere, tanquam verum, minimeque ambiguum affirmari posset, argumento quidem ad fidem faciendam multo efficaciori, quam indumentorum, & ejusmodi aliarum rerum, quæ quotidie versantur in sermone plebeculæ rudis.

Trypho. Persuasissimum quidem habeo, id veri quam simillimum esse, sive Apophthegma, sive Proverbium appellare velimus, multis saltem ex partibus, si non omnino. Conjicere autem hoc ille facillime potest, qui mentis aciem, & contemplationem voluerit intendere ad eum, qui nunc est, rerum statum, *Italiæque* miserrime affectæ conditionem, cujus quidem infortunia, & calamitates duo tempora mihi videntur habere spectanda præcipue; alterum quod ipsi pariter *Italiæ*, ac Imperio *Romano* prima causa, & origo malorum fuit, quando *Cæsar* suis armis Urbem oppressit; alterum, quod ejus miserias tandem ad summum extulit, quo tempore *Gothi*, *Hunni*, *Vandali*, atque *Longobardi* totam Regionem excurrentes fœdissime sunt depopulati. Nunc autem si contemplari pergamus ea, quæ cum in Oriente, tum in Occidente paucis abhinc annis plurima contigerunt, animadverti facile poterit, iis omnibus, qui in *Italia* degunt, alterum ex illis temporibus imminere: utrum autem sit magis pertimescendum, expedire non possum. Nam prius illud tempus, quod antecessit, ab altero deinde proximo fuit exceptum, unde vicissitudines omnes illæ ortum habuerunt, quæ cunctis rebus eam, quam cernimus adhuc, faciem induxerunt, abolita penitus, & sublata jam pridem forma, quæ temporibus fuerat veterum *Romanorum*. Sed nolo certe committere, ut totus hic dies tribuatur nostris ærumnis, calamitatibusque recensendis. Quare veniam ad id, quod præcipue me attingit: nam quæ tu modo de me affirmabas, ego minime probo. Vide autem ne summa tua benevolentia erga me omnem modum excedat, teque in fraudem adducat: quandoquidem nullam in me tam insignem virtutem agnosco, ut cum tali viro, qualis fuit *Atticus* ipsa re, videar comparandus. Illud tamen in præsentia non differam, utrum cum eo componendus ipse, nec ne sim; propterea quod in hac disputatione si nonnihil versarer, merito suspectus evaderem, quasi existimarem, ingenio, aut prudentia *Pomponium* æquari à me posse. Quod autem modo dicebas, nos quam

A simillimos reddere, in eo similitudinem aliam nullam esse video, quam cujusdam eventus. Nam, quemadmodum ille administrationem Reipublicæ attingere noluit; ita sponte à publicis muneribus ego me subduxi: sed rationes, & causæ non sunt eædem, quæ nos impulerunt ad optandum idem vitæ genus, quin immo plane sibi sunt adversæ, & contrariæ. *Pomponius* enim cum intelligeret suam Rempublicam corruptissimam esse, neque vero integrum sibi fore, ut formam pristinam eidem restitueret, ab eadem gerenda destitit, ne simul periret; siquidem Respublica, quæ non manet in suo statu, perinde se habet, atque mare tempestatibus B agitatum, cui si quis interea se, suaque committit, non habet inde facultatem arbitratu suo pedem referendi. Ego vero curam omnem civilium rerum non ob id omisi, quandoquidem nostra Respublica non est depravata, quin potius hac ætate (ni fallor) est omnium absolutissima, atque perfectissima, si fuit unquam alias, quippe cujus ratio est ejusmodi, ut excellentioribus institutis temperari nequeat, neque vero majori cum tranquillitate, & concordia geri, cum sit à seditionibus insitis plane disjuncta, omnibusque iis rebus, quæ florentissimis Civitatibus perniciem afferre solent, quodque longe præstantissimum est, optimorum, fortissimorumque civium magna copia floret, quorum C sapientia, & virtute quam felicissime regitur. Quamobrem ipse mihi non parum congratulor, primum quod in *Italia* præcipuè natus sim, hoc est in regione cæterarum principe, ac regina; deinde *Venetiis*, qua in Urbe multas ex illis virtutibus expressas licet intueri, quæ de priscis hominibus illis cum *Romanis*, tum *Græcis*, constanti fama, & omnium sermone celebrari solent. Atque eo sane fit, ut neque *Lacedæmoniorum*, neque *Romanorum* multum invideam Reipublicæ: licet enim tot gentes, provinciæque ceciderint sub hujus imperium, quod omnes noverunt; non tamen idcirco minus beatam, fe- D licemque nostram ipse duxerim; quandoquidem non est in magnitudine imperii publica felicitas sita; sed in ea re, ut pacate, & tranquille cives omnes vivant; quo in genere, si nostram Rempublicam dixero *Romanæ* antecellere, puto equidem fore, ut nulli prorsus accusationi jure sim obnoxius. Ex his igitur, quæ disputavi, potes intelligere, iisdem rationibus me non adductum fuisse, ut hoc ipse genus vitæ instituerem complecti, quibus impulsus est olim *Pomponius Atticus*. Commemorare autem nihil modo attinet, quid me induxerit ad suscipiendam hanc rationem vitæ: quod si forte cognoscere studeas, atque instare pergas, hoc unum certe E in præsentia dixero; ad hanc vitam liberam, & omnibus curis humanis expeditam, ipsa natura me propensum semper exstitisse, eandemque libentissime complexum fuisse; quod certo scirem patriæ meæ nihil hanc rem vel officere, vel incommodare, cui quidem cum suppetat ingens copia præstantissimorum civium, nihil opus est opera, vel industria mea. Præter hæc, alia non pauca possem adducere ad hanc ipsam vel causam, vel defensionem meam; veruntamen ea dixisse, quæ audisti, sufficiat.

Ioannes. Valde mihi probantur isthæc omnia, quæ de te, atque *Pomponio* disseruisti, in quibus modestiam ingenitam tibi facile cognovi. F Sed in præsentia nolo ad tuas laudes prædicandas ingredi, cum præsertim eæ non satis æquis auribus à te accipiantur, ut ego quidem arbitror, ea de causa quod existimes, ibi non esse verbis, & sermonibus opus, ubi res ipsa loqui-

A tur, operaque extant. Enimvero si rectè sermones tuos ipse animadverti, dictum est à te modo, non habere te, quod *Romanis* ita multum invideas, & tantum non æquare cum illis cives tuos cœpisti. Dic ergo sodes: Esne tu revera in hac sententia, ut existimes, Rempublicam vestram cum *Romana* comparari posse?

Trypho. Ita plane sentio. Nam, quamvis imperium nostræ Civitatis, ut modo dicebam, amplitudini *Romanæ* respondere nullo modo queat; alia tamen, & satis quidem multa non desunt, quibus ea quoque multum superatur à nobis, unde compensatio quædam, & æquali-
B tas oritur. Quidam autem ex iis, quorum monumentis Res à nostra Republica gestæ commendatæ fuerunt, [1] in quorum numero est, ne quid te celem, M. *Antonius Sabellicus*, quem virum nomine coram aliis minime appellassem, ne quis existimaret à me illum accusari; qui summa eloquentia nostræ Urbis res illustravit; fuerunt, inquam, nonnulli, qui *Venetam* Rempublicam cum *Romana* conferre voluerunt; sed in ea collatione instituenda non usi sunt ea prudentia, quam res exigebat. Nam bella nostra tantummodo cum *Romanorum* bellis contulerunt, quæ procul dubio vel intervallo quam longissimo non possumus assequi. Neque verò quisquam est
C adeò rudis, atque rerum expers, quin, ubi collationem à Sabellico *in Historiis suis* institutam legerit, eandem sentiat assentationem quandam manifestissimam esse, [2] cum tamen idem multa præterierit, atque missa fecerit, quæ satis confidenter afferre poterat, iisque fundamentis innixus utramque rempublicam citra ullam suspicionem assentandi inter se componere.

Ioannes. Tui quidem hi sermones, *Trypho* suavissime, cupiditate sciendi magna me incitarunt, quanam ratione vestra Respublica *Romanam* æquiparet. Profectò si rem ita se habere putarem, esset quod animo ingentem voluptatem caperem, dum cogitarem, non esse damnanda tam facile hæc tempora, quibus ejusmodi Rempublicam stantem intueamur, quæ minime concedat antiquissimis illis, quæ sermonibus, & prædicatione cunctorum sunt adeò celebres. Quæso igitur, ne graveris, quando in sermonibus ejusmodi hic dies traducendus est, hoc ipsum, quod ajebas modo, mihi comprobare.

Trypho. Nihil, quod tibi jucundum accidat, mihi grave duco: sed heus tu, habesne compertum, quânam ratione Respublica à nobis administretur? quæ sit ejusdem forma? quæ temperatio? quæ leges?

Ioannes. Equidem legi pridem quoddam *Sabellici* opusculum, in quo vestri Magistratus omnes percensentur: percunctatus etiam sum à pluribus, modo hoc, modo illud: sed tamen ex iis omnibus, quæ vel ipse legi, vel ab aliis accepi, nondum Reipublicæ vestræ administrationem plane sum assecutus, quemadmodum se habeat, & cujusmodi sit. Atque ut dicam illud, quod ipse sentio, ille *Sabellici* libellus non est magno usui. Licet enim commemoret, atque enumeret singulos Magistratus, tamen non subjicit oculis, neque exprimit ipsam formam, & coagmen-

1. *In quorum numero est, ne quid te celem, M. Antonius Sabellicus.*] Satis acriter Auctor hoc loco perstringit *Sabellicum*, quem apertissimè assentationis nomine condemnat; quin, ut vulnus altius infligat, talem civem, & Patricium *Venetum*, qualis *Trypho Gabrielius* fuit, summa opinione integritatis, atque innocentiæ hæc differentem inducit, quæ tamen ab eo profecta nullo modo existimo, sed ab ipso *Iannotio* in *Sabellicum* non benè animato, qua de causa, incertum; non enim decet judicium interponere in re minimè nota. Ab *Iannotio* certè, quod constat, *Bodinus* hausit, vir doctrina varia, & multiplici, magnaque eloquentia, sed præcipiti nimis ad res innovandas ingenio, & ad optimis quibusque auctoribus detrahendum maximè proclivi. Insectatur is quam acerbissimè pluribus in locis, sed præcipuè *Cap. IV. suæ Methodi* Antonium Sabellicum, quem incessit his verbis: *Quis autem risum tenere possit, qui Sabellici scripta legat, ubi Venetorum bella cum Romanis gestis comparat. At ne Donatus quidem Iannotius civis Venetus istam comparationem ferre potuit.* Equidem Bodino *Iannotius* eam gratiam debet, quod *Venetus* civis è *Florentino* sit repentè factus:. quanquam id ut memoriæ lapsus excusari potest. Illud autem quanam ratione excusari poterit, hominem, qui prudens atque sapiens haberi velit, ab alieno sic pendere judicio atque sensu, ut temerè sententiam ferat incomperta re, aut certè non probè cognita, matureque perpensa. Nam si *Bodinus* ea, quæ *Sabellicus* scripsit, non oscitanter legisset, hanc *Iannotii* censuram minimè probasset, neque Virum innocentissimum irrisisset, ne risus in se tandem consequerentur. Sed audiamus ipsum *Sabellicum* suis verbis loquentem. Volumus enim, ut non alius, quàm ipse, causam suam agat, & se ipsum vindicet à calumnia per injuriam imposita. Hæc igitur ait in Præfatione, seu Proœmio suæ Historiæ Rerum Venetarum. *Fuerunt populorum quorundam, qui imperio quandoque potiti sunt, res, quis nesciat? magnificæ & amplæ, vel in primis Romanorum, quibus splendore ac magnitudine eorum, quæ foris gessère, fortasse cedimus: verùm sanctitate legum, juris æquatione, innocentia, cæterisque sanctioribus institutis res Venetæ cum Romanis collatæ non modo non deteriores illis, sed longè etiam, adsit modo æquus judex, meliores reperirentur.* Fatetur ergò *Sabellicus* ingenuè id, quod res est, neque amplitudine imperii, neque rerum gestarum gloria *Romanæ* Reipublicæ *Venetam* exæquandam; alia tamen quædam esse, quibus eadem meritò videri queat non solum par, sed superior; cujusmodi sunt sanctitas legum, juris æquatio, innocentia, innata libertas, quin etiam originis primordia, quæ probat honestiora multò accidisse, & nobiliora *Venetæ* Urbi, quàm *Romanæ*. Hæc autem, præterquam quod ab omnibus uno fermè ore celebrantur, sunt ferè eadem, aut certè non diversa multum ab iis, quæ *Iannotius* hic tradit, ut satis mirari nequeam, quid illi venerit in mentem, accusare *Sabellicum* plane sibi consentientem. Nam licet idem non semel *in suis Historiis* inter se contulerit gesta utriusque Reipublicæ, nullibi tamen, quod sciam, vel potentiam, vel imperium æquavit; sed in quibusdam rebus tantum eventa, pericula, labores, consilia, fortunæ varietates, atque id genus alia notavit, in quibus cum multa inveniret inter se quam simillima, operæ pretium duxit, quam speciem & similitudinem in iis cognovisset, eandem quoque spectandam aliis exhibere. Hac ratione ductus *Decadis primæ Libro secundo* bellum à *Gallis Senonibus* Urbi *Romæ* illatum, quod ad sedes *Capitolinas* usque pervasit, composuit bello, quo *Galli*, *Pipino* Duce, in intima hæc æstuaria penetrarunt, imminentes *Rivo - Alto*, quo tanquam in tutissimam arcem, *Metamauco* relicto, *Veneti* Magistratus, & cives omnes commigrarant. Cum autem multa percenseret in ea collatione, quæ viderentur utrinque esse quam simillima, id in quo tam *Romana* fortuna superior, quàm virtus apparuit, minimè prætermisit, immò verò prædicavit iis verbis: *Verum in eo Romana virtus clarior, quod hostes ad unum cæsi sunt.* Sic etiam initio *primi Libri secundæ Decadis* bella descripturus contra *Genuenses* suscepta, præfatur, ea simillimam videri sibi habere speciem cum iis, quæ *Romanus* populus cum *Carthaginensibus* olim gessit. Enumeratis autem iis, quæ conflare hanc similitudinem sibi viderentur, tandem ita concludit. *Eventus si non idem, non tamen omninò diversus. Excidit Carthago illa ingens: superba Genua abjectis armis, quia plus non potuit, victoribus Venetis perpetuò cessit.* Quid habent hæc verba, quod justè reprehendi valeat? Nonne sincerè veritatis expressam confessionem continent? Ubinam assentatio? Ubi mentiendi libido? Non erat igitur, cur *Iannotius* iniquè carperet: multoque minus, cur *Bodinus* irrideret, & petulanter inveheretur in virum innocentissimum, qui satis bona fide *Venetos* cum *Romanis* contulit.

2. *Cum tamen idem multa præterierit, atque missa fecerit,*] Quid præterierit *Sabellicus*, nescio; illud verò scio, memoriæ commendasse quamplurima, ab ipsa veritate, mirum, quantum disjuncta, & procul remota: non quidem dedita opera, absit ab innocentissimo Viro tantum criminis, sed quia natus alieno solo, & ab iis monumentis destitutus, è quibus veritas erui solet. Illud verò non satis mirari possum, multos fuisse Rerum *Venetarum* Scriptores, qui ex eo non pauca ejus generis transcripserint. Longum esset recensere, quoties Historicus ille offenderit. Sed exemplo esse possunt, quæ de *Francisco Dandulo* Duce literis mandavit, cui cum paternum esset, & avitum, ac gentile cognomentum *Canis*; fabellam ex eo haud invenustam aut concinnavit, aut transcripsit: Ducem ipsum, antequam Principatum adeptus esset, ad *Romanum* Pontificem Oratorem, ut eum *Venetæ* Reipublicæ, cui sacris inter-

mentationem totius Reipublicæ, seu temperamentum.

Trypho. Non est alienum à veritate hoc, quod ipse dicis: habet enim se Respublica quælibet ad instar cujusdam corporis, sive ut verius dicam, ipsa est quoddam corpus, à natura quidem ipsa præcipue formatum, sed mox ab arte quoque multum expolitum: Siquidem quando natura hominem effinxit, universitatem, seu communionem quandam formare instituit. Itaque cum singulæ Respublicæ sint quoddam corpus, necesse etiam est, ut sua membra singulis non desint, quibus membris quoniam mutua quædam ratio, & conjunctio debet intercedere, non secus atque inter membra cujuscunque corporis; inde fit, ut qui hujusmodi conspirationem, atque societatem singulorum Reipublicæ membrorum inter se non cognoverit, ne corpus quidem ipsum intelligere valeat, qua ratione sit constitutum, atque adeo affectum. Hoc ergo est, in quo *Sabellici* diligentiam, studiumque desidero, qui tametsi collegerit, atque recensuerit omnes Magistratus; non tamen aperit, quonam inter se modo sint apti, connexique, & quid, quantumque alter ex altero pendeat, ita ut absoluta, planeque integra conformatio Reipublicæ colligi inde valeat. Quapropter id principiò tibi cognoscendum fuerit, quemadmodum administratio nostræ Reipublicæ temperata sit; alioqui nihil eorum, quæ cupis, intelligere poteris. Nescio tamen, utrum hæc omnia possint expediri commode hujus diei duntaxat exiguo curriculo.

Ioannes. Mihi quidem satis fuerit à te percipere genus ipsum administrationis in vestra Republica; hoc enim percepto facile, deinde deinde cognoscere potero, &, quibus in rebus ea vel consentiat, vel discrepet ab omnibus aliis, apud me statuere.

Trypho. Recte ais. Itaque sermonem instituemus *de nostra Republica*, qui tibi non mediocri voluptati futurus est administrationes varias civitatum investigare, atque intelligere cupienti. Nam perspicies in hac nostra ratione [1] præstantissi-

---

terdixerat, conciliaret, cum neque audiri, neque coram admitti ab irato Pontifice posset, clam accessisse, dum ille pranderet, prostratumque sub mensa, uti canes soliti sunt, & pedes amplexus quæcunque petebat, obtinuisse, indeque *Canis* cognomentum nactum. Attamen scimus nos, & cuilibet facile notum esse potest, non modò ex iis literis, quæ anno à Christo nato 1280. *Johannes Dandulus* Dux dedit ad exteros Principes, in quibus disertè scripsit. *Ordinamus Nobiles, & sapientes viros Marcum Quirinum, Ioan. Canem Dandulum, & Iacobum Theupolum Ambassatores, &c.* & ex iis, quæ Petrus Guilombardus *in suorum temporum Historia* memoriæ tradidit. *Franciscum Dandulum, filiumque D. Ioannis Canis electum fuisse Ducem*, 8. *Ianuarii* 1328. quæ cuncta literis consignavit *Franciscus Sansovinus*: sed multò magis ex multis antiquissimis contractibus, & testamentis *Dandulæ* gentis, & ex publicis fastorum tabulis, quæ *Consilia* vocant, non modò patrem, & avum *Francisci* ipsius Ducis, sed plures alios ex ea familia *Canes* appellatos: Quæ cuncta apud se habet *Dominicus Molinus*, Senator amplissimus, & cui Respublica literaria non minus, quàm *Veneta* plurimum debet.

1. *Nam perspicies in hac nostra ratione.*] Si quid *Iannotius* culpat, id quam avidissimè arripit, sed non tàm facilè assentitur *Bodinus*, si quid ille probat. Nam propensissimus est ad maledicendum, quod sanè ingenii quodam vitio, sive morbo facit; præcipuè verò quodam odio imbutus in Rempublicam *Venetam* nihil non agit, ut ejusdem existimationem imminuat, & splendorem obscuret. Itaque quam præstantissimam affirmat *Iannotius*, & ex antiquis rebuspublicis nulli inferiorem, hanc ipse infra omnes abjicit, abjectamque obterit. *Aut*, inquit, *præstantia Venetorum est in bellica virtute, aut in legum æquitate, aut in imperii magnitudine, & opibus, aut in artium varietate.* Hæc à se ita enumerata cuncta iisdem detrahit, tametsi nonnihil hærere cogitur in legum præstantia. Sed veritas facilè contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias se per se ipsam defendit. In enumeratione sua prætermisit *Bodinus* unam ex partibus præcipuis, quæ quia in civili administratione cuncta sibi vendicat, à Philosophis appellatur Civilis Virtus, aut etiam absolutè Virtus. Callidè verò satis, atque fraudulenter id, quod erat caput, subjecit tanquam appendicem, cum ait: *Veneti si qua virtute, profecto consiliis, & prudentia præstant; aliarum virtutum laudem, nec illis eripere, nec concedere velim majorem, quàm aliis.* Ab homine vel invito hanc vocem veritas expressit, ut, dum tribueret *Venetis* id, quod erat maximum, cogeretur approbare ex ea confessione summam Reipublicæ præstantiam atque dignitatem, in qua potissimum vigeret, ac eniteret ea virtus, *quæ*, ut docet Aristoteles III. Politicorum, *cum tàm parentibus, quàm Imperantibus aliæ sint communes; ipsa duntaxat Imperantium propria virtus est.* Attamen *Bodinus* eam non attingit, nisi perquam leviter: inter præcipuas partes certè non enumerat: quanquam ea, quæ recenset omnia, sunt quasi asciticia, nihilque, excepta præstantia legum, Reipublicæ insitum. Nam bellica virtus eatenus est necessaria, quoad incolumitas reipublicæ ac dignitas defendenda est acriter: alioqui pro animi libidine lacessere bello, & immerentes vexare non censetur æquum, & multo minus liberos homines libertate spoliare. Quo fit, ut etiam propagare imperium, quod gloriosissimum habetur, finitimasque regiones ditioni suæ adjungere, multo sæpius aliquid criminis, quàm laudis veræ habeat. Cur autem *Veneti* suum Imperium latius non protulerint, causas multiplices atque varias copiosè refert Vir liberalibus disciplinis, & eloquentia non minus, quàm generis splendore, & amplissimis dignitatibus nobilissimus Paulus Paruta *in suis Disputationibus Politicis*, quas *Italicè* scripsit. Sed caput illud est; *Suis contentos fuisse, aliena nunquam appetivisse priscos illos Venetos, quippe qui non alia de causa in æstuaria convenerant, quàm ut hostium impetus effugerent, pacateque viverent*: id verò moderationis, atque justitiæ, non imbecillitatis, aut desidiæ argumentum est. Siquidem classes instructissimæ, longeque ornatissimæ frequenter emissæ, & omnes apparatus bellici paratissimi: resque tot, tantæque præclarè, fortiter, & feliciter gestæ, quibus omnes historiæ refertissimæ sunt, satis superque mendacii, immò vero summæ malevolentiæ & livoris coarguunt *Bodinum* ajentem, *Venetos bellica laude omnibus ferè populis inferiores esse.* Quod si perpetuo bello pacem præverterunt, & non nisi provocati maximis injuriis, aut religione, & *Italicæ* libertatis causa animum induxerunt, ut arma tandem sumerent, facilè quoque deponenda, ubi res & occasio ita postularet; optimo consilio sunt usi, & adducti ea ratione, quod, ut Aristoteles ait, VII. Polit. *Finis belli pax est, atque otium negotii.* Qui verò solent incertis belli casibus se, suaque committere, plurimùm etiam à fortuna pendere coguntur, & periclitari sæpe de salute, non de imperio tantùm. De *Venetis* opibus, quas idem *Bodinus* extenuat, dum publici Ærarii inopiam quandam causatur, dabitur alias differendi opportunissimus locus. Sed profectò *Bodinus* ostendit, quam parum sapiat, qui pacis diuturnæ commodis florentem Rempublicam non distinguit ab ea, quæ tunc erat, cum *Iannotius* hæc scriberet, triennio tantum post obitum Ducis *Leonardi Lauredani* ex diuturnis bellis afflicta, plurimumque exhausta. Ferri autem nullo modo debet, neque potest, quod ait de Religione, atque interserit alienò loco; complexùs enim enumerando eam minimè fuerat: sed cum sciret, hoc nomine *Venetos* plurimum gloriari, quod Religionem sinceram perpetuò coluissent, in qua esset eorum Respublica educata, & orta, conatus est hanc illis laudem eripere, aut certè imminuere, dum ait, *Venetos non curare magnoperè, quam quisque religionem privatim colat*, idque ex eo colligit, quod Pontificibus Quæstiones Impietatis ademerint. Vtrumque falsum; nihil enim adimi cuiquam potest, quod ei non fuerit permissum; permitti verò non potuit, antequam fuerit institutum. Quæstiones autem Impietatis in *Veneta* ditione jam inde ab anno 1289, à *Christo* nato haberi cœptæ, *Marino Mauroceno* Duce, non quidem ex Pontificis Maximi decreto, aut sacræ, ut vocant, Inquisitionis Tribunali erecto: sed pro *Veneta* Pietate, quod os maximè debet obstruere *Bodino*, ab ipso *Duce probi viri* ex Reipublicæ decreto *constituti*, ut Annalium verbis utar, *pro inquirendis hæreticis, quos inventos, & Prælatorum judicio damnatos, Dux comburere teneretur.* Tribunal verò, quod modò videmus, non ita longo intervallo permissum est Ecclesiasticis Viris. Sed ubi primum à Senatu concessum, ea cautio est adhibita, ne specie Religionis innocentes oppressi, vel in discrimen capitis adducerentur, vel bonis atque fortunis everterentur. Quapropter optimo consilio institutum fuit, ut ex ordine Patricio tres Viri designarentur summa cùm dignitate, tum prudentia præditi, qui rebus omnibus adessent, iisque probè cognitis, tum demum pronuntiari sententiam permitterent, cum res teneretur, omnisque fraudis aut malitiæ suspicio abesset. Nam semper *Venetæ* Reipublicæ id propositum fuit, ut exteros etiam & peregrinos, nedum cives suos, præstaret ab omni violentia & injuria tutos, & ne calumniis atque fraudibus locus ullus es-

 set,

tiſſimas leges, optima inſtituta, & prudentiſſimam rerum omnium temperationem: & quanquam ſingula, prout res ferret, atque exigeret, accuratiſſime, atque exactiſſime modo non obſerventur; nihilominus hæc noſtra civilis adminiſtratio non ita multis accuſationibus, ſive reprehenſionibus patet. Cadit enim hoc vitium in formam Reipublicæ quamlibet, id quod exemplis cum *Romanorum*, tum *Spartanorum* apertiſ-

A ſime conſtat. Satis eſt autem univerſa, quæ contingunt, errata in hac Civitate non ejuſmodi eſſe, ut aliquod inſigne detrimentum importare poſſint.

Ioannes. Perquam mihi gratum, jucundumque fuerit, inſtitutiones haſce veſtras probe omnes cognoſcere, quas quidem ego non dubito præclariſſimas eſſe. Siquidem Imperium, [1] quod in tam multa ſecula ſtabile permanſit, nulla dome-

ſet, quibus innocentium hominum vita periclitaretur, aut exiſtimatio graviter offenderetur. Hinc ea libertas tantoperè celebrata, quæ communis eſt omnibus iis, qui *Venetiis* agunt, in earum rerum, quas quiſque poſſidet, tuta poſſeſſione, & in tranquillitate quadam animi ſita, quæ nullas metuit inſidias, nullam vim reformidat, & quacunque ratione libet, ſuam vitam inſtituit, quandoquidem in tam ampla civitate ac negotioſa, nulli aut pauci ſunt, qui actiones hominum vel malignè, vel curioſè obſervent. *Bodinus* autem, qui perverſè cuncta interpretatur, hanc vivendi, prout dixi, liberam facultatem flagitiorum licentiam vocat, & impunitatem; perinde ac ſi apud *Venetos* nullæ pœnæ conſtitutæ eſſent, quibus homines à facinoribus abſterrerentur, nullaque animadverſione ſontes plecterentur. Atqui de legum ipſarum æquitate & præſtantia, quia nihil habebat, quod reprehenderet, cum maximè cuperet, rem diſſimulandam putavit, atque id tantum protulit, ex moribus civium eandem fore intelligendam: eos tamen quin prudentiæ nomine plurimum commendaret, vi veritatis impulſus, ut dixi, facere non potuit. Ultimum enumerationis membrum fuit artium varietas: ſed artium nomine non tantum opificia, verum etiam, ut paulo poſt explicat, mercaturam accipit, quæ certè multum confert ad rerum affluentiam & copiam, cujus rei gratia civitates frequentari ſolent. Navarunt huic operam priſci *Veneti*, atque ita navarunt, ut non modò quàm affluentiſſimam & copioſiſſimam, ſed commune quoddam emporium Orientis, Occidentiſque conſtituerint eam Urbem, in qua nihil erat initio ex iis, quæ ſpectant ad victum, præter ſalinas, & piſcationes. Quamvis autem, ut ſunt res omnes humanæ viciſſitudini obnoxiæ, ex quo patefacta eſt *Luſitanis* navigatio in *Indiam*, negotiationibus aromatum interceptis, quæ juxta frequentes erant, atque quæſtuoſæ, nonnihil in urbe *Veneta* refrixerint mercaturæ ſtudia; non tamen hæc ita intermiſſa, & abjecta ſunt, ut veterem ſuam celebritatem Civitas amiſerit, quæ plurimum adhuc frequentari ſolet, non ſolum à finitimis populis, ſed à remotiſſimis gentibus. Cives profectò *Veneti* non tam multi, quàm olim maria navigando tranſmittunt, & ad longinqua loca proficiſcuntur mercaturæ causâ: ſed numquid Reipublicæ dignitas in eo poſita eſt, ut ſui potius cives mercaturam exerceant, quam convenæ, atque exteri? Si *Bodinus* hoc ita ſentit, fateri etiam debet, univerſa opificia, quæ cum mercatura conjungit, ut inde colligat argumentum Reipublicæ benè conſtitutæ, non ab aliis, quàm ab iis, qui gubernacula tenent, exercenda, quod certè non minus abſurdum, quàm ridiculum foret. Sed profectò non ſanæ mentis argumentum eſt, quæ adventitia & adjuncta ſunt, illa conſectari, quæ verò penitus rem attingunt, non commemorare. Debuerat *Bodinus* in rebus iis recenſendis, ex quibus præſtantiam reipublicæ ſpectari oporteret, *Ariſtotelis* mentem ac judicium ſequi, qui ſcripſit Politicorum IV. *Cujuslibet civilis adminiſtrationis tres partes ſunt, quæ ſi rectè ſe habeant, neceſſe eſt, ut ipſa quoque civilis adminiſtratio rectè ſe habeat, & alia diſtinguatur ab alia, quatenus harum ſingulæ diſtinguuntur. Ex his verò tribus partibus una eſt, quæ de Publicis Rebus deliberat: altera, quæ continet Magiſtratus: tertia, quæ Iudicia.* Quoniam igitur conſiſtit excellentia cujuſvis reipublicæ in iis tribus rebus, quæ ſunt planè inſitæ: age videamus in ipſa *Veneta* Republica, quemadmodum ſingulæ ſe habeant, inſtitutæque ſint. De prima ſic ait ipſe Bodinus: *Iam verò in conſiliis de Republica capiendis, atque omnino in bellis ſuſcipiendis, in percutiendis fœderibus, in tuenda pace, magna prudentia utuntur.* De poſtrema quoque ita ſcribit: *Hoc etiam magna laude dignum eſt, quod ſocios, & inquilinos ſumma juris æquabilitate fovent, peregrinos quoque ſumma proſequuntur humanitate, &c.* Medium tantum culpat, atque reprehendit iis verbis: *Nullum reipublicæ malè conſtitutæ argumentum Platoni majus videtur, quàm Magiſtratuum, & Medicorum multitudo, quæ nuſquam major fuit, quàm olim apud Athenienſes, & his temporibus apud Venetos.* Atque ita ex iis tribus capitibus, quibus adminiſtratio civilis tota continetur, in *Veneta* Republica duo *Bodinus* probat, unum tantum improbat, multitudinem ſcilicet Magiſtratuum, ex qua dominandi libidinem, & opum quærendarum cupiditatem augeri docet; furta præterea, ſordes, & corruptelas omnes plurimum inde ali: miratur ad extremum, cur *Veneti*, qui tàm ſapienter omnia, non patiantur etiam Cenſores creari, ut olim *Romani*, & his quoque temporibus *Lucenſes*, & *Genuenſes*. Quæ certè res arguit, eum Reipublicæ *Venetæ* rationem probè non tenuiſſe, neque ſatis attentè legiſſe hæc, quæ tantopere jactare ſolet ab *Iannotio* ſcripta, ex quibus facilè cognoſcere potuiſſet, Cenſores apud *Venetos* non deſiderari, & non modò rationem compeſcendi ambitus, ſed etiam ſordes & corruptelas, initam fuiſſe. Nam præter Cenſores ipſos, qui in ejuſmodi inquirunt, inſtituti ſunt etiam Trium-Viri, vulgo dicti *Syndici*, quorum munus eſt expendere, utrum res à Magiſtratibus actæ fuerint ex legum præſcripto, & an peccatum ſit aliquid per malitiam & fraudem ab iis, qui in provinciis publica munera exercent; quod etiam Trium-Viri Advocatores, ac Decem-Viri, ſummus Reipublicæ Magiſtratus, non raro cognoſcunt, & ſi quid commiſſum fuerit, maxima ſeveritate coërcent. Ad immoderatum verò luxum Magiſtratus creatus eſt, qui dicitur *ad Pompas*, cujus etiam *Iannotius* ipſe mentionem facit: ex quibus manifeſtum eſt, locum non habere, quæ *Bodinus* adjecit *Venetis* Magiſtratibus. Quod ſi vel cunctis vitiis remotis, in ipſa multitudine Magiſtratuum aliquid adhuc vitii reſidere putat, coargui facilè poteſt hac ratione: quia multò celerius, expeditius, ac etiam melius res conficiuntur, quo plures operi manus admovent, & auxilio ſubeunt. Quapropter Ariſtoteles docet *Politicorum IV.* in parvis civitatibus neceſſitate quadam fieri propter hominum paucitatem, ut uni Magiſtratui plura munera committenda ſint, quod ait idem prorſus eſſe, ac *facere, ut Magiſtratus inſtar pyramidum earum ſint, quæ multa lumina ſuſtinent*; ſed in magnis urbibus, ubi magna eſt civium multitudo, oportere munera diſtingui, & plures Magiſtratus inſtitui duplici de cauſa; altera, quia multi cives Magiſtratus adipiſci non poſſunt, ubi Magiſtratus pauci inſtituti ſunt; altera, quam ſuperius attigi, quia *melius unumquodque opus abſolvitur eo ſtudio, quod in una tantum re ponitur, quàm eo, quod anxie in pluribus verſatur*; ex quibus ita concludit: *quapropter nihil obſtat, quo minus plura ſtudia, poteſtateſque aliquid jubeant, non enim invicem ſe impedient.* Præſertim ubi res omnes prudenter ordinatæ ſunt, & omnis multitudo convenit, atque in unum conſpirat, quemadmodum *Venetiis* præclarè inſtitutum videmus, ut univerſa judicia tàm de capite, quàm de fortunis, quæ per inferiores Magiſtratus exerceri ſolent poſtremo referantur ad unum Quadraginta-virale Collegium, cujus eſt ejus rei cognitio, & ſupremum arbitrium. Oportuerat igitur *Bodinum*, ne quid inconſultè proferret, non tantum deſcriptiones Magiſtratuum varias intueri, & Reipublicæ partes, quàm multæ ſint: ſed præcipuè obſervare, quàm forent eædem aptæ, connexæque ad invicem: & quam compoſitè, & concinnè ſingulæ diſtributæ; quo certe in genere plurimum excellit, & admirabilis *Veneta* Reſpublica meritò videtur. Confutatis à nobis, & rejectis iis, quæ temerè *Bodinus* reprehendit in *Venetis* Magiſtratibus, quorum varietas, numerus, & ordo magno publicis rebus ornamento eſt, ac emolumento: nulla non erit optimè conſtituta ex iis tribus partibus, quæ ab *Ariſtotele* commemorantur, ut præcipuæ, & inſitæ: proindeque univerſa Reſpublica abſoluta. Sunt præter hæc alia duo, non quidem ut ipſæ cauſæ, ſed effectus, & *ſigna*, ut Ariſtoteles ait *Politicorum III. Reipublicæ bene compoſitæ*: Ubi *Carthaginenſium* Rempublicam utroque hoc nomine laudat, quod illius ordo diu integer permanſerit, quodque nullas pertulerit ſeditiones memoratu dignas, nullamque tyrannidem. Hæc autem in *Venetam* Rempublicam maximè conveniunt, de quibus extat præclarum *Iannotii* teſtimonium.

1. *Siquidem Imperium, quod in tam multa ſecula, &c.*] Reipublicæ *Venetæ* præſtantiam aſſerit *Iannotius*, & arguit ex iis duabus rebus, quæ conſequuntur adminiſtrationem optimè ordinatam. *Bodinus* autem, ut hæc utraque *Venetis* eripiat, perſuadere conatur, eos imperium ſtabile nullum habuiſſe ante *Caroli* & *Nicephori* tempora, quin etiam libertate donatos primùm tunc fuiſſe. Ad hæc *Iannotium* adducit infra, ſentientem, extitiſſe in Ducibus ipſis ſummam poteſtatem, & plane regium ſtatum uſque ad tempora *Sebaſtiani Ziani*, annum ſcilicet à *Chriſto* nato 1175, quo tempore Magnum Concilium ſtabilitum ait; unde numerat uſque ad tempus, quo ea ſcriberet, non plures, quàm annos circiter 360, qui certè numerus exiguus admodum eſt præ ævo millenario, quod jam pridem ſuſtinet; ſuperavitque ipſa Reſpublica penè altero ſeculo. Objicit etiam bella civilia media in Urbe geſta, conjurationeſque *Bovenianas*, *Falerianas*, *Theupulanas*, *Bajamontanas*, nec non graves & diuturnas; ſic enim habet; *Iuſtinianorum, Scævolarum, Ieliorum, Baſſearum ſeditiones, exilia, clades, atque inſuper octodecim Duces ſupplicio, vel exilio affectos.* *Iannotius* quidem infra pauciores numerat (libet enim ὕστερον πρότερον reſpondere) ſed hoc nihil refert; demus etiam

mestica impressione labefactatum, neque ulla vi insita, id profectò necessarium est, eximia quadam solertia, & admiranda providentia temperatum esse. Et quidem ipsi fortunæ magnas gratias habeo, quæ me in hunc sermonem opportune adduxit, unde tibi data est occasio ea commemorandi, quæ diu, multumque intelligere mihi erat in optatis. Aggrediaris igitur, quando lubet, ad rem institutam; quandoquidem ad audiendum me quam promptissimum, & quam paratissimum habes.

Trypho. Quamvis hoc non utar cubiculo, tamen expedire arbitror, ut in eo maneamus, quod vergat ad septentrionem, eòque solis immodicos æstus non facile admittat; præterea vero hîc à domesticis tumultibus quam longissime absumus: iis autem quemadmodum afficiat; id genus vitæ, quod mihi sponte optavi, declarare potest. Vir optimus, & summa observantia dignissimus *Petrus Bembus* ob egregias virtutes non paucos habet è nobilibus viris, qui secum quam libentissimè versari solent: immo nullus in hac Urbe vir insignis est, qui salutandi

A causa ad eum non accedat: quod si alibi commoremur, fieri non potest, quin ii nobis obstrepant, atque incommodent, qui frequentare consueverunt has ædes officii causa. Quare permanebimus hoc in loco ab aliis sejuncti, ut institutis sermonibus totum diem tribuamus.

Ioannes. Valde mihi probatur hoc tuum consilium, jamque ut differere incipias, avidissime expecto.

Trypho. Priusquam disputationem ingrediar, vos nonnullis de rebus commonitos velim, quæ quodammodo viam nobis munient ad id, quò tendimus. Nam quicunque cupit intelligere alicujus Reipublicæ gubernationem, *aut* est civis,

B atque particeps ejusdem Reipublicæ, *aut* est peregrinus.

Si *Civis* est, oportet ut *quinque* cognoscat, & quam optime teneat, in quibus consultandi vis tota versatur. *Principio* Civitatis opes, atque facultates, nimirum quæ sint ejusdem vectigalia, nec non etiam sumptus. *Deinde* pacis, & belli universam rationem, hoc est, quibus armis vel instructa jampridem sit, vel instrui adhuc

etiam multo plures necatos, vel extrusos fuisse: id profectò arguit, non fuisse in Ducibus regiam potestatem, ut *Bodinus* ex *Iannotio* tradit, cujus quidem rationes, seu verius conjecturæ sunt refellendæ suo loco: id in præsentia sufficiat tantum adnotasse. De seditionibus autem, & conjurationibus illud modo dixerim, quod Aristoteles de Carthaginensibus, *neque ullam seditionem extitisse memoratu dignam, neque ullum tyrannum. Bajamontanam* tantummodo conjurationem excipio, ex qua periculum ingens conflatum erat Reipublicæ, quanquam non fuit in animo conjuratis libertatem evertere, sed inimicos, & adversarios depellere à gubernaculis: quo fit, ut ea quoque non adversus patriam, sed adversus Ducem, privato nomine conjuratorum hostem, habita fuerit. Gravissimum tamen inde incendium exarsit, quod non fine sanguine, & quorundam exilio restingui potuit. Cætera omnia conatus quosdam tantum habuerunt, qui maturè admodum sunt oppressi; priusquam erumperent, & aliquod vel minimum detrimentum Reipublicæ inferrent: neque vero tam multa fuerunt, quàm videri ea cupit, dum plura ex uno *Bodinus* facit, sed non bene. Nam *Theupulanas*, & *Bajamontanas* conjurationes, tanquam res omnino diversas distinguit ac separat, quin etiam multitudinis numero recensitas memorat, & præterea bella civilia media in Urbe gesta, quæ quo plura videantur, adjicit etiam, *sæpè*: cum tamen in Urbe non nisi semel fuerit dimicatum; idque in ipsa conjuratione *Bajamontana*, sive *Theupulana*, quæ non fuit alia atque alia, sed prorsus eadem, & una, ab eo, quem sibi Ducem conjurati præfecerant, nomina hæc adepta, *Bajamonte* ex *Theupula* nobilissima, & vetustissima gente. Reliquæ conjurationes sunt duæ, videlicet *Boboniana*, & *Faleriana*, quæ sub ipsis initiis vindicatæ nihil omnino obesse Reipublicæ potuerunt. Nam quæ antiquissimis temporibus proditæ fuerunt *Scævolarum*, *Ieliorum*, *Basiliorum*, aliarumque Nobilium Familiarum privatæ concertationes & digladiationes, hæ conjurationum loco atque numero haberi non debent, propterea quod sibimetipsis, non Reipublicæ perniciem struebant. Atque ita summum fuerunt tres conjurationes, à quibus tamen ipsa Respublica nihil damni accepit; & ex his una tantum memoratu digna in tot annorum curriculo à Republica emenso, quot exacti fuerunt ad hæc nostra tempora, jam inde ab anno CDXXI, quo primum ea cœpit. Sed quia *Bodinus* hoc illi decus invidet, & pariter in dubium revocat diuturnitatem illius libertatis, hæc nobis à calumniis hominis fuerit vindicanda, qui duntaxat ad tempora *Caroli*, & *Nicephori*, quorum pactis accepisse *Venetos* libertatem ait, *Venetæ* Reipublicæ ortum, ac primordia rejicit: prius autem, quasdam rerumpublicarum formas singulares fuisse, & à dispersis huc atque illuc in scopulis habitatum, quod tamen nullo modo probat, nec probare potest: veruntamen postulat, ut sibi tanquam *Xenocrati* injurato fides habeatur. Quia tamen apertissimè refellebatur creatione Ducum, qui cœpti sunt eligi anno DCXCVII, vel ut ipse habet, anno DCCVI. à Christo nato, conatus est, ut usurparet hæc tempora, tanquam prorsus eadem, intervallum interjectum quoque è medio tollere, quod tamen non erat minus uno seculo. Quid prodigiosum, & portentosum magis fieri queat, non video: sed facilè in angustias compellitur, qui regium tramitem deserit, & diverticula quærit. Quare tenetur *Bodinus*, nec evadere potest, quin Respublica fuerit, ubi primum Reipublicæ Dux præfectus est. Nam postea *Metamaucum* ab *Heraclea* translata, tandemque à *Metamauco* in *Rivum altum*, Ducatus sedes nihilo magis Rempublicam immutare potuit, quam regnorum status ipsi Reges,

ubi domicilium & sedem collocare statuunt modò in hoc, modò in illo suæ ditionis oppido. At enim, inquiet *Bodinus*, saltem priusquam Dux unus crearetur, cujusque pagi suum jus erat, & imperium ab aliis divisum. Quis autem hoc ait? Siquidem ex antiquissimis Annalibus licet intelligere, antequam Duces in Republica instituerentur, penes Magistros militum summum imperium fuisse, *qui Magistratus*, ut scribit Andreas Dandulus, *tribunatu major erat secundum Græcorum usum*, proindeque universæ Reipublicæ præsidebat, ac Tribunis omnibus. Ubi verò Dux institutus est, summum quidem jus, quod prius obtinebat, amisit, sed retinuit adhuc autoritatem proximam à Duce. Constat id apertissimè ex eo, quod annales scribunt, cum fines *Veneti* Ducatus essent statuendi ex fœdere inter *Luitprandum* Regem, & Rempublicam inito, rem transactam esse per hos utrosque, *Paulum* Ducem, & *Marcellum* Magistrum militum, qui eidem in Ducatu proxime successit. *Urso* quoque, tertio Duce, interempto, cum illius administrationis pertæsum esset, credibile admodum est, ad antiquam reditum fuisse, Magistroque militum Imperium denuo restitutum, quoad iterum Ducem præfici Reipublicæ placuit. Ea vero semper una fuit eademque, quamvis aliis temporibus alios Magistratus habuerit, & ante Duces, vel Magistri militum præfuerint, vel Tribuni: quorum nomina si vetustas obliteravit, nihil est admirandum, quæ Regum potentissimorum memoriam, immò verò gentium, & nationum, quamplurimarum, omnino delevit. Cum verò *Italiæ* calamitates continuarentur, à Barbaris miserè affectæ atque laceratæ, satis habebant sua pacatè ac tranquillè tueri, quicunque administrabant ea tempestate apud *Venetos* summam rerum, quæ tunc angustissimæ erant, atque tenuissimæ: quare in tanta barbarie, quæ tunc ubique vigebat, dum optimæ artes atque litteræ omnes conticescerent; unde res præclarissimæ interciderunt, quid mirum, si *Venetæ* nonnihil obscuratæ sunt? Superest tamen Epistola *Cassiodori*, quæ de priscorum *Venetorum* vita non pauca tradit, laudat nobilitatem, celebrat industriam, effert maximis laudibus innocentiam, & integritatem, attingit etiam nonnulla de administratione civili, de quibus alius erit dicendi locus. Extat etiam altera Epistola *Honorii* Pontificis Anno DCXXX. ad Episcopos *Istriæ*, & *Venetiæ* scripta, in qua de *Veneta* Republica fit mentio: unde apparet, *Bodinum* falsò tradidisse, plures eo tempore fuisse Respublicas & non unam tantum: quanquam hæc duo cohærere inter se non possunt, quæ manifestissimè pugnant pactis *Nicephori*, & *Caroli* (sic enim ipse ait) *Venetos libertatem primum accepisse, & habuisse formas Reipublicæ antea singulares.* Nam quomodo non tantum una respublica: sed plures apud illos erant, qui ea libertate carebant, quam nondum acceperant? Scitum illud est, mendacem esse memorem oportere, ne se ipse prodat. Fœdere quidem inter *Carolum*, & *Nicephorum* icto, cum omnes Imperii provinciæ dividerentur, illud cautum fuit, ut *Veneti* libertatem suam retinerent, & propriis uterentur legibus, sicut antea solebant, utrumque Imperatorem æque ac simul reveriti, sed sive bello, sive pace censi neutrius partis, ut disertissimis verbis planè scribit *Blondus*, qui ex antiquissimis auctoribus se accepisse tradit. Veruntamen ob mercaturæ studia, quibus erant addicti, & propter ingentia commoda & emolumenta, quæ percipiebantur ex navigationibus in Orientem, unde res omnes cum privatæ, tum publicæ plurimum augebantur, visi sunt *Veneti* propendere cunctis temporibus magis in partes Orientalis, quàm Occidentalis Imperii.

huc

huc debeat; quæque bella ſuperioribus ætatibus geſta fuerint, & quonam ſucceſſu; quot etiam, quantæque finitimorum copiæ, atque vires, ut quibus ſit vel diffidendum, vel confidendum probe intelligatur; & quibus ſive adjutoribus, & ſociis in bello, ſive etiam adverſis, atque infeſtis oportebit uti. *Adhæc* autem quæ ſit ratio, & facultas ipſius regionis tuendæ, hoc eſt, quænam ad id præſidia, & quot requirantur; quod ut cognoſcatur, opus eſt habere perſpectum quam optime regionis ſitum, & cujuſmodi ſit ille, animadvertere, utrum in planitie, an in monte; propene, an procul à mari collocatus; & an careat fluminibus, an potius abundet. *Mox* eorum, quæ importantur, & quæ exportantur, eſt habenda notitia, ut videantur quæ ſuppetant, quæve deſint. *Tandem* quoad ferendas leges is, qui velit adminiſtrare publicas res, noſſe debet, quæ Monarchiæ, ſeu tyrannidi leges magis congruant; rurſus quæ vel Ariſtocratiæ, vel Oligarchiæ, vel Democratiæ, vel Ochlocratiæ, atque ita ſingulis aliis imperii formis ſint accommodatæ. Hæc igitur omnia civibus eſſe nota debent.

Qui vero *peregrinus*, & non civis eſt, ante omnia cognoſcere debet adminiſtrationis Urbanæ totam rationem. Quare cogitanti mihi te non eſſe participem noſtræ Civitatis, cujus regimen à te ipſo percipere valeas, antequam ea, quæ dixi, attingam, faciam ut intelligas, quænam ſit apud nos ipſos *Ratio Civilis Adminiſtrationis*: Deinde vero perſequar ordine ſingula, quantum è re videbitur. Quod ſi forte in his ſermonibus audies, quod aliàs etiam memineris abs te auditum fuiſſe, quodque non magni momenti tibi videatur; nolim tamen, ut minus attentum te mihi præbeas: futurum eſt enim, ut ſingula in uſum veniant, cumque magna parvis, & ignota notis conjuncta, colligataque ſint; nihil omnino ex iis omittendum fuerit.

Ioannes. Dic, amabo, quicquid in rem viſum tibi fuerit, mi *Trypho*: nam quæcunque protuleris, exiſtimabo quam prudentiſſime & quam optime fuiſſe prolata.

Trypho. Urbs ipſa, *Venetiarum*, nomine inſignita, parvis aliquot inſulis continetur, quæ poſitæ ſunt in æſtuariis maris *Adriatici* contra flumen, quod *Patavinos* agros interfluit, nomine *Medoacum*, quà idem in ſtagna non ita pridem rectà ferebatur. Qua in re animadvertere debes, hunc *Italiæ* tractum, quem veteres appellaverunt olim *Venetiam*, ita ſecundum *Adriæ* littora depreſſum, & proclivem eſſe, ut propter aquarum magnam copiam ab iis fluminibus, quibus tota regio ſcatet, invectam, & propter æſtum maris, quà littus patet, influentis, intra non exigua pars in paludem abierit. Eſt autem id omne ſpatium interceptum inſtar arcus, non quidem remiſſi, ſed potius contenti, cujus arcus in ipſa continente ſimilitudinem exprimit id, quod hic ſtagna circum amplectitur undecunque concavum. Nervus autem eſt id, quod vocamus littus, quandam ſpeciem præ ſe ferens aggeris craſſioris, eſt etiam ubi latioris; inchoatur id ab ipſo mari ſive ſinu *Adriatico*, & rectà fere continenter procurrit, quoad infra *Brondulum* ipſam continentem attingat. Interrumpitur alicubi tamen hoc ipſum littus, ut maritimos æſtus cum accedentes, tum etiam redeuntes admittat, & fluminibus iis facultatem præbeat, quæ delabuntur in æſtuaria, petendi mare, ut ſe exonerent. Ideoque nonnulli exiſtimant, hæc intervalla disjuncta nihil aliud, quam oſtia fluviorum eſſe, quæ modo vocari ſolent à nobis Portus, propterea quod ut cæteri portus aditum præbent omnibus navigiis, quæ huc undique mercibus onuſta commeant, aut etiam hinc abeunt. In his autem præcipui ſunt portus ad *Brondulum*, ad *Foſſam Clodiam*, ad *Metamaucum*, ad [1] *Caſtella gemina*, ad D. *Eraſmi*, ad *Littus*, quod vocatur *majus*, & quod triplex portus. Quicquid igitur interceptum ſpatii continetur intra hunc aggerem, quem deſcripſi, atque continentem, id ipſum eſt, quod vulgo dicitur, æſtuaria, ſive ſtagna maris *Adriani*, quæ tamen aquis ubique ita non ſunt obruta, quin extent ab ipſis, atque emineant certa quædam loca. Hæ ſunt inſulæ, in quas finitimi quique populi, ut *Attilæ* vim effugerent, olim ſeſe abdiderunt, moxque coëuntes omnes, & in unum coacti, hanc Urbis formam pulcherrimam tandem effinxerunt. Ea diſtat à continente, quâ minimum quinque millia paſſuum: à littore autem ipſo fere duo. Priſcis temporibus longius aberat à continente, nempe ad decem millia paſſuum, propterea quod æſtuaria pertinebant uſque ad eum locum ſitum ad *Medoaci* ripas, qui tunc, ut plerique arbitrantur, ob eam rem vocari ſolebat *Ora lacus*, modo corrupto vocabulo dicitur *Oriacum*. Induſtria Majorum noſtrorum obſtare non potuit, quin id ſpatii totum àggerendo flumina complerent, quod inde ad pagum *Saſuſinas* uſque intercedit, [2] ubi navigia, quæ *Patavio* ſolvunt *Venetias*, aut *Venetiis Patavium*, operâ, & vi trochlearum ſuper aggerem quendam evecta, qui ab urbe *Medoacum* avertit; hinc ad æſtuaria; illinc ad fluminis alveum recta tranſmittuntur.

Ipſa vero natura hujus Urbis ſitum valde tutum præ cæteris omnibus effinxit: neque enim duntaxat à continente, ſed etiam à mari, quamvis in aquis ſita nullam vim reformidat. Præſtant autem id ipſa ſtagna, quibus undique circa Urbem, & etiam intra navigatur, omnibus locis ita humilia, atque adeo depreſſa, ut niſi parva quædam navigia facile non admittant: quibus ſane fit, ut cum maris æſtus maxime recedit, plu-

1. *Portus ad Caſtella gemina.*] Caſtellorum portus ſcriptoribus multis eſt ad D. *Nicolai*, nomenque ſumit ab antiquiſſimo templo, & cœnobio Monachorum Sancti *Benedicti*. Caſtella verò ſunt eo ſitu, atque artificio conſtructa & communita, ut naves atque triremes, ſi portum ingredi velint, per viarum ambages non ſemel proram puppemque, & latera certiſſimis tormentorum ictibus neceſſario exponant.

2. *Ubi navigia, quæ Patavio ſolvunt Venetias.*] Ut *Medoacus* amnis commode inſerviret navigationi, nec tamen in æſtuaria, quibus maximè Reſpublica conſultum vellet, irrumperet: ad *Lizlafuſinam* uſque pars fluminis deducta erat; unde *Clodiam* verſus traducebatur, ut in mare influeret. Dividebat eo loci *Medoacum* amnem ab æſtuariis ſolidus agger, qui in cunei modum ſurgebat: machina ibi conſtituta tanta latitudine, ut commode cymbas, & majora navigia, quæ flumina percurrere ſolent, recipere poſſet: ex hac trochleis, & ductariis funibus demittebatur inſtrumentum quadrangulare, ex aſſeribus compactum, multoque ferro munitum, quod *Currum* vocabant; & cum ad aquam perveniſſet, ita immergebatur, naviculiſque ſubſternebatur, ut ſuper ipſo facile ſponte ſua conſtitui, atque firmari poſſent. Quo facto à duobus, vel pluribus hominibus, pro ponderis ac navigii magnitudine, trochleis ipſis, & ductariis funibus ſenſim trahebatur ad ſummum cuneum, moxque in aliam partem demittebatur, donec ad aquam perveniret: tunc vero, ſupernatante cymba, retrahebatur ad ſummum aggerem, ut quocunque accederent navigia, vel in *Medoacum* amnem, vel in æſtuaria, ad ea evehenda demitteretur; pari namque ratione utrinque trahi, ac demitti facillimè poterat. At ſuperioribus annis totus agger cum machina ſublatus, ſic enim æſtuariis conducere viſum eſt. Pars verò fluminis novo alveo navigabili, multo antequam ad *Liztafuſinam* pervenerit in mare, *Clodiam* verſus derivata, atque adeo ne influere poſſit in æſtuaria; quæ nunc novo Euripo *Mauritianum* uſque perveniunt, novis machinis, quas *Portas* appellant, ſeparata.

plurima loca detecta conspiciantur. Si quis igitur à continente statueret *Venetias* invadere, ad copias suas traducendas sternere pontibus, aut ratibus cogeretur, quicquid æquoris est interjectum inter urbem ipsam, & continentem; quæ res ob maximam operis difficultatem confici nullo modo posset. Quicunque vero ad eandem Urbem invadendam cogitaret instruere, atque ornare classem intra ipsa æstuaria, huic objicerentur incommoda gravissima duo. Alterum, quod ab vadorum humilitatem nihil loci posset obtinere ad navigia explicanda: ut enim æstu maris in accessu maxime se attollente, classis alicubi stare instructa fortasse queat; paucis tamen horis eadem maximum periculum adiret, ne hæreret in vadis. Alterum; quod operam frustra, & tempus impenderet is, qui nautas non haberet valde loci peritos: nam sæpenumero contingeret, ut ipsa navigia præter Euriporum alveum devecta, mox ab aquis in sicco destituerentur, quippe quæ vel cum maxime æstus intumescit, nunquam ita tolluntur, ut, quà libet, navigandi facultatem integram relinquant. Si quis autem conetur à mari *Venetias* aggredi, objectum ante omnia æstuaria littus penetrandum eidem necessario fuerit: obstructis itaque sive ostiis, sive portubus illis, quos supra memoravi, aditus omnino intercluderetur ad ipsa æstuaria. Neque vero id efficere operosum esset, quoniam ea intervalla non ita multum lata, nec profunda sunt. Siquidem in Urbis ipso conspectu is, qui appellatur, *Geminorum Castellorum Portus*, eam profunditatem non habet, quin majora navigia expectare oporteat, quoad æstus accedat, & quidem maximus. Sed aliud est præterea, quod obstat ingredientibus: nam quotiescunque tempestatibus vel ad modicum tempus fuerit mare concitatum, ejusdem viæ subeunt ingentem vicissitudinem ante ipsum portum undarum, ac turbinum vi impulsis, atque jactatis huc, & illuc arenis, ita ut, qua patuerat aliquando facillimus ad urbem aditus, eadem postea contingat omnem obstructam viam esse. Quæ res necessitatem affert aliquot homines huic muneri præficiendi, qui cum tempestas desierit, ubinam ea reliquerit aditum patentem, exploratum eant, ut eum navigiis cum ingredientibus, tum egredientibus commonstrare valeant. In faucibus autem portuum cæterorum ædificari castella possunt, sive propugnacula, quæ tormentis instructa ab ingressu arceant. Quod si quis etiam classem in æstuaria transveheret, in easdem incurreret difficultates, in quibus eum versaturum superius ostendimus, qui classem intra ipsa æstuaria vellet adornare. Præterea vero in iis Euripis collocatæ, per quos accedere propius hostis niteretur, oppletæ ruderibus naves obfirmarentur, quæ bellicis tormentis oppidò munitæ, quoscunque infestos accedentes longius summoverent. Quid? quod ii, qui ratibus, aut alia quacunque hujusmodi machinatione ad Urbem appellerent, adversus eos valli per tota æstuaria depacti, certa quadam forma componi, statuique possent, quæ res afferret iisdem gravissimum impedimentum; præterquam quod infensus hostis quà irrumperet (nam fieri nullo modo posset, ut falleret, aliud emetiendo, atque aliud capiendo iter) excitari posset conjunctis navibus aliquod propugnaculum à lateribus adeò firmum, ac munitum, ut omnes id subire, immò accedere prope perhorrescerent; quâ ratione videmus *Ferrariam*, *Patavium*, & *Cremam*, aliaque nostris temporibus oppida communita. His de causis arbitror urbis nostræ situm ab hostili quavis irruptione tutissimum esse. Rex *Attila* idcirco post *Aquilejam* eversam, cum liberius excurreret per hunc *Italiæ* tractum, qui *Venetiæ* tunc nomen obtinebat, eos omnes, qui huc se receperant, ut ejus impetum evitarent, aggrediendos suis armis non existimavit. *Pipinus* autem *Caroli Magni* filius, *Obelerio* Duce nono gerente Rempublicam, qui aggressus est administrationem anno Salutis 804. aggredi quidem nostram urbem temere fuit ausus eâ classe, quam *Ravennæ* apparatam instruxerat; sed ejus inconsulta temeritas, atque amentia non alium eventum habuit, quam commerita fuerat: à Majoribus enim nostris magno cum dedecore fusus, amissa classe, profligatusque fuit.

Urbem porro totam Euripus quidam, qui *Canalis major* à nobis dicitur, in duas partes secat: altera pariter ad meridiem, & occidentem; altera spectat ad orientem, & septentrionem. Refert Euripus iste quadantenus serpentis formam, & antiquam literæ S notam imitari videtur, sed contrario modo descriptam, prout expressum hic vides; ubique satis profundus, & eâ latitudine, quæ flumen aliquod satis amplum æquet, quo non secus Urbs ipsa discriminatur, atque *Arnò* vel *Florentia*, vel *Pisæ*, sive *Tiberi Roma*, sive *Athesi Verona*. Ejusdem origo prima ad *Medoacum* refertur, qui prius quam ad *Safusinas* cursu averteretur, in mare se profundebat per illud ostium, quod appellatur modo *Castellorum Portus*. Influunt in ipsum alii quoque prope innumeri Euripi patentes in latitudinem satis amplam, quibus nostra distinguitur, neque vero minus ornatur, quam vestra Urbs amplitudine, & pulchritudine publicarum viarum. Hi maxima ex parte non nisi cymbis perlustrari possunt; neque tamen aliquot desunt, qui habeant ab altero latere vias lapidibus stratas, sed quam paucissimi vias exhibent ab utroque, quas appellamus vernacula lingua, fundamenta. Quam simillima forent hæc ei viarum generi, quod apud vos *Arno* imminet, crepidinibus demptis. Neque vero tantum *Venetiis* sunt hæ mari viæ; verum etiam terra sunt illi, qui dicuntur *Calles*, non tamen satis aspectu elegantes, & pulchri: præterquam enim quod breviores plerumque sunt, & rectà non tendunt, [1] non ita multos facilè comperias, qui binos homines admittant unà pari gressu incedentes, adeo coëunt in arctum, atque angusti sunt. Quoniam vero intercursantes Euripi passim eos interrumpunt, quo totam per Urbem facere iter pedibus liceat, adjunguntur iidem, & continuantur ponticulis lapideis quam plurimis superinductis, quorum licet numerus ingens, ea tamen non est frequentia, quin sæpenumero circuitus quidam capiendus sit, vel ad proxima loca proficiscenti.

Frequentissimam vero, celeberrimamque totius Urbis regionem, in quam omnes mercatores confluunt, adeptam *Rivi alti* nomen. cum Regia via, quæ ducit ad ædem sacram D. *Marci*, atque ipsum Ducarium, pons

1. *Calles non ita multos facile comperias, qui binos homines*, &c.] Noctu, prout credo, *Venetam* Urbem perlustravit *Florentinus* scriptor, aut potius scribere voluit, paucissimos esse calles, qui binos, aut etiam ternos homines pari gressu unà incedentes non admittant. Multæ sunt etiam viæ peramplæ, quas *Venetiarum* vulgus *Salicatas*, vel *Piscinas* appellat; multas plateas, quas *Campos* dicunt, & *Sansovinus* in iis, quæ de *Veneta* Urbe scripsit, L v. recensuit.

pons è ligno sublicius transversarius jungit [1], quo uno maximum Euripum illum transcendere licet. Sed ne semper cogantur hunc pontem adire illi, quibus huc, aut illuc transmittendum est (quod certe nimis incommodum accideret) pluribus locis certi quidam homines attributi sunt, qui eo genere cymbarum, quod proxime explicabitur, quæstus, & compendii causa quemlibet trajiciunt; unde nomina Trajectuum locis ipsis indita. Cæterum qui præstant hanc operam, inopes, & plebeji sunt, iisque mandatur hoc munus à quodam Magistratu, qui hanc ipsam rem curat, & omnes destinat ad trajiciendum alios aliis locis: cautum est porrò lege, quot homines per singulas vices, & etiam quanta mercedula transportandi sunt. Quibus rebus fit, ut ut Euripi maximi transmissio neque difficilis ulli sit, neque sumptu gravis, tametsi præter eum pontem nullus alius suppetat. Hoc modo terrestre iter in Urbe nostra conficitur, quam tamen etiam mari totam pervadere, & quidem majori quodam compendio, & commodo licet. Est nobis quoddam genus cymbarum ad id comparatum, quas *Gondulas* ipsi nominamus, eleganter, affabreque factas, quibus sunt omnes Euripi perenniter instructi: utimur autem his equorum, mulorum, ac rhedarum vice, quarum spectatur innumerabilis fere multitudo. Nam cum longè plurimæ sint eæ, quas Patricii, & reliqui cives semper ad usus proprios instructas in promptu habent, tum multis partibus illæ plures adhuc sunt, quæ tenentur ab iis, qui inde lucrum quærunt.


Urbis quidem ipsius pulchritudinem multo magis maritima, quam terrestri profectione contemplari licet; propterea quod Euripi latiores plerique sunt, & pulcherrima quæque ædificia secus ipsos exstructa, quæ licet eos, quos vocamus *Calles*, nonnunquam prospectent (nam singula utrinque possunt adiri, & à terra, & à mari) nihilominus ipsa facies ædificiorum, quæ præcipue totius operis elegantiam ostentat, aquis plurimum incubat, & prospectum pandit, est ubi etiam pertineat ad aliquot *Calles*, quorum tamen angustia nimia facit, ut operis magnificentia non satis appareat. Cæterum magna sordium pars urbe tota per Euripos excipitur, æstuque maris abrepta fertur in altum; quanquam hoc Euriporum alveis non sufficit prorsus evacuandis, proindeque danda est assiduè, prout datur, opera, ut excavato alveo penitus purgentur. Nihil de salubritate aëris modo attinet dicere. Priscis quidem temporibus, quod *Vitruvius* perhibet; habebantur omnium deterrima hæc loca palustria. Nunc inter omnes constat, *Patavium*, A atque *Venetias* frui præ cæteris *Italiæ* oppidis aëre quam saluberrimo. Argumento est, quod in utraque Urbe plurimi affecta, & inclinata jam ætate senes reperiuntur, qui tamen & corporis, & mentis robore satis pollent. Expedita verò facilitas cuinam est ignota consequendi ea, quæ ad victum sunt necessaria? Autores ii, qui scripserunt olim de urbium situ, eas prudentissime conditas existimarunt, quæ non in maritimo littore, sed procul essent inde sitæ, minimum sex, summum decem passuum millia. Nimiam propinquitatem maris ea de causa non probant, incursionibus, & latrociniis piratarum ne sit urbs obnoxia, id autem intervalli, quod dixi, B laudant idcirco, ne commoditatibus illis careat, quos mare suppeditat. Urbs ergo nostra cum posita sit intra æstuaria, maris opportunitate sanè quam facile utitur; quibus autem rebus est ab hostium aggressionibus, ut jam dixi, tuta; iisdem etiam piratarum incursiones non reformidat: cumque non procul absit à continente, non minorem inde, quam si collocaretur in ipsa, fructum quoque capit, præsertim cum sit in Urbis conspectu *Italiæ* feracissimus ager in ea regione, cui *Venetiæ* nomen quondam erat, idemque passim distinctus pulcherrimis amnibus, cujusmodi sunt, *Tiliaventus*, *Liquetia*, *Anaxus*, *Silis*, *Medoacus*, *Athesis*, qui omnes in æstuaria decur- C runt; unde fit, ut non Solum affluenter, atque copiose; verum etiam tutissime, atque facillimè in nostram Urbem, quæ ad victum necessaria sunt, importari queant. Atque ita ex iis, quæ sunt hactenus exposita, colligere licet, nihil eorum in Civitate nostra desiderari, quæ vel ad sui defensionem requiruntur, vel ad parandi victus facilitatem.

Hic est *Venetiarum* situs; hæ opportunitates, de quibus ea duntaxat attingere volui, quæ magis ad rem fore mihi videbantur: quamvis autem te non latere quicquam ex iis scirem, prætermittere tamen nihil volui, ne redderetur explicatio mea quodammodo manca, & imper- D fecta.

Ioannes. Explorata mihi quidem erant ea, quæ *de Urbis vestræ Situ* commemorasti, quippe quam ipse non semel aditam perlustravi; hæc tamen ipsa mihi jucundissimum fuit abs te modo audire; siquidem oratio tua renovavit eorum, quæ jam pridem conspecta fuerant, memoriam. Sed cur, amabo, dixisti, expositionem tuam mancam, & imperfectam futuram, si descriptionem situs omisisses?

Trypho. Non una quidam ex causa, & ratione: Nam cum de nostra Republica sermonem habituri simus, consentaneum minime dicebam ad ipsam aggredi, nisi prius aliquid egissem de se-

1. *Pons è ligno sublicius transversarius jungit*, &c.] Existimarunt aliqui, sed perperam, fabricam hujus lignei pontis fuisse antiquissimam, repetendamque à priscis temporibus Urbis conditæ. Verumtamen locupletissimus testis est *Andreas Dandulus*, eam nonnisi anno XII. *Raynerii Zeni* Ducis inchoatam, antea verò nihil penitus extitisse, quo pars utraque Urbis continuaretur, intercurrente maximo Euripo disterminata, quemadmodum his locis omnibus, quæ nunc vocantur *Trajectus*. Pons autem hic *à moneta* primum nomen invenit, propterea quod exemisset onus persolvendæ monetæ, hoc est exiguæ illius mercedis ex naulo, quod modo asse *Veneto* solet æstimari, semisse paucis jam annis, dimidio autem minus erat antiquis temporibus, quemadmodum scriptum reliquit idem *Andreas Dandulus*. Non prius igitur, quam anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto pons, cujus meminit *Jannotius*, hic ex ligno factus. Anno autem millesimo quadringentesimo plane fuit consummatus, & post annos triginta cancellis ligneis circumseptus ad latera utrinque. His autem postea revulsis & dissipatis, cum mortalium multorum pernicie & strage, qui *Fridericum* Imperatorem Urbem ineuntem conferti conglobatique simul in eo ponte spectabant, cancellorum loco officinæ sunt excitatæ, & in duos ordines divisæ, ponte in latitudinem aucto. Temporibus autem nostris ex Senatus Consulto pons ligneus omnino sublatus, & recens alter ex *Istriano* lapide fabricatus est: cujus anno à *Christo* nato millesimo quingentesimo octogesimo octavo fundamenta posita palis ex ulmo sedecim pedum altitudine, hinc & illinc impactis, pari fermè numero contignationes e latice desuper injectæ, crassissimis trabibus invicem compactæ, & connexæ: in iis ingentia marmorum fragmina ingesta & conserta, interstratis lateribus alternis, cæmentoque oblitis. His fundamentis jactis operosa moles elegantissima specie, & prospectu pulcherrima, in unum fornicem protenta maximum, & amplissimum, non minori quàm triennii spatio fuit elata, duabus officinarum ordinibus interdistincta, ad quam summam triplex ascensus ac descensus visitur. Regia tamen, seu media via, multo paucioribus gradibus aditur; reliquæ à lateribus duæ, pluribus, sed humilioribus pro varia transeuntium opportunitate. Latera duo, quæ Euripum prospectant, perpetua columnarum serie ex *Istriano* marmore exornata.


BIBLIOTECA
SEVILLA



Ponte di RIALTO. | Pons RIALTIS. *Architectura Anth. del Ponte.* | *Pont de* RIALTE.


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA

ſede, in qua eſt collocata; cum præſertim ad alicujus Reipublicæ formam probe intelligendam permagni referat, quod ſpectat non ad mores tantum, ſed etiam ad potentiam, & opes habere cognitam, & perſpectam naturam loci, atque ſitus, à quo continetur: quam ipſam ob rem ii, qui præcepta condendi urbes tradiderunt, permultum intereſſe docent, ubinam ſedes eligatur, utrum in colle, an potius in plano, propene, an procul, à fluminibus, & à mari. Quid? quod omnium Philoſophorum celebris eſt doctrina, univerſas artes, & diſciplinas ab iis, quæ magis communia videntur, inchoari debere. Hoc autem poſito, non video, quid magis commune poſſit eſſe in Republica *Veneta*, quam ſedes ipſius Urbis, cujus quidem ii non ſunt participes tantummodo, qui Rempublicam gerunt; ſed etiam omnes incolæ, atque peregrini. Certe quicunque peritiſſimi artifices haberi volunt, aut pingendo, aut fingendo, hæc ipſa Philoſophorum decreta ſectantur, ut ſemper à quibuſdam rebus communioribus initium ſumant. Pictores enim antequam ullam imaginem certam ad vivum exprimant, ducere quaſdam lineas ex arte ſolent, quibus adumbratur quædam communis effigies, minimeque diſtincta; mox paulatim eidem propria lineamenta inducunt, donec abſolutam exhibeant ſingulorum membrorum conformatio-

A nem. Neque vero ſequuntur aliam rationem, qui ſtatuas conficiunt. Nam ſi contemplari velimus aliquod ſignum erectum ex iis, quæ ſunt adhuc rudia, & tantum inchoata, nobis quidem dicendum fuerit, caput, brachia, & crura, potius hoc loco, & illo futura eſſe, quam hoc eſſe caput, & illa vel brachia, vel crura: adeo natura ipſa impellente cogimur non tantum in cognoſcendo atque intelligendo, ſed etiam in quovis opere faciendo à rebus communioribus ducere principium. Atque mihi hæ cauſæ fuerunt, *à Deſcriptione ſitus Urbis* incipiendi, tanquam à re magis communi quam cætera omnia. Hunc eundem ordinem in iis, quæ B proxima ſunt, etiam obſervabo: tractaturus enim *de Reipublicæ Adminiſtratione*, principiò *de Partibus ipſius in genere* agam; deinde vero *ad ſingulas earum Conditiones* explicandas veniam: quare mihi non ſemel ad idem principium recurrendum fuerit; neſcio tamen an ex animi tui ſententia ſit futurus hic ordo.

Ioannes. Quidni ſit futurus? Omnibus in rebus ſummam quandam prudentiam adhiberi abs te video.

Trypho. [1] Dicam igitur eos omnes, qui *Venetiis* degunt, Urbe jam quantum ſatis erat à nobis deſcripta, tres in *Claſſes* diſtributos eſſe, *Popularium*, *Civium*, & *Patriciorum*: qua quidem in partitione ſcio me non à *Sabellico* tantum

tum

1. *Dicam igitur eos omnes, qui Venetiis degunt, tres in claſſes diſtributos eſſe, Popularium, Civium, Patriciorum.*] Tripartita hæc diviſio paſſim *Venetiis* auditur. Auctores etiam illi, qui bipartito diviſeruut, ut *Contarenus*, in Nobiles atque Populares, coacti ſunt inde Populares dividere in duos ordines, infimæ plebis unum, honeſtioris generis alterum. Quamobrem ſatius erit hanc diviſionem retinere, quam *Triphoni Gabrielio* acceptam refert *Jannotius*. Non me latet, in primis controverſum eſſe, an, qui *Venetiis* appellari ſolent Cives, revera ſint cives. Nam quia ſuffragium non ferunt in deliberando, & nullius publici Magiſtratus inſignia gerunt, propterea Civium Albo plerique illos exemerunt. Enimvero quæ varios populorum mores, & leges perſcrutanti in hiſtoria occurrunt, fateri cogunt, non unum, ſed permulta genera civium, ac diverſa exiſtere, ita ut civis definitio afferri nulla poſſit, quæ in omnes, qui dicuntur cives, ex æquo conveniat, ſed prout in iis evenit, quæ analoga vocant, potiſſimum genus definitione propria explicandum ſit, unde genera inferiora ſuo quæque ordine propriam rationem deſumant eò evidentius, quò propiora fuerint præcipuo illi generi. Quapropter *Ariſtoteles* non cuncta civium genera (id enim tanta in varietate qui poterat?) ſed civium genus omnium longe præſtantiſſimum definitione ſua comprehendere inſtituit: cujus principis generis habita ratione difficile non foret intelligere cætera. Quo fit, ut merito vel malignitatis, vel inſcitiæ damnetur *Bodinus*, qui temere in re tàm aperta maledicere auſus eſt *Ariſtoteli*. Non enim ubique nationum, & gentium, quod ſatis conſtat, iiſdemque temporibus, eodem jure cives perpetuo extiterunt. *Athenis* Solonis lege ſancitum erat, ut ab honoribus & Magiſtratibus arceretur quarta Civium claſſis, quæ multitudine tres alias claſſes longè ſuperabat, non tamen excludebantur à judiciis, & à jure concionis habendæ. In *Romana* quoque Republica contigiſſe legimus, ut quidam optimo jure cenſerentur Cives, quidam mediocri, quidam deterrimo; cujuſmodi fuiſſe cum alios populos, tum *Cerites* accepimus, quibus ſine ullo ſuffragii jure data Civitas fuit. Qui vero dicuntur *Venetiis* Cives, ſive *Cittadini* (ut vocis ipſius propria vis materna lingua exprimatur) quin Civium numero habendi ſint, negari non poteſt, non quidem optimo jure, quo duntaxat ii, qui Nobiles ſive Patricii vocantur; ſed medio quodam jure, & ſatis honeſto. Nam præter arcana Reipublicæ, quæ cuncta eis concreduntur, obeunt etiam graviſſima munera, perſæpe in Republica funguntur legationibus, quas vulgò *Reſidentias* vocant, apud Duces, & Proreges, multoſque etiam Principes, qui non ſunt infra regale nomen, & faſtigium: exercent extra ordinem apud Imperatores ipſos, & ſupremos Principes ampliſſima munera. Quin etiam ad expediendas & conficiendas res maximi ponderis, horum Civium fideli opera Reſpublica utitur, quod ex Annalibus *Venetis*, ac etiam ex vulgatis hiſtoriis in promptu eſt cognoſcere. Quid? quod *Jannotius* inferius tradit, ſe non habere compertum, legem ullam exiſtere, qua fuerit olim cautum atque ſancitum, ne Cives ulli nominarentur ab Electoribus, præterquam Patricii, aut ne ratio haberetur eorum in Comitiis, ſi nominarentur: quod nos etiam nullo unquam tempore decretum invenire potuimus: Trierachos quidem hoc ex ordine creatos aliquando legimus, & *Cameracenſi* bello unus ex Reipublicæ Ducibus fuit *Aloyſius Dardanus*, qui Legati nomen obtinuit *Oriaci*, & *Mirani*, totiuſque illius continentis tractus, qui in proximo erat. Quod ſi aptitudine & facultate potius gerendorum munerum, quàm actu ipſo gerendi, Civis definiri debet (alioqui ſenes, & pueri Cives non exiſterent; & ea pars Civium non modica, quæ conſulto abſtinet honoribus) non video, quid repugnet, quominus ii, qui dicuntur Cives, tales verè exiſtant, & ab omnibus haberi, & poſſint, & debeant. Diſtinguenda ſunt tamen hîc duo genera Civium. Unum, quod *ab Origine* dicitur, atque in illos convenit, qui non modo patrem, avum, & proavum Civem habuerunt, ſed præterea ſordidas artes nunquam exercuiſſe tam ſe, quam omnes illos probare poſſint; quod quidem apud Advocatores Trium-Viros fit ſolemni ritu, & publicis tabulis conſignatur ejus rei memoria. Alterum genus eſt eorum Civium, quorum Majores non conſtat extitiſſe Cives; ipſi tamen in Urbe vel nati ſunt, vel educati, vel, quod poſtremò lege definitum eſt, decennium ſaltem *Venetiis* commorati domicilium ac ſedem ibidem fixerunt. Fruuntur ii ſanè privilegiis *Venetorum* Civium in portoriis, & vectigalibus potiſſimum, quæ dimidio minora perſolvunt, quam advenæ atque exteri. Veruntamen, ut à ſordidis artibus abſtineant, nihil eſt neceſſe. Non enim iis patet aditus ad ampla illa munera, quæ Civibus *ab Origine* permittuntur, præterea nemini. Caput hujus ordinis Magnus eſt *Venetiarum* Cancellarius, cui publici tabularii ſuprema cura demandata eſt, & arcanis quibuſque non modo Senatus, ſed etiam Concilii Decem-Virûm, & Collegii præeſt, nihilque, quod veniat in deliberationem, aut in judicium, eum latet. Is togam Senatoriam, laxioribus manicis, purpurei aut violacei coloris, pro temporibus gerit, & maximo eſt in honore, quoad vivit, atque exiſtimatione, ut Patricii omnes non gravatè ipſi locum cedant: poſt obitum verò publico funere effertur, quod frequentes Patres, ac Dux ipſe de more deducunt. Secundùm Magnum Cancellarium Quatuor-Viri eminent, qui à ſecretis Decem-Virûm appellantur, atque aliis omnibus antecellunt dignitate. Succedunt alii xxiv. qui Senatus excipiunt arcana, nec non acta deſcribunt, & rerum maximarum conſiliis interſunt; præter hos nulli ad ſecreta Reipublicæ admittuntur. Alii Tabellionum, ſeu Scribarum Ducalium tantum munere funguntur, qui dicuntur vel ordinarii, vel adſciti extra ordinem. Nam triplex ordo inter publicos Scribas omninò intercedit, quorum ultimus gradum facit ad medium, & medius ad primum, facto prius tamen eruditionis atque ingenii periculo. Licet iis porrò, qui cum Imperio in provincias Patricii mittuntur, aut Orato-

D. Jannotius. res

tum dissentire, qui duas priores Classes inter se confundit, eodemque plebis nomine æqualiter censet; sed etiam à compluribus aliis, qui nihil tribuunt iis, qui non sunt Patricii, cæterosque omnes habent Populi numero, atque loco: qua de re fusius alibi. Ego tamen sum in ea sententia, ut existimem, eo modo, quo dixi, partitionem faciendam esse. Quare *Popularium* nomine eos tantum accipio, qui dici solent communiter plebeji, hoc est, qui sordidas artes exercent vitæ sustinendæ causâ, neque ullum ornamentum, aut honoris gradum adipiscuntur in Civitate: *Cives* autem illos appello, qui geniti, & educati in hac Urbe, non ipsi tantum, verum etiam & parentes & majores eorum, magisque liberalibus artibus addicti, aliquid splendoris merito consecuti sunt veluti quodam gradu honoris conscenso; quo fit, ut communis hæc patria debeat eos amplecti tanquam à se ipsa genitos, atque procreatos: *Patricii* vero, seu *Gentiles Viri*, ut à nobis vocantur, illi sunt, in quorum potestate, & arbitrio est ipsa Respublica, totumque jus, & Imperium cum terra, tum mari. Eorum Nobilitas, quamvis clarissima sit; tamen ut magis atque magis omnibus pateat, [1] *de Primordiis, atque Incrementis*

---

res destinantur ad maximos Principes, ex ordine Scribarum medio unum, aut alterum secum ducere, qui litteris conscribendis inserviat. Inferioris ordinis adhibere aliquem non licet, nisi per Decem-Virale Concilium fortè copia fiat. Habent præterea Cives ii, qui Originarii *Venetiis* vocantur, præter eas, quas superius dixi, legationes, extra Urbem alia non pauca honesta munera. Magnus regni *Cretæ* Cancellarius habitu, incessu, & dignitate *Veneto* similis ex eorum ordine legitur, idque à majori Patriciorum Concilio: Præfectus arci *Cremæ*, metallorum fodinis Vicarius, qui à Decem-Viris olim, nunc à Senatu eliguntur, & alii non pauci. Plebeji homines in Urbe *Veneta* tertium tenent, qui, prout diversis artibus, & negotiis vacant, in varia quoque collegia tribuuntur: ex his tamen alia sunt necessaria, alia libera. Nam cunctis opificibus imposita est necessitas non modo profitendi suam artem, quam in publico exercent, sed nomina etiam dandi in unum collegium, quod sortitur appellationem suam à genere opificii. Ejusmodi igitur Collegia *necessaria* voco, in quibus is, qui principem locum obtinet, dici solet *Gastaldio*, qui cum Assessoribus suis (vulgo *de Banca* vocant) jus habet non modo convocandi Collegii, sed etiam ferendarum legum, vel abrogandarum, prout Collegii utilitas, & ratio temporum postulat: leges tamen ab illis propositæ, & consensu majoris partis è Collegio firmatæ, nisi ab Ædilibus sancitæ, & approbatæ fuerint, nihil roboris habent, quinimo irritæ censentur. Hæc igitur collegia tot numero existunt, quot genera opificiorum publicè exercentur. Quæ verò pietatis ergo duntaxat instituta sunt, quæ multò plura existunt, hæc *libera* nuncupo, propterea quod nonnisi volentes admittunt, nolentes non cogunt. In singulis templis, & sacris ædibus, quæ sunt longe plurimæ, binæ minimùm *Fratriæ*, vulgo Scholas vocant, sive Confraternitates; altera, quæ sanctissimi nomine Sacramenti insignitur; altera, quæ Deiparæ Virgini est dedicata: sed præterea vix ullum delubrum aut sacellum extat, in quo Viri sancti alicujus celebritas non recolatur: ex quo fit, ut horum Collegiorum prope infinitus sit numerus, in quibus omnibus plebeji homines honores adipiscuntur. Patricii namque, & cives, licet pro eorum pietate in collegium cooptentur, & stipem conferant, à dignitatibus abstinent. Obtinent vero Cives sex amplissima Collegia; sex Urbis regionibus attributa, & magnarum scholarum titulo donata. Ex his binæ sanctissimæ Virgini consecratæ sunt, una quidem *Charitatis*, nomine antiquissima, altera vero *Misericordiæ* addito cognomine: binæ quoque duobus Evangelii scriptoribus dedicatæ, D. *Joanni*, qui Apostolorum omnium *Christo* fuit charissimus, & D. *Marco* Civitatis *Venetæ* Patrono; totidem duobus Cœlitibus *Rocco*, & *Theodoro*. Cooptare licet in has omne genus hominum, Patricii tamen suis honoribus contenti, ut civibus imperii speciem aliquam relinquant, quamvis in societatem adsciti, ad honores non admittuntur. Qui præsunt his collegiis, magno sunt in pretio, magnique Custodes vocantur; eorum spectatæ fidei, atque integritati ingens pecuniæ numerus concreditur ex piorum hominum legatis atque largitionibus, tum ad inopiam & miseriam pauperum sublevandam, tum ad nubiles virgines collocandas. Assident iis alii nonnulli in eodem suggestu cum discrimine dignitatis, quæ vocabulo ipso designatur, Vicarii, Scribæ, Syndici, Decanorum, & Adjunctorum. Nonnulla vero tractandi, & conficiendi magnus Custos cum illis, qui sibi assident, jus integrum habet: sed in rebus maximi ponderis ac momenti Majus Concilium convocare solent; cujus illi omnes sunt participes, quicunque perfuncti sunt munere aliquo in societate; nam qui nullos gesserunt honores, lege à Concilio arcentur. Atque hæc de Civibus, ac Popularibus dicta sunto.

1. *De Primordiis, atque incrementis nostræ Civitatis*, &c.] Multa fuerunt in stagnis oppida condita, multæque variis temporibus insulæ frequentatæ ab iis populis, qui barbarorum immanem sævitiem atque tyrannidem fugiebant: nihil tamen & celebrius & antiquius eo, quod stabile domicilium ac sedem præbuit libertati, *Caroli Magni* temporibus gremio suo complexum, quicquid per omnes insulas erat dissipatum. Huic igitur ad non obscurum futurorum omen, proprio *Rivi alti* nomine insignitæ insulæ, accepta *Venetæ* Urbis origo non injuria refertur cùm dignitatis, tùm antiquitatis habita ratione. Nam prima inter omnes alias coli, & frequentari cœpta, quod perfugium tutissimum contineret adversus efferarum gentium impetum, primas quoque semper obtinuit, præterquam iis paucis, quibus *Heraclea*, & *Metamaucum* annis floruerunt. Cæterum de Urbis origine fuit opinio duplex, quarum alteram jamdiu comprobavit communis assensus; anno scilicet quadringentesimo vigesimo primo, Urbem conditam festo die Annunciationis Deiparæ Virginis, qui dies Urbis natalis semper habitus, solemni, & maxima religione à *Venetis* cultus. Altera verò opinio, quam sequi videtur *Contarenus*, ad *Attilæ* irruptionem usque rem protrahit, quasi vis alia Barbarorum nulla fuerit antea, qua mortales compelli potuerint ad hæc æstuaria, nihilque trepidatum temporibus illis, quibus *Alaricus*, *Ataulphus*, & *Radagasius*, ingentes copias secum in *Italiam* trahentes, terrorem & cladem plurimam *Venetis* intulerunt. Equidem si *Alarici* unius expeditio prima, qua *Gothis*, *Hunnis*, & *Alanis* in societatem ascitis per saltus Tridentinos *Venetiam* irrupit XIV. Kal. Septemb. Anno CDII formidolosa cunctis *Italis* adeo usque fuit, ut qui à periculo & metu longius aberant, de *Italia* deserenda seriò cogitarent, adeundisque insulis *Corsica*, *Sardinia*, & *Sicilia*; quo animo *Venetos* extitisse tunc existimandum, quorum agros pervaserat tantus ille furor, urbesque omnes vel afflixerat, vel planè subegerat? Nonne quod alii cogitabant, oportuit eos facere, ut uxores, & liberos, & fortunas suas in insulas transportarent, atque eò promptius, quo pariter & periculum, & perfugium propius? Ergo ab honestissimis civibus frequentata, exinde nonnihil accessionis ad celebritatem, æstuaria cum suis insulis consequi cœperunt, antea non nisi à pauperibus, abjectisque hominibus, cujusmodi piscatores, & navicularii, habitari solita, Continuata posthac *Italiæ* infortunia per alias proximas barbararum gentium irruptiones, quibus exposita *Venetia* prima semper fuit, accolas impulerunt æstuariorum, ut mapalia, seu tuguria plura ædificarent, quò se reciperent, urgente aliquo discrimine. Non tamen probare possum eorum sententiam, qui periculi ab *Attila* imminentis declinandi causâ, nescio quem Regem *Patavii* primum novæ urbis fabricandæ consilium cepisse, memoriæ prodiderunt: & quosdam etiam è suis civibus *Rivum altum* misisse magnis opibus, & Consulari potestate præditos, quorum etiam nomina, si diis placet, recitant ex quodam vetustissimo monumento in tabulario *Patavino*, ut ajunt, reperto, quod quidem non gravabor adducere hoc loco, ut omnes videant, quanti quanti faciendum sit, expressum totidem verbis ex sermone vernaculo.

Anno à Christo *nato* CDXXI. *ultimo verò* Innocentii *Papæ* primi *ex* Apono *oriundi, cum maxima gloria & felicitate floreret* Patavinum *regnum*, *administrantibus Rempublicam* Galiano Fontana, Simone Glaucone, *&* Antonio Gaulo Lovanio *Coss.* Honorio, *&* Theodosio *Arcadii filio imperantibus; per Consules, & Senatum* Patavinum *decretum fuit, ut principes aliquot viri ex omnibus delecti ædificarent urbem prope* Rivum altum, *cogerentque in eandem omnes ex circumjacentibus insulis, & unum esset potius oppidum portuosum, quam multa, ubi stationem haberet classis apparata, maritimisque rebus jugiter assueta, ad custodiam portus, perfugiumque, si quod bellum ingrueret, exhibendum longe tutissimum:* Gothorum *enim multitudine, insolentiaque perspecta tenere sese adhuc memoria, illos unà cum Rege suo* Alarico *Italiam ingressos, reliquisse eam rapinis atque incendiis vastatam, ipsamque urbem infesto agmine petiisse, & direptioni mandasse. Quare præter eos motus, quos aliàs attulissent* Gothi, *cives* Patavinos *perceptis conatibus iis, qui ex Australibus, & Occidentalibus regionibus tunc per eos gliscerent, timore adductos statuisse, vel eo ipso anno* CDXXI. XVII. *Kal. April. urbem condere, in qua perfugium compararetur, & portus juxta fluminis ostium, coacta universa multitudine in eum locum, cui nomen* Rivo alto *ex insulis, & stagnis, atque adeo ex tota provincia. Urbem porro* Venetias *nominatum iri, biennioque præfuturos operi eo transmissos consules, à quibus fundamenta jacta* VIII. *Kal. Aprilis circa meridiem: primos autem præfectos operi Consules* Albertum Faletrium, Tho-

tis nostræ *Civitatis* ſtatui quædam dicere.

Quo tempore maximum belli terrorem toti *Italiæ* inferebat, propediemque invaſurus ipſam dicebatur *Attila* Rex *Hunnorum*, fama conſtans eſt, eos populos, qui *Veneti* tunc appellabantur, apparatu tam magno exterritos, in æſtuaria maris *Adriatici* commigraſſe, & parvas eas

A insulas tenuiſſe, quæ poſitæ ſunt inter ipſum littus & continentem. Autores hujus fugæ *Patavini* ſunt habiti, & cum *Aquilejæ*, & *Concordiæ* cives, aliorumque oppidorum finitimorum; & alii quidem alias inſulas inſederunt. Urbis tamen ipſius prima fundamenta in *Rivo alto Patavinos* jeciſſe fuit memoriæ proditum anno CDXXI, & quidem ipſo die ſe-

Thomam Candianum, *&* Zenonem Daulum: *alteros Conſules* Lucianum Paulum, Maximum Lucium, *&* Ugonem Fuſcum.

Hoc dicitur exemplum eſſe illius monumenti, quod ex neſcio quo *Patavino* tabulario fuerit depromptum, cum tamen ipſum *Patavium* dirutum, & ſolo æquatum ſine ullis habitatoribus diutiſſimè manſerit, & uſque eo rerum *Patavinarum* memoria interierit, ut ne *Patavini* quidem ipſi negare audeant, quod à viris graviſſimis teſtatum accepimus, ejus urbis nullam prorſus exſtare memoriam ante *Ecelini* Tyranni crudeliſſima tempora. Quid? quod in noſtris Annalibus ſcriptum reperimus, *Patavinos* ſuis Oratoribus ad *Narſetem* miſſis, dum *Ravennam* per hæc æſtuaria contenderet, id ab eo contendiſſe ſummo ſtudio, ſed fruſtra, quod antea non ſemel, & ab *Odoacre*, & à *Theodorico*; uti paludium ſtagnorumque poſſeſſione, quæ per injuriam ſibi erepta criminabantur, *Veneti* dejicerentur, atque expellerentur. Non igitur Urbis conditores, ſive primi auctores, quin potius hoſtes *Patavini* fuerunt, quoad oppugnati à *Longobardis*, & *Patavio* everſo, coacti ſunt ad illos confugere, à quibus diffidebant. Quin ergo monumentum hoc falſum fictumque fuerit, nullus dubito: ſed quia *Scardeonio* atque nonnullis rerum noſtrarum ſcriptoribus impoſuit, *Venetique* nominis calumniator poſt homines natos nequiſſimus, ut libertati *Venetæ* notam inureret, hoc ipſo tanquam firmiſſimo innititur fundamento, *Patavinis* ſubjectam ab ipſo natali fuiſſe Rempublicam noſtram, operæ pretium exiſtimo, decretum hoc, quod circumfertur ineptiſſimè & abſurdiſſimè concinnatum, examinare: quot enim verba, totidem ſunt expreſſa mendacia.

Primum eſt: ultimum annum *Innocentii* primi à *Chriſto* nato fuiſſe CDXXI. cum ejus obitus contigerit quadriennio ante: ſucceſſit *Zoſimus*, qui obiit anno duodevigeſimo extremo: creatus fuit anno proximo *Bonifacius* primus, cujus anno poſt altero Urbis fundamenta poſita.

Alterum: *Innocentium* Pontificem fuiſſe oriundum ex *Apono*, qui locus à *Patavio* abeſt paſſuum quatuor millia. Impudentia ſcriptoris ementientis, aut ſumma imperitia, ut *Patavinum* faceret Pontificem; *Aponum*, ſive *Aponenſem* pro *Albano* ridiculè accepit.

Tertium: tunc regnum *Patavinum* ullum viguiſſe, quo tempore Imperatores rerum potiebantur: id verò nullus, quantumvis hebes & rudis, ignorare poteſt; licet ut muniat undique cauſam, perbelle mendax iſte cum ipſo regno, ſenatum, conſules, cives *Patavinos*, Rempublicam confundat.

Quartum: antequam *Rivus altus* ædificaretur, hoc eſt, annum CDXXI. extitiſſe complura oppidula per hæc ſtagna diſperſa, ex quibus tunc una demum civitas coaluerit. Contigit hoc ſatis longo intervallo poſt, nimirum anno DCCCIX. *Heraclea* primùm, & *Equilio* funditus everſis: deinde *Albiola*, *Clodia*, *Metamauco*, & aliis, unde plurimum incrementi *Rivo alto* acceſſit, quemadmodum ex omnibus annalibus clariſſimè conſtat. Sed ante annum CDXXI. nullum erat in his paludibus oppidum, ac ne in ſomnis quidem. Niſi quis velit ea, quæ *Strabo* ſcripſit de *Aquileja*, *Adria*, & aliis oppidis, quæ tunc temporis mari alluebantur ad *Metamaucum*, *Heracliam*, *Equilium*, & alias inſulas, ineptiſſimè, ut ſceleſtus nebulo fecit, atque prodigioſiſſimè traducere.

Quintum: inane ſtudium ad cuſtodiam & tutelam portus, cum nullæ barbarorum copiæ maritimæ forent, non modò claſſis apparandæ, ſed urbis condendæ; præpoſterumque ac perverſum illorum conſilium, qui minimè conſulerent ſuæ incolumitati inter agrorum & urbium ſævas direptiones, cum *Alaricus* & *Ataulphus* eſſent in *Italia*, cæteræque Imperii provinciæ omnes bello arderent, à tyrannis fœdiſſimè laceratæ. Sed cum ſumma pax & tranquillitas ubique vigeret, *Italia*, *Gallia*, & *Hiſpania* proximè pacatis, barbariſque omnibus compreſſis, ac Tyrannis deletis, de quibus Imperator *Honorius* triumpharat anno CDXVII. tunc intempeſtiva formidine fugam adornarent, hoſte nullo apparente, ne dum inſequente.

Sextum: ex Auſtralibus regionibus atque Occidentalibus ea tempeſtate *Gothorum* motus auditos; qui ſtabili fœdere cum *Romanis* juncti, *Alanos*, & *Vandalos* in *Hiſpania* multis præliis attriverant, & certam demum *Galliæ* partem poſſidendam acceperant, beneficii præmiique loco ab Imperatore, cui ſtrenuam fidelemque operam, ſi unquam aliàs, præſtabant. Auctor hujus ementiti decreti, quiſquis ille fuit, cum audiret, à doctis viris ſcriptores quoſdam amentiæ reprehenſos immaturè nimis cauſatos *Hunnicos* terrores; pro *Attila* & *Hunnis* ſubjecit *Gothos* & *Alaricum*; aſtutè quidem, ſed non ſatis aut conſulto, aut ſcitè. Nam licet aggreſſiones *Gothorum* urbis novæ origini multo, quàm *Attilæ* irruptio, propiores fuerint: uterque tamen timor intempeſtivus, ac nullus; ille, quia jam deſierat, hic, quia longum aberat, *Attila* nondum, aut vix dum in lucem ſuſcepto, & *Romano* Imperio poſt diuturnas ærumnas, & calamitates ad ſpem amplitudinis priſtinæ reviviſcente.

Septimum: tunc ſtatim *Rivo alto* inditum *Venetiarum* nomen ex illo *Patavinorum* Senatus Conſulto, quod nomen perſpicuè vetera monumenta docent omnibus initio pariter commune fuiſſe, quæcunque continerentur his littoribus atque ſtagnis oppida; multo autem poſt, ut proprium, *Rivo alto* tributum, quàm migrationes eò fierent ex omnibus inſulis. Etenim multæ ſunt veteres ſanctiones, multa privilegia, quæ leguntur edita, & data in urbe *Rivo alto*. Seroque admodum hoc ipſum *Venetiarum* nomen tàm longè lateque patens olim, quam ſtagna omnia, & littora in *Rivi alti* unius terminos conceſſit, ſecus atque præ ſe fert hoc *Patavinum* decretum imperitiſſimè confictum, & omninò falſum.

Sicut ergo conſtanti Civitatis opinione Urbis conditæ dies eſt VIII. Kal. Aprilis, ita ex *Patavino* decreto id contigiſſe nemo ſanus eſt, qui dicere poſſit: ex noſtris Annalibus liquidò conſtat, quanam ratione divino potius, quàm hominum conſilio nova civitas ad *Rivum altum* conſtituta fuerit. Ceperat ibi vicus eſſe ſatis frequens, non modò piſcatoribus & naviculariis, ſed multis aliis mortalibus in unum coactis, poſtquam *Venetiæ* urbes *Alaricus*, & *Radagaſius* cum ingentibus barbarorum copiis invaſerant. Ex arundinibus & aſſeribus cunctæ habitationes, una duntaxat fuerat ex lateribus ſtructa, quam incolebat illius fabricator *Entinopus* Cretenſis. Contigit, ut incendium repentè coortum, ventis ſævientibus, quaquaverſum propagaretur, & vicum abſumeret. Remediis ad flammam inhibendam omnibus tentatis, operiſque inani labore defatigatis, converſus ad cœleſtem opem implorandam, qua erat *Entinopus* ille religione ac pietate, ſolemni voto palam ſeſe obſtringit & obligat, ſi cohiberetur illicò flammarum furentium impetus, offerre ſe ad conſecrandum tantum ſoli, quantum ſatis foret ad rem divinam peragendam, cujus rei gratia ſuſcipere cogerentur itineris atque incommodi plurimum univerſi incolæ, templa delubraque adituri longo intervallo disjuncta. Conceptis precibus & votis præter omnium ſpem ſubito flamma ſubſtitit, ac incendium recedit, largiſſimis imbribus, ut fama, cælitus effuſis. Atque ita, quò ſe voti religione ſolveret, in area ſuæ habitationis, quæ conflagraverat, *Entinopus* ſacellum ædificavit, & D. *Jacobo* Apoſtolo dedicandum curavit, inſigni celebrique admodum cerimonia, quippe cui dederint ſimul operam Epiſcopi quatuor, *Severianus* Patavinus, *Hilarius* Altinas, *Jucundus* Tauriſanus, & *Epodius* Opiterginus: ac ne quid omini fauſto & læto deeſſet, *Felix* ille ſacerdos nominatus dicitur, cui primùm ſacelli cura demandata fuerat. Dedicationis autem dies feſtus, & ædificationis principium planè idem fuit, ſed unius anni curriculo intercedente, quod omnia monumenta vetera teſtantur, utrumque VIII. Kalend. Aprilis contigiſſe, quæ lux orbi jucundiſſima, & ſanctiſſima illuxit, cùm optatiſſimi nuntii ad beatiſſimam Virginem, tum inauditi inexplicabiliſque ſacramenti, quod humanam divinamque naturam ſimul copulavit. Unà ergo cum tanti myſterii memoria, & cum novo templo illius urbis primordia jure conſecrata, cujus foret ea laus unica & præcipua, quod nullis unquam profanis ritibus & ſuperſtitionibus, *Chriſtianæ* tantum Religioni nomen ſuum dederit, in qua orta, educata, & aucta perſtabit æternum fixa, nec non conſeneſcet. Novi porro fani aut ſacelli exædificatio, circumfluentibus undique finitimis, ut ejus opportunitate uterentur facilius, tanti momenti fuit ad *Rivi alti* frequentiam, ut civitatis nomen, & famam inde habere cœperit, aucto magnopere numero ædificiorum, quæ circumcirca in dies excitabantur. Supervenerunt poſtea miſera illa tempora, quibus *Attila* Rex *Hunnorum* aggreſſus *Italiam*, nobiliſſimas quaſque urbes *Venetiæ* deformavit, & diruit. Tunc oppida multa in ſtagnis ſimul inchoata; *Gradus* ab *Aquilejenſibus*; *Caprula* à *Concordienſibus*; ab Altinatibus *Torcellum*, *Majorbium*, *Boreanum*, & *Amorianum*; ab *Ateſtinis*, proximiſque *Montis Silicis* civibus *Clodia*, *Metamaucum*, *Philiſtina*; & ab aliis alia, quibus poſtea relictis ob *Pipini* Regis, & *Gallorum* aggreſſionem, omnes in *Rivum altum* convenêre. Et Urbem ſatis antea frequentem, frequentiſſimam, & incolis refertam, juſtæ magnitudinis conſtituerunt. Ex his apparet, *Contarenum* incrementum potius & amplitudinem, quàm ortum urbis reſpicere, dum Attilæ adventum commemorat, cum multo ante, anno ſcilicet CDXXI, condita fuerit, quod etiam publica fide & auctoritate ſtatuitur, quæ ab eodem anno enumeravit ſemper annos urbis conditæ.

festo Annunciationis Deiparæ Virginis, qui celebratur VIII. kalend. Aprilis. Et quoniam motus, & aggressiones *Hunnorum* tardius processerant; à primis enim rumoribus usque ad irruptionem ipsorum effluxere anni quatuor & viginti, quod quidem temporis curriculum iidem consuluerunt ad instaurandas copias detrimentaque sarcienda, quæ subierant, & pertulerant non modica, vel commisso ad *Tolosam* ingenti prælio cæsi, & profligati, vel perdomandis *Illyricis*, *Dalmatis*, atque *Istris* in ipso adventu permultum occupati. Quapropter hac mora temporis interposita, atque interjecta, non multum incrementi Civitas tunc accepit, quin etiam patrias sedes multi repetierunt; sed qui tenebant *Rivum altum*, nihil immutata sententia ibidem commorati perpetuo manserunt. Ubi vero tandem Barbari in *Italiam* ingressi *Aquilejam* vi captam everterunt, eo tempore *Veneti* quam frequentissimi convenerunt ad æstuaria, & insulas omnes passim compleverunt. Sunt qui memoriæ tradiderint eo, quo dixi, Beatæ Virginis Festo die dedicatum fuisse templum D. *Jacobo* Apostolo sacrum, ab iis, qui tunc erant incolæ *Rivi alti*, primum extructum, unde Civitatis ipsius ducta sunt primordia; veruntamen anno CDXLVI. cum *Attila* jam pervasisset, & pervastasset *Italiam*, earum civitatum, quas nominavi, populos in has insulas convenisse tanquam in tutissima loca, frequentissimoque omnium, qui adessent, habito concilio, tandem constitutum fuisse, ut domicilium stabile, atque certum ibi collocaretur, neque ullus reditus amplius in continentem: atque hæc altera quodammodo statuuntur incunabula nascentis Urbis ab his autoribus. Sed hæc opinionum variatio non est alicujus momenti, & nostra nihil penitus interesse potest: illud enim exploratissimum, & certissimum est, ob *Hunnorum* terrorem confluentibus in dies magis ac magis hominibus, Civitatem mirum in modum auctam, & amplificatam excrevisse adeo, ut non multo post armis decernere potuerit adversus *Istros*, atque *Dalmatas*, à quibus infestabatur, & victoriam consequi, atque etiam *Belisario* summo *Justiniani* Imperatoris Duci auxilia non contemnenda suppeditare in obsidione *Ravennæ* contra *Gothos*, eo rerum eventu, ut *Vitiges* ipsorum Rex bello captus, transmissus ab eo fuerit vinctus ad *Constantinopolim*. Anno quoque fere centesimo ab ipsa Urbe condita, cum venisset ad *Italiam* vindicandam à servitute Gothorum *Narses* alter Dux ejusdem *Justiniani*, non mediocribus officiis, atque copiis à nostris adjutus, ut aliquod monumentum harum rerum apud nos extaret, grati animi ergo duo fana curavit ædificanda; alterum D. *Theodoro* martyri sacrum, ubi nunc ædes conspicitur D. *Marci*; alterum Divis *Geminiano*, atque *Menæ*; quod quidem erat olim in medio foro, sed ornandi, & amplificandi loci causa mox dirutum, *Vitali Michaëlio* Duce denuo conditum fuit in extrema area. Permultum etiam Civitas incrementi accepit ex infesto *Longobardorum* adventu post *Narsetis* obitum, cujus gentis immanitas efferata fecit, ut omnes undique certatim has in Insulas fugerent, ipsaque Civitas longe, lateque propagaretur. Quin etiam paucis post annis cum *Agilulphus* Longobardorum Rex *Patavium*, atque *Acelum* funditus evertit, Respublica multum crevit confluentibus incolis utrinque, quarum ingentem vim, atque numerum neque *Rivus altus*, neque Insulæ proximæ capere amplius poterant, ideoque complere habitatoribus necesse fuit aliam Insulam, quæ *Gemina* eo tempore dicebatur, Urbe non modò frequentiori, sed ampliori etiam reddita: quæ sane in hoc statu permansit quiete, & tranquille nullo bello gesto, præterquam quod à finitimorum injuriis acerrime se, suaque defendit usque ad illud tempus, quo Duces in Republica cœptum est creari, qui fuit annus ab Urbe condita CCLXXXII. Ab eo tempore paulatim vigor excitari, & egregia vis animorum sese efferre cœpit, maximorumque inimicorum impetu represso & Imperium & robur simul amplificavit, ut cum [1] *Gallorum* vim sustinuit & egregie devicit *Obelerio* Duce IX. cujus rei supra memini.

1. *Gallorum vim sustinuit, & egregiè devicit.*] His ipsis temporibus *Beati*, Venetiarum Principis, auspiciis & ductu parta est insignis victoria, quæ cunctis ferè celebrata scriptoribus, à quibusdam in dubium revocatur. Sed Annalibus *Venetis* antiquissimis,. atque probatissimis, & monumentis amplissimis hujus pugnæ, quæ multiplicia supersunt ad hæc usque tempora, nescio cur aliqui minorem fidem tribuendam censeant, quàm plebejo & rustico sermone conscriptis ab ignoto auctore, nescio quibus *Francorum* Annalibus, unde *Aimonius*, sive *Annonius*, *Rhegino*, *Ado*, & quidam monachus ex cœnobio *Engolismensi*, qui vitam *Caroli Magni* per annos digessisse traditur, non modò hauserunt rem gestam, & sententiam, prout ipsi tradunt; sed etiam verba ipsa fuerunt mutuati, & quod ridiculum est, eodem propè ordine structa, & collocata. Quamvis intuentibus rem totam probe & accurate, à nostris Annalibus, *Franci*, etiamsi veri essent Annales, & eo tempore scripti, non omninò dissentiant, quatenus ajunt, à *Pipino Venetiam subactam*. Nam ejusmodi famam per *Galliam* increbuisse, credendum ex eo, quod plurima *Veneta* oppida *Pipini* armis capta, *Metamaucum* quoque ipsum occupatum fuerat, ubi usque ad eum diem Imperii *Veneti* sedes erat collocata. Accessit huic etiam causæ *Venetorum* Ducum, qui exulabant, *Obelerii* fratrumque ad *Gallos* transfugium, quod nomine deditionis fuit ab ipsis acceptum. Propterea conati sunt *Franci* non modo victoriam, sed gloriam quoque subactæ *Venetiæ* sibi vendicare: quibus nos hæc opponimus, & regerimus. Primò, irritum & inane omnino fuisse, per Duces transfugas & perduelles quicquid fuerit gestum. Deinde, quamvis oppida multa capta eversaque fuerint, ab his tamen calamitatibus *Rivum altum*, cæterasque finitimas insulas intactas mansisse, quò Dux, & omnis Magistratus ex *Metamauco*, ingensque Patriciorum numerus, ex omnibus insulis communi consilio commigraverat. Postremo, quod ipsam causam & rem totam continet, cum *Pipinus* in intima stagna sese insinuaret, ut extremam bello manum imponeret, capta *Rivo alto*, accepisse illam memorabilem cladem, multis *Francorum* millibus deletis, atque trucidatis, coactumque *Venetis* finibus abscedere irrito conatu. Sed operæ pretium fuerit hæc altius repetere, totamque rei gestæ seriem ob oculos ponere, ut omnes probe intelligant, & aperte videant, nullam fuisse causam justam & legitimam *Carolo Sigonio* doctissimo Viro inhibendi assensum, & in medio relinquendi rem, ut minus compertam; neque *Cæsari Baronio* Cardinali ita pertendendi, ut etiam coarguendos existimaret nobiscum sentientes. Quid enim perversi, & malevoli scribant, susque deque. Cum igitur è vita migrasset *Obeliatus*, qui *Olivolensis* Episcopus primus ordine fuerat, alteriusque sufficiendi gratia in demortui locum, comitia popularia solemni more haberentur, *Joannes*, & *Mauritius* Duces, ille pater, hic filius, opibus & gratia connixi, quam maximè poterant, *Christophorum* quendam *Græcum*, cui studebant impensius, annos duodeviginti natum eò fastigii extulerunt. Res indigna visa tribunis, multisque optimatibus, quorum omnium auctoritate ac potentia fretus, conscientia quoque stimulante, cujus est vis maxima, *Joannes* Gradensis Patriarcha, vir optimus atque innocentissimus, ut adolescentem consecraret, adduci non poterat; tantumque abfuit, ut Ducibus obsequeretur non modò precibus, sed convitio propè assiduo agentibus, ut pro ea persona & dignitate, quam sustinebat, cum etiam grandis admodum natu foret ac provecta ætate, liberius utrumque admonitum palàm increparet. Hinc novi ac inauditi sceleris violentia exarsit, ingentium calamitatum & malorum origo. Impotens animi, & furore præceps adolescens instructo navigio, patre Duce connivente, cum satellitibus *Gradum* derepentè advolat, & Pontificem nihil minus suspicantem opprimit, injectisque manibus sacrilegis ex altissima turri, quæ sacris ædibus imminebat (namque illò confugerat) deturbatum in caput præcipitem agit. In tanti sceleris memoriam proditur divinitus factum, ut saxa respersa tàm altè cruorem imbiberint, ut nullo modo potuerit unquam elui, multaque secula hominibus spectaculo fuerit. Atrocitas facinoris hujus allatura fuerat non mi-

ni. Gessere deinde Majores nostri res maximas, & præcipue mari, bellique victores Imperii sui fines latissime protulerunt. Hinc ad res in continente animis conversi eos eventus, qui res humanas sequuntur, experti sunt in iis, quæ fuerant aggressi, ut omnibus est notum. Sed quoniam civitates amittunt veteres suos cives & novos ascîscunt, ob domesticas seditiones, ob externa bella, aut etiam pestilentiæ causâ: nostra Civitas nihil ejusmodi est unquam passa, ut in diversas partes, factionesque distracta, modo hanc, modo illam extrudere coacta fuerit, quod

A accidisse videmus ferè cunctis *Italiæ* urbibus, quæ civilibus odiis atque armis se ipsos prope deleverunt. Externa verò bella ita propulsavit, ut existimationem, atque gloriam sibi comparaverit aucta etiam ditione: pestilentiæ vim duntaxat aliquando subiit, quemadmodum contigit *Andrea Dandulo* Duce LIV. qui ad id fastigium evectus est anno MCCCXLII. & in eo fuit usque ad annum MCCCLXV. Unde conjecturæ locus relinquitur, hanc fuisse pestilentiam illam insignem anni MCCCXLVIII. à *Boccacio* vestro tantopere celebratam. Eo quidem tempore lues pe-

---

minus filio, quàm patri supremum exitium, nisi re maturè composita, sese ut culpa eximerent, in quosdam è satellitibus crimen conjecissent, infamiam tamen declinare nunquam potuerunt, neque invidiam, & odia cunctorum civium, qui studia suffragiaque sua illi detulerunt, quem scirent omnium infensissimum Ducibus futurum, *Gradensi* Patriarcha renunciato, qui arctissima propinquitate interemptum attingeret, *Fortunato* nepote, opinor, ex fratre. Quin nova discordiarum semina excitanda forent, veteraque plurimum augenda, nulli dubium erat: Patriarcha Ducibus diffidere, Duces Patriarchæ, utrinque suspiciones fraudum, atque insidiarum. Opportunitas tantum expectabatur, quam antecapere unusquisque pro virili studebat. Sed *Fortunatus* gemino stimulo incitatus, & persequendæ necis patruo iniquissimè allatæ, & avertendi periculi, quod sciret imminere sibi, mirum ni occupasset, atque antevertisset. *Obelerius* Tribunus *Metamaucensis*, & Optimates nonnulli, coitione facta de necandis aut extrudendis Ducibus, agitabant consilia. Fueritne Patriarcha ipse auctor, non expedio, socium quidem se præbuit non modo hortatorem. Nihil propius erat, quam ut res ex voto succederet, nisi delata per certos judices ad Duces præcaveri potuisset. Conjurati conjecti in magnas angustias de relinquenda patria omnes cogitarunt, non tamen inconsultò ac temerè, sed re constituta, ut Patriarcha in *Galliam* proficisceretur, ad Imperatoris *Caroli* auxilium fidemque implorandam; *Obelerius*, & cæteri audaces, atque manu prompti *Taurisium* se reciperent imminentes Ducibus, si qua daretur opportunitas ex vicino oppido: quæ spes atque expectatio minimè fefellit. Audito enim *Obelerium* in propinquo esse, non solum propinqui, affines, amici, clientes, sed etiam quotquot in Duces fuerant concitati, vel offensione aliqua accepta, vel studio ipso partium, ad ipsum profugiebant ex Urbe clam noctu; ea res ingentem trepidationem Ducibus injecit, ne aut ab omnibus destituerentur, si res ad manus veniret, aut cunctando diutius domi opprimerentur, incerti quosnam caverent, aut fideles haberent in Urbe sibi omnium maximè suspecta. Quapropter obsistere *Obelerio* non ausi vim apertam paranti, jamque arma inferenti, turpiter excidunt patria, atque dignitate. Re pervulgata & comperta conjurati approperant, *Metamaucenique* omnes effusi obviam *Obelerio* civi suo reduci gratulantur, & faustis vocibus, & ominibus Principatum destinant, quem certè paulo post obtinuit in conventu publico, insulanorum pariter omnium accedente consensu. Dux *Obelerius* declaratus ad firmandas opes pro magno negocio habuit exorare populum, ut adjutores, & collegas sibi habere liceret *Beatum* & *Valentinum*, fratres minores natu. Mox datis literis ad *Fortunatum* Patriarcham de re feliciter gesta certiorem facit, ne pergeret Imperatoris animum incendere amplius; *Gallicis* auxiliis nihil opus fore, quamprimum iter maturaret, & sedem repeteret. Hinc planè intentus in eam curam cogitationemque, ut Principatum sibi ac suis stabiliret, quo dignitatis recuperandæ Ducibus extorribus aditum omnem præcluderet, atque spem præcideret, *Heracleanæ* urbi, ex qua illi traxerant originem, machinatus excidium, ad extremum attulit, specie tuendæ pacis & tranquillitatis, bellorumque civilium semina tollendi inter cives *Heracleanos* & *Equilinos* assiduè vigentium, qui capitalibus odiis inter se diffidebant, trahebantque alias civitates omnes in suas partes. In publico igitur conventu ea lex fuit perlata, qua funditus eversum oppidum utrumque, & incolæ universi migrarunt, quò cuique libitum. Res tranquillæ futuræ videbantur, sublatis undique causis omnibus turbarum, concorditer administrantibus fratribus rempublicam, ex *Gallia* reverso pridem *Fortunato*, amplissimis Privilegiis à *Carolo* impetratis, quorum exemplum est videre apud *Andream Dandulum*. Sed unus adhuc hærebat scrupulus, unus ille timor, qui *Obelerium*, & fratres non benè habebat, ne pulsi Duces quandoque restituerentur, idque in gratiam Imperatoris *Constantinopolitani*, qui sæpè contenderat hanc rem satis vehementer, cum duceret alienissimum à sua dignitate, non minus supplicum, quàm suam negligere causam: cum eos habuisset semper conjunctissimos, acceptoque beneficio confideret magis fore obnoxios. Hac de re *Obelerium* sollicitum nuntius recens perculit; *Constantinopoli* classem instrui, in *Dalmatia* mittendam ac *Venetiæ* oras, quam primum navigatio tuta crederetur. Quapropter rebus suis diffidens, & magnopere anxius cum *Fortunato* Patriarcha rem totam confert, aliis quoque amicorum præcipuis in consilium adhibitis: id inter omnes convenit, nihil amplius cunctandum, sed externa præsidia cito comparanda, quibus adversus ingruentem vim sese præmunirent. Itaque licet hyems immineret quam proxima, unà in viam se dant *Obelerius* & *Beatus*, adituri *Carolum*, minimo fratre *Valentino* domi relicto, propinquorum & amicorum præsidiis peregregiè instructo. Tunc Imperator *Carolus* erat in *Germania*, ubi celeberrimum conventum agebat apud *Theodunum*, & commodum quidam Principes *Dalmatarum* advenerant, inter quos memorantur præcipuè *Paulus* & *Donatus*, ille Comes in urbe *Jadera*, hic autem Episcopus; imploraturi auxilium adversus *Nicephorum*, à quo defecerant quibusdam provocati injuriis. Hos igitur nacti Duces, & cum iis congressi, quia causa communis ipsorum agi videbatur, communicatis inter se consiliis *Carolo* demonstrant, quanti referat exturbare *Græcos* navigatione, commerciisque *Adriatici* maris penitus excludere: quanto fuerit incommodo ea res hactenus neglecta, quantoque usui futura, si vindicaretur, universo *Italico* regno, & in primis *Ravennæ*. Quibus rationibus facilè *Carolus* adductus, perbenignè complectitur *Dalmatas*, & *Venetos* Duces, spondetque inito fœdere, se perpetuo futurum ad retinendam dignitatem ipsis adjutorem, quam etiam auctoritate sua munit, atque sancit. Annales *Francici* supra memorati, id ut exprimerent rustico illo atque barbaro sermone, tunc edidisse *Carolum*, tradiderunt, *Ordinationem de populis, atque Ducibus Venetiæ & Dalmatiæ*. Sed *Nauderus*, & alii postea rem, ut fit, in majus tollentes longissimo temporis intervallo commenti sunt nescio quam *formulam*, *quo jure quisque viveret*, unde arrepta fuit ansa postmodum à malignis, & invidis quibusdam maledicendi, ac detrahendi libertati *Venetæ* Reipublicæ. Sed fugit illos ratio & animadversio, non fuisse primo constantiæ & justitiæ *Caroli*, quos triennio ante sui juris esse declarasset, quemadmodum vel à primis temporibus fuisse cognoverat, eisdem citra ullam noxam libertatem eripere, cum nulla esset injuria unquam lacessitus. Deinde minimè situm in arbitrio Ducum illorum, quas ipsi juberent leges Reipublicæ imponere, nedum ab aliis jussas per fraudem obtrudere. Quod si aliquid publicæ libertati contrarium pepigissent, quod nec ostendunt, nec à sanis hominibus credi potest; adhuc tamen non quid pepigerint Duces, non quid jusserit *Carolus*; sed quid Respublicâ sciverit, est examinandum. Inconsultis Tribunis, & injussu populi factum, si quid modo factum fuerit, ex eo facilè cognoscitur, & aperte constat, quod causæ nihil erat *Venetis* eo tempore, cur à priori fœdere discedendum putarent, quo pariter juncti erant cum utroque Imperio, ut *Gallis* sese adjungerent, immo vero, ut isti ridicule scribunt, subjicerent. Sed illud propalam testatur, & prorsus evincit, in amicitia *Græcorum* Venetos mansisse, quod cum classe *Byzantio* profectus *Nicetas* Patricius, ad comprimendos *Dalmatas*, & *Jadrenses* præcipue, qui auctoribus iis, quos diximus, rebus novis studebant, non modo Reipublicæ opibus cunctis fuit adjutus: sed insigni quoque gratulatione *Metamauci* exceptus, quo appulsus fuerat post res *Dalmatiæ* compositas; ibi concilio coacto ex omnibus insulis, quid in mandatis haberet, aperit, & cum *Venetis* agit, ut pulsi *Mauritii* Duces, si non pristinæ dignitati, saltem foris, & penatibus suis restituerentur: sed homines cùm præteritorum scelerum & crudelitatis, tùm libertatis memores, quam rebus omnibus præferrent, neque Præfecti, qui aderat, studio & contentione, neque auctoritate *Nicephori* potuerunt adduci, ut permitteretur exulibus reditus in patriam. Prudenter itaque *Nicetas*, cum nihil proficeret, ne cives alienaret, id consilium abjecit, & alterum suscepit, quod in rem magis esset, quibuscunque posset officiis demerendi *Obelerium*; Protospatarium enim eum renunciavit, qui titulus eo tempore non vulgaris erat, & non solum ejus propinquos & familiares, sed etiam ex Optimatibus præstantissimum quemque, vel muneribus, vel pollicitis sibi obstringere curavit, *Fortunato* Patriarchæ itidem multa præstaturus, nisi ille sub classis adventum rebus suis timens ad *Carolum* se recipere statuisset. Pacatis *Dalmatiæ* rebus, ne quid moveretur, quod ipsius reditum *Constantinopolim*

peſtifera Civitatem noſtram multum exhauſit, ut ad recuperandam priſtinam ſuam frequentiam, ac celebritatem neceſſe fuerit edicto quodam ſancire, ut quicunque ſe conferret ad habitandum *Venetias*, is elapſo biennio Civis haberetur. Sed peſtilentiæ ea vis eſt, ut plerumque non ſit exitio niſi plebeculæ, cui remedia illa præſto non ſunt, quæ ſuppetunt inſtructis, optimeque paratis, à re domeſtica. Quo fit, ut facilè exiſtimem, eos omnes, qui munire ſe adverſus ingruentem mali vim commodiſſimè poterant, eo quod opibus abundarent, ejus calamitatis exper-

A tes, præter paucos, fuiſſe. Non multi menſes effluxerunt, ex quo mihi loqui contigit cum Viro quodam Patricio è civibus veſtris, qui percunctanti mihi genus detrimenti, quod peſtis ante biennium intuliſſet civitati veſtræ, in hanc ſententiam reſpondit; ipſam plebem miſerè affectam, & afflictam eſſe, cæteros omnes prope incolumes evaſiſſe, qui rebus neceſſariis ad vitam deſtituti non eſſent; ut ex iis, quæ narravi, conſtare putem, Urbem noſtram quàm frequentiſſimam perbrevi evaſiſſe: cumque calamitates illas minime pertulerit, quarum occaſione mutatis habi-

nopolim morari amplius poſſet, biennales inducias cum *Gallis* conſtituit *Nicetas*, deditque operam, ut ſecum mitterentur per ſpeciem legationis ad Imperatorem Patricii quidam *Gallico* nomini nonnihil addicti, inter quos eminebat *Obelerii* frater *Beatus*. *Nicephorus* Legatos omnes perbenigne complexus tantum abfuit, ut cauſam exulum tueri pergeret, ut pro negotio habuerit, quod *Nicetas* acceperat conciliare ſibi, ſi qui forent adverſarum partium. Quapropter ad ea munera, nec non ornamenta, quibus affecit & auxit ſingulos Legatos, *Beatum* Ducem, priuſquam *Venetias* rediret, ſolemni ceremonia *Hypatum* creavit. Erat ea dignitas multo amplior quàm Protoſpatharii; unde diſſidia graviſſima inter fratres orta, cum alter alteri concedere nullo pacto vellet, *Obelerius* prærogativam ætatis, ac dignitatis, communicatique honoris cum fratribus ſummum beneficium, & magnificè prædicare, & palam exprobrare. Contra *Beatus* efferre Imperatoris judicium, quo fratri non modò æquatus, ſed prælatus fuiſſet, ob indolem, atque præſtantiam animi majorem. Animos utriuſque acrius incendebant, & amicorum diverſa ſtudia, & rumores vulgi. Pauci *Obelerio* ſtudebant homini iracundo, moribus difficillimis, ac præfracto ingenio: *Beatus* erat in oculis & deliciis omnium, propter ingenii ſuavitatem, ſummamque elegantiam: hinc planè repugnantes ſenſus, atque voluntates. Hic amplecti, & curare ſedulò, quæ jucunda civibus; ille ingrata, & inviſa ob invidiam fratris: ille propenſior in *Græcos*, hic autem in *Francos*, & accedebant cauſæ ex affinitate, nam duxerat ex *Gallia* nobilem uxorem, cujus illecebræ apud hominem valebant, adjiciebantque eo ſtimulos acriores, quò ſibi viſus imparatior à præſidiis domeſticis, exiſtimabat externa ambiri oportere. *Græcorum* copias reputabat pro *Beato* ſtare; nullum ſibi aliud perfugium præter *Francos* relinqui, ni amiſſa exiſtimatione dignitateque omni vellet civibus deſpicatui ac ludibrio eſſe, vel cum certa pernicie Reipublicæ adnitendum ſibi, quo retineret principem locum, & dejiceret fratrem, ut adverſus audaciam & perfidiam inimicorum *Gallorum* præſidio ſe tegeret, atque communiret. In ea cogitatione *Obelerius* defixus per emiſſarios quoſdam ſuos cum in eo jam foret, ut cum *Pipino* Rege paciſceretur (huic enim res *Italiæ* jam commiſſæ fuerant) elapſis induciis iis, quas *Nicetas* fecerat, *Paulus* Dux *Cephaleniæ* appulit cum claſſe, qua *Græcæ* ditionis oppida tueretur. Cum verò nullæ *Gallicæ* naves in altum exiſſent, ne fruſtra ſuſcepta expeditio ab eo videretur, ex iis locis, quæ tenebantur *Gallicis* præſidiis, aggredi, & oppugnare aliquem conſtituit. Viſum eſt opportunius ordiri à *Comaclo*, quod ſitum eſt in ſtagnis ad *Padi* oſtia, piſcatu fructuoſiſſimum, & è ſalinarum, quæ frequentes etiam tunc inerant, amplis vectigalibus. Igitur *Venetorum* auxilia è propinquo accerſit, quæ debebantur *Græcis* ex antiquo fœdere. Ea verò ne mitterentur, impedire non potuit, quamvis maxime cuperet *Obelerius*. Quod autem proximum erat, ne cui forent uſui, cum *Beato* etiam ipſe proficiſci voluit, & diu ludificatus *Græcos* varia cunctatione, cum ſpectator certaminis verius, quàm adjutor eſſet, ut irrita cederet oppugnatio, magna cauſa fuit. Nam veteranus miles, qui erat in *Comaclo*, ex *Ravennæ* ſtatione ſubſidio miſſus, à muro ſæpe depulit *Græcos* maxima cum cæde, ut tandem potiundi oppidi nulla ſpe relicta, Præfectus claſſis incepto illo abſtiterit, mœrens quod ignominiam, & dedecus turpiter ſubiſſet, pro laude & gloria, quam inconſulto nimis quæſierat. Eam labem ut abſtergeret, famæque conſuleret, exiſtimavit operæ pretium eſſe derivare in *Venetos* crimen rei male à ſe geſtæ: & forte quod *Obelerius* vitio ſuo fecerat, id publico decreto factum opinabatur. Ergo ratus Imperatori ſuo ægrè non futurum, ſi, rebus ejus in tuto conſtitutis, cum *Pipino* tranſigeret, firmaretque pacem, deſertis ac deſtitutis iis, à quibus ipſe deſtitutum ſe conquereretur, conſtituit, ut æquiore *Pipino* adhuc uteretur, *Obelerium* ſimul & *Beatum* comprehendere. At perculſi atrocitate rei, quam reſciverant Duces, neque enim tanta res latere diu potuit, in auctorem inſidias erant converſuri, ac ni vererentur *Nicephorum*, male mulctaturi. Sed ille, ubi videt fraudem eſſe patefactam, ne qua vis inferretur ſibi, propere diſceſſit, atque ita pacis negotium infectum reliquit. *Obelerius*, qui conatibus *Pauli* propterea obſtitiſſet, quod ſe communi periculo cerneret implicitum, quodque ſui non alterius vellet eſſe muneris, quàm moliretur fraudem ſummamque perfidiam, ne, quod inſtituerat, corrumperet, maturare ſtatuit; nec ſatis habuit tantum ipſe ad hoſtes transfugere, ſed autoritate ſua quoque *Valentinum* impulit, quem habebat obſequentiſſimum ut minimum natu, in ſocietatem ſceleris, & furoris ſui; quin etiam claſſis eam partem, cui præfectus erat, inimicis prodidit, ad quorum vim propulſandam Reſpublica eum miſerat. Hoc facinus honeſtarunt *Franci* deditionis nomine, cum tamen eſſet proditio, atque perduellium. Ut fratrem modo depelleret à gubernaculis, nihil veritus, infamis ille ac nefarius proditor, & rapinis, & cædibus hoſtium objicere patriam. *Pipinus*, eductis copiis, quas in promptu habebat, ne qua mora interpoſita, *Veneti* colligerent animos, quos eo nuntio credebat abjectos jacere, oblata naviter utebatur opportunitate, & ad majorem terrorem incutiendum, quacumque duceret agmen in oris maritimis, omnia complebat rapinis, cædibus, incendiis. Excepturi qui erant primum Regis impetum, trepidantes in fugam ſe conjicere; idem exemplum proximi oppidani ſecuti, penates imminentibus *Francis* vacuos relinquere. Maxima omnium ætatum, ordinumque fuga ad *Metamaucum* fiebat ex omnibus inſulis, quippe ubi Tribuni eſſent cum *Beato* Duce de Reipublicæ ſumma conſultantes. Invaſerat pleroſque tanta trepidatio, ut planè deſperarent de ipsâ libertate: ſed omnium animos erexit, atque confirmavit oratio vehemens, & acris fortiſſimi Ducis, deſertores & transfugas fratres multum execrantis, obligantiſque Reipublicæ fidem, nec non caput ſuum. Excepere ipſum perorantem nonnulli Optimates, quibus nihil erat antiquius, quàm Reipublicæ ſalus. Ab his animosè ac prudenter ſententiæ ſunt dictæ, & à concione frequentiſſima ſtatim comprobatæ. Principio Duces, qui ad *Francos* turpiter defecerant, hoſtes communi decreto patriæ judicati, dignitate ornamentiſque omnibus non modo ſpoliati, ſed etiam pœna ſupplicii capitalis adjecta, ſi quando capti venirent in poteſtatem, quod quidem contigit utrique, ſed diverſo tempore. Hinc ad rationem belli propulſandi converſi, cum ipſi *Metamauco* jamjam immineret, non expectandos ibi hoſtes differebant, ſed inſulis continenti proximis relictis, quæ hoſtilibus incurſionibus facilè paterent, tum liberis, & conjugibus, & fortunis omnibus in *Rivum altum* continuo transmittendum, circumjacentibus ſtagnis undique munitum, quò penetrare infeſtæ claſſes nullæ poſſent. Inter Tribunos *Rivi alti* multum eminebat & opibus, & ſplendore generis, & auctoritate, *Patricieca* è familia, ſive *Patriciaca*, traditur enim hoc nomen ab illo deductum, ingentis animi vir, nomine *Angelus*: is vicem ſuam ſollicitus, & nonnihil veritus, ne quid decederet forte auctoritati ſuæ, ſi Dux ibi conſiſteret, cui ſumma poteſtas, cum repugnaſſet aliquamdiu huic deliberationi, ad ultimum eſt aſſenſus, ſed ea conditione, ut Dux in *Olivolo* ſedem collocaret, Tribuno jus & fas eſſet, locum ſuum tueri Commodùm *Veneti* trajecerant in *Rivum altum*, cum *Pipinus* infeſto exercitu *Metamaucum* venit, deſertumque cunctis ab incolis oppidum ingreſſus, quæ parta jam victoria ſolent à victoribus, ea publicæ lætitiæ ſigna cuncta edidit: forſanque ad patrem ipſum literas dedit, quaſi jam bello confecto, atque profligato. Nam præter inſulas & oppida, quæ invaſerat, ipſam etiam *Venetorum* occupaverat regiam, & bini Duces ad ipſum cum claſſe tranſiverant. Una duntaxat anus *Metamauci* permanſerat, à penatibus divelli non paſſa: virilis animi ſupra ſexum & ætatem mulier. Hæc ad Regem perducta cunctis audientibus de fuga Ducis, de metu, ac perturbatione, in qua verſarentur omnes, deſperatis rebus, quæ gratiſſima forent auribus, omnia retulit. Ut homines oratione ſua ſenſit inflammari, ſuorum formidinem, qui patriam deſeruerant, execrari ſimulans, *Gallos*, urgerent inſtarentque, palam hortabatur, ne ad animos colligendos, dato ſpatio temporis, occaſio præſens è manibus amitteretur. Raptim conjunctis ratibus facillimum fore, ſecundo æſtu pervadere modica illa ſtagna, quæ millia paſſuum quinque ſummùm propè aberant, & conſternatos univerſos, vel momento opprimere. Quinos habere ſe fratres in propinquo ad *Pupiliam*, qui ratium fabricandarum eſſent omnes periti: ſi copiam Rex faciat eos conveniendi, haud gravatè venturos ad præſtandam operam, modo certa merces, quam peterent, eis perſolveretur. Audita eſt maximo aſſenſu omnium mulier-

bitatoribus renovari debuerit, integrum, atque incorruptum genus id servasse, quod à primis Autoribus suis acceperat. Hujus autem generis nobilitatem insignem esse suadet illa ratio, quod qui has in Insulas confugerunt, atque hoc ipsum Civitatis corpus primum efformarunt, eos veri quam simillimum sit extitisse domi suæ Nobilissimos, aut certe quam opulentissimos. Nam tenuiores, & qui non habentur aliquo numero, cum adjumentis opportunis instructi minime sint ad vitam tuendam, facultatemque nullam habeant aliò commigrandi, loco se movere non possunt, & A ideo quicquid vel boni, vel mali casus allaturus est, domi expectare coguntur, quod quidem & hac tempestate nostra in *Gallia Cisalpina* fieri videmus, ut bellorum tempestates effugiant non abjecti, & inopes, sed qui divitiis, & splendore generis plurimum excellunt. Plebs tamen eò postea sese confert, ubi quæ pertinent ad victum, melius atque facilius existimat comparari posse. Quapropter ubi primum ii, qui fuerant orti claro genere, vel opibus valebant, finitimis è locis convenerunt in hæc æstuaria, pro certo existimandum est, ingentem quoque vim plebejorum non

---

liercula, & animos *Francis* addebant res prosperè gestæ, non ausis *Venetis* uspiam ad certamen ocurrere, & longioris moræ cuncti impatientes, bello quàmprimum finem avebant imponere. Quapropter collaudatam aniculam ingentibus pollicitationibus oneratam è vestigio dimittunt. Illa, quid hostibus persuasisset, coram fratres monet: nec opus, aut precibus, aut rationibus agere, conveniunt illicò inter se volentes quid agant. Profecti ad Regem, & ab ipso benignè appellati ad rates contexendas naviter incumbunt; subjiciunt dolia funibus conjuncta, ut impositi milites armati ab aquis extarent. Compages autem ratium ita structa erat, ut funibus præcisis, qua liberet, nando confestim disjungerentur & trabes, & dolia, neque ulli possent insistere, ac vestigium ponere. Hi antequam se conferrent ad Regem, *Beatum* Ducem certiorem fecerant, quidnam molirentur, quò alacrius & confidentius obviam hostibus prodiret. Jam pervenerant ad Euripum altiorem rates, cui temporibus illis nomen erat *Arcus*; tum verò primum nomen *Orphani* est adeptus ab insigni *Francorum* strage, quæ ibi contigit, ut vulgus solet more suo nomina frequenter imponere. Principiò utrinque satis fortiter pugnabatur, immò verò *Galli* alacri animo triumphum cecinerant ante victoriam. Ubi verò leviora navigia *Francos* eludere cœperunt, quæ facilè ad gubernatoris nutum circumagebantur; rates autem pars æstum maris sequi cogebantur, pars in vada temerè impactæ se expedire non poterant; certamine & ratibus moliendis cunctis occupatis, quinque illi fabri tempore usi in mare desiliunt, & gladiis, quos ad eam rem paratos gerebant, alii alia ex parte secare funes aggrediuntur. Fœdum spectaculum, disjectis trabibus, & doliis passim fluctuantibus, cum nullum haberent hostes consistendi locum, præcipites omnes in mare devolvebantur, & armis pergravantibus vorticibus hausti, (nam violentissimi æstus ibi semper concitantur) nullis opem ferentibus confestim peribant: si qui verò impliciti limo hærebant in vadis, obruebantur undique telis incidentibus; ita incruenta victoria potiti sunt *Veneti*, unius aniculæ, & paucorum hominum solertia, quorum nomina ut intercidere temporum injuria, ita constanti fama ex *Bognola* familia extitisse memorantur, digni certè, quorum memoria semper celebretur. Cæterum virtuti hominum illud est tributum, ut non modò ipsi fratres, eorumque domus, sed universi *Metamaucenses*, & *Pupilienses* immunes essent vectigalium, & munerum omnium: neu militare quisquam cogeretur unquam, nisi Dux ipse in militiam proficisceretur. Post eversam *Pupiliam Genuensi* bello incolæ omnes *Venetias* transmigrarunt, eorumque maxima pars ad D. *Agnetis*, ubi collegium est adhuc frequentissimum, sedem & domicilium collocavit. Diploma immunitatis hujus admodum insigne, paucis ante annis apud illos conspiciebatur bulla, quam modò vocant, plumbea communitum, in qua Deiparæ virginis effigies impressa, & *Beati* Ducis nomen inscriptum erat: nondum enim D. *Marcus* Evangelista Patronus fuerat à *Venetis* adoptatus, quod ejus corpore *Alexandriâ Venetias* translato post aliquod annos contigisse novimus. Per incuriam & negligentiam eorum, qui collegio illi præerant, præclarum hoc monumentum desideratur: siquidem Euronoto quondam per autumnum flante, cum maris æstus intumescens exundasset amplissimè, planaque ædificiorum cuncta superasset, ut alia multa supellex, sic etiam scripta, quæ lignea continebat arca, undis sunt corrupta, vel ita, ut legi non possent, obliterata. Superest adhuc tamen quædam syngrapha, quæ docet, diploma illud examinatum fuisse, & corroboratum: Ducemque *Raynerium Zenum*, & Consiliarios ejus subscripsisse. Sed *Metamauceni* majori diligentia sunt usi, qui majorum virtutis testimonium, posterisque inde omnibus partæ immunitatis, retinuerunt ad hæc usque tempora salvum & incolume, & cuilibet facilè apud eos videre est. At *Pipinum* nec opinata clade affectum ea res habebat sollicitum, & vehementer angebat, quod antea debellatum esse vulgaverat: si modò abiret irrito conatu, secum reputabat, existimationis jacturam se maximam facturum; fortè opinione clementiæ leniter agendo, quod nulla vis expressisset, obtineri posse. E *Venetis* igitur captivis, quos non paucos habebat, nobilitate quosdam præstantissimos deligit, promissisque onerat ingentibus, & spem certam facit, si cum Republica pax & fœdus conveniant; quemadmodum sine pretio illos dimisisset liberos, ita etiam cæteros omnes gratis dimissurum. Per eos in hanc sententiam ad Tribunos scribit, quorum affines, & propinqui multi captivi tenebantur: Non eâ de causâ bellum præsens ab illo susceptum, ut *Venetis* libertatem eriperet, aut quid imminutum vellet: in eo graviter ab ipsis peccatum esse, quod arctiori fœdere ita *Græcis* se adjunxerint, & *Francos* despexerint, cum tamen ex formula primi fœderis gerere se medios, & neutris adversari deberent, sed ex æquo adesse. Hanc injuriam, & contemptum ultum se venisse, & pro copiis & opibus, quibus sit instructus, acceptum recens detrimentum prope nullum esse: si aditus omnes undique obsidere pergat, commeatibus interclusis eò deductum iri, ut brevi conficiantur penuria, & inedia: sed malle servare incolumes, quam perdere funditus, existimantem studiis inconsultis partium, quæcunque accidissent hactenus, imputanda esse, at universæ Reipublicæ condonanda. Prospicerent igitur maturè, idque constituerent, utrum facilitatis & clementiæ illius, an acerbitatis & odii facerent periculum. Ad amicitiam & fœdus confirmandum in posterum alterutrum optionem à se illis deferri; vel sententia rescissa *Obelerius* cum fratre penatibus & dignitati suæ restitueretur; vel *Beatus* etiam se abdicaret, ac è patria discederet. Anceps deliberatio tenebat Patres, qui & perpessuri erant extrema prius omnia, quàm perduellibus Ducibus reditum concederent, & consultum volebant Duci benè adeo merito. Cum vero plerique omnes inclinarent ad pacem, quæ à præpotenti hoste non magis data, quam accepta, decora satis ac tuta esse videbatur: *Beatus*, in quem cuncti oculos converterant, ut declinaret invidiam, patriæque consuleret: *Non committam*, inquit, *ut mea unius causa periclitetur ipsa Respublica, vestraque omnium salus. Si cum Rege non aliter pax constare potest, quam amoto me à rerum administratione, volens & libens me abdico, & in exilium pergo.* Assurrexerunt omnes peroranti Duci, gratiisque actis, & laudibus plurimis congestis, conservatæ Reipublicæ decus hac insigni pietate prædicabant ab illo cumulatum esse: felix exilium futurum, quo non amissa, sed planè servata patria foret. Diversa fama exinde tenuit de *Beato*: alii negant in patriam revertisse amplius, sed in exilio paulo post diem suum obiisse: alii profectum memorant cum Legatis ad Regem, qui sanciendæ pacis gratia mittebantur, quaque morum suavitate plurimum pollebat, ex inimico amicissimum sibi reddidisse, ut incolumi dignitate sit in patriam reversus: sed auctores hujus sententiæ inter se etiam variant. Nam scribunt aliqui, paulò post suum reditum magno desiderio relicto è vita migrasse: aliqui tradunt, ex eo conflatam invidiam, quod Rex illum admiratione virtutis liberaliter non modò habuisset, sed muneribus etiam affectum dimisisset, quibus rebus injecta suspicio, nec inanis fuerit, ne fratri reconciliaretur, & cum *Franco* sentiret, cui recentibus officiis obligatus, & obnoxius esset.: ea re collectam apud cives gratiam amisisse, & relegatum *Jaderam*, adnitentibus iis, qui ex hominis ruina sperabant fore, ut ipsi crescerent. Quoquomodo se res habuerit, illud certò constat, Principatu abiisse *Beatum*, vel exilio, vel morte, haud multo post initam à Republica cum *Pipino* pacem, cujus in locum suffectus fuit omnium civium assensu *Angelus* ille *Participatius*, quem superius dixi, qui partibus *Græcorum* enixè, si quis alius, favebat, eidemque Tribuni bini assidere jussi, qui publicis negotiis cum eo darent operam, singulis annis deligendi ex arbitrio populi. Hi postea Consiliariorum nomen sunt adepti, qui primò bini, deinde quaterni sunt creati, postremò seni, quot numero sunt regiones urbis, quem morem perstare cernimus ad hæc usque tempora. *Obelerius*, quod proditoribus cunctis usu venit, ubi conatus eorum nequaquam succedunt, contemptus à *Pipino*, & *Francis* invisus æque ac *Græcis*, *Nicephoro* flagitanti datus fuit ad pœnam, quo in acie à *Bulgaris* cæso evasit ad tempus: sed post exilium annorum amplius quàm viginti, occupata *Vegla* insula in *Fanatico* sinu, & *Metamaucenis* deficientibus ad illum oppido potitus, postea mutata fortuna, victus, atque in prælio captus, supplicio capitali tandem est affectus. De *Valentino* tertio fratre nihil traditur: quia tamen Annales veteres disertè testantur, in agro *Patavino* ad vicum, cui *Strata* est nomen, quendam *Venetum* Ducem mactatum fuisse, fœdeque à populo tractum, & dilaniatum, quod ajunt contigisse in *Pipini* discessu, cum cadere non potuerit id in alios fratres, non levi conjectura ad-

non multo post eisdem sese adjunxisse, cum spe commodorum allectam, tùm locorum tutissima habitatione.

Præstant ergo nostri Patricii longe plurimum claritate generis, quippe qui referunt ejus originem ad eos nobilissimos, atque opulentissimos Viros, qui Barbarorum incursiones effugientes, constituendæ Civitatis his locis primi autores fuerunt. Præstant etiam altera ratione, quod incorruptum, & sincerum quam maximè idem genus adhibita cura maxima præstiterunt, cum præsertim nihil unquam ex iis rebus passa fuerit Civitas, quæ mutationis, aut innovationis afferre solent necessitatem. Accessit huic major etiam claritas, & æstimatio, postquam Majora Comitia constituta sunt ad publica negotia gerenda, & administranda. Quis enim nesciat, eos qui publicis rebus minime vacant, cum nihil omnino conferant ad augendam suam nobilitatem, eo sensim deduci, ut eam qua sunt præditi quoque amittant, vitamque agere cogantur deteriori conditione quam mutæ pecudes, nihil altum, & sublime unquam cogitantes? Id quidem facile in omnibus illis civitatibus cognosci potest, in quibus tyranni per violentiam rerum potiti, illud unum propositum habere solent, ut deprimant, atque abjiciant omnino homines eo torpore inducto, ut nesciant in vita sua vigilentne, an dormiant. Enimvero Comitiis Majoribus interclusis (expositurus autem sum loco suo, quo tempore fuerint instituta, & interclusa majora Comitia) cum ad ea nullis in posterum aditus patuerit, nisi oppidò paucis, ut quindecim iis familiis, quæ causa conspirationis *Bajamontanæ*, trigintaque iis viris, qui asciti sunt inter patricios *Ligustico* bello, & diversis temporibus quidam A alii; hac etiam ratione majorem dignitatem, atque existimationem videmus eidem ordini partam, & comparatam.

Sed ut hanc disputationem totam absolvam; *Tria* mihi *Tempora* præcipue in nostra Republica consideranda sese offerunt: *Primum* totum id curriculum, quod ab Urbe condita usque ad majora Comitia constituta effluxit; quo sane tempore Majores nostri gerentibus ipsam Rempublicam vel Tribunis, vel Ducibus, ut suo loco dicam, non multum celebritatis, aut nominis consecuti sunt, satisque illis fuit acceptum à suis autoribus decus, & ornamentum, delatumque in hanc Civitatem, minime amittere. *Altera* tem-B pora fuerunt à Comitiis majoribus institutis, donec aditum contigit ad eadem obstrui: tunc enim ex administratione publicorum munerum facto veluti gradu cives ad amplitudinem majorem ascendere cœperunt. *Postrema* vero tempora deducta sunt hactenus à Comitiis Majoribus interclusis, quæ res contulit iisdem summam dignitatem, & ad id fastigium cunctos extulit, quodque eas rationes, quas commemoravi, prius attingere minime potuerant. Si quid igitur in cunctis urbibus *Italiæ* manet, & viget antiquissimæ Nobilitatis, id sane, quod à te ipso percipere potes, in nostra eminet præcipue, & excellit quam maxime.

C Ii, qui modo vocantur Cives, quicquid splendoris nunc habent, non nisi ab interclusis Comitiis id adepti sunt. Nam cum res publicæ tunc omnibus communicarentur (quod quidem inferius efficiam, ut distinctè intelligas) [1] verisimile est admodum, omnes eos, qui præditi fuissent aliqua nobilitate, & virtute, tunc Majoribus Comitiis comprehensos fuisse, & si qui sunt exclusi, pau-

adducor, ut credam in *Valentinum* editum id sævitiæ exemplum. Hunc finem habuerunt intestina dissidia, quibus turpiter inter se conflictati fratres perdiderunt se ipsos, & prope Rempublicam. Sed res ferè prostratas cum divina benignitas, cujus præsidio libertas tunc maxime stetit, tum vero erexit virtus & constantia civium, qui vitam fortunasque omnes in discrimen adducere, quam subire servitium ullum maluerunt; quaque animi fortitudine *Nicephoro* primùm, ne *Mauritios* recipere Duces cogerentur, eàdem obstiterunt iterum *Pipino*, *Obelerium* per vim reducere molienti: quinimmò transfugam Ducem, quisquis ille fuit, in ejus oculis ausi sunt mactatum discerpere, & in *Beati* locum eum Ducem deligere, qui *Francis* semper adversatus quam maximè fuerat. Ergo qui scripserunt à *Pipino* subactas *Venetias*, si qui sunt, qui scripserint, aut secuti sunt rumores dissipatos temerè, aut nominis ambiguitate in errorem inducti, quod nomen omnibus insulis tunc erat commune, quotquot paludibus & stagnis iis continebantur. *Thomas Fugarus* vir nobilis *Avenionensis*, qui res *Venetas* commendavit posteritati *Francico* sermone, quamvis ad tempestatem referat eam cladem, quam *Pipinus* accepit eo modo, quo scripsimus: nihilominus ingenuè, apertèque testatum reliquit, & *Venetos* libertatem propugnasse fortiter, & propugnatam retinuisse integram perpetuò; quod si prædictum Annalium scriptorem exceperis, & Auctores eos, qui eadem verba exscripserunt; tot seculorum consensus approbavit. *Constantinus* tantum *Porphyrogenitus* Imperator, qui *de administrando Imperio* scripsit ad *Romanum* filium, in hujus belli historia *Cap.* XXVIII. ab omnibus aliis dissentit, & quidem in pluribus. Nam primò tradit, *Pipinum* bellum inferentem, quà trajectus proximus erat in *Venetas* insulas, in continenti tantummodo castra posuisse; deinde cum in eo esset, ut *Damaucum*, sive potius *Madaucum* navigaret, sic enim *Metamaucum* superius vocavit, à *Venetis* illum trajectum sic obstructum fuisse, ut frustra in continenti sex menses contriverit postremò desperata re litteras misisse, quibus invitaret ad pacem, & ad fœdus: *Venetosque* ipsos facilè assensisse, ut se à belli molestiis liberarent, immo tributi nomine plurima pollicitos, quorum pars quædam exigua suis adhuc temporibus persolvi soleret. Verumtamen si vera sunt, quæ scribit hic Auctor, necessario fateri hoc etiam oportet, *Venetos* pariter & *Francos* Annales omnes falsos esse. Nam ille ad insulas & stagna nunquam penetrasse, sed in continente perpetuo vult hæsisse *Pipinum*. Hi vero non modo testantur pervasisse, sed cepisse & devastasse insulas non paucas, in primis autem *Metamaucum*, tunc Imperii sedem. Dum vero de fine belli desperasse Regem, ideoque per nuntios & litteras transegisse prodit, luculenter indicat, penes quos extiterit victoria. Quæ vero de pactione tributorum commemorat, ea tàm vera sunt, quàm quæ superiori capite ab eodem sunt dicta, *Pipinum* habuisse tres fratres eo temporis, qui *Franciæ* omni imperarent, & *Sclavoniæ*: quæque cap. XXVII. de *Narsete* habet, temporibus Imperatricis *Irenes*, & Papæ *Zachariæ*, *Narsetem* summo cum imperio in *Italiam* missum: præter alia innumera, quæ potius ad fabulam accedunt, quàm ad ullam historiam, ut parum sapiat, qui habendam iis fidem putet. Non est autem hujus loci recensere singula, quæ cuivis legenti passim erunt obvia. Quod spectat ad tributa persolvenda Regibus *Italiæ*, quos Imperatorum nomine *Byzantini* non dignabantur, utrumque falso est ab illo memoriæ proditum, & nomine tributi fuisse quicquam persolutum, & hujus rei principium à *Pipino* factum. Apud eos, qui gesta scripserunt temporum illorum, extant adhuc exempla quædam immunitatum, quæ Imperatores, seu Reges *Italiæ* concesserunt *Venetis*. Ut enim liceret illis mercaturæ causa, in quæ vellent emporia & loca, proficisci, tutoque commorari ubilibet intra fines Imperii, & pro libito abire, tutoque auferre omnia: & ne tenerentur, nisi certa quædam vectigalia persolvere; neve juri dicundo inter Venetos cives in ditione Imperii commorantes præficeretur aliquis, præter judices à republica missos: hæc, & id genus alia privilegia quamplurima, sicut à priscis Imperatoribus obtinuerant, sic etiam, ut obtinerentur ab iis, dabant operam, qui administrationem Imperii succedentes capesserent. Horum causa privilegiorum, & immunitatum expediebat reipublicæ pacisci, ut potius publico nomine, quàm privato persolverentur quædam iis, quos dixi Principibus; quæ si quis appellat tributa, per me sanè appellet, dummodo constet, nomen tantum, sed rem nullam esse; aut certè potentissimi Principes, maximique Reges, qui fructus alicujus & commodi causâ, his aut illis, quotannis non pauca persolvunt, habeantur vectigales eorum atque tributarii. Sed his de rebus satis, immo nimis multa,

1. *Verisimile est admodum*, &c.] Ex antiquissimis fastis, quorum exemplum apud *Molinum*, ut diximus, reperitur, duo maximi ponderis atque momenti facillimè cognoscuntur: alterum, quod scribit hic *Jannotius*, omnes, qui præditi Nobilitate & virtute ad Reipublicæ administrationem accesserant, MajoribusComitiis comprehensos, quàm paucissimis exclusis, qui tamen idem jus non multo post obtinuerunt: alterum vero, cunctas ferè Patriciorum familias, contra quàm vulgo creditur, & in quibusdam ementitis earum originibus legitur, non modo antiquissimas esse, sed rem ipsam publicam jam à primis temporibus attigisse: quod in nostris *Venetorum* Elogiis satis superque, Deo juvante, demonstrabimus.

paucos extitisse: quod sane indicat illa magna civium frequentia, quæ superioribus ætatibus in Comitiis aderat. Quid? quod ex iis, qui fuerant exclusi, plerisque adhuc tributum fuit idem jus diversis temporibus. Unde conjicere possumus eos, quos modo contingit nominari cives, vel tunc è plebe fuisse, neque in Republica dignitatis ullum locum habuisse, sed ea, quæ nunc habent ornamenta, post ea tempora sibi comparasse, vel aliunde se contulisse in hanc urbem habitandi causa, in qua tempore procedente nacti sint eas facultates, atque opes, quibus honestissimi modo habiti, iis privilegiis ornantur, quorum causa *Veneti* Cives nominantur, unamque tribus ex partibus Civitatis explent, summo quidem assensu totius Reipublicæ, quæ cum res ita postulat atque exigit, eorundem facultatibus, atque opibus perlibenter utitur, non secus atque Nobilium, ac Patriciorum.

Plebeji vero, quos Populares nobis appellare libet, ingenti numero sunt, ex diversis generibus incolarum conflato. Nam plerique eorum sunt advenæ, atque peregrini, qui allecti cupiditate quæstus faciendi, habitatum veniunt; & quamvis in Urbe diu nonnunquam morentur, in ea tamen nihil aliud, quam in diem vivunt; aut etiam si quid lucri forte collegerunt, id redeuntes in patriam statim secum afferunt, quemadmodum fieri videmus à *Bergomatibus*, aliisque hominibus externarum gentium, & nationum, quibus est nostra civitas refertissima. Hoc ipsum sive plebejorum, sive popularium corpus tenuiores opifices complectitur, innumeros prope, qui, quoniam suæ conditionis humilitatem nunquam supergressi sunt, idcirco nihil in Republica juris habent. Est aliud quoque præter ea, quæ dixi, popularium genus, quo loco mancipiorum solemus uti, cujusmodi sunt, qui cymbas agunt, & cæteri id genus. De Mercatoribus autem nil attinet dicere, quorum summa vis, atque adeo frequentia confluit ex omnibus regionibus in hanc ipsam Urbem, quam ceu communem orbis terrarum mercatum frequentare solent propter ingentem maris opportunitatem, & pro iis copiis, quas afferunt faciendo quæstui, pecuniæque colligendæ strenuè dant operam: mox ubi visum è re sua fuerit, Civitatem relinquunt, qua de causa nulla pars ejusdem haberi debent. Hactenus de conditione incolarum verba fecimus: superest, ut de Reipublicæ administratione modo faciamus, in potestate Nobilium plane constituta, nisi quid huic sermoni fortasse prævertendum putas.

Ioannes. Antequam pergas ad alia, hæc duo scire optarim: *Unum*, quot sint in Urbe ferendis armis idonei; *Alterum*, quot Viri Nobiles, seu Patricii.

Trypho. Quanquam non satis accurate, quæ rogas, explicare possum, neque vero multum ea faciunt ad rem nostram, dicam tamen id, quod ex aliorum sermonibus aliâs intellexi, quodque propius existimo ad veritatem accedere.

Feruntur esse in Urbe nostra xx. millia ostiorum, seu familiarum: moris autem est duos pro singulis ostiis homines accipere, qua ratione possent in aciem educi XL. armatorum millia. Olim profectò (non satis explicatum habeo, quo tempore) cum certam ob causam, quæ memoria etiam excidit, ii qui tunc Reipublicæ præerant, investigarent, quot homines apti bello inveniri possent, censa fuerunt capita XL. millia, qui numerus cum eo, quem retuli modo, perbelle convenit. Hoc itaque posito, nullus, opinor, esse poterit fraudi locus, cum præsertim ex quo censa fuerunt ea XL. millia, Civitas majori numero

A civium aucta videatur, neque ullus casus extiterit, quo sit infrequentior reddita.

Patricii verò, tam qui Comitiis dant operam, quàm qui iisdem abstinent, quod tamen fit à paucis, adjunctis quoque illis, quos abesse domo contingit sua, vel Reipublicæ causâ, ut Præfecturas, & Præturas obeant in subjectis oppidis, aliisque publicis muneribus ejusmodi fungantur, seu terra, seu mari, omnes in unum coacti, prout affirmantes multos audivi, fuerint ad ter mille, paulò certè plures, aut pauciores.

Sed omissis tandem disputationibus his de conditione plebejorum, & civium incolarumque

B numero, aggrediamur *Reipublicæ Gubernationem*, quæ Patricios tantummodò continet, & præterea neminem, id quod antea monui. Præsunt ergò Patricii cum summo Imperio toti Civitati, & universis oppidis, quæ sunt in ditione *Veneta* cùm in ora maritima, tùm in continente. Res autem administrationis universa procedit hoc modo.

Principio statuerunt quoddam fundamentum, seu basim, quâ Respublica tota sustinetur, hoc est Majora Comitia, quæ vernacula nostra lingua vocamus *Magnum Concilium.* Pendent igitur ab hoc fundamento, & basi cæteræ omnes partes ipsius Reipublicæ, si non omnino, sal-

C tem maxima ex parte, & pariter continentur ipso Patricii omnes, quibus quidem eò convenire per ætatem licet: qua de re fusius alibi.

Hinc oritur, & procreatur alterum Concilium permagna cum autoritate, tùm existimatione, quod (ut cum *Hetrusco* loquar *Hetrusce*) *de Pregati*, materna verò nostra lingua dicitur, *de Pregai*, Latinè verò commodè potest appellari, *Rogatorum Concilium*, aut etiam *Senatus.* Quænam verò sit ejusdem optandi ratio, & quibus ex Patriciis, & ex quo numero constet, quænam denique sint illius facultates, & munera, cuncta hæc explicabuntur uberius loco

D quidem suo.

Rogatorum Concilium excipit *Collegium*, quod constat ex certo quodam numero Magistratuum, prout inferius intelliges.

Tandem Caput est omnium *Dux*, atque *Princeps*, qui gradus est eminentissimus in nostra, Republica, cujus præcipua membra sunt quatuor ea recensita, nempe Comitia, Concilium Rogatorum, Collegium, tandemque ipse Princeps.

Ioannes. Audivi sermonibus usurpari quam frequentissimè nomina Decem-Virûm, D. Marci Procuratorum, & Trium-Virûm Advocatorum, tanquam Magistratuum maximæ, ac summæ di-

E gnitatis, de quibus tamen tu nihil.

Trypho. Non inficior, hos Magistratus honestissimos, & amplissimos esse: consulto tamen à me prætermissi sunt, propterea quod ex iis non conflatur ipsum Corpus Reipublicæ; nam cæteroquin obtinent summam dignitatem, & res publicas curant, si quis alius Magistratus. Dabo quidem operam ut planè suo loco intelligas, cujusnam modi sint, & quid habeant juris omnes hi magistratus, quorum meministi, & qua ratione conjuncti cum universa Republica.

Ut igitur eò revertar, unde oratio deflexit, totum Reipublicæ Corpus & absolutum qua-

F ternis illis membris, quæ dudum exposui, pyramidique, si rectè animadvertas, quàm simillimum redditur, basi quidem, uti constat latiori præditæ, sed ubi assurgit, in arctum sensim coëunti, quoad in punctum quoddam terminata desinat. Itaque statuamus hujusce pyramidis basim, Majora Comitia, quæ latissime patent, & continent omnes, qui nati sunt annos ætatis XXV. immo etiam nonnullos, qui pau-

ciores; quam rem fusius infra: neque enim consentaneum fuerit, in eundem sermonem omnia temere conjicere. Pyramis arctari mox incipit in Rogatorum Concilio, quod Reipublicæ membrum est præstantissimum propter gravissima negotia, de quibus agit: neque vero Patricios omnes admittit, ut Majora Comitia. Fastigiatur inde pyramis provecta ad Collegium, quod quidem cætera membra multum supereminet, cum prospiciat, & consulat universæ Reipublicæ. Tandem fastigium pyramidis absolvitur in ipso Duce cujusdam turbinis instar acuminati, qui positus est in summo, & in omnium conspectu. De cujus amplitudine, atque dignitate nihil est, quod pluribus agam, cum nullus adeo sit rudis, tamque stupido ingenio, quin ubi Principis nomen tantum audit, ibi summam honoris amplitudinem collocatam intelligat. Quamvis autem unà cum Principe sedeant ut Collegæ, sine quibus nihil geri potest ab ipso, Consiliarii; nihilominus si quis accurate inspiciat, quanto intervallo distat eorum dignitas à Principatu, non in summo fastigio pyramidis illos collocabit, sed eodem loco, quo Collegium fuit à nobis positum. Nam quemadmodum Consiliarii dignitas Senatoriam superat; ita etiam superatur ipsamet à Principe, qua ratione fit æqualis, & par omnino Collegio: sic etiam Procuratores, Advocatores, Triumviri, & ipsi Decemviri, de quibus & tu meministi nuper, & nos acturi sumus posthæc uberius, non alio loco statuendi fuerint, quàm ubi Collegium; & id quidem ratione duntaxat illius honoris, qui tribuitur iisdem ob insignem existimationem, quam fuerunt adepti omnes hi Magistratus: alioquin enim membra Reipublicæ nulla sunt ex præcipuis: sed præcipuis annexa; quam rem cognosces apertius, ubi me differentem de ipsis paulò post audieris. Hactenus quidem quod ab optimo pictore præstari dixi, hoc à me quoque præstitum opinor, uti fueram pollicitus. Siquidem ille antequam certam rei, vel personæ formam coloribus exprimat, ita quibusdam lineis communibus illam adumbrat, ut quædam species, & forma intuenti appareat; sic etiam ego delineavi nonnihil universum corpus Reipublicæ, & rudi quadam *Minerva*, sed ita descripsi, ut ejus aliquam formam percipere commodè valueris, siquidem meis sermonibus aures, & mentem præbuisti.

Ioannes. Ita prorsus est, nisi fallor; & verò impressam in animo mihi habere videor imaginem quandam, & formam hujus vestræ Reipublicæ. Puto etiam te rectè cœpisse à rebus communibus, ex quibus tota notitia pendet rerum singularum. Quod igitur est reliquum ad eas explicandas accedito: ego verò summa cum voluptate te loquentem audiam.

Trypho. Quod quidem à te ipso meminisse debes, hactenus fuit actum de *Venetæ* urbis situ, & de incolarum generibus, & quinam essent illi perspeximus, à quibus administraretur Respublica, cujus etiam formam quandam descripsimus, sed in universum: proximum est, expli-


A care omnia sigillatim: atque ut persequar omnino pictorum opus, quod mihi ad imitandum proposui, seu statuariorum, non semel ad prima initia recurram, quod & ipse perspicies. Dico autem res quatuor esse, in quibus est sita tota *Vis*, & *Majestas Reipublicæ*; nimirum, *Jus Magistratuum creandorum*, *Deliberationes omnes de pace*, *& de bello*, *Legum lationes*, tandemque *Provocationes*. Primum ex his est in arbitrio Majorum Comitiorum, quandoquidem Magistratus omnes in ipsis creantur. Nihilominus extant quædam munera, ut suo loco dicam, quæ mandare, & committere, spectat ad Senatum, cujus etiam propriæ sunt omnes
B Deliberationes de pace, & de bello. Potest autem Collegium Decemvirûm, de quo nondum verba feci, his de rebus decernere æquali potestate: veruntamen id non est insitum ipsi Reipublicæ, sed fit extra ordinem, ut patebit inferius. E legum lationibus aliæ sunt penes Majora Comitia, aliæ penes ipsum Senatum: possunt tamen etiam quædam leges ferri ad Concilium X- Virûm. Provocationes autem tametsi non sunt in potestate Majorum Comitiorum omnino, tamen inde profectò magna ex parte pendent. Dux unà cum suis Consiliariis, de quibus etiam, cum fuerit opportunum, nonnulla dicentur, adest, atque præest omni-
C bus rebus, quæ vel à tribus iis Conciliis, quæ commemoravi, vel etiam à Concilio Decem-Virûm solent administrari: sed hæc manifestius suo loco. Et quoniam in publicis negotiis omnia referuntur ad Ducem, singulaque ejus nomine administrantur, ipse Dux adhibitis illis Magistratibus, quorum propria est actio, refert unà cum illis ad Collegium, quicquid est agendum, ibique præsente postea Duce disputatur, & singula momenta cum rationum, tum rerum quàm diligentissime expensa, postremò deferentur ad Senatum, cujus tantummodo est sancire, & decernere. Sed hujus administrationis ordo, atque tota ratio declaranda fuerit infrà loco suo.
D Cæterum quæ sunt hactenus exposita, nostræ Reipublicæ Corpus exhibent tantum nude, ac simpliciter; singula modo membra, singulæque partes suis veluti coloribus illustrandæ, & ornandæ sunt. Quapropter necesse est ad prima initia revenire, videlicet ad *Majora Comitia*, ut singula in iis perlustremus, atque persequamur, nisi forte sit aliquid, quod antea cognoscere velis.

Ioannes. Multa quidem mihi occurrunt de te quærenda: sed nolo meis importunis percunctationibus interpellare continentem orationem tuam, quæ quo longius procedit, atque excurrit, eo manifestius, & clarius explicat ea, de quibus interdum mihi dubitare contingit.

E *Trypho.* Persequar igitur ordinem pridem institutum, & cum disputaturus modo sim de tota ratione Majorum Comitiorum, referam primùm *de ipsorum Origine*, quid ego sentiam, deinde cætera, quæ ad eadem spectant, attexam omnia. Puto [1] equidem quod ex Annalium nostrorum monumentis colligere licet, non primis illis

1. *Puto equidem, quod ex Annalium nostrorum, &c.*] Majora Comitia multo sunt antiquiora, quàm *Jannotius* hic tradit, & quicunque dixerit, primis ab Urbe condita temporibus instituta, haud longè à veritate aberraverit. Non tamen ea ratione, qua modo fit, sed pro temporum conditione variè convocatur Majus hoc, prout modo vocant, Concilium. Cogebatur primis temporibus ex variis insulis, ut Tribunos, Judices, & Ducem eligeret, resque summas, in quibus Reipublicæ salus ageretur, decerneret: qui vero convenirent in unum, quove modo electiones fierent, aut sententiæ dicerentur, in tanta antiquissimi temporis caligine ex tenebris erui non potest, illud certè in promptu est, ante annum à *Christo* nato 990. in cunctis Annalibus, & *convocationis Concilii*, & *Judicum*, & Ducis *cum suo Concilio*, & *Nobilium Virorum*, & *Primiorum*; *seu Majorum Veneticorum* frequenter mentionem fieri. Post annum vero 990, electiones multas videmus non modo *Judicum*, *Legatorum ad Principes* & *Consiliariorum*, verum etiam *Pratorum in civitatibus Dalmatia.* At *Sebastiano Ziano*, & *Aureo Mastropetro* Ducibus, non solum multi Magistratus numerantur, sed etiam *Procuratores*, & *Sapientes*, & *Judices fisci*, *& Advocatores communis*, immo vero *Majoris & Minoris* Con-





CONSILII MAJORIS CONCESSUS.





illis ab Urbe condita temporibus à Majoribus nostris instituta, quod plerique arbitrantur, hæc ipsa Majora Comitia, quinimmo haud paucis post ætatibus ortum habuisse, quam rem facile tu quoque ipse conjicere poteris. Priscis enim temporibus Urbs habuit Consules, exemplo quidem, ut existimo, *Patavinorum*, qui hujusmodi Reipublicæ administratione tunc utebantur: sed progressu temporis, omissis Consulibus, singuli Tribuni creari cœpti sunt in singulis Insulis, qui non alibi jus dicebant, atque imperabant, quam ubi creabantur: sed quid tamen accideret, in quo communis omnium utilitas, atque salus videretur agi, conveniebant omnes Tribuni unà cum civibus suis *Heracleam*, quæ tunc erat in his ipsis *Venetiarum* æstuariis Insula posita inter littus, & eam continentis partem, quam utrinque flumina *Liquentia*, & *Anaxus* irrigant: mutato nomine deinde fuit appellata *Civitas Nova*; sed his temporibus nulla prorsus est, adjuncta continenti, atque aggesta ferè quidem tota. Hac in Insula convocatis omnibus Tribunis habebantur deliberationes de negotiis publicis. Erat id Concilii genus, ut credi par est, temerè coactum: nihil enim adhuc illis legibus sancitum erat, cur hi potius, quàm illi convocarentur, quemadmodum posterioribus temporibus definitum est. Sed cum Tribuni non satis pacatè administrarent Rempublicam, iidem causam dederunt optandi Duces, qui cœpti sunt creari anno *Christianæ* salutis

A DCCIII, juxta communiorem opinionem; anno CCLXXXII ab Urbe condita. Porrò eâdem ratione planè Rempublicam gerere sunt aggressi Duces, quâ Tribuni solebant: nam quemadmodum ab his factum esse dicimus, ita etiam Duces aliquoties indicebant Concilium, quodque prius in singulos Tribunos distributum fuerat, vel imperii, vel existimationis, atque dignitatis, id uni donatum est, collatumque Duci, quæ res illius autoritatem ad summum evexit. Argumento illud est, quod quamvis ex omnibus monumentis, quæ quidem ad manus meas pervenerunt, historiarum nostrarum, illud apertissime constet, post creatum Ducem,
B nihilominus creari Tribunos nunquam desitos esse, à quibus in suis Insulis jus diceretur ut antea, ita tamen ut daretur provocatio ad Principem; vix tamen horum Tribunorum in historiis ulla fiat mentio, raro quidem certè. Nam eo bello, quod Majores nostri gesserunt ad *Ravennam* pro Imperatoris Exarcho contra *Longobardos* consilio *Gregorii Secundi* Pontificis, *Horleo Urso* Duce III. Tribuni quidam memorantur à nostris scriptoribus. Ita etiam bello, quod *Pipinus* Caroli Magni filius intulit *Obelerio* Duce IX. de nonnullis Tribunis itidem fit mentio: aliàs autem ipsorum nomen audire nunquam certè memini, quò fit, ut existimem hujusmodi
C magistratum tandem interiisse. Itaque [1] Dux moderabatur universam Rempublicam propria autoritate, quæ cum nullis frænis coërceretur, ac-

Concilii disertè fit mentio, prout in antiquissima scriptura; cujus verba si referrentur, operæ nos pretium facturi existimavimus.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, *anno Domini* 1187, *mensis Junii Ind.* v. *Rivoalti. Nos quidem* Petrus Justinianus, *&* Dominicus Memo *ambo Procuratores operis Beati* Marci *per præceptum Domini nostri* Aurei Mastropetri, *& Collaudatione Judicum, & majoris ac minoris Concilii, & Advocatorum nostri communis, & populi* Venetiarum *promittentes promittimus cum nostris successoribus ejusdem operis Beati* Marci *vobis* Dominico Venerio, *&c. & vestris hæredibus, & successoribus, qui cum suprascriptis vestris navibus in præsentiarum cum stolo* Venetiæ *ad obsidionem* Jadræ *ire, vel mittere debetis, si in via eundo in ipso itinere dehinc ad* Jadram, *vel inde huc redeundo aliquod damnum vobis advenerit de aliquo Coredo vestrarum suprascriptarum navium, de quo supra salientes navim soliti sint restituere, & reddere pro habere illorum. Nos de toto illo damno vobis restituere, & dare debemus veras tres partes pro communi* Venetiæ *de bonis, & habere Sancti* Marci. *Præterea, &c.*

Ego Aureo Mastropetro, Dei gratia, Dux manu mea scripsi.

Ego Petrus Justinianus, Procurator operis Sancti Marci m. m. s.

Ego Joannes Michaël, Judex. m. m. s.

Ego Petrus Baduario, Judex communis m. m. s.

Ego Aldigerius Baduario, Consiliator m. m. s.

Ego Joannes Giesolo m. m. s.

Ego Joannes Vilioni m. m. s.

Ego Julianus Damianus, Diaconus, & Notarius complevi, & roboravi.

Ego Andreas Presbyter S. Canciani, & Notarius, sicut vidi in matre, testis sum in filia.

Ego Petrus Michaël, ut vidi in matre, testis sum in filia.

Quodnam vero *Minus Concilium* appellaretur, haud facilè dixerim: non certè, prout nonnulli credunt, XL-Virale: etenim sæpius in antiquis legibus scriptum legimus, *Nos Dux Venetiarum, &c. cum nostris Judicibus, ac Sapientibus Concilii minoris, & majoris, &* XL, *& collaudatione populi Venetiarum*, quo fit, ut Minus Concilium aliud omnino fuerit à XL-Virali. Crediderim potius ad senos Consiliarios Duci adjunctos referri, sed hoc etiam difficultate non caret, cum haud semel *Sapientes Minoris Concilii* vocatos reperiam. Ex his apparet, Majora Comitia ante *Sebastianum* Ducem instituta: post eum vero ad eorum, quæ modo videmus, similitudinem quandam propius accessisse, quod forsan *Jannotius* ipse voluit. Fastos vero injuria temporum non habemus ante annum 1261. Ex his apertissimè constat, longè alia ratione Majus Concilium constitutum fuisse, quàm modo fit. Veruntamen aditum quendam dedisse, & aperuisse viam ad hanc ipsam, quam videmus perpolitam, & numeris omnibus absolutam rationem Comitiorum.

1. *Itaque Dux moderabatur universam Rempublicam.*] *Bodinus*, & alii quidam recentiores non satis bene in Rempublicam *Venetam* animati, ex iis, quæ *Jannotius* hoc loco scribit, occasione sumpta falsissimam & absurdissimam rem litteris mandarunt: penes eos Duces, qui præcesserunt ætate *Sebastianum Zianum*, plane fuisse regiam potestatem: cum tamen istiusmodi nihil *Jannotio* exciderit, quippe qui nullibi tribuat jus Ducibus regium: veruntamen multo majorem auctoritatem, quàm quæ in præsentia, ita ut ad regiam administrationem quàm proximè videretur accedere. Quo in genere mirum alicui videri non debet, si nonnihil est falsus homo peregrinus, cui satis non fuerit sive otii, sive facultatis ad res externas pervestigandas parum sibi notas. Illi quidem acri vituperatione digni, qui temerè & impudenter Auctoribus affingunt, passimque obtrudunt pro sinceris ea, quæ nunquam illi somniarunt. Quemadmodum Bodinus *penè* transtulit in *planè*, quodque *Jannotius* ait, olim Duces in Republica fuisse penè ut summos Principes; hoc ille interpretatus est ex ingenio suo, in Ducibus fuisse planè regium statum. Falli tamen *Jannotium*, quatenus existimat, antiquissimos Duces negotia publica curare, arbitrioque suo moderari cuncta potuisse, vetus Reipublicæ *Venetæ* institutum declarat, quæcunque tractanda inciderent ac deliberanda, expediendi non alio nomine, quàm Ducis, ejusdemque jussu & edicto præmuniendi, quicquid publicè mandaretur, aut promulgaretur. Quo fit, ut species ubique regni ac principatus, si quis altius rem non expendat, intuenti occurrat, & nihil appareat nisi magnificum, immo verò summum, eaque species fallere possit, vel hac ipsa ætate; nedum tam longo temporis intervallo in rebus à nostra memoria nimium quantum remotis. Equidem hoc unum argumentum satis esset, non modo ad refellendum *Jannotium* in fraudem impulsum, sed etiam ad obterendas calumnias omnes malignorum; nisi alia tàm multa suppeterent illustria, & comperta, ut prætermitti ac sileri nullo pacto debeant. Ante omnia nobis occurrit nomen ipsum Ducis, idcirco à liberis populis ei tributum, quem vellent esse moderatorem perpetuum Reipublicæ: quod scirent id non immensæ cujusdam potestatis, supremique dominatus, aut imperii vocabulum esse: sed certis quibusdam legibus temperatæ, coërcitæque jurisdictionis alia auctoritate, ex qua penderet majori, & præstantiori. Nam sive *Longobardorum* gens, ut nonnullis placet, sive à *Constantinopolitanis* Imperatoribus missi Exarchi (quemadmodum probare studet *Hieronymus Rubeus* Historiæ *Ravennatis* egregius Scriptor) excogitarint primi rationem creandorum Ducum: constat semper iis Duces obnoxios fuisse, à quibus ejusmodi titulum essent consecuti, nec repugnare, nec adversari impunè potuisse. Sic Exarchi cuncta gerentes arbitratu suo dabant, & auferebant civitatibus, quos volebant Duces, & *Longobardi* Regiæ administrationis pertæsi, tribuisse Proceribus aliquot perhibentur hoc nomen, quibus inter se dissentientibus, fœdèque grassantibus imposuerunt universis paulo post Regem. Utrolibet igitur exemplo illi prisci *Veneti* præficiendum Reipublicæ Ducem existimarint: certè moderati & æqui regiminis, non summi ac immensi, planè incolumi liberta-

te

accidebat plerumque, ut nimis insolenter iis sese efferrent, qui eâ præditi essent. Quæ causa fuit post necem illatam tertio Duci, ut à nostris majoribus constitueretur, à Ducibus eligendis in posterum temperandum esse, & quidam novus Magistratus institueretur, qui Magister Equitum appellatus est: neque tamen is Magi-

A stratus diuturnus fuit; nam quinquennio post finem habuit; & Respublica delata est iterum ad Duces, quorum administratio turbulentior fuit iis de causis, quas dixi, usque ad *Sebastianum Zianum* XXXIX Ducem: unde accidit, ut ex ipsis Ducibus tres confossi fuerint, & novem excæcati in exilium pulsi.

Post

---

te formam statuêre. Demonstrat hoc evidenter jus Ducis, sive lex ea pervetus, priusquam Dux nominaretur, à populo lata, cujus memoriam exceptam publicis Annalibus ad posteros ita pervenisse, nihil ut testatius divini cujusdam muneris loco habendum, ut invidorum atque improborum malignitas probe coarguatur. Ergo quemadmodum *Regia lex*, Ulpiano teste, *omne imperium, & omnem potestatem in populum Regi conferebat*, quam legem *Livius* tradit cum Urbe ipsa natam: ita lex *Veneti* Ducatus omnium antiquissima tantum abest, ut omnem transferat potestatem à populo in Ducem, ut è quatuor supremæ Majestatis viribus, unum permiserit imperium judiciale, idque etiam suis finibus circumscriptum: cunctas autem deliberationes rerum maximarum creationesque Magistratuum, exceptis judicibus, in eorum potestate relinquat, penes quos antea fuerat, unà cum legum lationibus, scitis, & sanctionibus. Sed recitare libet ex *Andrea Dandulo* singula capita legis, seu juris Ducarii. *Unanimiter*, inquit, *decreverunt solum Ducem praesse, qui æquo moderamine populum gubernaret, & jus atque potestatem haberet in publicis causis generalem concionem advocandi, Tribunos etiam & Judices constituendi, qui in privatis causis, exceptis meris Spiritualibus, tam Clericis, quam Laicis, æquabiliter jura tribuerent, ita tamen quod gravatis quandocunque libeat Ducis remedium implorare. Ejusque jussione Clericorum concilia, & electiones Pralaturarum à Clero & Populo debeant inchoare, & electi ab eo investitionem accipere, & ejus mandato inthronizari. His enim salubriter ordinatis*, &c. Ex his apparet, universam potestatem Ducis judiciali potissimum jure terminatam fuisse, ut libere administraret, quicquid eò spectaret, jurique di cundo præficeret etiam, quos mallet: hoc verò non diu Ducibus permissum, ut ex Annalibus ipsis clarissimè constat. Si quis tamen argumentum hinc eruat summæ potestatis, quæ aliunde non pendeat, neque aliò respiciat, hunc etiam fateri oportebit, summam Potestatem in Curiis, quæ Parlamenta vocantur, modo residere, Regesque maximos & amplissimos non amplius Reges, sed eorum arbitrio voluntatique subjectos, qui citra provocationem judicent singulis de rebus, quasi Rex aliquis ejusmodi facultate præbita imperio ac potestate summa unquam se abdicarit, aut quicquam de jure suo decedendum putarit. Optimatesque & Populus *Venetus* in Duce creando ita concesserint omnes in ejus Imperium, ut avita libertate voluerint sese ultro spoliare. Quis credat, homines liberos decorisque avidos ita rationem ac mentem omnem abjecisse, ut potius in cervicibus suis imponerent impotentissimum dominum, quàm custodem, ut vindicem communis libertatis adsciscerent? Sed ut omnes aperte videant, omninoque intelligant, Imperium semper in Populo supremum mansisse, hæc erunt animadvertenda, & consideranda: jus Optimatum atque Populi ceu liberi, fuisse de fortunis & capite Civium judicandi, neque modo in privatos sæpenumero animadvertisse, sed etiam Duces ipsos nonnunquam mulctasse cum ignominia, & exilio, tum etiam cæde: quin etiam ad horum auctoritatem magis moderandam, paucis post annis, quàm creari denuo fuerint cœpti, ademptam illis facultatem initio collatam, eligendi Tribunos aut Judices: tandem vero nihil omnino Duces absque assensu Populi, Populum vero potuisse, vel invitis Ducibus, quicquid è Republica videretur jubendo statuere: Populi autem nomine complector etiam Optimates, ne qua fortasse vis hoc in verbo fiat. Hæc non fallacibus ac levibus nixa conjecturis, sed testimoniis comprobata, & illustrissimis exemplis ab historia petitis, nonne multo potius imperium Optimatum ac Populi, quàm ullius ex antiquis Ducibus evincent fuisse? Aggrediamur igitur rem propositam, & ostendamus, auctoritatem judiciorum non ita Populum transtulisse in Tribunos ac Duces, ut integrum sibi non foret, si quando vellet, de maximis criminibus, ut de rebus aliis, cognoscere. Cum aliquot è Primariis civibus antiquæ nobilitatis & magnæ potentiæ conspirassent in Duces *Participatios*, *Angelum*, & *Justinianum*, statuit ejusmodi facinus Populus vindicare, quemadmodum *in minori Chronico* scribit Andreas Dandulus, *majestatisque damnatos Joannem Tornaricum*, seu *Taionicum*, & *Bonum Brandanitium*, seu *Bragadenum* (nam cognomina utraque variè scripta reperio) *patibulo addixit*: supplicii locum è regione D. *Georgii* idcirco reor Annales præcipuè notasse, quod alibi sontes antea plecterentur, nimirum in area, quæ dicitur adhuc *Bragora*, corrupto forsan vocabulo à Græco ἀγορᾶ. Tertius conjurationis princeps *Joannes Montanarius* cum fuga sibi consuluisset, ad *Lotharium* Regem, bonis sub hasta divenditis perpetuo exulavit. Non minus celebre judicium, & quæstiones habitæ de *Petri Gradonici* optimi Ducis nece, cum satagente *Urso* novo Duce tres à Populo Judices constituti, *Petrus* Episcopus *Equilinus*, *Joannes* Archidiaconus *Gradensis*, & *Dominicus Masonus*, in reos pœnæ capitalis retulerunt hos cives, *Joannem Gradonicum*, & duos ejus filios, *Stephanum Sabularium*, & *Joannem Labrescam*, qui tamen trucidati fuerunt, à quibus, incertum, antequam more majorum pœna sumi posset: tres *Petri*, unus *Candianus*, alter *Cletensius*, tertius *Flabanicus* unà cum *Dominico Feletrio* Constantinopolim; *Stephanus* autem *Candianus*, plurimique alii in *Transalpinam Galliam* relegati, & ne quis unquam restitueretur, severe cautum. Hæc à Judicibus, quos diximus, decreta, comperimus auctoritate Populi esse comprobata; sicut etiam de *Urseola* gente factum novimus, honoribus atque ornamentis omnibus à Populo spoliata; sed nihil æquè declarat supremum jus Populi, quàm sententia capitalis per eundem lata in *Petrum Candianum*, quartum Ducis ipsius filium, atque ut ferebat ejus temporis consuetudo, patri non modo successorem, sed collegam datum. Is perditis profligatisque moribus adolescens, cum patris gravissimi viri atque sapientissimi, ad meliorem frugem ipsum iterum ac sæpius revocantis, asperiora monita, & disciplinam sustinere non posset, consilium cœpit iniquissimum, instigantibus iis, qui ejus amentiæ, furorique palàm serviebant, ut ille patrocinaretur vicissim ipsorum audaciæ, conjuratione inita in senis & dignitatem, & vitam: sed re patefacta & comperta in custodiam traditus, qui clandestinis appetierat insidiis paternum caput, publico Populi judicio condemnatus, afficiendus jamjam erat extremo supplicio. Tunc specie miserabili parens in publicum prodiit, profusisque lachrymis deprecari acerbitatem supplicii, atque fœditatem, deplorare suam calamitatem, ostentare canitiem, commemorare tàm merita majorum, quàm sua, quibus miseri filii vitam condonari, ætatisque suæ imbecillitati palam flagitabat: non impietatem, nec scelus ullum adolescenti, sed imprudentiam, atque inscitiam crimen id conflasse: quare non atroci adeò animadversione, sed alia minus gravi coërcendum esse, ni perditum vellent juxta natum, atque patrem. Constitutum erat Populo suum judicium obfirmare, sed optimi Ducis mœrore atque orbitate commoti, ne quid ille in se gravius consuleret ob angorem veriti, rescissa priori sententia, ita statuerunt, ut pœnam quidem mortis evaderet ille in gratiam patris; veruntamen dignitate pariter atque patria amissa, citra ullam spem illius, aut hujus recuperandæ in sempiternum exilium deportaretur. Subscripserunt huic sententiæ simul omnes Ordines, solennique jurejurando etiam se obligarunt: id verò quia violari mox contigit inconstantia vulgi, acclamantis eum Principem ab exequiis patris, res malè vertit, & renunciantibus, & renunciato, ut cuilibet est in promptu. Quid hic dicturos existimamus, quid causaturos, quicunque Ducibus antiquis summum jus tribuerunt? Nonne summum dicitur id, quo nihil est majus? cujus imperio continentur omnes, & coërcentur? Atqui nibil in *Venetis* Annalibus tàm frequens, & obvium, quàm Duces ipsi à Populo coërceri soliti. Dicent fortasse, non tantùm quid factum fuerit, quam quo jure factum fuerit, spectari oportere. Veruntamen ipsa lex Ducatus antiquitus lata declarat, non injuria coërcitos Duces, aut plus, quam tributum fuisset, sibi vindicantes, aut gravioris alicujus noxæ criminisque compertos; & quanquam nonnulli vim Populi concitati, legitima tamen judicia multi subiêre, cujusmodi præter supra dicta de *Obelerio* quoque Duce accepimus factum, perduellionis damnato sub *Gallicum* bellum. Is huc atque illuc extorris diu, & multùm vagatus, cum redire in patriam nunquam potuisset, vel potentissimorum Principum gratia & patrocinio, vim adhibendam existimavit, funesto consilio, quod illi tandem supremum exitium attulit. Nam *Metamaucum* accitus à civibus suis, qui defectione facta transierunt in illius partes, non multo post oppugnato expugnatoque oppido, vivus in *Joannis* Ducis venit potestatem, abscissisque cervicibus, ex sententia lata, temeritatis & perfidiæ pœnas unà luit. Ex quibus animadvertere cuilibet datur, quàm inania, quàm falsa, absurdaque sint de summa Ducum potestate quorundam commenta. Quid enim? *Obelerius* vel duorum fratrum subsidio fultus (nam *Beatum* constat initio unà consensisse) *Gallicis* partibus addictus non una de causa, rem tamen ex arbitrio conficere nunquam potuit, adversantibus aliis, qui *Græcis* obnixè studebant; & erit aliquis tàm rudis atque adeo vecors, qui putet auctoritatem supremam penes Duces fuisse? Cur ergo *Mauritius* Senior plebi jucundissimus, qui summis opibus, summaque existimatione florebat, pro imperio nunquam restituit Ducatus sedem, paulo ante *Metamau-*

Poſt *Vitalis Michaëlii* cædem, qui proxime *Sebaſtianum* anteceſſit, in creatione Ducis variatum eſt, & nova quadam eligendi ratione adhibita renuntiatus eſt ipſe Dux anno MCLXXIV. Ad quod fortaſſe, vel certe ad proximum tempus Majorum Comitiorum principia referenda duxerim. Id autem in hanc ſententiam me inclinem facit, quod in omnibus noſtris monumentis ſcriptum reperio, idemque aſſerit *Lib.* XI. *ſuæ Hiſtoriæ* Bernardus Juſtinianus, quotquot ante *Sebaſtianum Zianum* extiterunt Duces, eos omnes quam tumultuoſiſſime declaratos eſſe totius Populi rumore, & acclamatione. Nam ſi tunc ea fuiſſet ratio Comitiorum, quæ fuit inſtituta deinde, prout ipſe percipies, nullo modo fieri potuiſſet, ut res perageretur tam tumultuoſe; ſed quo modo cæteri omnes Magiſtratus, eodem creati & Duces fuiſſent in Comitiis ipſis: nam neque rationi conſentaneum videtur, neque veriſimile, tanti honoris, & tantæ amplitudinis Magiſtratum temere, & eâ, quâ dixi, perturbatione creatum fuiſſe, reliquos autem vel minimos tàm pulchra, & decenti tàmque accurata ratione deligi conſueviſſe. Præterea vero priuſquàm eripe-

---

tamaucum tranſlatam, *Heraclea* ſuæ patriæ? Cur in candidatorum ſuffragationibus, ſi quos rerum ſacrarum Antiſtites deſignari vellent, non ſemel legimus Duces repulſam tuliſſe? quinimmo Tribunorum ſtudiis nonnunquam ſuffectos, qui maximè Ducibus inviſi, atque infenſi eſſent? quemadmodum ob conſanguinei Patriarchæ cædem *Fortunatus Joanni*, & *Mauritio* Ducibus omnium offenſiſſimus, nihilominus Tribunorum ſuffragatione ſucceſſiſſe proditur, ac nimirum conatibus Ducum obſiſtere ſolitos, ſi quid perniciosum molirentur, Tribunos legimus; qua de cauſa in *Rivo alto* poſt *Gallicum* bellum *Angelus Participatius* Dux ubi à Populo dictus, ſtabilire viſum eſt omnibus exemplum ſalutare, in auguratione *Dominici Monegarii* pridem inſtitutum, geminos, qui Duci aſſiderent, Tribunos creandi: quæ res tantopere augebat jus ipſius Reipublicæ, quantopere compeſcebat audaciam Ducum, quibus obnoxii Tribuni non amplius agebant in poſterum creandi juſſu atque arbitrio Populi; ne quis tamen exiſtimet, antequam ea fierent, ſummos rerum moderatores atque arbitros Duces extitiſſe, contra quam lege Ducaria conſtitutum eſſet, *Gregorii* II. Pontificis expendendæ litteræ, quarum hæc inſcriptio; *Dilectis fratribus Donato Patriarchæ, & Epiſcopis, atque Marcello Duci, & Plebi Venetiarum, &c* In ipſius autem litteris (nam cuncta recitare nil attinet) præcipuè debent hæc verba notari, & perpendi: *Quia igitur miſſa relatione ad nos à Deo ſalvata communitas veſtra petiit contra Forojulienſem Antiſtitem ajentes, quod cupiat invadere ditionem Gradenſis Eccleſiæ.* Communitatis enim ſive Communis nomen nihil aliud ſignificat, quàm Rempublicam ipſam, quod etiam Carolus Sigonius probè animadvertit *Hiſtoriæ de Regno Italiæ Libro* X. Supremam verò Majeſtatem temporibus iis unà cum Duce in populo reſediſſe, oſtendit Ducis pariter atque Plebis in litterarum fronte prima mentio: ſic etiam in litteris datis à *Gregorio* III. licet inſcriptio deſideretur abſoluta & integra, vitio librariorum, qui compendia ſectantur, indicat tamen aut Plebis, aut Populi prætermiſſum nomen, quatenus appoſita eſt hujus compendii nota, *Dilecto filio Urſo Venetiarum, &c.* tunc quidem alia ſententia, quam cum poſtea contigit *Dalmatiæ* domitæ, & *Croatiæ* titulos accedere: immò verò in antiquo exemplari vidimus diſertè ſcriptum *Tribunis, & Populo.* Sed in deliberationibus, in fœderibus, & quibuscunque ſanctionibus, quarum memoria litteris commendata ſupereſt, expreſſum legimus populi ipſius nomen: & quia commemorare ſingula nimis longum eſſet, unum aut alterum ſatis fuerit in medium afferre ex antiquioribus, quæ ad nos pervenerunt. *Angelus Participatius* Dux, & *Juſtinianus* filius ejus, & collega conceſſerunt *Abbati ſancti Servuli Capellam Beati Ilarii, cum ſuis territoriis*, at his ipſis verbis. *Nos quidem Angelus, & Juſtinianus per divinam gratiam Venetæ Provinciæ Duces unà cum Reverendo D. Fortunato ſanctæ Gradenſis, & Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarcha, & Chriſtophoro venerabili Epiſcopo ſanctæ Olivolenſis Eccleſiæ, atque univerſis populis habitantibus, plebe Chriſto dilecta, &c.* Subſcribunt verò Patriarcha, Duces, Epiſcopus, *Joannes*, Tribunus, & multi alii. *Petrus* verò Tribunus cum *Clodienſibus* pactionem fecit de iis, quæ Duci præſtare deberent, in qua diſertè ſcriptum; *Chartam ſecuritatis facimus nos Petrus Tribunus Dux, & omnes totius Venetiæ majores, & minores, quorum nomina ſubtus erunt ſcripta.* Sunt autem ad quinquaginta nomina, quæ legi poſſunt.

Ego Petrus Tribuno, Dei gratia Dux, confirmo.
Ego Petrus Forentio, Iudex manu mea ſcripſi.
Ego Petrus Caloprinus, Iudex manu mea ſcripſi.
Ego Feliculo Marin Iudex manu mea ſcripſi, &c.

At de *Petro* IV. *Candiano* Duce ſcribit Andreas Dandulus: *Iſte Dux cum Bono Patriarcha, Petro Epiſcopo Olivolenſi, Ioanne Epiſcopo Torcellano, & cæteris Epiſcopis, Clero, ac Populo Venetiarum decretum ab Urſo Duce conditum renovantes, ſanxerunt inhibentes commercium de mancipiis Chriſtianis. Novo quoque ſui Ducatus anno Dux cum Patriarcha, Epiſcopis, Clero, & Populo Venetiæ legatos miſit Ioannem Contareno, & Ioannem Dente Ioanni Papæ, & Ottoni Imperatori, &c.* Cum verò deſciviſſent à Republica omnes *Iſtriæ* populi, coacti ſunt armis iterum imperata facere, novaque ſponſione ſe obligare, cujus extant tabulæ: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, imperante DD. Ottone Sereniſſimo Imperatore anno quarto, die* XII. *menſis Octobris, Indictione quinta. His tabulis Sicardus Comes, atque Iſtriæ vectigalis facta convenire ſe ajunt unà cum Petro Orſeolo glorioſiſſimo Venetiarum Duce, & cum univerſo ſuo populo.* In fœdere quoque omnium glorioſiſſimo inito cum Patriarcha *Hieroſolymitano*, cæteriſque Principibus anno à *Chriſto* nato MCXXIII non ſemel repetita leguntur hæc verba; *Vobisque Duci Venetiarum, & Veſtræ genti promittimus.* Innumera ſunt, quæ Ducem cum Judicibus, & Principalibus, ſeu Primatibus, ac Populo *Venetiarum* nominant, nec ullam unquam ſanctionem, pactionem, fœdus, Ducis unius nomine celebratum in totis *Venetis* Annalibus oſtendi poteſt: quod certiſſimè arguit, nihil agi potuiſſe inconſulto Populo, cujus etiam rei documentum capere poſſumus ex eo, quod voti cauſa cum *Venetias* profectus eſſet, ut beati *Marci* veneraretur corpus, *Otto* Imperator, clamque omnes adventum ſuum eſſe voluiſſet, fortaſſe ne quid turbarum ſe abſente fieret; triduo poſt ejus abitum, convocata concione, ut hoſpitium, quod inſcio populo impertierat, ſibi fraudi non eſſet, Dux *Petrus Urſeolus* II. expoſuit rem geſtam, neceſſitatemque excuſavit accurata oratione, quam excuſationem à Populo acceptam dum Annales tradunt, haud obſcurè ſignificant, fieri potuiſſe, ut ea non acciperetur, & Dux reus fieret. Quod ſi non erat integrum atque tutum, excipere in ædibus aliquem Principem hoſpitio; qui poterat ipſe Dux inconſulto Populo, vel Collegas, vel Succeſſores liberè deſignare liberos? Vix credam *Jannotium* ita unquam opinatum, aut hallucinatum oportet in re apertiſſima. Nihil enim in *Veneta* Hiſtoria notius, magiſque compertum, quàm ſenioris *Mauritii* meritis ac precibus, eximii loco muneris, id à Populo indultum, mox in exemplum pernicioſiſſimum à poſteris tractum, ut impetrarent alii filiis, alii fratribus conſortium Principatus, atque adeo ſucceſſionem; neque tamen unquam memoriæ proditur hoc factum, niſi Populo aſſentiente, atque comprobante. Nam Duces nihil aliud, niſi quod rogabant, ſicut etiam in deliberationibus publicis, & legum lationibus: Populi verò ſupremum judicium erat, in quo Duces acquieſcere qualicunque oportebat. Argumento ſit, quod *Dominicus Flabanicus* Dux cum ejuſmodi conſuetudinem abolitam cuperet, quæ nonnihil detrimenti videretur allatura Reipublicæ illudque haberet exploratum, legem abrogare poteſtatis ejuſdem fore, quæ ſciviſſet non ipſe pro imperio antiquavit, ſed indicta publica concione ad Populum retulit, cujus id ſcitum eſſe, atque juſſum noverat, vellentne cum certa pernicie fixum ſtare, an metus omnis tollendi cauſâ refigi, ac reſcindi? Ridiculum fortè videbitur quod attexam, ſed valde appoſitum, ni fallor, atque adeo opportunum vel in minutis quibuscunque & minimis rebus, ad oſtendendum, Populo quantum juris eſſet. Legimus enim in *Græcorum* quandoque odium, à quibus plurimum diſſidere cœperat Reſpublica in publico concilio ſancitum omninò fuiſſe, ne quis ſummitteret barbam, præterquàm luctus cauſâ. Ex his apparet, quàm verè ſit à nobis dictum, nihil agi unquam conſueviſſe ſine Populi juſſu, ideoque in ejus offenſionem facilè incurrebant, ſi qui Duces aliquando ſibi plus arbitrii ſumpſiſſent, quàm lege tribueretur in negotiis gerendis: quid? quod immerentes odia multi etiam ſubibant ex communi ſententia rebus conſtitutis, ſi minus eæ ſuccederent, atque accideret, ut infortunium aliquod grave acciperetur ob Ducum ſuaſiones, conſilia, vel infauſta auſpicia: vulgo nimirum ex eventibus cuncta metiente, & cujus nomine juberi edicique ſolita, huic temerè accepta referente tàm bona quàm mala. Ita cum *Vitalis Faletri* Ducis funus duceretur, ab univerſo Populo diræ fuit devotum, quòd ſumma caritas annonæ fuiſſet eo Principe, & exprobrandæ rei gratia vino & pane ingeſtis, ſepulchrum ejus conſtratum, & commaculatum. Tale quid etiam paucis jam annis contigiſſe novimus *Petro Lauredano*, Duci optimo & innocentiſſimo, cum tamen hic annis quadringentis ferè poſterior *Sebaſtiano Ziano*, ille vero ſuperior annis plus quam nonaginta. Quod etiam temporibus noſtris non ſemel accidit, cum annonæ præſertim ubertas & caritas à vulgo Ducibus tribui ſoleat, non alia certè ratione, quàm antiquiſſima Reipublicæ conſuetudine cunctas deliberationes, atque publica edicta non alio, quam Ducis ipſius nomine vulgandi. Quæ res oſtendit, præteritis omnibus temporibus haud diſſimili ratione, quàm modò adminiſtratam Rempublicam, diſcrimenque illud ab *Jannotio* indutum prorſus nullum eſſe; cum præſertim ea, quam

eriperetur ea facultas Populo nominandi Ducis; Dux autoritate suâ, quâ plurimum eminebat, suoque arbitratu, ut ajebam modo, administrabat Rempublicam, ita ut in societatem Principatus nonnulli etiam filios vocarent: nam *Dominicum Flabanicum* Ducem XXIX. scimus ejusmodi consuetudinem abolendam curasse. Quare quicunque monumenta evolverit historiarum nostrarum (atque id velim scias, ubi contingit à me laudari nostra monumenta, nullo modo id accipiendum esse de Historiis *Sabellici*, neque de aliis hujusmodi scriptis pervulgatis; ab his enim non pauca prætermissa fuerunt, quæ fortasse multo pluris apud me sunt, quam quicquid est ab ipsis memoriæ proditum: eos igitur de nostris Rebus Commentarios laudo, qui apud nos manuscripti extant, sicut non ita pridem *Nicolaus Leonicus* ætatis nostræ maximum decus, & ornamentum exhibuit mihi quoddam Fragmentum Historiæ *Venetæ*, unde multa percepi singularia) hæc igitur vetera nostra monumenta quicunque perlegerit, in iis vix unquam reperiet Magistratus alicujus mentionem factam, à quo certè res publicæ fuerint procuratæ. In *Vitali Michaëlio* Duce, qui cæsus fuit, dum iret ad D. *Zachariæ*, & successorem habuit *Sebastianum Zianum*, invenio primum usurpari nomen hoc, *Signoria*, cui Latinè responderet vox, Dominatio, non ita tamen ut constet, quisnam esset is Magistratus, & qua autoritate. Hæc enim verba tantummodò scripta comperio: *Dominicus Maurocenius Venetias pervenit, & exposuit coram Duce, & Dominatione.* In *Sebastiano* quoque *Ziano*, qui *Vitalem* proxime excepit, & magis accurata suffragatione Princeps est creatus, quam prius adhiberi consuesset, hanc ipsam Dominationis mentionem audio; sic etiam in *Henrico Dandulo*, qui *Sebastiano* successit, & in multis aliis deinceps animadverti, ejusmodi Dominationis nomen expressum fuisse, quod ante *Vitalem Michaëlium*, vt prædixi, nunquam ipse legi. Quæ res facit, ut existimem, nullos Magistratus fuisse temporibus iis, quæ præcesserunt administrationem *Sebastiani Ziani*, præter eos, qui præfecti rebus privatis essent: & horum quidem electio, quod in quibusdam Commentariis nostris scriptum reperio, ad Quatuor-Viros pertinebat, quibus id committebatur; sed à quibus, non liquet. Fuisse verò tunc aliquos Magistratus in Urbe præter ipsum Ducem, vel ex eo constat, quod *Dominicus Flabanicus* is, quem memoravi, universam familiam, sive gentem *Urseolorum* à Magistratibus, atque honoribus excludendam in perpetuum curavit: nam si nulli Magistratus omnino fuissent, quid attinuisset ab illis *Urseolos* excludere? Veruntamen ante *Sebastianum Zianum* publicos Magistratus non extitisse, hoc est, qui gererent ea, quæ ad imperium spectant, illud opinor, evincit, quod aliâs, ubi quicquam infortunii & incommodi accideret, quod Civitatem non mediocriter afficeret, non alius quàm ipse Dux incurrebat in odium, offensionemque publicam,

A eidemque communiter accepta ferebantur omnia, quæ Reipublicæ contingerent, vel bona, vel mala. Quapropter in exilium sæpenumero expellebantur, aut palàm trucidabantur, quemadmodum *Vitali Michaëlio* factum est, quem supra nominavi. Nam Publicum Ærarium, quod *Cameræ* apud nos nomen habet, ob assidua bella gesta contra *Græcorum* Imperatorem *Emanuelem*, cum nimis exhaustum esset, atque exinanitum, ea, quæ dicuntur à nobis *Impræstita*, primus excogitavit, nimirum edixit, ut unusquisque Reipublicæ commodaret de certo quodam pecuniæ numero sibi constituto, pro quo singulis annis ab eadem caperet Usuras Quincunces. Ea res B tantam invidiam Duci apud multos conflavit, ut ipso Resurrectionis Dominicæ Festo die confossus ad pontem fuerit in itinere ad D. *Zachariæ*. Certè si Magistratus ulli tunc extitissent, qui unà cum ipso Duce Reipublicæ præfuissent, quemadmodum tempestate nostra fieri videmus, tota vis illa non incubuisset in unum Ducem, sed alios quoque pervasisset, quos adjutores, & socios nactus esset in gerenda Republica; videmus enim contigisse id posterioribus ætatibus Duce XLV. *Raynerio Zeno*, qui creatus est anno M CC LII. Nam *Cretensi* bello, quo plurimùm adversos, infestosque *Genuenses* habuimus, immensis sumptibus in rem militarem factis, ne- C cesse fuit imponere Civitati nova vectigalia, quæ res, simulatque præconis audita est vox, concitavit in universo Populo tàm ingentes tumultus, ut omnes infensissimis animis accurrentes Ducarium obsederint; neque verò multitudinis impetus, & furor, vel ipsa præsentia Ducis, & reverentia potuit unquam reprimi: quare cum pedem referret intrò, abiretque è conspectu, plebs incitata privatorum ædes invasit, ex quibus aliquot diripuit & cæde vastavit. Hoc in tumultu Populus acerbitatem odii sui in universam Rempublicam converrit, non solùm in Ducem, cum sciret, illum non Reipublicæ Dominum, sed participem esse. Sed quo tem- D pore *Vitalis Michaëlius* administrabat Rempublicam, ipse totam invidiam, culpamque sustinuit ex commodatis pecuniis uni sibi conflatam, propterea quod omnia versabantur in sua potestate. Temporibus quidem nostris Respublica magnum vulnus accepit anno M D IX. exercitu nostro profligato per *Ludovicum* Galliæ Regem: consecuta est eam cladem defectio cunctarum urbium, quas obtinebat ipsa Respublica in *Gallia Cisalpina*. Nullus tamen extitit ob eam rem, qui raperet in invidiam Ducem *Lauredanum*, cumque perferre sumptus ingentes Cives cogerentur, nullus tumultus in eum, nulla vox audita: E non alia de causa, nisi quod summa rerum non erat penes ipsum Ducem, sed erat in potestate publicorum Conciliorum, atque Magistratuum. Ut ex his, quæ disputavimus, satis constet, hos publicos Magistratus ante *Sebastiani Ziani* tempora nullos plane fuisse. Quod quidem si tanquam vero consentaneum statuimus, quis usus esse

quam affert, historia Ducis *Raynerii Zeni*, à populo conviciis lapidusque appetiti, propter molendi tritici vectigal auctum à Senatu, fidem tantum faciat, semper in Duces redundare solitum, quicquid offensæ contraherent præsides Reipublicæ, doceatque turbam furore concitatam, posteaquam amplius in Principem grassari non potuit, ex ejus manibus elapsum domique suæ abditum, non tam in Principes atque auctores ejus sententiæ, quàm in privatos cives impetum tulisse, quos ejusmodi res & causa minimè attingebat. Sed rem totam ut paucis complectamur, semper Dux Venetorum libera in Republica tantum obtinuit summi juris atque auctoritatis, quantum ingenio, bonis artibus, gratia, & opibus, vel propinquorum, vel amicorum apud cives valuit: imperii summam vim ipsam nunquam habuit, sed imaginem tantùm quandam, & umbram imperii, plus minusve, pro temporum varietate. Antiquitus penes illum fuit judices statuere, & Magistratus quosdam etiam designare: quin etiam Domini nomen quandoque audiebat, mox id lege fuit vetitum, ut alia permulta, quæ antiquis Ducibus honestandis vel concessa, vel permissa fuerant. Serenissimi tamen titulus adhuc manet, regaliaque insignia, & sella in medio suggestu; comitatus etiam eorum, qui modò *Scutarii*, olim verò *Excusati* vocari solebant, ad perexiguum numerum contractus superest: Veruntamen ad extrema prope nunc deventum est, cum in funere cujusque Principis creati Quatuor-Viri de potestate illius semper aliquid detrahant.

esse poterat Majorum Comitiorum, quæ vel his nostris temporibus nullis aliis rebus, quam Magistratibus creandis præstant suam operam?

Hic aliquis excipiat fortasse, potuisse fieri, ut crearentur in Comitiis illi Magistratus, quos privatis negotiis præpositos dicebamus esse: nam Civitatem videri, nunquam iis caruisse, quæ mercaturæ studium perpetuò coluerit. Sed tamen his respondere non est difficile, quàm absurdissimum fore, si Magistratus ejusmodi, qui præ aliis, qui summam Rempublicam continent, exigui momenti sunt, tàm exquisita diligentia, tàmque accurata ratione delecti dicantur, cum tamen præstantissimus, atque amplissimus omnium Magistratus, hoc est ipse Dux adeò temerè, tumultuosèque consueverit à populo nominari. Quid? quod autoritas nostrorum Commentariorum ei sententiæ adversatur, in quibus, ut dixi modò, scriptum reperitur, hujusmodi Magistratus eligendi curam Quatuor-Viris initio demandatam fuisse.

Si quis autem urgeat, in capiendis consiliis de Republica præstitisse suam operam ea Comitia Duci: certè non negaverim fieri potuisse, ut à Ducibus institutum fuerit quoddam genus Concilii, in quod adhibiti fuerint certi quidam cives, quibuscum illi sua consilia nonnunquam conferrent, id, quod paulò post apertius; sed nullo modo existimarim, tantum numerum civium non aliâ quàm consultandi causâ cum Principe in unum locum coiisse. Nam qui gubernacula tenet in civitate præsertim satis ampla, & frequenti, cujusmodi est nostra, assiduè versari debet in consultatione. Quamobrem necessarium Ducibus fuisset quotidiana convocatione defatigare Comitia: Cives autem publicis rebus ut duntaxat intenti prorsus abjicerent curam suarum rerum, id certè fieri nullo modo unquam potuisset. Siquidem Magistratuum vicissitudines non alia de causa adinventæ sunt, nisi ut unusquisque in partem laboris, & sollicitudinis ita veniat, uti commodorum particeps est, otiique in Republica. Præterea verò quisquis evolvit nostra monumenta supra tempora *Sebastiani Ziani*, paucos omninò Cives reperit, qui publicis rebus operam navarint, & rebus gestis familias suas illustrarint, id quod postea contigit. Ejus rei nulla potest afferri, præterquàm hæc, causa, quod vellent ipsos Duces arbitratu suo cuncta gerere, atque moderari. Sed posteaquam Majora Comitia sunt instituta, & suprema Ducis autoritas, nonnihil temperata societate Magistratuum, & Conciliorum: exinde cives rebus gerendis operam dantes existimationem, decus, & gloriam sibi compararunt: ut hac in re Civitati, Reipublicæque nostræ prorsus idem contigerit, quòd *Romanæ* olim, in qua familiæ civium splendore suo caruerunt, quamdiu Reges habuerunt summum imperium. Quod ubi primum fuit extinctum, atque in ea deletum, statim magna celebritate cœptæ sunt augeri. Innumeros prope Cives memorare possem citra tempora *Sebastiani Ziani*, qui rebus maritimis studentes classium [A] nostrarum summum imperium habuerunt, & magno Reipublicæ cum fructu, atque dignitate celebrem nominis sui memoriam posteris reliquerunt: supra verò tempora *Sebastiani Ziani* perquàm pauci rebus gerendis præfuisse narrantur. *Dominico* quidem *Mauroceno* XXXVII. Duce invenio *Dominicum Maurocenum* Ducis ipsius vel patruelem, vel filium, ut nonnulli sentiunt, unà cum *Marino Gradonico* Præfectum Classi fuisse, quæ deducta est adversus *Polanos*, & cæteros *Istros*. Ubi discessit à vita *Ordelaphus Faletrus* Dux XXXIV. ad *Pannoniæ* Regem, cum quo tunc erat bellum, tres Legati missi fuerunt, *Vitalis Faletrus*, *Ursus Justinianus*, atque *Marinus Maurocenus*. [B] *Vitali* quoque *Michaële* Duce XXIII. classi, quæ proficiscebatur in *Asiam*, Præfecti dati sunt *Henricus Contarenus* Episcopus *Olivolensis*, nec non filius Ducis. Præterea verò cum Dux esset *Vitalis Faletrus*, *Dominicum Dandulum*, *Andream Michaëlium*, & *Jacobum Aurium* comperio Legatos ivisse ad *Alexium* Orientis Imperatorem. Sic etiam aliis temporibus alii memorantur, qui fuerint adhibiti ad tractanda negotia publica: sed omnes hi quàm paucissimi numero sunt præ omnibus iis, qui deinceps à temporibus *Sebastiani Ziani* clarissimi evaserunt ob administrationes Reipublicæ. Id verò factum est ab institutis Comitiis, propterea quod digni- [C] tates, & munera publica, tùm domi, tùm foris in plurimos cives tribuebantur, unde plurimi quoque decus sibi comparare familiasque suas plurimum illustrare cœperunt; quod vel hisce nostris temporibus fieri videmus. Atque hanc ipsam fuisse causam existimo, cur antiquissimæ familiæ Patricii ordinis, præter oppidò paucas, quæ celebritatem adeptæ sunt à Ducibus editis, cujusmodi fuerunt, *Baduaria*, *Mema*, *Contarena*, *Faletria*, *Maurocena*, *Michaëlia*, & nonnullæ aliæ, tam multæ vero, quæ fuerunt supra tempora *Sebastiani Ziani* versatæ, fuerint in ea obscuritate, ut aliquarum nomina vix ad nos pervenerint. Postremò [1] tandem, quod meam sen- [D] tentiam maximè confirmat, hoc Gentilis hominis nomen, quod Nobilitatis est proprium; in nostris monumentis nunquam usurpatur ante administrationem *Petri Ziani* Ducis XLII, qui patrem habuit *Sebastianum* Ducem sæpe memoratum. Eo Duce *Creta* Insula in ditionem *Venetam* cessit, quæ ut in Reipublicæ fide melius contineretur, decreta est eò colonia *Venetorum* Civium, partim quidem ex iis, qui equo merent, partim autem ex assuetis militiæ pedestri. Igitur in iis Historiæ fragmentis, quæ sum nactus à *Leonico* nostro, hæc ita scripta reperi: *Postea verò decretum est in Gentiles homines, atque populares, qui se conferrent eò ad habitandum cum* [E] *suis familiis, Cretam Insulam totam tribuendam esse.* Neque tamen arbitror tunc idem omninò significasse, quod nunc significat hoc Gentilis hominis nomen. Nam quæ temporibus illis Comitia erant (hæc autem quænam, & cujusmodi forent, efficiam, ut suo loco intelligas) non admittebant id, quod modò est, inter Patricios,



1. *Postremò tandem, quod meam sententiam, &c.*] Licet aliquando hoc ipsum Gentilis hominis nomen in primis Annalibus reperiatur, contra quam credit *Iannotius*; nam *Petro Gradonico* Duce legimus hæc ipsa verba: *Et avenne che'l sopradetto Dose veniva mal voluto dal popolo, & etiam dalli zentilhomeni, perche el non curava de favellar al popolo, e con li zentilhomeni, ne'l voleva altra compagnia, se non delli soi servi.* Sicuti etiam alibi non semel. Frequentius tamen vocantur *Majores*, aut *Primores*, & sæpius *Tribuni*: etenim hoc nomine censebantur non modò, qui functi essent Tribunatu, sed etiam, qui ex familiis tribunitiis ducerent originem, hoc est, unde aliquando Tribuni creati essent. Arguit hoc ea loquendi formula, quam Annales usurpant, ubi loquuntur de familiis Patriciorum. *Fuerunt antiqui Tribuni.* Frequenter etiam legimus in iisdem, ab hujus, aut illius familiæ *Tribunis* sacras ædes complures vel ædificatas, vel ornatas esse: nec non *Tribunos*, *& Magnates Urbis* ita decrevisse: quo fit, ut late admodum pateret hoc Tribuni nomen, & complecteretur Patricios, & Nobiles cunctos, prout etiam voces *Majorum*, aut *Primorum*; quæ si *Iannotius* noster animadvertisset, profectò quod miraretur, nihil habuisset; in monumentis antiquis *Venetorum* hanc Gentilis, ut modò loquimur, hominis vocem non audiri. Nomenclatura enim est haud recens, res autem pervetus, & priscis vocabulis memoriæ commendata.

popularesque diſcriminis: idcircò quæ vis appellationi Gentilis hominis ſubjecta eſt modò in aliis cunctis civitatibus, eandem crediderim tunc etiam in noſtra fuiſſe, ut eo nomine Cives illi ſignificarentur, qui præ cæteris omnibus eminerent, aut antiquitate generis, aut opibus, aut autoritate. Adeptus eſt autem principatum ipſe *Petrus Zianus* anno *Chriſti* M CCV, eodemque trigeſimo poſt *Sebaſtianum* patrem, qui creatus fuerat anno M C LXXV. Quo quidem temporis intervallo conjicere poſſumus eligendi Ducis rationem correctam fuiſſe, ejus autem ſummam potentiam legibus latis temperatam; instituta quoque Comitia, cum cæteris Magiſtratibus; eoque magis, quòd in ejuſdem Principis vita diploma quoddam confectum legi, pro Colonia *Cretenſi*, in quo commemoratos inveni quatuor Conſiliarios, bi nos Judices, nec non Advocatores, de quibus erit ſermo poſtea loco ſuo, primùm creatos fuiſſe temporibus *Aurii Maſtropetri*, qui Rempublicam adminiſtravit eo temporis intervallo, quod ſupra commemoratum eſt annorum triginta, & *Sebaſtiano* Duci proximè ſucceſſit. Unde colligere poſſumus, his iiſdem temporibus Majora Comitia ad magiſtratus eligendos conſtituta, ſtabilitaque fuiſſe. Neque tamen inficias iverim, nomen Comitiorum ſuperioribus etiam temporibus nonnunquam uſurpatum legi, quod conſtat ex aliquibus Privilegiis *Vitalis Michaëlii* Ducis, quæ non ita pridem fecit, ut aſpicerem, *M. Antonius Michaëlius*, Vir ob antiquam generis nobilitatem & ob ingenii, virtutumque maximarum ornamenta plurima digniſſimus, qui diligatur, atque celebretur à cunctis hominibus. Subſcribunt iis privilegiis trecenti ferè cives, quos ipſe *Vitalis* Dux nominat Comitiorum participes. Sed cujusnam rei gratiâ, & à quo fuerint iuſtituta ea Comitia, nihil eſt apertum. Equidem, ſi quid Comitiorum genus concedimus temporibus iis, eorundem autores videntur Duces ipſi fuiſſe, ut, quandocunque ſibi collibitum eſſet, uterentur conſilio, atque civium opera, non ſecus atque priſci *Romanorum* Reges, qui cum Senatu publicis de rebus agere ſolebant, ſed ubi maximè videbatur hoc in rem ſuam fore.

Ego verò cum de prima Comitiorum origine diſputo, aliud Comitiorum genus accipi noluerim, quàm cui tributa eſt facultas creandi cætera Concilia, atque Magiſtratus, qui rerum cùm publicarum, tum privatarum curam ſinguli ſuſcipiunt. Nam quæ ſuperioribus ætatibus erant, ſi tamen erant, exiſtimo parum autoritatis obtinuiſſe. Minimè quidem id à veritate alienum puto, quod ſuperiùs monui, ſpeciem, & formam quandam Comitiorum apud Duces fuiſſe, quæ tamen tota penderent ex eorum arbitrio, nullamque aliam præſtarent operam, præter eam, quam ipſi requirerent. Videtur enim æquitati conſentaneum fuiſſe, ut qui ſummum jus, & imperium in Republica haberent, eandemque arbitratu ſuo plane regerent, atque adminiſtrarent, iidem voluntates etiam civium longe plurimorum ſtuderent aliquo genere obſequii ſibi demereri, & ob eam rem Comitia quædam indixerint. Sed multo magis illud me movet, quod non video, qui fieri potuiſſet unquam, ut Majores noſtri tam admirabilem rerum ordinem, tamque pulcherrimam diſtribuendi honores, & munera publica rationem, hoc eſt ipſa, quæ nunc habemus conſtituta Comitia, nullo propoſito ſibi ad imitandum exemplo primùm excogitarint. Nam temporibus iis nulli dubium eſt, hujuſmodi formam publicæ adminiſtrationis apud

A aliquas urbes, vel gentes nuſquam extitiſſe, quæcunque tunc omnino haud eſſent ignotæ. Atqui ea, quæ nullo exemplo inducenda ſunt, tot tantaſque difficultates ſecum afferre ſolent, ut plerumque rejiciantur, tanquam nimis ardua, quæque fieri vix, aut forte nullo modo poſſint. Proficiſcitur id ex ea re, quod homines in rebus ſingulis agendis nonniſi rationes illas & ſequuntur, & probant, quas vel ſuo, vel aliorum aliquo periculo cognitas, & perſpectas habeant: pauciſſimi verò ſunt, & ſemper fuerunt, qui nova comminiſci, & aliis perſuadere valeant: ideoque cum in Republica contingit aliquid innovandum, inſtituta vetera ſemper ob oculos habentur, ad

B quæ de more cuncta referuntur, & ad propria quidem ubi ſuppetunt, ſecus ad aliena. Quare multi ſunt autores, qui tradunt, *Romulum* ſuæ reipublicæ exemplum de *Græcis* ſumpſiſſe; & vos etiam ipſi anno *Chriſti* MCDXCIV, majora veſtra Comitia ad inſtar eorum, quæ ſunt apud nos, effinxiſtis: quin etiam anno MDII, uſi noſtro exemplo, ſummum apud vos Magiſtratum, quem *Confalonerium* vocatis, ex annuo perpetuum efficere ſtatuiſtis. Utinam verò in rem, atque fructum patriæ veſtræ, nec non ad totius *Italici* nominis decus, & exiſtimationem ea mente quoque fuiſſetis, ut Reipublicæ noſtræ cætera inſtituta, quæ non ſunt ita cunctis in prom-

C ptu, & obvia, quemadmodum vel Ducis adminiſtratio perpetua, vel ipſa Comitia non diſſimili ratione ſuſcipienda, imitationeque complectenda vobis viſa eſſent. Nam veſtra civitas retinuiſſet libertatem ſuam, neque viciſſitudines illas fuiſſet experta, quæ perniciem extremam tandem rebus intulerunt. Dico igitur monſtri, ac prodigii ſimile quid futurum fuiſſe, ſi Majores noſtri ſine ullo exemplo, cum ordinare vellent ſtatum Reipublicæ, ex ingenio tantummodò ſuo depromptam repente attuliſſent univerſam hanc rationem Comitiorum tàm egregiam atque præſtabilem, tàmque humanitati aptam, & Civium concordiæ: quæ ſane ratio

D non modò liberam, perpetuoque incolumem nobis patriam præſtitit; ſed etiam rebus ſemper in meliùs procedentibus quodammodo gradum eidem fecit ad eam, quæ nunc eſt, Imperii amplitudinem, & auctoritatem. Quamobrem hæ duæ rationes à me proximè adductæ, præter ea pauca, quæ ſuperant adhuc, monumenta, efficiunt, ut credi poſſit, aliquam Comitiorum formam extitiſſe ſupra tempora Ducis *Sebaſtiani Ziani*, unde majoribus noſtris poſt *Vitalis Michaëlii* cædem, cum redigere ad meliorem formam Rempublicam cogitarent, oblata fuerit opportunitas inſtituendi hæc Comitia publica ad tribuendos honores, atque magiſtratus.

E Quapropter ut ſummatim comprehendam, in noſtra Republica *Tres Rationes*, ſive *Formæ Comitiorum* fuerunt; *Prima*, per totum illud tempus continuata, quo Duces regio ferè more dominabantur, uſque ad Ducem Sebaſtianum Zianum; *Altera* verò, quam eo tempore inſtitutam dixi. Hinc autem *Tertia* promanavit, cui quidem anno *Chriſti* MCCXCVII, Duce *Petro Gradonico* fuit initium datum, eademque feliciſſime Reſpublica noſtra gubernatur uſque ad hæc tempora. Itaque ii, qui Comitiorum morem tradunt antiquiſſimum eſſe, ſi de Comitiis alterius generis loquantur, quam quæ poſtea creandorum Magiſtratuum cauſa ſunt adhibita, fortè non fallun-

F tur; alioquin in errore verſantur. Nam, ut pluribus dixi, atque comprobavi, non niſi poſt *Vitalis Michaëlii* cædem ea ſunt uſurpata, quo tempore ſingula munera, & negotia publica directa fuerunt ad certam normam, atque regulam, ut in

in civili ſocietate quietè viveretur. Neſcio vero utrum tibi ſatietatem, & moleſtiam attulerim tam longa diſputatione de prima Comitiorum origine, de qua certe mihi fuit agendum, ne quid ex iis prætermitterem, quæ ad eam rem pertinent. Tu, qui ſingula momenta diligenter expendere ſoles, quicquid è re viſum fuerit, complectare velim, cæteraque abjicias.

Ioannes. Equidem ſingula perſequendo quò magis excutis, eò majorem voluptatem capio ex ſermonibus tuis. Morem plane mihi geſſiſti in hac tota Comitiorum percenſenda origine: nam multa ſcitu digna nunc à te intellexi, quæ diſcrepant ab aliorum ſententiis, & quidem plurimorum, à quibus affirmatur, ea, quæ nunc vigent apud vos Majora Comitia, vetuſtiſſimis etiam temporibus extitiſſe. Sed pluribus hac de re diſputare nihil amplius attinet: ſatis eſt mihi quidnam ſentias, ex ipſo te audiſſe, quem recte ſentire mihi perſuadebo, donec aliud occurrat, quod magis arrideat. Nunc autem intelligere cupio, quemadmodum exiſtimes rem geſtam eſſe, dum Comitia ſunt inſtituta poſt *Vitalis Michaëlii* cædem. Ad hæc autem, quibus temporibus, & qua de cauſa poſtea fuerit ad ipſa Comitia interclusus, atque obſtructus aditus. Nam qui fuerunt ab iis excluſi, permirum videtur, ſi paſſi fuerint æquo animo, ſe ſpoliari, non tantum jure, quod habebant, creandi Magiſtratus, & Ducem, ſed plane conſequendi eos honores omni facultate: neque verò mihi aliquid in mentem incurrit, quod ipſos continere in officio potuerit.

Trypho. Quamvis ex iis, quæ à me diſputata ſunt hactenus, hæc ipſa, quæ modò percunctaris, intelligi queant, ſaltem aliqua ex parte: nihilominus ut animi ſenſum magis aperiam, quod à me ſatis arbitror demonſtratum eſſe iis conjecturis, & argumentis allatis, quæ invenire potui; illud item repetam, Majora Comitia tunc ortum habuiſſe, cum vis illata eſt, atque cædes *Vitali Michaëlio*, atque ut ego quidem perſuaſum habeo, ſtatim in ipſa creatione *Sebaſtiani Ziani.* Utrum verò Comitia Ducis electionem, an ipſa Ducis electio Comitia potiùs anteceſſerit, in medio relinquo; ſic etiam num fortè ſimul utraque res extiterit. Nam aliquid unum ex his tribus factum videtur. Ergo qui tunc in Republica valebant autoritate, ſive jampridem, ſive nuperrime hanc ipſam adepti, hi multitudinis inſolentia tanta perſpecta, quæ fuiſſet auſa violentas manus injicere in Ducem, dederunt operam, ut vitiis omnibus, quæ videbantur hærere in Republica, ſublatis è medio, præciderent omnes vias domeſticæ ſeditionis. Erat autem vitium longe maximum in ipſa Ducis electione, quæ tanto cum tumultu fieri ſolebat, ut dixi, atque iterum dicam: ex quo contingere poterat, ut dignus aliquis non magis quàm indignus ad ſummam amplitudinem pervenire poſſet, dummodò plebi, & populo gratus eſſet. Alterum quoque vitium poſitum erat in nimia poteſtate, & licentia Ducis. His duobus vitiis alia quædam non pauca conjuncta erant ex iiſdem capitibus deducta, quæ Civitati noſtræ ſupremum exitium attuliſſent, niſi opportunis remediis adhibendis ei proſpectum fuiſſet. Quare prius illud vitium ita ſuſtulerant, ut à plebis, & populi temeritate ad certum paucorum arbitrium tranſferrent omnem poteſtatem Ducis eligendi, ex uno quidem in alterum extremum ſubitò delapſi. Hoc autem non alia de cauſa factum eſſe crediderim, niſi quod uſu plerumque veniat, ut quicunque ſibi aliquid minus utile, quinetiam valdè noxium expertus ipſa re comperiat, ad extremum deferatur, atque deveniat ejus rei contrarium. Cum igitur ob ea, quæ dicta ſunt, animadverterent ii, qui præſidebant Reipublicæ, perniciosiſſimam rem eſſe Principis electionem temerariam adeò, & tumultuoſam: amplexi ſunt diverſam rationem, atque omninò contrariam, ut paucis committerent id, quod erat univerſorum. Sic etiam unius Principis ſummam autoritatem, quod erat alterum vitium ſimul corrigendum, adhibita Comitiorum frequentia moderati ſunt ad cunctos Magiſtratus diſtribuendos, qua ſanè re magnopere caverunt, nequid agendi libera, & integra facultas relinqueretur, eidem conſulendo in poſterum. Et eorum quidem Comitiorum totam rationem fuiſſe illam puto, quæ poſtea diù permanſit uſque ad illud tempus, quo cœptum eſt intercludi; fuit autem hujuſmodi. Singulis annis extremo menſe Septembri ad feſtum diem Dedicationis *S. Michaëlis* Archangeli *bis ſeni Cives* deligebantur, bini è ſingulis tribubus (nam Civitas tota ſenis tribubus continetur) his autem, quod noſtra monumenta perhibent, fas atque integrum erat, ex univerſa Civitate ſibi cooptare à CDL. uſque ad CDLXX. cives, & ea conditione, ut ſinguli poſſent è familia ſua quatuor viros ſummùm aſciſcere. Ex iis autem omnibus in unum coactis conflata quidem Majora Comitia, ſed in annum erant, quæ Magiſtratus omnes creabant, ut nunc moris eſt. Intra finem vertentis anni, *Duodecim Viri*, quos dixi, rurſus eligebantur, qui jus Comitiorum tribuebant eodem modo in proximum annum.

Ioannes. Antequam tuum ſermonem ad alia conferas, hi Duodecim-Viri, quibus collata erat facultas implendi Comitia, quonam modo, & à quibus deſignabantur? Præterea, ſi Comitia nulla certa, & legitima ratione conſtabant ante Ducis *Vitalis Michaëlii* tempora, quoſnam uſus afferre ipſa potuerunt ad altera formanda, recens, atque inſtituenda? Poſtremo, cur Duodecim-Viris tributum erat à CDL. uſque ad CDLXX. cives nominare certo quodam numero?

Trypho. Nihil mihi planè conſtat ex iis, quæ nunc percunctaris: dicam tamen ea, quæ proxima veritati cenſeo. Si concedere volumus id, quod admodum veriſimile mihi videtur & antea jam dixi, fuiſſe rationem aliquam Comitiorum ſupra ipſa tempora, quibus erat Dux *Vitalis Michaëlius*, fieri potuiſſet, ut in iis Comitiis Duodecim-Viri primùm ſuffragiis creati fuerint, vel ſortitò educti, quos deinde proximis annis ea Comitia decernerent, quæ nondum munus annum confecerant, paucis ante diebus. Quæ vero ſupra *Vitalem Michaëlium* dicuntur fuiſſe, quamvis earum rerum, quæ tunc nullæ eſſent, imaginem aliquam exprimere minimè potuerint; tamen hæc hominibus eam mentem ſatis fuit attuliſſe, ut aggreſſi fuerint ad alterum quoddam genus ipſorum concinnandum, atque abſolvendum.

Contigit autem [1], ut qui de coërcenda nimia po-

1. *Contigit autem, ut qui* &c.] Fallitur *Iannotius*: ſemper enim penes Majora Comitia ſumma poteſtas fuit, & cum Tribuni Reipublicæ præerant: quod clarè oſtendit Andreas Dandulus, dum ait; *Interea Venetiæ maritimalis regio propter bellicas clades populis aucta in qualibet inſula tribunos annuales conſtituit, qui incolis juſtitiam exhiberent, facta vero in communi tangentia omnibus comprovincialibus congregatis determinare conſuetum erat:* & poſtquam Duces creari cœpti ſunt, ut ſuprà oſtendimus, & ex omnibus priſcis annalibus maniſeſtiſſimè apparet.

D. Jannotius. D 2

potestate Ducis primi laborarunt, & de tollendis iis duobus vitiis, quæ commemoravi, cum præ oculis haberent amplissimum Concilium è lectissimis Civibus pridem institutum, in id ipsum transfundere cogitarint, quicquid autoritatis, atque juris Ducibus ademissent, ab uno extremo in alterum declinantes, quemadmodum superiùs admonui de creatione Ducis, ea potestate nimirum, quæ nimia videretur, erepta uni, hoc est Duci, & plurimis tradita, existimarunt magis tranquillam, civilemque Reipublicæ administrationem fore. Neque vero mirum cuiquam videri debet, si quicquid ipsi Duci detraxerant, sibi attribuerunt. Nam summa potestas in aliquem conferenda erat, eaque in unum quemlibet collata, vel singulatim, vel etiam unà cum paucis, in easdem difficultates incurrebat, id quod animadvertere quam facillimum erat. His rationibus adducti Rempublicam committere pluribus statuerunt: qua in re statuenda difficultatis adhuc nonnihil habebant, quod expedita non erat aliqua ratio, qua possent vel universi, vel certè maxima pars id obire summi juris, atque autoritatis, quod solus Dux exercere antea consuevisset. Ad id autem planè expediendum magno fuit usui vetus illa, cujusmodicunque fuerat Comitiorum à Ducibus adinventa ratio. Nam veri quàm simillimum, eam quoque Duces non semel adhibuisse, ut aliquam à populo gratiam inirent, ubi munus aliquod publicum mandari oporteret, aut etiam aliqua deliberatio gravior habenda esset de bello, aut pace, aut aliis hujusmodi rebus. Itaque cum animadverterent ii, quibus erat curæ redigere statum Reipublicæ ad meliorem formam, id Comitiorum genus aptissimum, & opportunissimum esse tractandis, atque gerendis publicis negotiis, facillimè persuasi sunt, ut transferrent eò universam autoritatem Ducibus ablatam.

Et quoniam Conventus ille constabat circiter Civibus quadringentis, quemadmodum ex iis privilegiis potest intelligi, quæ superius attuli: ob eam rem potuit etiam fieri, ut per Duodecim-Viros ferè totidem eligerentur, nempe quinquaginta, vel septuaginta supra quadringentos. Sed ut pluribus obsequerentur, instituerunt, ut hi singuli per Duodecim-Viros electi facultatem haberent adsciscendi tot è familiis suis, quot fuerunt expositi. Postremò verò decretum est ad magis conciliandos animos cunctorum civium, ut ea Comitia recens instituta, singulis annis quibusque instaurarentur, ut ii, quibus excludi contigisset præsente anno, spem conservare suam possent, ac referre in proximum, eaque ratione magis ac magis administraretur tranquillè Respublica. Puto à me tuis postremis interrogationibus satis esse factum. Nam recensui tibi quicquid ex iis monumentis potui colligere, quæ nobis supersunt. Propterea si nihil est amplius tibi, quod requiras, alia prosequar, quæ restant adhuc ex iis, quæ primùm quæsieras, discutienda.

Ioannes. Prosequere, amabo: nihil est enim, quod te amplius his de rebus interrogem.

Trypho. Perstitit igitur ea consuetudo singulis annis, quam dixi, Majorum Comitiorum renovandorum, inchoata post necem *Vitalis Michaëlii* Ducis, hoc est ab anno MCLXX; vel, quod alii malunt, MCLXXV. quo tempore statuimus eandem invaluisse, multis verisimilibus conjecturis ducti; perstitit, inquam, ad annum usque MCCXCVII, qui fuit septimus annus administrationis *Petri Gradonici*. Erant ea tempestate Quadraginta-Virali Collegio Præfecti,

A quemadmodum in Commentariis nostris scriptum invenio, *Leonardus Bembus*, & *Marcus Baduarius*, à quibus lata fuit hujusmodi lex ad idem Collegium: *Ut quicunque eo anno Majoribus Comitiis operam darent, aut saltem quadriennio proximo dedissent, hi tantummodo, & eorum posteri juris id haberent, ita ut nihil amplius esset immutandum, secus atque consuevisset hactenus fieri.* Quæ lex à Quadraginta-Viris laudata, receptaque maximo consensu, mox ubi perlata est ad universa Comitia, non aliam propensionem animorum in iis quoque reperit, tantoque studio cunctis ætatibus deinceps fuit observata,
B ut quindecim familiis exceptis, quæ causa *Bajamontanæ* conjurationis adscitæ sunt, trigintaque iis viris, qui profligato *Genuensi* bello id præmii, mercedisque loco consecuti sunt, paucissimis omnino contigerit eo jure donari, non tamen iisdem temporibus, neque easdem ob causas. Hoc sanè pacto *Tristanus Savornianus* in Patriciorum ordinem cooptatus est propter immensos labores contentionesque, quas animo constantissimo pertulit Reipublicæ causa. Cujus familia licet in nostra Civitate novissima esset; nihilominus *Hieronymus* ejus nepos Vir insigni morum probitate, atque animi fortitudine præ-
C ditus, hoc anno inter Senatores locum obtinuit, quod munus, & ornatissimum, & amplissimum est, quemadmodum te non semel audisse puto, & uberiùs explicaturus infrà quoque sum. Atque ita sanè Comitiis interclusum fuit, quæ res in vulgaribus Historiis nusquam est expressa, sed in iis Commentariis tantummodo prodita, qui domi conservantur apud nonnullos Patricios, ut qui diligentissimus non fuerit, maximeque sollicitus nostris de Antiquitatibus investigandis, cum necesse sit in ignoratione versari rerum plurimarum, quæ dignissimæ sunt animadversione, ac memoria.

D *Ioannes.* Ita quidem est, & idcirco tibi gratias habeo, qui mihi communicandas duxeris tàm benignè res adeo memorabiles, nondum satis notas. Quod nisi fortè contingat interrogationibus meis interpellari à me nunc orationem tuam, hæc tria quoque mihi exponere quæso ne graveris: *Primùm*; Quibus de causis adducti sint ii, qui se præbuerunt autores, ut intercluderetur Comitiis, atque illi, quibus excludi contigerit, quonam modo id tulerint. Vix quidem credam potuisse tantam rem confici, nisi magna opportunitas quædam affuisset. *Deinde* verò; Quidnam muneris tunc fuerit Quadraginta-Viratus. *Tandem*; Utrum Comitiis in-
E terclusis eorum duntaxat habendam rationem censuerint, qui fuissent electi per Duodecim-Viros, an eorum etiam, quos iidem postea cooptassent, hoc est ex eadem familia binos, ternos, aut summùm quaternos Viros, quos licuisse singulis nominare dixisti.

Trypho. Hæ tuæ percunctationes nihil interpellant orationem meam: nam ea, quæ sciscitaris, ad rem spectant omnia. Quapropter eodem ordine respondebo, quo tu me interrogasti; Atque ut exordiar à *Primò*, non extat in monumentis nostris aliquid expressum, quod occasionem, vel causam attulerit intercludendi Comi-
F tia: quanquam credi vix potest, ut ipse modò ajebas, citra occasionem aliquam potuisse tantam rem confici. Posset hoc innumeris exemplis allatis à me comprobari, non earum modò civitatum, quæ sunt in melius, in quarum numero quoque nostram reponendam censeo, sed etiam illarum, quæ mutatæ fuerint in deterius. Sed vel ipsius nostræ Reipublicæ vicissitudines, si animum advertas, hujus rei facere potuerint am-

amplissimam fidem. Nunquam tamen me vel legisse, vel audisse memini, quæ causa extiterit, vel occasio intercludendi Comitia: immò verò neque mente, cogitationeque ipsa possum quicquam assequi, quod promanarit ex eo genere Comitiorum mali, vel incommodi, unde postea fuerit ortum innovandi studium. Sed ea ratione tantùm crediderim persuasos fuisse, qui fuerunt autores ejus mutationis, quòd viderent quotidie causa negotiationis ingentem numerum advenarum in Urbem confluere, quibus contingere potuisset non multis post annis, ut adipiscerentur jura Comitiorum, nec non Magistratus. Itaque ne permiscerent suum genus externo generi, atque ita Nobilitas ejus contaminaretur, quam sinceram & integram conservare quàm maximè optabant, inierunt consilium ita statuendi Comitia, ut modò audivisti, in quæ delectum Civitatis florem totum coëgerunt. Nullus enim Vir tunc, opinor, paulò insignior extitit, qui Comitiis iis quinquennalibus comprehensus non fuerit. Enimverò potuit etiam fieri, ut ambitio, & cupiditas plus habendi compulerit cives ad hæc innovanda. Nam publicis muneribus omnibus ad pauciores collatis, eveniebat, ut ad eos, qui participes eorundem futuri essent, plus emolumenti, atque dignitatis inde redundaret. Quanquam hæc omnia conjecturis innixa sunt: nam de his rebus, ut prædixi, certi nihil constat. Cæterum eos, qui fuerunt exclusi, ægrè rem tulisse, potest intelligi ex illa conspiratione, quæ ab interclusis Comitiis mox in lucem prodiit. Nihil enim aliud ansam eidem præbuit, nisi quod *Marinus Bovonius*, qui fuit primus autor, & alii quidam cum eo cives animadvertissent, sibi omnes aditus iri præclusum ad publica munera. Sed quemadmodum fuit inconsultum illud facinus, atque temerarium; sic etiam carruit prospero, ac felici eventu, quinimmò peperit exitium autoribus suis. Sed quoniam tota Civitas erat in maxima perturbatione ab interclusis Comitiis, ii, qui obtinebant Rempublicam, ita statuerunt, ut quicunque Comitiis ipsis continerentur, singulis annis subjici deberent suffragiis in Quadraginta virali Collegio ad diem sacram *D. Michaëlis*. Si quis autem saltem dimidiam partem suffragiorum minimè ferret, is non admitteretur in Comitia per ejus anni curriculum, & alius in ejus locum subrogaretur, ut quidem verisimile arbitror. Fiebat autem, opinor, ut nullus unquam à Comitiis excluderetur, & ii, qui semel delecti fuerant, semper approbarentur; quare consuetudo suffragiorum tandem obsolevit, eademque perpetuo Comitia perseveraverunt.

Quod autem *Secundo* loco quæsisti de Collegio Quadraginta-virali, non aliud existimo fuisse, quàm Capitale, de quo inferiùs agam. Faciunt, ut mihi persuadeam id, tres omnino rationes: prima, quod in confesso apud omnes est, hoc Quadraginta-virale Collegium antiquissimum esse, licet apud nullum scriptorem inveniam, quo tempore fuerit institutum: altera est, quoniam superioribus ætatibus in gravissimis rebus cunctis versabatur, non in judiciis tantummodo, immo Dux etiam cum illis conveniebat, atque præsens aderat: postrema ratio est, quoniam præter hoc ipsum nullum est aliud Quadraginta-Virûm Collegium, de quo fiat mentio. Nam Civilia utraque multo post ipsum Capitale instructa sunt, id quod uberius suo loco.

Ad id vero, quod *Postremo* quæsisti loco, itidem respondeo, à me existimari, non eos tantummodo, quos Duodecim Viri delegissent, sed etiam cæteros, quos hi postea secum adduxissent, simul omnes Majoribus Comitiis comprehensos fuisse. Quamvis autem quinquennalia Comitia in unum coacta videantur conflare multo majorem numerum Virorum, quàm modo sit: attamen cum facile credi possit, alternis annis semper eosdem eligi consuevisse, hac ratione ex quinis Comitiis bina superessent, ternaque vacarent. Continebantur hoc numero Patricii quater mille, & quingenti, paulò plus, minùsve. Ne verò id alicui mirum videatur, propterea quòd hac ætate vix ad ter mille numerantur, illud erit considerandum, intermediis ætatibus non paucas veteres familias intercidisse, quod animadverti facilè potest, & planè intelligi facta invicem collatione utriusque census, ejus, inquam, qui temporibus hisce nostris, & illius, qui fuit habitus anno Christi MCDXL. Quod autem facit, ut existimem in numerum Patriciorum ascriptos fuisse non solum Cives à Duodecim-Viris nominatos, sed etiam socios omnes à nominatis adscitos, est, quod aliâs contigisset pluribus familiis, ut in Patricios, & Cives divisæ abirent, quæ tamen procul dubio sunt modò quàm paucissimæ. Multò quidem plures olim fuisse persuasissimum habeo, sed earum pleroſque extinctos fuisse.

C *Ioannes*. Fieri quidem potuit, ut illi, qui populares evaserunt, minimè perrexerint antiquæ suæ Nobilitatis decus conservare, contra quàm factum est ab ipsis Patriciis. Nam cui præcluditur aditus ad gerendas respublicas, is illustrare suam familiam minimè potest, ac ne retinere quidem splendorem, si quem prius habebat. Quid? quod antiqua nomina familiarum fortasse commutata sunt, quæ res offundere solet ingentes tenebras, & ex certissimis res omnes quàm incertas reddere. Sed nisi grave tibi fortassè est, hoc mihi, quod item spectat ad rem propositam, edisseras velim: Hominibus iis qui Comitiis interclusi fuissent, licebatne Magistratus,
D & honores deferre? Neque enim videris mihi satis expoluisse, utrum cum ipso jure Comitiorum erepta quoque fuerit eisdem facultas obtinendi munera.

Trypho. Novi quidem, id explicatum à me non fuisse; sed neque modò tibi quærenti satis facere possum, cum nihil ea de re mihi perspectum sit. Existimo tamen iis temporibus non fuisse præcise vetitum, ne Magistratus his civibus mandarentur. Nam vel hac nostra tempestate pro comperto non habeo ejusmodi legem latam adhuc esse, qua fuerit exceptum, *ne Ci-*
E *ves ulli nominarentur ab Electoribus, præterquam Patricii, aut ne ratio ipsorum haberetur in Comitiis, si nominarentur*. Quinimmo contigisse id non semel audio, ut Patricius nominatus fuerit ab uno Electorum, veruntamen ex reliquis Collegis tot non accessisse, quot opus est ad subeunda, & experienda Comitiorum suffragia, qua de re proximè tractabitur. Quare possumus arbitrari cunctos Magistratus iis, qui Comitiorum jus haberent, communicatos fuisse, cæteros, qui fuissent exclusi, nunquam in partem vocatos. Sed res obductas, & circumfusas tot
F tantisque tenebris, quæso, ne scrutemur, & reliqua persequamur his prætermissis.

Hæc apud nos Comitia, de quibus tàm multa disputavi, constant ex omnium Patriciorum multitudine in unum collecta, iisdemque potest interesse quilibet ex gente patricia ad ferenda suffragia, modo transegerit ætatis annum vigesimum quintum, non tamen ante quàm se doceat id ætatis esse, hoc est, Advocatorum tribunal adeat, de quo Magistratu postea nobis erit sermo, ibique alterius parentis, aut si neu-

ter parentum fuerit ſuperſtes, ejus juramento, qui ſibi cognatione quàm proximus, & quàm conjunctiſſimus ſit, fides ampla fiat, annum quintum ſupra vigeſimum jam exactum eſſe; duobus etiam teſtibus eòdem adhibitis, qui certò afferant, ex omnium ſermonibus, communique ipſa prædicatione pro comperto ſe habere, legitimis natalibus, & ex iis parentibus, quos nominat, eundem procreatum fuiſſe, quibus ita peractis, tùm demum cum cæteris convenire ad Comitia poteſt, ut dixi, & ferre ſuffragia.

Cæterum ut etiam juniores habere queant aliquem ſenſum civilis adminiſtrationis, proſpectum eſt iis, qui vigeſimum annum fuerint egreſſi, ne deſit aliqua ſaltem ratio conſequendi id, quod optant: eaque talis eſt. Pridie nonas Decembris, qui dies *D. Barbaræ* ſacer eſt, adoleſcentes illi, qui facultatem hanc ſibi concedi cupiunt, coram Trium-Viris Advocatoribus omnes conveniunt, ut eos de viginti annorum ætate jam exacta doceant, oſtendantque ſe non aliis, aut natalibus, aut parentibus ortos, quàm quos uſurparint. Ejus autem rei fides eodem planè modo facienda eſt, quem ſuperius deſcripſi, mandaturque publicis monumentis apud eum Magiſtratum. Porro ſinguli adoleſcentes de natalium, legitimæque ætatis indicatione ſyngrapham accipiunt ab omnibus Trium-Viris obſignatam, quam præbet unus à ſecretis alteri deferendam, qui fungitur eodem munere apud Quadraginta Viros; atque is eorum, qui ſyngraphas detulerunt, nomina ſingula parvo quodam in chirographo ſigillatim deſcribit, omnibuſque iis collectis ad *D. Barbaræ* diem Principem, & Conſiliarios adit (de Conſiliariis; nec non de Quadraginta-Viris loco ſuo fuſius) quibus inſpectantibus eos chirographos conjicit in urnam: cumque ex illis omnibus, qui recenſiti fuerint, id quod animadvertendum inprimis eſt, quinta pars ad Comitia debeat admitti: hoc tamen intelligi tantum debet, quando Candidati plures non ſunt quàm CL. in quo numero XXXI. quinta pars eſt; tot enim ad ſummum ſingulis annis admitti poſſunt. Quare non ampliùs habetur quintæ partis ratio, ſi quando Candidati exceſſerint hunc numerum CL. Quot autem nomina fuerint in urnam conjecta, totidem globuli argentei demittuntur in alteram, quibus inſeruntur aurei globuli ſummùm unus & triginta; ſed pauciores, ubi Candidatorum quinta pars non attingit eum numerum. Educuntur inde ſortitò per Ducem ſinguli chirographi ex urna priore, quibus eductis, abſque mora nomen recitatur, quod eſt ibi ſcriptum, & ex altera ſtatim urna globulus eximitur, qui ſi fuerit aureus, intelligitur huic jus ferendi ſuffragia comparatum eſſe, quod nos materna noſtra lingua, *Ballottare*, dicimus; apud vos autem dicitur, *Rendere il partito*: ſin argenteus contigerit, nihil illi datur, ſed ſpem ſortis rejicere debet in ſequentem annum. Pergitur ordine ſuo deinceps alios chirographos extrahere, ſubindeque globulos, modo quo dixi, donec omninò globulis aureis urna ſit exhauſta; quos qui ſortiti fuerint, obtinent omnes facultatem conveniendi ad Comitia ſuffragandi cauſa. Fuerat id olim in more poſitum, ut biennio priuſquam ſuffragia ferre poſſent adoleſcentes, Comitiis intereſſent. His temporibus id in uſu amplius non habetur. Reliqui verò omnes, quibus argenteum globulum ſors ipſa obtulit, coguntur annum proximum expectare, & æquo animo perferre ejuſmodi moram, niſi fortè vigeſimum quintum annum interim expleverint. Semel autem facta fide de natalibus, & legitima ætate, non eſt opus, ut iterum fides ulla fiat ab eo, qui ſortis periculum facere vult in ſequentibus annis. Satis eſt iis de rebus habere teſtimonium impetratum à ſcriba Trium-Virûm Advocatorum, ordinique porrò inſiſtere, quem dudum expoſui. Turbulentis verò temporibus ipſius Reipublicæ conſuetudo quædam obtinuit, ut jura Comitiorum cum facultate ſuffragiorum iis concederentur, qui ſuis pecuniis, & facultatibus ipſam adjuvarent, modò viginti annos nati eſſent. Quemadmodum factum cernimus hoc ipſo anno, quo Patres iis, quibus nondum liceret per ætatem, cenſuerunt jus Comitiorum concedi oportere, ſi vel certum pecuniæ numerum liberaliter offerrent, donarentque Reipublicæ, vel etiam commodarent aliquanto majorem ſummam, quam poſtea ſine uſuris recepturi eſſent. Altera quidem ex his rationibus à me traditis citra ætatem, poſſunt juniores obtinere jura Comitiorum; quæ res expediat, nec ne, in præſentia non diſputo.

Ioannes. Expedire quidem ego cenſuerim; nam quemadmodum ſenioribus pulchrum, atque optabile eſt, corpore firmo, & ſalubri præditum eſſe; ſic etiam junioribus optanda, & præſtabilis eſt prudentia quædam ſenilis. Hanc vero ſibi juniores comparare non poſſunt, niſi maturiùs, atque tempeſtiviùs aſſueſcant iis artibus, quarum ſtudio, & exercitatione percipi poteſt. Sed amabo te, intermiſſam orationem revoca.

Trypho. Id quoque prætereundum minimè videtur, ubi contigerit, ut alicujus pater, & avus Comitiis nunquam vacaverint, eorumque nomina ſive abſentiæ, ſive aliam quamvis ob cauſam nunquam in codicem publicum relata fuerint, prout in ætate indicata, ut monui, fieri conſuevit; non poſſe jus Comitiorum unquam adipiſci, quicunque ab his procreatus genituſque fuerit, niſi ad ipſos Trium-Viros Advocatores confugiat, eoſdemque doceat, quibuſcunque vel rationibus, vel argumentis commodè poteſt, ex ordine patricio majores ſuos extitiſſe, proptereaque in Patriciorum numerum ſe adſcribendum eſſe: qua de re [1] Trium-Viros quoque oportet ad Capitale Quadraginta-Virûm Collegium referre, cujus eſt omnino ſtatuere, & pronunciare, ſitne Patricius ille habendus, necne. Sed nequis impunè fucum facere aggrediatur, & per ſummam fraudem, atque malitiam ementiri audeat unquam patricium genus, lege cautum fuit: *Ut quingentos aureos apud Magiſtratum deponat is, qui ejuſmodi judicium ſubire velit, eorumque jacturam ſuſtineat, ſi cauſâ ceciderit.* Hactenus quidem expoſui tibi, quinam ſint illi, quibus ad noſtra Comitia convenire liceat. Quod autem ſupereſt, agendum fuerit *de Ratione, qua Magiſtratus eligi conſueverunt*, in Comitiorum autoritate planè colloca-

ta,

1. *Qua de re Trium-Viros*, &c.] De Patriciis non amplius ad Capitale Quadraginta-Virûm Collegium refertur ab Advocatoribus: ſed ampliſſimum Collegium inſtitutum eſt, quod *Solemne* vocatur, in quo præter Quadraginta Viros Dux ipſe adeſt cum ſuis Conſiliariis, ac Præconſultoribus, quos Sapientes vocamus: ad hoc de iis, qui Patricios majores ſuos extitiſſe docere volunt, ideoque in Patriciorum ſe numerum cooptari, refertur: cujus partes ſunt conſtituere, an Patricius ille haberi debeat, nec ne. Multæ prætereа ſanctiones conditæ, quibus cautum eſt, ne quis in re tanti ponderis, atque momenti verba dare, aut quavis ratione fucum facere poſſit.

ta, quod & antea monui. Siquidem Rerum omnium publicam Administrationem ad quatuor capita revocavi, quæ sunt hæc, Magistratuum Creationes, Legum Lationes, summæ Deliberationes de pace, & de bello, tandemque Provocationes: quorum primum dixi totum pendere ab ipsis Comitiis. Sed ut facilius rem teneas, opus esse arbitror, ut ejus *Conclavis* formam, in quo fit conventus, oculis tuis subjicere describendo moliar. Quod si tu coràm illud inspexisti, & singula, quæ sunt in eo, diligenter notasti, possum ab hoc opere & libenter supersedere.

Ioannes. Ego verò id, quod tu dicis, Conclave coràm inspexi, veruntamen ejus memoriam renovari mihi pergratum fuerit: vix enim fieri potest, quin aliquid exciderit mente præcipuum, atque singulare, cum præsertim tot, tantaque in hac Urbe præclarissima contemplatus sim, quorum species, atque simulachra cogitationi obversantur simul & permista, & confusa.

Trypho. Quandoquidem tu minime abs re futuram [1] existimas *Conclavis* hujus, quam audire cupis, explicationem, ejusdem formam tibi pro ponam quam paucissimis potero. Ea vero quaternos angulos habet & quaterna latera, sed non æquali inter se magnitudine prædita: bina ex his sunt minora, bina tanto majora, ut excurrat in longitudinem spatium plus duplo, quam in latitudinem. Hæc enim, ut aliquando me observasse numerando memini, non nisi duos supra triginta passus absolvit. illa vero protenditur usque ad passus LXXVI. Adhærent, & conjuncta sunt parietibus undique scabella quædam cum duobus gradibus, quorum alter cætera scabella, sive subsellia, quæ in æquo & plano Conclavis disposita sunt, ita æquat, ut nihilo altius assurgat: alter vero gradus eminentior est, & quisquis in eo sedet, in conspectu cæterorum necessario versatur. Tribunal autem Principis statuere mos est secundùm latera duo conclavis minora, sed prout exigere videtur anni tempus, alterutrinque. Porro nihil aliud est hujusmodi tribunal, quam suggestum quoddam è tignis exstructum, quod à pavimento conclavis tantum extat, quantum prior ille gradus, quo ad scabella dicta conscenditur, alteri vero gradui itidem subjicitur; qui sedem Principis sustinet incumbentem sibi. Porro in ipso Conclavis plano secundum longitudinem novem subsellia, sed duplicata constituta sunt, hoc est transversis, ad reclinandum dorsum, tignis intersepta, ne se tergo, & humeris utrobique sedentes contingant, quod quidem necessario fieret, illis non intercedentibus. Habent autem alterum à fronte, alterum à tergo binis ex majoribus: latera vero minora conclavis à dextra, & sinistra. Fiunt autem ex his novem subselliis, unà cum duobus illis gradibus eminentiorum, quæ collocata diximus ad majora latera, decem plane ordi-

A nes. Nam majus alterum latus cum suis sedibus, & ea subsellia, quæ illis proxime subjecta cernuntur, sunt unius ordinis, non tamen utraque pars ipsorum, sed altera tantum, ea nimirum, quæ superioribus ex adversa respondet. Aversa pars autem spectat ad secundum ordinem, unà cum dimidia parte alterius è regione siti. Eademque est omnino ratio cæterorum omnium, usque ad alterum majus in Conclavi latus. Quamobrem si quis inter utrumlibet latus incedit, & subsellia proxima contingit, hunc habere unius, & ejusdem ordinis, alteram partem à dextris, alteram à sinistris, quibus con-
B tinentur Patricii bifariam distincti, & adverso vultu sese invicem semper intuentes. Hi quidem omnes ordines sunt numero deni, verum coagmentantur, & rediguntur ad majores quinos, quorum primus complectitur utrumque ordinem, quem secundum latera bina majora explicatum protuli: alter vero duos ordines huic, atque illi proxime adhærentes, atque ita reliqui, qua ratione quintus duos ordines continebit in medio positos. Quotiescunque igitur ad urnam suffragiorum (quam rem infra melius intelliges) unus ex his quinis ordinibus accersiri solet, revera bini ordines accersiti habentur. Sed ne
C quid omnino prætermittam, patet ingressus ad Conclave ipsum præcipuè januis duabus. Altera, si quis aspectum convertat ad id majus latus, quod lumen per fenestras admittit ad illustrandum locum, huic à sinistra spectandam se exhibebit in minori latere, veruntamen quàm proxime ad alterum majus. Est etiam quoddam ostiolum in ipso minori latere, quod Electoribus patet, ubi sunt creati ad renuntiandos competitores, ut suo loco exponam. Altera verò janua conspicitur in eo majori latere, quod nullas fenestras habet, non procul ab altero minori. Et ejusmodi quidem est Conclave, in quo Patricii
D ad Comitia convenire solent, ut Magistratus omnes creentur octavo quoque die, scilicet Dominico, quandoque frequentius etiam, ut Augusto, Septembrique mensibus evenire cernimus, quando Senatus deligitur, aliisque temporibus nonnunquam, prout usus requirit.

Eligendorum porro *Magistratuum* apud nos hujusmodi est *Ratio*. *Electores* primum sorte ducuntur, quos Nominatores vos appellare consuevistis. Qui denique renuntiati fuerint ab his Electoribus, in Comitiis ipsis debent suffragiis subjici, & qui plura ex his consecutus fuerit, ita tamen ut superet dimidiam partem, is obtinuisse
E dicitur Magistratum. Et quoniam singulis diebus Comitiorum, pauciores quam novem Magistratus creare nunquam licet, Electores quoque noveni sunt necessario creandi. Sed in nonnullis Magistratibus cum duo tantum competitores statuantur, & in plurimis quatuor, singulis Comitiorum diebus contingere oportet, ut Magistratus optentur, aut ex alterutro genere, aut ex utro-

1. *Quandoquidem tu minime abs re futurum*, &c.] Sicuti Majora Comitia sensim ad formam hanc perfectissimam, quam modò cuncti admirantur, ut superius diximus, pervenêre; variisque decretis vel tempus convocandi, atque adeo dimittendi: vel qua potissimum ratione iretur in suffragia vel quinam essent in Concilium admittendi, ejusque generis multa pro temporum varietate, non speciosè magis, quàm prudenter à Majoribus nostris constituta fuerunt ita Comitiorum locus atque sedes, in quam convocari deberent, non semper una atque eadem fuit Neque enim solummodo priscis temporibus *Heracleæ*, *Metamauci*, ac denique *Rivialti* habebantur: sed postquam etiam sedes ipsa, & domicilium imperii faustis tandem ominibus fuerunt in *Rivum altum* translata, ac æternum fixa; modò in Principum ædes, qui antiquitus pro eorum arbitrio, vel in Ducario, vel in privatis eorum penatibus habitabant; modò in *D. Marci* Ecclesiam, aut etiam in alia templa comitia vocata legimus his vero temporibus, atque superiori ætate non alibi, quàm in amplissimo, & augustissimo conclavi haberi solent, sicuti *Jannotius* scribit. Attamen cum paucis ante annis Ducarium ferè totum cum ipso conclavi repentè incendio deformatum, atque absumptum fuerit, cuncta non solùm in pristinum nitorem restituta, sed multò etiam ampliora, atque augustiora reddita sunt, tanto auri splendore, tabularum egregiè pictarum varietate, tantisque ornamentis, ut nihil supra Scabellorum verò, de quibus *Jannotius* mentionem facit, effigiem quandam hic expressam apponere decrevimus, sicut etiam Tribunalis ipsius Principis, ut cuncta non auribus tantum percipi possint, sed oculis etiam quodammodo spectari.

utroque permiste. Rarissimè quidem ex eo solum genere, quod binos habet tantummodò competitores, sed tunc ordines Electorum nonnisi duo fiunt: aliàs autem semper quaterni, sive ex eo tantum genere, quod Candidatos quatuor exponit, sive ex hoc, & ex illo confusè Magistratus extiterint. Constant ordines Electorum singuli ex novem Patriciis, quibus quidem sors fuerit propitia, quos ordines appellare nos solemus *Manus*, adjecto numero primæ, secundæ, tertiæ, & quartæ prout singulæ primo, secundo, tertio, & quarto loco sorte fuerint ductæ. Prius quidem, si tibi videbitur, exponam, *Quonam modo Electores sortitò ducantur*, deinde vero *Creationem ipsam Magistratuum.*

Ioannes. Opus est, ut ad arbitrium tuum ipse totum me referam, qui nihil his de rebus exploratum habeam, præter id, quod abs te narrante percepi.

Trypho. Ergo quâ die sunt habenda Comitia, solet ære Campano quodam signum dari ad certam diei horam, nempe in ipsa meridie, neque vero pulsatio intermittit unquam, nisi hora absoluta, quo temporis intervallo in conclave id amplissimum, quod modo descripsi, conveniunt ex ordine patricio, qui Comitiorum jus habent. Nam fores ubi clausæ fuerint, clavesque ad Tribunal Principis delatæ, nulli patet amplius ingressus, præterquam illi, qui sit aut Consiliarius, aut Trium-Vir ex Advocatoribus, aut Præfectus Decem-Virûm, aut postremo Censor. Convocatis, atque ingressis omnibus ingreditur Dux, quem Consiliarii deducunt, & ii Trium-Viri, qui præsunt Quadraginta-Virali Collegio, atque adeo nisi prius accesserint, tunc ingrediuntur terni Decem-Virûm Præsides, & Advocatores, nec non bini Censores, de quibus omnibus inferius. Omnes hi, quos dixi; præter eos, qui Præfecti sunt XL-Viris, induti sunt eo genere vestimenti, quod à nobis Ducale solet appellari, estque vel Coccinum, vel ex panno quovis, sed latioribus manicis, & qua manus exeruntur, latè diductis, dissimile non nihil vestimentis iis, quæ nos privatim gerere consuevimus, è nigri coloris panno, collectis atque conclusis in arctum manicis ad manus. Sedet autem Dux [1] in suo tribunali, quod medium positum est in altero latere minori, prout opportunitas vel æstatis vel hyemis requirit. Velim autem scias ea, quæ sunt in plano subsellia, ab utroque capite intercisa esse, sed ab altera semel tantum, ab altera bis. Illic à proximis subselliis dirempta est quædam pars sex ulnarum, non amplius. Hic autem binæ partes æquali magnitudine præditæ, quarum ea, quæ media intercedit inter alteram priori loco sitam, quæ constituit caput, & inter reliquum corpus subselliorum, transferri solet ex uno loco ad alterum secundum anni tempus. Itaque semper est una tantum pars ab eo capite subselliorum, quod prospectat ipsum tribunal; ab altero duæ: & quotiescunque tribunal aliò transferendum est, amovetur ea pars, quæ caput ipsum efficit, & pertrahitur ad locum, quem tribunal vacuum relinquit. Ad continuanda porrò subsellia inseritur ea pars, quæ peti solet ab altero capite subselliorum, nimirum ea, quam diximus huc atque illuc traduci: altera vero pars, hoc est ipsum caput, retrahitur atque applicatur ad reliquum corpus, ut tribunali, quantum decet, spatii relinquatur. Sedet igitur, quemadmodum dicere cœperam, Dux

A in hoc suo tribunali, & assident ipsi à dextra tres ex Consiliariis, & unus ex Præsidibus XL-Virûm: a sinistra verò tres alii Consiliarii, & duo reliqui Præsides Quadraginta-Virûm. In extremo quoque tribunali bina sunt hinc, atque illinc aulæis instrata subsellia, in quibus sedet Scribarum princeps, seu magnus Cancellarius, ut modò dicitur, atque alii ministri. Magistratus etiam illi, quorum meminimus, loca sibi destinata ad sedendem occupant. Nam Trium-Vir ille Advocator, cujus prærogativa est per illam hebdomadam, & is ex Præsidibus Decem-Virûm, cui simile jus obtigit in suo Magistratu, B conferunt sese ad alterum minus Conclavis latus; ut in gradu eminentiori subselliorum, quæ conjuncta sunt parietibus, circa medium considеant è regione Ducis. Teget autem latus Advocatoris interior Decem-Vir. A dextris autem horum, sed in majori latere prope angulum, tres Auditores Veteres dicti sedes suas habent: Recentiores verò totidem in eorum conspectu, sed aliquanto remotiores ab altero angulo. Duo Censores deinde, singuli in altero majori latere fere medii sedent. Reliqui duo Trium-Viri Advocatores, duoque Præsides Decem-Virûm, eadem quoque majora latera, sed extrema, tenent C juxta utrumque angulum, illi quidem à dextra Principis: hi verò à sinistra. Omnes hi Magistratus, quos dixi, in supremo gradu subselliorum collocati sunt, & ubi Collegæ pari dignitate unà sedent, semper honestiorem locum retinet is, qui major est natu. Præbet autem id ingredientibus insigne quoddam spectaculum. Occurrit enim primum Ducis ipsius aspectus, qui satis eminenti loco, ut dixi, solium suum habet. Singula porrò conclavis latera spectanda se offerunt, insignita præsentiâ tot Magistratuum, ut quocunque intuentium oculi sese vertant, nihil aliud cernant, quam magnificentiam, D amplitudinem, majestatem.


Ioannes. Præter eam, quam modo dixisti honestatis, & ornamenti, intelligere velim, utrum alia fortè causa extiterit, quæ majores vestros impulerit ad tribuenda certa loca Magistratibus iis, & quidem ejusmodi ordine, quem exposuisti.

Trypho. Alia certe præterea, & non una fuit. Nam curare debent hi Magistratus, ut cum modestia, & cum gravitate singuli sedeant; illud autem præcipuè, ne quis, dum itur in suffragia, verbo aut nutu se, aut quemquam commendare audeat: quam rem præstare commodè E non possent; si uno & eodem loco simul omnes sederent. Efficit insuper is ordo, ut cum præsentia tantorum Magistratuum singulæ partes Conclavis ornatissimæ sint, nullus, quantumvis magna vir existimatione, turpe sibi ducat in illis locis sedere, quæ procul absunt ab ipso tribunali Ducis. Ea re quoque fit, ut juvenes senibus permisti propter reverentiam majori cum gravitate, & modestia sedere cogantur, quàm si forte ab iisdem sederent admodum disjuncti.

Ioannes. Nisi cœptam disputationem intempestive interpello, scire quoque velim, an cæteri Magistratus honestiori quopiam loco sedeant, F quàm cives privati.

Trypho. Nullis aliis Magistratibus præter eos, quos dixi, certus aliquis locus destinatus est, sed ubi collibitum est, quisque sedet: filii tamen, atque fratres Ducis eo non tantum vivente, sed etiam defuncto honestiorem quemdam locum ha-

1. *Sedet autem Dux*, &c.] Tribunal modò Principis perpetuò statuitur in latere minori Conclavis, quod Castellum spectat, incredibilemque præ se fert gravitatem, & majestatem.



ELECTIO MAGISTRATUUM.

a. Dux. b. Consiliarii. c. XL. Viralis Consilii Præfecti. d. a Secretis. e. Magnus Cancellarius. f. Decem-Virûm Præfectus. g. Trium Vir Advocator. h. Decem-Virûm Præfecti Apparitor. i. Trium-Viri Advocatoris Apparit. k. Nobiles, qui procedunt ad sortem. l. Urnæ. m. Tabellæ globulos recipiens.


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA

habere solent; Equites etiam, & Doctores: inter alios verò nullum est discrimen. Pro suggesto, quo sustinetur Principis solium, in plano & æquo Conclavis [1] urnæ tres statuuntur, eos *Pileos* nos dicimus, quæ altiore basi sublatæ, tantum ab humo extant, ut nullus inferre oculos, & introspicere queat; præter id etiam sunt undique circumclusæ, & duntaxat in singulis duabus extremis urnis supernè, quà sunt obtectæ, duo foramina patent ad inferendas manus, ubi globuli fuerint extrahendi; quæ verò media est urna, unicum tantum habet, sitaque est in ipso conspectu Ducis; aliæ propter scabellorum illorum suprema capita, in quibus modo dicebam Scribarum principem, unà cum cæteris ministris considere solitos. Injici porro solent in utramque circiter octingenti globuli sigillatim, qui ex ære vel aurichalco conflati sunt argento superinducto. Nam cum mille, & quingenti ferè viri ex gente patricia Comitia frequentare soleant, vel summùm sexcenti, globulorum quoque numerus huic numero respondere debet. Argenteis globulis permiscentur sexaginta inaurati, hoc est, in singulis duabus urnis triginta. Quæ verò media est, habet quatuor supravinginti obductas argento, & triginta sex auro, in universum non plures quam sexaginta. Convocatis igitur Comitiis, & in unum coactis, ubi cuncti Patricii sedes quisque suas acceperunt, & Conclavis fores opportunè conclusæ sunt, tunc Scribarum princeps ex duabus concionibus propinquiorem ascendit (conciones autem sunt ferè in medio conclavi modico intervallo bina loca inter se disjuncta super alterum gradum subselliorum elata, quæ adhærent majori lateri lumina nulla habenti) & ex editiore loco illo pronunciat omnes Magistratus, qui creandi sunt eadem ipsa die. Si qua lex quoque ferri debet, eam nominatim non exprimit, sed hæc tantum subjicit: *Et eæ leges ferendæ sunt, quam in rem visæ fuerint.* His dictis ad tribunal confestim redit, proque ipso vocat Advocatores, Trium-Viros, Decemvirûm Præfectos, Censores, & Auditores cùm veteres, tùm recentiores, & eos omnes sacramento jubet obligari, daturos pro viribus operam, ut leges Comitiorum omnes observentur; in quibus est: *Unicuique loco suo sedendum, neque mutanda subsellia, certum ante tempus: Ne quis alia via, quam decet, ad Magistratus adipiscendos aspirare audeat, neque suam operam, & industriam alteri præstare*, & alia id genus quam plurima. Exhibito sacramento referunt iidem Magistratus sese ad loca tributa, & subinde consurgunt ex Consiliariis tres ætate minus provectâ. Inter hos, qui maximus est natu, sessum abit pro media urna: qui vero minimus est, pro sinistra: tertius ætate media, pro dextra sedet. Occupant autem hi duo, qui extremas tuentur, utraque capita illorum subselliorum, quæ scribarum principi assignata sunt cum aliis ministris. Is porro, qui medium locum tenet, Consiliarius paratum habet scabellum quoddam ante tribunal Ducis oblique productum, quod capere debet etiam Electores, uti mox intelliges. Sortiuntur exinde, quinam ordines subselliorum ad urnas prius accessuri sint, & à quo capite, & latere simul inchoandum: quod fit ex pacto. Demittuntur in urnam quampiam globuli argentei coloris numero decem: ex his quini sunt insigniti numerorum notis, ita ut in singulis singulæ notæ repe-

A riantur, ab uno usque ad quinque: cuncti tamen habent hæc eadem verba pariter inscripta: *Caput ad Brolium, & latus ad D. Georgii.* Quini reliqui globuli habent easdem quidem singuli, singulas numerorum notas, sed non eadem verba. Nam loco eorum, quæ dicta sunt, in his omnibus legitur: *Caput ad Castellum, & latus ad D. Marci.* Sortes inde ducuntur, & quicunque globulus sorte obvenerit, is docet, à quonam ordine subselliorum sit faciendum initium, & simul etiam à quonam capite, atque latere. Nam si globulo appareat, exempli gratia, unitas impressa, & in eodem legatur: *Caput ad Brolium, & B latus ad G. Georgii*; primum ordinem vocari perspicue intelligitur, & ab eo capite, & latere auspicandum esse, quod ipsa verba declarant. Tunc autem globulus alter conquisitus in urna eximitur, qui primi sorte ducti socius est, & gerit unitatem inscriptam unà cum his verbis; *Caput ad Castellum, & latus ad D. Marci.* Nam cum semel prima subsellia vocata sint, eadem bis accedere minimè possunt. Postea globulus alter sorte ducitur, qui proximo, & secundo loco vocata subsellia ostendit. Atque ita ducere sorte, & vocare pergunt, quoad Electorum numerus absolutus fuerit. Illud autem in primis advertendum, quandocunque sors ad aliqua subsellia C pervenerit, non simplicem, sed duplicem advocari ordinem. Siquidem conflari unum ex binis admonui superius, qui denis globulis inscripti appellantur latera. Progrediuntur ergò Patricii in suo quisque ordine ad alteram ex duabus extremis urnis, quæ sibi respondet, & injecta manu globulum educit, qui si non fuerit auro, sed argento obductus, parata est ad urnæ basim alia quædam, in quam dimittitur ab eo, cui sors non processit, atque ad pristinum locum illico reditur. Sin autem auratum globulum quis sortitus fuerit, tradit in manus Consiliario propter urnam seden- D ti, & ad urnam in medio sitam continuo pergit, unde etiam globulum depromit, qui si contigerit ex argento, posteaquam exhibuerit eum Consiliario, qui in medio sedet, infecta re itidem festinat ad locum suum. Sin autem ex auro; recognoscit in manus sumptum Consiliarius, & Patricius ille tunc habetur in numero Electorum, atque in primo ordine, qui sedere jubetur in scabello, quod ante Ducis tribunal oblique diximus protendi, converso tamen ad ipsum Ducem obtutu, idque ex eâ causa, ne quis illi se commendare nutu valeat, aut alia quacunque studii significatione. Præter hæc autem unus ex iis, qui E sunt à secretis, alta voce pronunciat Electoris nomen, ut intelligant omnes, qui sunt ex eadem familia, unum ex ipsis in Electorum numero jam esse; fratres etiam uxoris, socer, & sororii, & qui excludi solent per eundem à sortitione, sive ut apud vos dicitur, interdictum habent. Sedet Elector, & cæteri deinceps quoad omnes Electores creati fuerint, & in sedendo principem locum tenet is, qui major est natu. Quod si fortè contigerit in primo ordine creando, ut ex eadem familia bini sortiantur; qui posterior fuit, in secundum ordinem rejicitur, & ascissitur in ejus locum is, qui proximè succedit, neque am- F plius ulli Patricio, vel ex eadem familia, vel ex iis affinibus, quos recensui, datur ea die sortis ducendæ beneficio frui. Siquidem lege cautum est: *Ut in quatuor ordinibus Electorum*, qui simul omnes triginta sex viros complectuntur, *censere plu-*

[1] *Urna tres statuuntur*, &c.] Apposui quoque urnarum, quos *Pileos* dicimus, imaginem cum basi; statuuntur verò ante Principis tribunal hac ipsa ratione.

D. Jannotius.

plures non valeant, *quàm duo ex una familia*; *neque tamen in eodem ordine*: *sed alter in altero*. Quapropter Electores novem ejusdem ordinis existere debent ex diversis novem familiis. His peractis ei, qui fuerit inter Electores minima ætate, defert syngrapham quispiam à secretis, in qua Magistratus omnes ea die creandi ordine suo sunt descripti. Est autem syngrapha sigillo publico munita, ne qua ratione corrumpi possit, & adulterari. Mox Electores dant obstricti juramento fidem, *nullos alios à se nominatum iri*, *quam quos usui Reipublicæ fore arbitrati fuerint*, & quà proximum est, egrediuntur è conclavi, & in locum sese recipiunt ipsis contributum. Post hos novem Electores, qui nomine primæ *Manus*, hoc est, primi ordinis donantur, alii novem statim creantur pro secundo ordine, & eadem ratione deinceps pro tertio, & pro quarto. Singuli verò numero suo completo proficiscuntur accepta syngrapha, ut dixi, in sedes constitutas.

Ioannes. In his omnibus, quæ de creandis Electoribus à te sunt dicta, *quatuor* ex animo meo *Scrupuli* fuerint evellendi. Atque hic *Primus* est: Dixisti modo in duabus extremis urnis recondi solere globulos, ad mille & quingentos, non accuratè quidem calculo subducto, sed quantum visu duntaxat æstimare licet. Fieri potest, opinor, quum ventum est ad ultima subsellia, ut nonnulli supersint aurati globuli adhuc sorte ducendi, neque tamen ex argento tot suppetant, quot accessuris ad sortiendum possint sufficere: unde mihi videtur fieri, ut quibus omnium postremis accedere contigit, illi non satis æqua conditione sint, propterea quod facillime duci possunt, ubi cum paucis argenteis, aurati globuli sunt relicti. Quapropter, si quid est à vobis hac in re cautum, intelligere cupio. *Alter* vero scrupulus est: Utrum aliqua ratione data fuerit opera, ne quis Patricius venire possit ad sortitionem alio subselliorum ordine quàm suo. Nam dum revertitur ad sedendum, posset aliquis clanculum insinuare se in alterum subselliorum ordinem, nondum evocatum. *Tertius* autem est: An fuerit excogitatum aliquod remedium ad impediendas fraudes in globulis eliciendis. Posset enim quispiam tenere conditum in manibus globulum auratum, quem postea simularet sorte ductum esse. *Postremò* scire cupio: Ecquid apud vos intersit auspicari sortitionem ab uno latere subselliorum magis, quàm ab altero. Siquidem videntur uno & eodem tempore simul utraque tendere ad sortiendum, cum singula petant urnam, quæ respondet sibi; quæ tamen res in capitibus subselliorum minime procederet. Itaque mihi causam edisseras velim, quæ Majores vestros induxerit, ut statuerent ordinem non inter capita solum, sed & inter latera.

Trypho. Sapienter quæris; à me vero dabitur opera, ut hæc omnia quàm paucissimis tibi aperiam.

Quod igitur primo loco scrupulum injiciebat, verum est quicquid autumas. Nam plerumque accidit, ut cum iis, qui censentur ordine postremo, multo melius agatur, non semel etiam cum iis, qui postremi sunt in hoc ordine. Sed Consiliariorum ad urnas considentium partes sunt, ubi sortitio processit ad ultima subsellia, & spectat ad finem, observare, an globuli argentei, & Patricii ad sortes venturi, pari numero sint, & si qui desunt, supplere; si qui redundant, eximere.

Ne quis autem Patricius accedat ad urnas extra suum ordinem, lex est apud nos, quæ jubet in eos, qui subsellia permutant, & aliò se transferunt, animadverti quàm graviter, idque ab ipso primo Comitiorum exordio, donec fuerit absoluta creatio triginta sex Electorum: nam postea licet omnibus ordinem mutare, & abire quò libet. Solent etiam, ubi subsellia completa sunt, occludi quædam ostiola, quæ sunt in capitibus, neque referantur antequàm tempus veniat exeundi ad sortes. Insunt hæc ostiola subselliis quibusque, exceptis binis secundum latera majora, quibus quidem ea de causa non fuerunt imposita, ne ministris, & aliis forent impedimento, quos frequenter oportet conclave ingredi, vel egredi; præcipue vero Patriciis ipsis, qui redeuntes à sortitione, ut ad sedendum se referant, per illud spatium transire debent, quod utrinque patet interjectum inter ea subsellia, singuli tamen per suum, hoc est, quod spectat ad suum ordinem; & quoniam posset etiam accidere (quæ res mihi nunc primum in mentem venit) ut Patriciorum aliquis tentaret iterum ad urnas procedere in ordine suo, veluti si qui primo loco progressi sunt, iidem reversi minimè considerent, sed admixti ultimis insisterent. Ea fraus ne locum haberet, à majoribus nostris institutum est, ut aliquot ex ministris togati quidem, sed capitis rubro integumento, comitentur in reditu postremos singulorum ordinum, eoque modo secernantur à primis ultimi. Quare nullus ex his potest illis se adjungere, atque unâ reverti ad periculum sortis faciendum.

Ut autem nihil fraudis adhiberi queat in globulis auratis supponendis, ita cautum est. Apud nos plura genera sunt ejusmodi globulorum, quæ dissimilia satis apparent pro varietate notarum, quibus impressa sunt, nimirum Alphabeti literis. Injecturi porrò globulos auratos in urnas ministri, ex unoquoque genere singulas capiunt (sex autem genere ferè) & simul omnes in urnam condunt, ut ex ipsis unus aliquis sortito ducatur, cujus nota indicet, ex quo genere globuli seligendi sunt, idque tunc usurpatur, atque in urnas infertur. Hæc autem inspectante Duce, & Consiliariis omnia peraguntur, & non alio tempore, quàm ubi proximum est ad sortitionem venire. Quamobrem fieri non potest, ut aliquis noverit, qua nota globuli præcipue consignati sint, & ad fraudem struendam hac in re se comparet: nullam quidem posset aliam struere, quam secum domo afferre globulum, & præbita specie quasi recens ex urna deprompserit, ostendere palàm, quem occultè gestabat in manu. Quapropter exhiberi solent Consiliariis prope urnas sedentibus, nimirum ut probe inspiciantur, & recognoscantur ab ipsis, utrum præditi sint tessera legitima. Priscis temporibus id in more positum erat, ut id globuli genus injiceretur, quod Consiliariis, & Duci potissimum placuisset. Temporibus nostris tota res permittitur sorti.

Ultimo loco quærebas de laterum distinctione. Non semel dixi, quotiescunque ex ordinibus unus accerseretur, duos ordines advenire subselliorum, qui dicuntur latera. Nunc quia posset evenire, ut duo ex eadem familia singuli quidem ad suas urnas, & à suo latere, sed pariter uno atque eodem tempore contenderent ad ducendas sortes, ne si forte globulus auratus utrique simul obveniret, controversia oriretur, uter ad urnam in medio positam admittendus esset (nam simul ambo non possunt ob commune genus) hac ergo ex causa statuerunt, ut ille priori loco veniat, cujus ordini, sive lateri sors affuerit, eoque globulum inauratum quoque sortiente, alter à sortiendo exclusus ad sedendum revertitur, argenteum verò capiente, tunc ad urnam mediam admovet manum, ac tuetur suum locum. Videor mihi cuncta, de quibus ambigere te dixeras, satis

tis explicasse: nisi quid aliud ambiguum superest, instituta persequar.

Ioannes. Nihil omninò, mi *Trypho*; persequere, ut lubet.

Trypho. Postea quam Electorum quaterni ordines eo, quo dixi modo creati secesserint, alius post alium in proprias sedes (simul enim atque fuerit impletus primus ordo, abit in locum suum conclavi relicto, & deinceps alter creatur, intereaque ille suos *Candidatos* designat, quemadmodum explicabo) tunc licet ad alia subsellia transire, si velit, Patricio cuivis. Si qua vero lex ad Comitia perferenda est, hoc tempus opportunum habetur, dum Magistratuum competitores instituuntur, & modus talis est. Meminisse te credo id, quod antea dixi, ex nostris Magistratibus alios esse, qui Candidatos quatuor ad summum admittant; alios qui non nisi duos. Quoniam vero nunc ex hoc genere, nunc ex illo, interdum etiam ex utroque simul Magistratus creantur: idcirco Electorum ordines plerumque certè quaterni, nonnunquam bini tantummodo statuendi sunt. Sed faciamus quaternos ordines constitutos esse. Ubi primus in sede sua collocatus est unoquoque Electorum pro ætate capiente locum, unus à secretis nempe is, cujus hæ sunt partes, recitat cunctis audientibus eas leges, à quibus recedere non licet in Candidatis renunciandis: eæ non alia de causa institutæ sunt, quam ut renunciatio sincere fiat, absque fuco, & dolo. Quibus perlectis novem globulos conjicit in urnam distinctos numerorum notis, quas gerunt insculptas. Tunc Electorum unusquisque, sed initio à senioribus ducto, ex urna globulum depromit, qui notat eum Magistratum, in quo sibi renunciare Candidatum licet. Oportet enim vel unitatis, vel binarii, vel cujuspiam alterius numeri, usque ad novenarium, deprompto globulo notam aliquam inpressam fore. Cuicunque igitur Electorum unitas obtigerit, facultas datur eligendi, quem velit in eo magistratu, qui primo loco scriptus occurrit in syngrapha tradita juniori per Scribam à secretis. Dicitur apud nos is Elector primam vocem, hoc est nominationem, seu nominandi facultatem habere: is qui binarium duxerit, secundam, atque ita deinceps. Quandocunque vero creandi sunt undecim Magistratus, qui numerus est omnium maximus, qui creari possunt; ille, qui primum nactus est, habet insuper decimum; qui vero secundum, itidem undecimum. Licet autem Electoribus, quod est observandum, permutare, si velint, inter se Magistratuum nomina, quæcunque sors obtulit: neque quicquam interest, sitne primo, an secundo, tertioque loco scriptum illud nomen, cujus est permutatio facienda. Et quoniam pro iis, quos renunciarint, coguntur ipsi Electores præstare se vades, sive prædes, quos appellare vos consuevistis *Mallevadores*, Elector qui cum alio nomen permutavit, nihilominus obligatur, & præs esse debet pro eo, qui renunciatus fuerit ab altero permutante, idque præsertim ubi creantur Magistratus, à quibus publica pecunia tractanda est. Quocirca qui permutationem facere instituunt, id oneris habent, ut præstent culpam illorum, quos minime nominarint. Ergò qui primum nomen adeptus est, hoc est, cui datum est à sorte jus nominandi Candidatum aliquem in primo Magistratu, qui cæteris etiam omnibus honestior habetur (nam diverso in honore sunt nostri Magistratus, & alius alio dignior & præstantior est) quod si contigerit ab eo permutatum fuisse: Elector ille, qui subiit in eundem

A locum, primas tenet in nominando ex Patriciis, quemcunque libeat: verumtamen is, qui nominatur ab eo, subjici debet etiam suffragiis cæterorum omnium, & ex novem, si non plura, saltem sex adeptus, nominationem suam ratam habet: si quid autem ei numero desit, necesse est eidem Electori, ut alterum nominet, & eo forte repulsam ferente, tertium etiam, & quartum, neque unquam desistat, donec aliquis approbatus fuerit aliorum judicio. Refertur autem hujus candidati nomen in syngrapham à Scriba, qui est à secretis, qui supponit illud nomini Magistratus, diserteque exprimit dignitatem, si quam

B modo obtinet, vel aliàs obtinuit, & à quo fuerit electus, & in quonam ordine. Deinde pergit Elector alter nominare, is qui secundæ nominationis potestatem habet, & qui nominatus, & electus est, approbatur, & refertur in syngrapham sub magistratu, cujus effectus est candidatus nomine suo scripto. Primi quidem, secundique ordinis prorsus eadem est ratio: sed in tertio, & in quarto variare sæpe contingit. Si quando enim creandi sunt Magistratus ex iis, qui tantum duos competitores admittunt, ii renunciari solent in primo, & secundo tantum ordine; quo fit ut Electores tertii, & quarti, nonnulli

C facultate eligendi careant, illi nimirum, qui globulum duxerint, consignatum ea nota, cui nulla nominatio, sive magistratus respondet. Neque tamen omninò nihil præstiterit Electorem esse, quanquam sors nominandi potestatem minimè tribuerit. Nam cum subire Electorum suffragia debeant, quemadmodum explicatum est, omnes qui nominantur; eidem si non eligendi, at certe approbandi vel rejiciendi, quoscunque elegerint alii, suppetit facultas. Sicubi vero difficultas oriretur, & Electores inter se controversarentur, veluti si quis eorum vellet aliquem nominare, de quo ambigeretur, an suffragia ferri

D omnino possent, tunc ex Advocatoribus unus, itemque ex Præfectis Decem-Virûm eò conferre se debent, ubi fuerint Electores ii, & controversias ipsorum judicare. Per hunc modum omnibus candidatis, sive competitoribus Magistratuum delectis, non licet Electoribus ad Comitia reverti. Datur hoc tantummodo Consiliariis, Præfectis Decem-Virûm, Advocatoribus, & Censoribus, si quando Electores fuerint. Illi porro scribæ, qui singulis ordinibus affuerunt à secretis, deferunt syngraphas ad magnum Cancellarium, in quibus ordine descripti sunt Magistratus, infra quoque nomina singulorum Candidatorum, cum omnibus iis, quæ adjungi solita

E dixi. Est autem illud observandum, cum modo quatuor, modo duo tantum competitores in singulis magistratibus instituere liceat, prout vel ab omnibus, vel à duobus ordinibus duntaxat eligi consueverunt, tum pauciores etiam designare posse quam quatuor, aut duos. Nam contingere potest, & sæpe contingit, ut plures ordines in unum Candidatum, interdum etiam universi pariter conspirent; quod ubi contingit, nihil obstat, quo minus de ipso suffragia ferenda sint, quamvis competitores tunc nulli appareant. Videtur enim quodammodo ipse sui competitor, quatenus à pluribus ordinibus designatur. Sed

F faciamus in unoquoque Magistratu singulos à singulis ordinibus electos fuisse, tunc quæri solet, utrum aliquo vitio laborent sive impedimento, quod quidem multiplex esse potest, aut quia tantum temporis nondum est exactum, quantum opus est ad consequendum alterum Magistratum; aut quia publicum munus obit, unus ex conjunctis, per quem Candidatus aliquis excludatur; aut quia de repetundis fuit postulatus, atque id

genus alia, quæ cum publicis monumentis consignata sint, momento temporis eruuntur, atque in lucem veniunt. Si quis igitur compertus fuerit ejusmodi vitii, illius in suffragiis ferendis ratio non habetur. Quod si ex competitoribus quatuor terni excluderentur, is unus, qui relinqueretur, suffragiis impertiri non posset, propterea quod competitoribus omnibus careret. Atque hoc in genere documenti cujusdam loco accipere potes; quicunque ab uno tantum ordine fuerit designatus, eum nisi competitor adsit, nullo modo suffragiorum compotem futurum, ne dum magistratus; quicunque vero saltem à duobus ordinibus, etiamsi bini competitores alii non admitterentur, quos reliqui bini ordines statuissent; posse nihilominus ipsum absque competitoribus ob eam rationem, quam attuli, consequi magistratum, dummodò quicquam aliud obstare non reperiatur. Primarius ergo Scriba recitat, & percenset ex scripto unà cum suis competitoribus, omnes Magistratus, eo modo prorsus, atque ordine, quo descriptos dixi. Mox à capite orsus pronunciat competitores in primo Magistratu, qui etiam præstantissimus est; principem vero locum tribuit illi, quem exhibuerit primus ordo competitorem: accedente vero consensu forte alterius ordinis, id etiam exprimitur. Ac ne quid ex omnibus his rebus te lateat vel minimum, accipe hoc exemplum: nam ita pronunciari solet à primario Scriba: *Andreas Grittus, fuit Patavii Prætor, Præde Georgio Cornelio filio Petri*, in ordine primo; in secundo: *Andreas Grittus fuit Patavii Prætor, Dominico Trivisano Præde*: atque hoc modo toties repetitur Candidati nomen, quot numero sunt ordines, à quibus fuerit nominatus. Recensitis autem omnibus Candidatis in eo magistratu, non hi tantummodo, quorum est res agenda, sed omnes etiam, qui sunt ex eadem familia, vel aliqua conjunctione arctiore, invicem se excludunt, è conclavi egressi præstolantur alicubi interea, dum feruntur suffragia. Post eorum discessum, Scriba magnus alta voce simul omnes admonet, humano divinoque jure præceptum esse, ut ei suffragentur, quem optimum fore ducunt, maximeque è Republica. Quibus dictis primum Candidatum exhibet. Tunc adolescentuli quidam, quibus id munus datur, festinant ad excipienda suffragia parvis quibusdam lata pilis ex albo lino confectis. Præferunt [1] autem singuli binos loculos ligneos inter se connexos; prasinum, & album; hunc interiorem qui favet; illum exteriorem, qui rejicit Candidatum: qui sanè loculi ita fabricati sunt, ut nullus queat introspicere, & animadvertere, in utrum pila deciderit. Et quoniam Conclave ipsum satis late patet, & vix fieri potest, quin aliquod existat murmur, Candidati nomen assidue iterari solet, dum colliguntur suffragia per eosdem adolescentulos: collata vero, atque excepta deferuntur ad tribunal Principis, & quæ propitia sunt inferuntur in quoddam vasculum album; adversa in alterum prasinum; recensent autem, & enumerant Consiliarii, illa quidem, qui sedent ad dexteram Principis; hæc vero, qui sunt ad sinistram. Cæterum si pauciora fuerint propitia, quam pro dimidia parte suffragiorum, nihil à Candidato potest obtineri: sin autem plura, nihil prohibet, ideoque refertur in scripta, quot numero suffragia dimidiam partem superaverint. Inter suffragia numeranda competitores alii, quos Scriba magnus pronuntiavit, ordine suo periculum faciunt, & qui plura supra dimidiam partem suffragia tulerit, hic superatis competitoribus obtinet Magistratum. Subinde vero per eundem Scribarum principem recitantur nomina competitorum in proximo Magistratu, qui statim foras abeunt, unàque omnes illi, qui per eos à suffragiis arceri solent. Qui vero primi excesserant, denuo ingrediuntur. Idem prorsus adhibetur ordo in cæteris omnibus. Creatis autem omnibus Magistratibus, quicunque illos adepti sunt, palam à Scriba magno commemorantur jubente coram Censoribus, ut se sistant, à quibus delatum juramentum accepturi sunt, nihil eos fecisse contra quam leges præcipiant, causâ Magistratus. Post hæc dimittuntur Comitia. Sed illud certe nullo modo est prætermittendum, si contingat, ut nullus Candidatus exuperet dimidiam partem suffragiorum in universis Magistratibus, ea die nihil omnino gestum, & creatum fuisse, cum omnes pariter exciderint à sua petitione. Quoniam vero Comitia ultra solis occasum producere, & continuare minime licet, antiquissima lex jubet, ubi advesperascit, ut eorum tantum nomina commemorentur, qui Magistratus adepti sunt usque ad illud tempus: si qui vero suffragia nondum subierunt, eorum non habenda est ratio: quo fit, ut minimè frui possint eo beneficio, quod propter nominationem Electorum consecuti fuerant: siquidem proximis Comitiis alii competitores denuo instituuntur. Hujusmodi creandorum Magistratuum apud nos est ratio, in qua commemoranda certè fui longior, ne quid fortassè prætermitterem, quin tibi explicarem: neque tamen scio, an adhuc meæ voluntati atque studio satis hac in re fecerim. Ex eo plane intelligam, ubi tu rem sic explicatam, & exploratam habueris, ut nullus amplius relinquatur dubitandi locus.

Ioannes. Quamvis accurate satis hanc rationem persecutus fueris, duo tamen adhuc mihi restant, quæ intelligere cupio; *Primum*, qua de causa [2] Scribarum princeps, ubi nomen Candidati alicujus edit, simul etiam recenseat honores, si quos olim obtinuit: *Deinde*, cur Electoris quoque nomen referat.

Trypho. Paucissima sunt ea, de quibus nunc quæris. Unà cum nomine Candidati percensentur ea munera, quæ superioribus temporibus eidem mandata sunt, ad conciliandam majorem benevolentiam, & gratiam, ut appareat eo, quem


1. *Præferunt autem singuli*, &c.] Loculi lignei inter se connexi sunt hac ipsa specie, quam hic subjecimus: prasinus inscriptus est his notis *De No*, qui rejicit candidatum: albus verò *De Si*, qui favet: in aliis verò decretis, in quibus posset alicui non liquere, tres sunt loculi simul conjuncti: tertius autem est ruber, atque inscriptus *Non sint*.

Incredibile dictu est, quàm aptè & decorè, quamque celeriter cuncta fiant, quæ ad suffragia ferenda spectant. Declaravit *Jannotius* egregiè universam eligendi, atque adeo suffragandi rationem. Operæ tamen pretium existimavi imaginem oculis sujicere tribunalis, dum Electores sortito creantur, quod vulgo dicimus *Andar a Capello*, est autem ejusmodi.

In suffragiis vero numerandis, postquam loculi delati sunt coram Consiliariis, qui huic rei præsunt, pilæ, seu globuli linei inferuntur in quandam tabellam, ducentis foraminibus perviam, tanto artificio concinnatam, ut quotiescunque globuli immittuntur, toties ex eorum numero ducenti in capsulam subjectam decidant, & mirabili celeritate numerentur. Hujus autem effigiem apposuimus, ut nihil omninò desiderari possit, quod totam hanc absolutissimam suffragiorum ferendorum rationem patefacere, & quovis modo illustrare posset.

2. *Primum qua de causa*, &c.] Non solum Candidati nomen edit magnus Cancellarius, sed patris quoque, atque avi, si Dux, aut D. Marci Procurator fuerit: quod etiam ad majorem Candidati notionem maximè spectat, tum quia sæpè plures erunt ex eâdem gente eodem nomine vocati, qui paterno nomine differunt: tum etiam quia in Magistratibus committendis haud immeritò, plurimi facimus, quo quisque genitore, quaque familia ortus, & procreatus sit.






RECENSIO CANDIDATORUM.

1. *Dux.* 2. *Consiliarii.* 3. *Præsides Quadraginta-Virûm.* 4. *Magnus Cancellarius.* 5. *Urnæ et Globuli.*




SEVILLA

quem nunc petit, non indignus esse, qui fuerit alio Magistratu aliàs dignus habitus. Fortasse quoque ob diversam causam: nam fieri potuit, ut in obeunda, & administranda superiori provincia talem se non præstiterit, ut præsens meritò deferenda illi videatur. Quare non aliam ob causam recenseri solent honores atque dignitates, quibus ii sunt perfuncti, nisi ut renovata memoria rerum gestarum, faciliùs judicari possit, an præsentes quoque iisdem committendæ sint.

Electorum verò nomina simul etiam eduntur, non propter eam rem tantum, quam superius tradidi, nimirum, quod ubi tractandæ sunt publicæ pecuniæ, is, qui Candidatum aliquem approbatione sua laudat, debet pro ipso fidejubere, & peculatum præstare, si quem forte admiserit; verum etiam in cunctis aliis Magistratibus, quibus nulla pecuniæ cura est, facile unusquisque intelligere, ac statuere possit, prospexeritne bono publico ille, qui nominavit, arbitratus talem virum è Republica fore, an verò amicitia, vel alia quacunque privata ratione fuerit adductus, ut eum potiùs, quàm alium nominandum putaret. Et harum quidem singularum rerum eas causas affero, quæ vero mihi quàm simillimæ videntur esse. Meminisse autem debes in universis rebuspublicis multa sancita esse, quæ cur ita sint, ne probabilis quidem ulla potest assignari causa, vel ratio, ne dum planè vera: quod non iis modò Civitatibus usu venit, in quarum administratione sæpè fuit variatum; sed illis etiam, quæ semper iisdem cum institutis, tum legibus usæ viguerunt. Quamvis enim ea perpetuo manserint, & maneant, nimia certè vetustas obliteravit rationes, quibus adinventa, primùmque usurpata sunt. Quare nihil est, quod mirum tibi videatur, si quid audisti à me, vel fortasse audies, cujus afferre causam nullam ipse possim.

Ioannes. Rectè, prudenterque: ego verò quicquam non requiro, nisi quod investigari, & cognosci valeat. Cedò mihi nunc quæso, licetne quibuscunque contigerit Electoribus esse, competitores quoque fieri atque nominari, vel ab aliis, vel fortè etiam à se ipsis.

Trypho. Utrumque pariter licet; ideoque Scribarum princeps, ubi nomen alicujus occurrit, qui se ipsum nominarit, & competitorem statuerit, ad hunc modum pronunciat: *Andreas Grittus in ordine primo, ex semet ipso renunciatus*, hisque cætera adjungit. Neque vero alienum est ab æquitate, ut qui alios, semet ipsum quoque nominare valeat, ubi spes fuerit adipiscendi Magistratus.

Ioannes. Si rectè memini, nondum edisseruisti, quis Patriciorum numerus necessarius sit habendis Comitiis.

Trypho. Rectè mones; neque vero mihi potuisset id in mentem incurrere, nisi modo injectum fuisset ex hac voce tua. Quæ res manifeste ostendit, quanti referat in hujusmodi sermonibus interrogantis prudentia. Dico igitur nullum certum numerum definitum esse, qui convenire debeat ad Magistratus instituendos: vix tamen unquam contingere, quin Conclave refertum sit maxima frequentia: sed tamen ubi res alia transigenda foret, utputa novæ leges ferendæ, aut habitæ deliberationes aliquæ sanciendæ, quibus de rebus infrà commodius, nihil ex ipsis omnino confici peragique potest, nisi Comitiis interfuerint saltem Patricii sexcenti. Quin etiam nisi quatuor è Consiliariis præsentes fuerint, nec Magistratus creare, nec aliud quicquam tractare, & perficere datur.

A *Ioannes.* Hæc tota Magistratuum creandorum explicata ratio, poteitne aliqua fraude adhibita depravari, & corrumpi, ita ut opes, & gratia, cæteraque hujusmodi, præter fas alicui patefaciant aditum ad Magistratus?

Trypho. Quid tibi velis, intelligo: sed quoniam hic non est locus, responsum differam. Plana res fiet, cum de Censoribus erit sermo. Quamobrem si nihil amplius restat, quod de Comitiis Majoribus intelligere cupias, perfuncti erimus hac laboris parte. Nam de præcipuis quibusdam, & singularibus rebus, quæ ad ipsa quoque Comitia spectare solent, agendum nobis fuerit magis opportuno loco. Ab hac igitur nostræ Reipublicæ basi, sive fundamento facto veluti gradu conscendemus, si libet, *ad Rogatorum Concilium*, hoc est *ad Senatum*, qui Comitia proximè consequitur, ut superius dixi.

Ioannes. Quandoquidem ea, quæ ad Comitia facere videbantur, explicata sunt omnia, per me non stat, quominus ad enarrationem proximam accedas, quandocunque libeat. Satis enim mihi à te factum cumulatissimè intelligo, neque verò mihi amplius quicquam in mentem venit, quod enucleari percunctando velim.

Trypho. Concilium Rogatorum, paulo ante ut insinuavi, est unum è potissimis nostræ Reipublicæ membris, quæ quatuor esse dicebam, nempe Majora Comitia, Rogatorum Concilium, Collegium, & Ducem: agit enim, atque deliberat de omnibus gravissimis rebus. Constabat autem antiquis temporibus è Senatoribus tantum sexaginta: cœptum est addere postea nunc viginti, nunc viginti quinque, quoad postremò tandem sancitum fuit, ut ad illos sexaginta totidem accederent. Præbuit, opinor, accessionis faciendæ causam magnitudo, & frequentia negotiorum, quæ temporibus illis acciderunt, quibus lex est perlata, ut in deliberando singula eò magis excuterentur, quo consultationibus plures darent operam, quemadmodum factum comperimus, ubi *Creta* defecit, *Laurentio Celso* Duce quinquagesimo octavo. Siquidem viri ex ordine Patricio viginti quinque Senatoribus aliis tunc adjuncti sunt: & non multò antea *Ioanne Delphino* Principe, totidem fuerant asciti in eundem ordinem, sanciendæ pacis ergò cum *Pannoniæ* Rege. Bello deinde *Patavino*, & non semel aliàs constat, idem factum fuisse varias ob causas, atque ita consuetudo tandem obtinuit, ut viginti quotannis cooptarentur. Auctus in duplum numerus tempore *Michaëlis Steni*, qui fuit in ordine Ducum sexagesimus tertius. Ad extremum verò *Francisco Foscaro* Principe, crevit idem Adjunctorum numerus usque ad sexaginta. Velim autem scias non plures ex una familia quàm tres omninò inter sexaginta veteres Senatores locum habere posse: inter Adjunctos quoque duos; aliquando tres, si modo bini duntaxat fuerint in veterum numero. Atque ita complectitur Rogatorum Concilium hos centum, & viginti viros, quos commemoravi, propterea verò nonnullos magistratus; immò quædam alia concilia, sed non eodem jure. Sunt enim, qui facultatem habent ferendi suffragium, quod vos appellare consuevistis *Rendere il partito*; sunt etiam, quibus hoc non licet, sed honoris gratiâ datur interesse tantum, ut quæ geruntur in Republica intelligere valeant.

Hi verò sunt, qui Senatum ingrediuntur cum ipso jure suffragii, Dux, tres Consiliarii, qui dicuntur inferiores, & duo Censores, qui postquam abierunt è Magistratu, tunc obtinere solent jus ferendi suffragii. Tres Viri, qui præsunt actis per Supracastaldiones; nam hi jurisdictione confecta veniunt in Senatum nacti jura

suffragiorum ad quoddam tempus. Accedunt his tres publicorum vectigalium custodes, qui redituum Gubernatores vocantur. Tres quoque rei frumentariæ Præfecti, quatuor sali procurando, tres urbani Quæstores, tres, qui veteribus rationibus præsunt inspiciendis, totidem, qui recentioribus. Tres Ædiles viarum, tres Navali Præfecti, tres Quæstoribus Præpositi, tres Magistratibus Decem, tres fisci Recuperatores.

Quibus autem in Senatum venire licet, sed absque jure suffragii, sunt omnes hi, Collegium Sapientum, Trium-Viri aquis custodiendis, Concilium Decem Sapientum, Trium-Viri valetudini tuendæ, Trium-Viri vectigalibus, Magistratus is, qui mercibus advehendis præest ex *Alexandria*, Tres Viri, ex *Damasco* duodecim, ex *Londino* totidem. Omnes hi, quos recensui, in unum collecti apud nos constituunt Senatum, sive Rogatorum Concilium.

Ioannes. Esset mihi multum in optatis aliquid intelligere de his Magistratibus, modo id opportunum tibi videatur.

Trypho. Mihi constitutum est nihil de his dicere, propterea quod nihil ad rem faciunt: intendimus enim ea commemorare tantummodo, quæ spectare possunt ad constitutionem universæ Reipublicæ. Itaque ut propositæ narrationi insistam, Concilium Rogatorum ob id nominatur; quia priscis illis temporibus, ut plerique referunt, à publicis ministris convocabantur Patricii, & quodammodo rogabantur, ut accedere vellent ad consultationes, & deliberationes publicis de rebus. Creantur autem Rogati, sive Senatores, nimirum illi priores sexaginta, quibus hæc appellatio competit potissimum, eodem modo, quo Magistratus omnes in Comitiis solent, & seni quidem singulis diebus, verum capto tam maturè tempore, ut ante Kalendas Octobris omnes sint creati; qua die Magistratum ineunt. Cæteri sexaginta, qui dicuntur Adjuncti uno eodemque tempore cùm in Comitiis tum in Senatu creari solent anni vertentis, idque fit hoc pacto. Tertio Kalendas Octobris, qui dies Beati *Michaëlis* Archangeli memoriæ consecratus est, cogitur, qui tunc est Senatus, & integrum est cuique, modo jus suffragiorum obtineat, nominare, quem velit inter Adjunctos referri. Porrò nominati omnes scripto mandantur: proxima die Comitia Majora indicuntur, & unus ex iis, qui sunt à secretis, cunctorum nomina publicè recitat è scripto, & in urnam conjicit, unde singula sorte ducit ordine continuo, pro quibus itur in suffragia, & quicunque superaverit dimidiam partem, ille novo Senatui adjungendus erit.

Ioannes. Nonne posset accidere, ut reliqui repulsam ferrent ex iis, qui nominati sunt, ita ut ad complendum sexaginta Adjunctorum numerum nonnihil deesset?

Trypho. Posset, tametsi rarissimè; tunc autem ii Senatores, qui desiderantur, (semper enim paucissimi sunt) eodem modo subrogantur proximis Comitiis, neque solet aliter fieri, si quando priores illi sexaginta, quorum præcipua est autoritas, intra tempus approbati omnes non fuissent. Sed ut redeamus ad ipsam rem; quicunque sunt hujus Concilii participes effecti, cæteri Magistratus nihil interest, quo tempore sint renunciati. Ineuntibus enim novis Senatoribus annumerari debent, quotquot versantur in iis muneribus, quæ modò commemoravi, & dum jurisdictionem suam .... quamdiu jurisdictionem minimè absolverint. Ea tamen absoluta, priusquam Senatores annum suum conficiant, statim

A locum relinquunt successoribus, qui simulatque approbati fuerint, veniunt in Senatum. Consuevimus etiam difficillimo Reipublicæ tempore facere copiam Senatus aliquot Patriciis, qui publici ærarii inopiam sublevare voluerint privato suo censu, nimirum mutuando certo pecuniæ numero per leges definito, quæ tempus etiam constituunt, quo liceat eo munere honorario frui, ne si fortasse solutio anticiparetur, amittere collatum beneficium intempestivè cogantur: verum quamdiu pecuniæ restitutio facienda differtur, tamdiu nullus excludi debet à Senatu, idque perpetuo solemne est. Nunquam tamen illis com-

B municantur jura suffragii, sed tantum patet aditus in Senatum, in quo nullam Reipublicæ præstant aliam operam, nisi quod publicis negotiis vacant intelligendis, atque illis perturbationibus audiendis, quæ in hominibus continenter excitari solent. Hæc autem consuetudo, si non omnino, saltem aliqua ratione videtur non improbanda, quod inde non unum fructum publica res capiat. Nam præter illud, quod civium pecuniis utitur, hoc etiam pariter conficit, ut juniores (nam ejusmodi plerique sunt) maturè sibi usum rerum comparare queant, & ad summam virtutem tempestivè proficere: quod certe quàm

C expediat Reipublicæ, nullus non intelligit. Convocari porro Senatus, haberique solet, quotiescunque Collegium censuerit, prout inferiús exponam: Magistratibus etiam, & Advocatoribus datur; his, cum de re quapiam ad ipsum relaturi sunt: illis, cum legem aliquam sancire voluerint, & quotiescunque Senatores convenire debent, ære campano semper id significatur; attamen etiam per publicos præcones, seu viatores accersiri solent. Enimvero capere aliquid neutram in partem licet: ita enim nos loquimur;

D hoc est decerni, & sanciri nihil omnino potest, nisi quatuor saltem Consiliarii fuerint in Senatu, & ex omnibus Senatoribus, quibus est jus ferendi suffragii, ad minus sexaginta: sed vix unquam accidit, quin multo major sit frequentia. Agitur in Senatu de maximis & gravissimis quibusque negotiis universæ Reipublicæ; consultatur, & deliberatur de pace, de bello, de induciis, de fœderibus, de rationibus comparandæ pecuniæ ad usum Reipublicæ. Sed hæc omnia quomodo tractentur, expressè patebunt, ubi sermo nobis erit de Collegio. Leges quoque approbatæ sanciuntur ab hoc ipso Senatu, de quibus primùm

E cognoscit ille Magistratus, ad quem pertinet ea res, cujus causa lex est jubenda, mox Collegium adit, atque ostendit ejusdem legis, vel utilitatem, vel necessitatem. Approbante Collegio tùm demum fertur ad Senatum, à quo nisi laudata fuerit, rata non habetur. Sancita verò præconis voce promulgatur, à quo tempore omnes eâ tenentur, & suscipit hanc curam Magistratus, qui fuit legis autor. Hoc modo Trium-Viri, qui nomen habent à pompa, propterea quod est eorum munus prospicere, in victu & vestitu modesta quædam parsimonia ut adhibeatur, non ita pridem novas leges condiderunt his

F ipsis de rebus, quæ postea sunt approbatæ à Senatu, & palam edictæ, neque nunc ulli ab earum observatione discedere licet. Quanquam à nobis interdum dari solet opera, ut non modo in Senatu, sed etiam in Majoribus Comitiis nonnullæ leges sciscantur: id opinor, est in arbitrio positum Magistratus, à quo lex fertur, & non alia de causa procurari existimo, quàm ut accedat eidem legi major quædam autoritas. Ita Censores paucis abhinc mensibus, qui Magistratus recens institutus est ad ambitionem Candidatorum nimiam coërcendam, jusserunt eam legem, ne quis

quis congratularetur cuiquam Magistratum adepto. Quæ lex à Patribus comprobata maximo consensu, multò majori etiam in Comitiis stabilita est, atque hoc tempore observata quàm accuratissimè viget. Præter hæc autem pertinet ad Senatum, sive Rogatorum Concilium Imperatoris electio, qui classi præsit, ubi aliquod bellum mari gerendum est, & Legati optio, si fortè belli terrestris periculum imminet. Pertinet etiam creatio trium Magistratuum, quos communi vocabulo Sapientes appellamus, sed alios Maximos, alios à Continente, postremos omnium à Mari. Faciam brevi, ut hæc omnia planissimè intelligas.

Modus eligendi, quos percensui omnes, talis est. Senatorum cuique datur nominare, quem libet, & pro singulis nominatis colliguntur suffragia, cui verò plura contigerint supra dimidiam partem, huic munus defertur. Sed quia non semel evenire solet, ut qui plurimorum judicio aptissimus habetur, nihil oneris sustinere velit: exempli gratiâ, Legati partes in exercitu, quin immò se molestissimè laturum significet, si quis autor esse velit ejus sententiæ; propterea certa quædam ratio fuit à nostris inita, ut offensionis incurrendæ nullo periculo posset hic vir à Senatoribus nominari, neque res ipsa publica fraudaretur eo fructu, quem percipere meritò deberet è sui civis virtute. Jubentur ergò singuli Senatores in parvo quodam chirographo nomen illius scribere, cujus industriæ munus id committendum existimant. Collecta in unum chirographa reponuntur in urna, & singulatim per Scribam magnum educuntur, & nomina descriptorum omnia publicè recitantur, & pro singulis ordine itur in suffragia, & in quemcunque magis ea propenderint supra dimidiam partem, in eundem conferunt eam curam, & administrationem. Cæterum quando præficitur Imperator classi, quisquis à Senatu designatus fuerit eo modo, quem dixi, postea debet etiam in Comitiis subire suffragia competitoribus attributis per quatuor Electorum ordines, ut explicatum est suprà. Munus autem imperatorium ei mandari solet, qui plura suffragia consecutus est, modò non infra dimidiam partem. Consiliarii tandem atque Censores partim creantur in Senatu, partim in Comitiis. Cum perventum eò fuerit, modum explicabo. Sunt enim quædam, quæ nunc exponere, neque licet, neque expedit, cum magis pendeant ab iis, quæ tradenda sunt, quam ab iis, quæ sunt tradita. Quoniam vero cumulatè satis edisseruimus, quicquid spectare videbatur ad autoritatem Rogatorum, sive Senatus, reliqua prosequenda fuerint, nisi prius aliquid occurrat, de quo percunctari velis.

Ioannes. Hoc unum modo. Dixisti Senatores Kalendas Octobris ingredi solitos ad capessendam Rempublicam. Estne aliqua ratio, cur hoc potius, quam alio tempore soleant auspicari?

Trypho. Unicam tantum rationem afferre possumus hujus rei, de qua nunc tu quæris, bella per æstatem geri solita superioribus ætatibus: nunc enim quemadmodum est videre, miles tam hyeme, quam æstate continetur in castris: idcirco imminente hyeme Senatus publicam administrationem suscipiebat, ut æstati proxima: deinde cum flagraret bellum, satis instructus esset cum à notitia: tùm ab usu rerum gerendarum. Nam si alio tempore, ut puta æstate ineunte, ad Rempublicam administrandam ingrederentur ii, qui succedere veteribus Senatoribus debent, incurrerent in principia belli, nulla præditi scientia, nulloque usu rerum, & fortasse non bene deliberando magnum aliquod detrimentum A importarent ipsi Reipublicæ. Hac, opinor, de causa Majores nostri temporis id potissimum statuerunt.

Ioannes. Adhuc mihi duo subeunt in mentem quærenda; *Primum*: An qui fuerit in Senatu per annum, sive inter sexaginta Primarios lectus, sive inter Adjunctos, idem proximo & in sequenti anno possit etiam esse; *Alterum*. Quomodo soleant, in Senatu excipi suffragia.

Trypho. Quod attinet ad primum, scire debes, nullam à munere Senatorio vacationem necessariò requiri, & ideo non modò in annum proximum, sed etiam in tertium, & quartum, con- B tinenterque deinceps prorogari posse, nullo discrimine inter Primarios, & inter Adjunctos. Quisnam verò modus sit excipiendi suffragia, opportuno ac suo loco faciam, ut intelligas.

Ioannes. Igitur perge, quemadmodum instituisti.

Trypho. Excipitur Senatus ab eo, quod nominamus *Collegium*, estque veluti tertium membrum in Republica, & maxima cùm honestate, tùm autoritate. Constat autem præcipue tribus ex his Magistratibus, qui *Sapientes* appellantur, aut Maximis Rebus, aut Continenti, aut Mari Præfecti, numeroque sunt sexdecim; primi quidem C generis sex, cæterorum quinque singulatim. Accedunt his unà cum ipso Principe sex Consiliarii, tresque Præsides XL-Virûm, proptereaque hi Reipublicæ Majestatem sustinent. Porro Sapientes Mari, qui vocari etiam solent, Sapientes Ordinibus, tractant ea negotia, quæ spectant ad res maritimas quacunque ratione, non modo belli, vel pacis. Sapientes verò Continenti prospicere debent rei bellicæ & militiæ terrestri, nec non etiam paci. Horum præcipuè partes sunt, eos omnes, qui Reipublicæ stipendia merent, in albo recensitos habere, & curam ipsorum gerere. Cæterum ii, qui sunt Sapientes D Maximis Rebus, universa procurant, & domi & foris, iisdemque potissimum incumbit cura omnis pacis & belli, scribendi ad Principes, nec non respondendi, tandemque consulendi, & administrandi omnes partes Reipublicæ. Superioribus temporibus, quod prætermittendum non est, suprema quidem autoritas horum Sapientum complectebatur universam administrationem cæterorum omnium, qui tamen attingere non poterant ea, quæ ipsi administrabant. Quare licebat Maximis Sapientibus agere cuncta negotia militiæ terrestris, adhibitis tamen Sapientibus Continenti, quibus eodem modo jus erat adjun- E gere sese Mari Sapientibus, & unà cum ipsis res maritimas pertractare, ita ut qui Maximis Rebus Sapientes essent, iidem quoque Præfecti haberentur tàm Continenti, quàm Mari. Sapientes autem Continenti, maris etiam procurationem susciperent, & præterea aliud nihil. Temporibus nostris nonnihil variatum est in hac rerum administrandarum ratione paucis abhinc annis. Nam Continenti Sapientes publica lege redditi sunt æquales Sapientibus Maximis, quod quidem spectat ad rerum administrationem. Jurisdictio, & facultas tantummodo Sapientum Mari permanet iisdem limitibus circumscripta, F quibus erat prius. Exstitere quidem initio non nisi Sapientes Maximis rebus; sed aucta Republica & amplificato maris imperio cum publica negotia permultum incrementi accepissent, necesse fuit creare alios Sapientes, quibus cura maris potissima mandaretur. Idem omnino contigit, ubi propagari cœpta est in continenti Respublica, ut opus huic etiam esset præficere alios Sapientes, quod quidem factum est eo tempore, quo primum *Taurisum* in nostram di-

ditionem cessit. Cæterorum Sapientum primordia originis nescio: quanquam majori existimatione, atque dignitate primis temporibus fuere Sapientes Mari, quàm Continenti. Sed parto jam imperio terrestri, nostrorumque animis ac studiis ad continentem conversis, illi jacturam fecerunt suæ dignitatis, hi verò compotes facti sunt amplioris multò. Sapientes omnes eligi solent in Senatu non alio modo, quàm Legatus copiarum terrestrium, quam rem exposuimus. Verùm re non fugiat, Maximis Rebus Sapientem quemquam non optari, quin provecta jam sit ætate, maximaque virtute: Sapientes quoque Continenti licet non eadem, magna tamen in existimatione versari, atque dignitate; multò quidem in minori Sapientes Mari, qui Magistratus hoc tempore nulli ferè est usui, nisi quòd exercitationis junioribus præbet opportunitatem. Nam si de aliqua re graviori est deliberandum, præsto sunt alii Sapientes Continenti, & Maximis Rebus.

Commune id habent hi singuli Magistratus, ut eligant singulos *Præsides*, & præficiant sibi, quorum munus durare solet ad septimum usque diem, quo tempore elapso succeditur. Refert is ad Collegium, atque commemorat quæcunque agenda spectant ad suum Magistratum. Res autem hoc modo peragitur. Collegium quotidie coit horis post ortum solis circiter duabus. Meminisse autem debes in nomen Collegii venire non modo tres Magistratus hos Sapientum, quos diximus, verum etiam Principem, & Consiliarios, nec non tres Præsides Quadraginta-Virûm, qui quoniam ipsius Reipublicæ Majestatem referunt, appellatione *Dominatus* apud nos donantur, neque verò minus in Collegium adhiberi solent, quàm in Concilium Rogatorum, Decem-Virûm, Majoraque in Comitia, ut nihil plane sit agendum sine ipsorum præsentia. Habet sanè Dux unà cum suis Consiliariis speciem quandam Regis, qui licet singulis Magistratibus negotia tribuat, ipse tamen adesse velit dum pertractantur, ejus tamen præsentia non efficit, quin ea penes illos sint, quorum arbitrio præcipue commissa fuerint. Sic etiam tres ii Magistratus, qui Sapientes dicuntur, quanquam suis de rebus consultant coram ipso Principe, coramque tùm Consiliariis, tùm Quadraginta-Virûm Præsidibus, nihilominus ea cura ipsis præcipue incumbit.

Convocato igitur Collegio recitari solent omnes litteræ ab eo tempore latæ, quo fuit proximè concessum; audiuntur quoque Oratores Principum, si qui audiri postulant, tresque illi Sapientum ordines ea tractant, quæ proprii sunt muneris, moventibus, & referentibus Præsidibus suis. Quod si aliqua deliberatio capienda sit de gravioribus rebus, quæ Sapientum Maximorum operam, & consilium expostulant, aut etiam Sapientum, qui curant res Continentis, possunt excludi Sapientes Mari, qui tamen his consultationibus interesse nunquam prohibentur, nisi fortè quid nimium referat; & magnopere urgeat: cætera tantum audire debent, & in silentio versari: quod si velint aliquando sententiam dicere, nulla est ejus habenda ratio, dum ad Senatum refertur, quemadmodum cæterorum Sapientum, & eorum, qui præsident Quadragintavirali Collegio, Consiliariorum quoque Principis haberi solet. Atque ut aliquo exemplo hujusce administrationis rationem totam accipias, faciamus aliquid esse deliberandum illis de rebus, quæ pertinent ad Sapientes Mari. Aggrediuntur hi sanè ad rem administrandam, sed prohibere non possunt, quin cæteri Sapientes,

A si velint, omnibus intersint. Versantur igitur in ipsa consultatione; sed quid sentiant, exponere non ipsis tantum, veruntamen omnibus, qui sunt è Collegio, datur. Prout autem vel omnes in eadem, vel alii sunt in alia sententia: sic etiam vel unà, vel singulatim ad Senatum referunt. Licet enim singulis cum Sapientibus, tùm Consiliariis, multoque magis ipsi Principi, cum dissentit ab aliis, separatim ab ipsis rem quamlibet ad Senatum deferre. Cunctæ porro sententiæ unà cum autoris sui nomine per eum, qui est à Secretis, mandantur scripto; cumque nihil omninò sit deliberandum, quod quidem

B spectat ad publicam administrationem, absque consilio & approbatione Senatus, eo convocato accedunt ii Magistratus, sententias omnes descriptas secum deferentes, quas hoc ordine exponunt. Si quidem plures, non una fuerint (ponamus autem quatuor esse) simul omnes proponuntur, sed primo loco ea, cujus est autor præstantissimus Magistratus. Nam si qua proficiscitur à Duce, vel Consiliariis, ea cæteris omnibus anteferri debet: si qua itidem à Maximis Sapientibus, prius est recitanda, quàm quæ promanat à Sapientibus Continenti, qui præcedunt eodem modo Sapientes Mari. Si verò in-

C ter se non conveniunt hi singuli ordines, sed in eodem plures sententiæ fuerint ipsa de re, quæ suam administrationem attingit, illius sententia principem locum habet, qui præcellere inter Collegas existimatur. Posteaquam verò de universis relatum est, si quis è numero Sapientum velit contradicere, nullus è Senatoribus potest antevertere: primæ verò partes concedendæ semper sunt ei, qui præeminet autoritate, atque honore inter Sapientes: deinde verò potestas fit cunctis Senatoribus oppugnandi, quicquid libuerit ex iis sententiis.

Ubi verò satis accuratè disputatum est, singu-

D laque momenta rationum maturius expensa, colliguntur *Suffragia* pro cunctis simul ad hunc modum. Si quatuor sententiæ fuerint, ut esse posuimus, quatuor Viri à Secretis prodeunt albo colore singuli gestantes loculum, præ manibus succedit alius à Secretis, unà cum prasino, postremo loco venit rubrum, qui prætendit. E quatuor illis, qui tenent loculos albos, primus alta voce pronunciat autoris nomen, qui sententiam attulerit primo loco expositam: alter secundi autoris, proximus tertii, & postremus quarti. Porro Senatores ipsi, in quemcunque loculum maluerit quisque pro ea sententia, quam

E laudant, suffragia sua conferunt. Si quis est forte, qui cunctas pariter improbet, is prasinum ad manus habet. Si cui nondum liquet, tantisper expectandum est, donec ad extremum ruber circumferatur, qui *Loculus* appellatur à nobis, *non sincerorum*, hoc est illorum, qui neque damnant, neque probant ullam è sententiis. Collecta ad hunc modum suffragia postea numerantur, & cui plura delata propitia fuerint, ita tamen ut superent dimidiam partem, ea demum sententia firma censetur, atque rata, nec insuper opus est alia comprobatione. Sin autem dimidiam partem nulla supergrediatur, illius, quæ

F pauciora suffragia tulerit, ratione non habita, pro reliquis tribus iterum feruntur, nec alio certo modo, quàm antea, nimirum adhibitis loculis tribus candido colore, unà cum prasino, atque rubro. Et si qua plura quàm pro dimidia parte tunc adipiscatur, sancita est: alioquin altera quoque prætermittitur inferior suffragiis, & quæ supersunt, duæ tantum admittuntur, de integro binis loculis albis circumlatis, nec non prasino, & rubro. Quod si adhuc neutra poterit

tuerit assequi numerum definitum, quæ propius inde abest, referri solet altera rejecta: quare duntaxat adhibetur unus è loculis albis, non tamen sine prasino de more, atque rubro. Veruntamen si quod aliis sententiis, id huic etiam contigerit, ut nequeat attingere, aut superare dimidia suffragia, quod quidem accidit, ubi pauciora conferuntur in album, plura in alios duos loculos, nulla ex propositis sententiis approbationem habet, unde fit, ut nova consultatione, atque relatione sit opus, cum res agitur admodum necessaria. Quod quidem præstari potest, vel eadem die, cum ipsi Duci, singulisque Consiliariis, Præsidibus quoque Quadraginta-Virûm, atque Sapientibus integrum sit, ut diximus, de omnibus referre: potest etiam id rejici in alteram diem. Sed profecto vix unquam evenit, quin è tot sententiis, una tandem non comprobetur: *Partes* vernaculo sermone has appellare consuevimus: quare licebit utroque vocabulo pro eadem re uti. Si tamen nulla sententia unquam sanciretur, & aliqua deliberatio foret expedienda, idque res ipsa necessario tandem postularet, quid fieri soleat à nobis, tunc planius intelliges, quando sermonem habebimus de Concilio Decem-Virûm. Sed illud prætermitti nullo modo debet, ubi primùm pro sententiis omnibus simul ineuntur suffragia, si plura quàm dimidia comperta fuerint in rubro, quem appellari dixi à nobis loculum minime sincerorum, hoc est eorum, quibus nihil liquet, tunc omnes illas sententias pariter excludi, ita ut pro nulla sit redeundum amplius ad suffragia, sed aliæ deliberationes instituendæ.

Ioannes. Quantum quidem ex tuis sermonibus colligere potui, mihi videntur hi Sapientes autores esse omnium sententiarum, quibus referendis præsunt: nec enim alium quemquam video, qui facultatem habeat referendi, sed tantùm contradicendi.

Trypho. Ita est, ut tu dicis. Sed quia fieri potest, ut aliquis sit in numero Senatorum, qui vel consilii vel commentationis quid habeat in usum Reipublicæ, quod nulli vel Sapientum, vel Consiliariorum in mentem incurrat, is ut fructus minimè pereat, sancitum est, ut communicari ea sententia possit cum quolibet ex iis, qui referendi jus habent, ut in Senatu cum cæteris discutiatur. Sed ne ad Senatum feratur aliqua rogatio sine consilio Sapientum, & eorum, quos dixi, præter quasdam alias rationes, de quibus aliâs, id ob eam rem præcipue constitutum est, ut perturbatio vitetur, quæ nimia foret, si liceret unicuique suam sententiam proferre singulis de rebus. Ad hæc autem verisimile non videtur, ut quæ prudentissimis & sapientissimis Viris in mentem non veniunt, ex quibus sanè Collegium constat, eadem ab aliis intelligi, & cognosci queant: & quamvis hoc aliquando possit evenire, id erit vix unquam, ut meritò susque deque ferant; cum præsertim in rebus constituendis semper minoribus majora commoda sint anteponenda.

Ioannes. Id modo superest, ut intelligam, ad suum munus obeundum quodnam tempus præfinitum sit hisce tribus ordinibus Sapientum, & utrum simul, & eodem tempore cuncti deligantur.

Trypho. Singulis tempus sex mensium est definitum; non tamen eodem tempore omnes eligi solent. Nam qui dicuntur Sapientes Maximis Rebus, ii duobus anni temporibus eliguntur,

A & terni qualibet vice, sed intervallo trium mensium intercedente; Sapientes autem alii Continenti, & Mari, licet etiam ipsi binis temporibus, parique intervallo, hoc tamen habet discriminis, quòd prima vice terni, altera bini designantur. Sicubi verò magna negotiorum moles, & multiplex urget, Adjuncti Sapientibus Maximis, alii tres accedunt, quos Extra Ordinem Sapientes nominamus. Hæc in hoc toto genere habui tibi commemoranda: quod si præterea nihil requiris, ad reliqua pergam.

Ioannes. Ut sanè libet: nihil enim amplius intelligere cupio de istis Sapientibus.

B *Trypho.* Pervenimus tandem ad supremum omnium Magistratum in nostra Civitate, quem appellare consuevimus *Principem*, & *Ducem*. In hoc, tanquam in summo quodam apice Respublica desinit, de cujus antiqua Origine, & Autoritate maxima, qua pollebat priscis illis ætatibus, & quemadmodum ea postremò temperata fuerit, superius abundè satis, superque egimus. Supersunt igitur hæc duo tantum explicanda, *Quo pacto* videlicet *eligatur*, & *Qua modò sit præditus autoritate.*

Atque ut singula probè intelligas, post obitum Ducis statim ingrediuntur Ducarium sex Consiliarii, unà cum tribus Præsidibus Quadra-C ginta-Virûm, de quibus dicam inferius. Natu maximus inter Consiliarios *Produx* appellatur: nam quædam administrat, quæ sunt ipsius Ducis, cujusmodi est obsignare syngraphas exhiberi solitas iis, qui recens munera suscipiunt. Sed litteræ, quæ mittuntur ad Magistratum extra Urbem, & ad omnes alios, Gubernatorum nomine scribi solent, quibus efferre Ducario pedem non licet, antequam Dux in demortui locum sit suffectus. Occludi solent etiam Ducarii fores, in quibus tamen ostiola quædam relinquuntur, per quæ tantùm patet exitus, atque D ingressus. Præsidia simul, & excubiæ nonnullæ adsunt potius ad morem antiquum custodiendum, quam quod iis sit opus: neque enim Civitas magis afficitur in Principis obitu, quàm Patricii cujuslibet, qui privatus egerit: quo fit, ut immutatum in ipsa quicquam non appareat. Et quanquam [1] Magistratus nulli conveniunt ad jus dicendum, antequam Dux renuntietur; id habet eam causam, quod Patriciis in habenda electione plurimùm occupatis, administrare quicquam minimè vacat.

Porro Ducalibus vestimentis exornatum cadaver Ducis in eam, quam vocant, Aulam Publi-E corum deferri mandatur, ubi triduum quiescit: bis denis autem Patriciis id munus datur, ut amicti veste coccinea deducant ipsum, & circumsedeant ibidem commorantes, quod munus etiam proximis diebus obire solent. His peractis celebratur funus tàm insigni & magnifico apparatu, quàm decet amplitudinem tanti Magistratus.

Ab exequiis altera die Comitia inducuntur, in quibus admonentur omnes à Scribarum principe, cum sit initium faciendum creationis Ducis primo loco quinos Correctores, & ternos Inquisitores eligi oportere. Surgit inde Produx, & verba facit ad Concilium, collaudataque plu-F rimum vita, & moribus, nec non administratione Ducis extincti, exhortatur omnes, ut in Principe statuendo Reipublicæ utilitati, atque dignitati inservire studeant. Postea recitari jubentur ex scripto leges, quibus tota ratio continetur Ducis eligendi. Tandemque prorsus eodem

1. *Et quanquam magistratus nulli,* &c.] Nunc lege lata statutum fuit, ut præter Trium-Viros Advocatores nonnulli Magistratus ad jus dicendum convenire possint, ac debeant.

D. Jannotius. F

eodem modo, quo cæteri Magistratus, creantur quinque *Correctores*, tresque *Inquisitores*. Horum munus est perquàm diligenter inquirere in vitam superioris Ducis, & acta universa, & observare, an discesserit aliquatenus à præscripto legum, & eum, si quid offendisse fortasse comperiant, illicò differre. Pœna, qua mulctandus ipse foret, in hæredes transfertur; sed mulcta pecuniaria tantum irrogatur: nimis enim à justitia alienum esset, pro culpa, quâ Dux obnoxius pœnæ videatur, hæredes nihil tale commeritos acerbius plecti. Ejusmodi quæstio solet exerceri in Comitiis ipsis, quippe quæ gravissima ducitur propter ejus personæ dignitatem. Nihilominus etiam posset eadem exerceri in Concilio capitali Quadraginta-Virûm, ut inferius docebimus. Dux *Lauredanus* ob insignem integritatem atque sapientiam dignus, ut ejus memoria cum maxima veneratione ab omnibus colatur, tertius annus modò agitur ab ejusdem obitu, cum eâ ratione, qua diximus, condemnatus est, quod eam personam sustinuisse minùs liberaliter, & non satis pro dignitate Reipublicæ judicatus esset. Quare ipsius hæredes coacti sunt mulctam dependere, quæ non minor erat aureis quingentis supra mille.

Ioannes. Videtur hujusmodi lex mihi non satis æqua, quia rationi consentaneum non est, ut ejus, in quo nihil peccavit, aliquis pœnas luat.

Trypho. Ita est: sed in hoc genere pœnam subit nonnisi quod obnoxium est, ipsa nempe hæreditas mulctanda, quam quicunque adit, ejus nomen præstare debet. Et verò prudentissimi fuerunt illi, qui hanc legem sciverunt, ex qua fit, ut Duces pareant ipsis legibus multò attentiùs, quippe quos non fugiat fore, ut hæredes plectantur ipsorum culpâ, quamvis effugerint ipsi animadversionem. Sed ad rem, quæso, nostram. Partes Correctorum sunt videre, & animadvertere, an nova lege quapiam sit opus, qua sit obstringendus is, qui futurus est Princeps, & an aliquid vitii sit emendandum, quod extiterit in administratione demortui Ducis. Horum gratia statim ubi creati fuerint, sese conferunt in sedes attributas ipsis, & quoties opus est, iterant conventum, donec ea, quæ vel immutanda, vel prorsus innovanda videantur, habeant constituta. Quæ certè res expediri nequeunt adeò celeriter, quin triduum aut etiam quatriduum ipsis impendatur. Rebus omnibus diligenter expensis, atque animadversis significant id Consiliariis, & Præsidibus Quadraginta-Virûm, à quibus inducuntur Comitia, more, & loco usitatis. Congregato Concilio accedunt eò quinque Correctores, à quibus refertur de iis, quæ visa fuerint vel emendanda, vel in mores etiam inducenda, & singula vel approbantur, vel rejiciuntur suffragiis adhibitis: qua sanè ratione, quicquid opus habet emendatione, statim corrigitur, & si quid erutum fuerit, quod expediat Reipublicæ promulgatione legis alterius, id facilè asciscitur.

Postera die Comitia, rursus convocantur, quibus, nisi trigesimum annum exegerit, nullus interesse potest, & opportuno tempore conclusis ostiis in Conclavi numerantur omnes, qui eò convenerint, & in quandam urnam, *Pileum*, ut jam monui, dictam, sed ex eo genere, quod in summo apice tantum semel est perforatum, dejiciuntur aurei globuli triginta propriâ notâ insigniti, & ex argenteis tam multi, quot aureis conjuncti capita recensita æquant. Post hæc è

A Consiliariis minimus ætate contendit ad ædem sacram *D. Marci*, conterminam conjunctamque Ducario, ut nosti, atque ubi ad aram maximam supplicavit, puerum, quem libeat, accersitum in Comitia deducit, ut pro singulis Patriciis, quibus id per legem non licet, ne quis fraudi locus relinquatur, dum accedunt ad sortitionem, ipse sortiatur. Antiquis autem temporibus moris erat, ut quemcunque primum sors obtulisset puerum visum bonæ indolis, eum Consiliarius adduceret in Comitia, ut obiret hoc munus. Vocatur is puer modò *Ballottinus*, & in supplicationibus progredi solet ante Ducem, cui debet B esse curæ, ut posteaquam pervenerit ad legitimam ætatem, adscribatur in eorum numerum, qui sunt à Secretis. Perductus igitur in Comitia statuitur hic puer ante conspectum Præsidum, Quadraginta-Virûm, & Consiliariorum, & unus, ex utroque nomine, cui sors contigerit, pro urna sessum ire pergit. Sortiuntur autem subsellia, quo singula debeant ordine ad urnam accedere. Veruntamen in Magistratibus eligendis cum duplex ordo subselliorum semper accedat, cujus rei gratia binæ quoque urnæ statuuntur, in hac electione tanquam proprium & singulare notari debet, unam stare urnam, singulosque C ordines subselliorum separatim accedere. Quamobrem sicuti aliâs pro quinis ordinibus duplicatis sortes injiciuntur, sic in præsenti, ubi *Ducis Electores* erunt creandi, pro simplicibus decem sortes injici oportet, quæ deinceps eductæ indicant, quinam ordines in sortitione debent præcedere. Sed erit sciendum, ubi sors in unum ex iis quinque ceciderit, qui sunt ad *D. Georgii* versus, ex eo capite accessum fieri, quod *Brolium* spectat; contrà verò, ab eo, quod *Castellum*, inchoandum fore, ubi sors alicui contigerit à latere *D. Marci*; quam rem facilè abs te percipi, atque intelligi arbitror, ex ea Concla- D vis descriptione, quam superiùs adduxi. Cujuscunque autem ordinis sors educta fuerit, Patricius ille, qui sedet in eo capite, à quo est inchoandum, surgit ex loco suo, & ad urnam tendit. Puer, qui assidet urnæ, depromit ex ea globulum ejus vice, quem demittit in urnam alteram infra pedes positam: si fuerit argenteus, Patricius ille, cujus nomine sortitio est peracta, exit è Conclavi. Sin auratus obtigerit; Consiliario porrigitur, ut notam inspiciat, & ejus Patricii nomen enunciatur per Scribarum principem, idemque continuò medius inter duos à E Secretis deducitur extra Conclave in quoddam cubiculum. Mox advocantur ad tribunal omnes, qui sunt ejusdem familiæ, nec non etiam patrui, avunculi, consobrini, socer, uxoris fratres, sororumque viri, & tandem omnes illi, qui fuerint ejus causâ à sortitione excludendi. Cum ad tribunal venerint, à Scriba numerantur, totidemque globuli ex argenteis ab urna eximuntur, omnes autem illi abeunt à Conclavi, cum nihil aliud habeant exclusi à sortitione quod agant. Eadem ratione pergitur per singulos ordines succedentes, quoad aurati globuli triginta fuerint omnes educti, quos quicunque beneficio F sortis assecuti fuerint, secedunt in idem cubiculum, ubi sese continent, interea dum ab aliis disceditur. Dimisso Concilio unà prodeunt, & consident in conspectu Præsidum, Quadraginta Virûm, & Consiliariorum in binis subselliis, quæ sunt in medio sita, pares numero utrinque. Postea conjectis in urnam aureis globulis novem, & uno super viginti argenteis, sortitioneque facta subselliorum, utrum inchoare debeat, atque unde, nam singuli ad urnam pergunt, unde singulorum nomine globulum depromit, quoad novem

vem aureis fuerit exhausta, puer ille, quem dixi. Quibus argentei contigerunt, abeunt quo libet; reliqui novem sortiti aureos ad cubiculum redeunt, ex quo, posteaquam convenerint omnes numero perfecto, traducuntur in alterum à Consiliariis, Præsidibusque Quadraginta-Virûm, ubi sunt omnia in promptu ad usum necessaria. Hic ad electionis munus peragendum, ut decet, sacramento obligati tamdiu clausi manent, quoad elegerint è quadraginta familiis diversis Quadraginta-Viros, quæ res hoc modo procedit. Simulatque Novem-Viri conclusi fuerint, sortiuntur, quis eorum primas in nominando debeat obtinere, quis proximas, quis tertias partes, atque ita deinceps, juxta quem ordinem pronunciant, quoscunque libet: Suffragia colliguntur pro singulis, qui pronunciantur, & qui septem ex ipsis consecutus fuerit, habetur unus è numero Quadraginta-Virûm. Omnibus his creatis res ad Consiliarios defertur, qui statim ea ipsa die, si ad vesperam multum non inclinat, aut certè postera, Comitia Maxima indicunt. Quibus convocatis Scribarum princeps accitis duobus à Secretis ad Novem-Viros accedit, à quibus accipit syngrapham, in quibus descripta sunt nomina delectorum Quadraginta-Virûm, & ad Comitia reversus Consiliariis jubentibus eadem recitat: singuli, prout nominantur, adeunt tribunal, & è Comitiis transferuntur in alterum Conclave. Si quem abesse contigerit, conquisitum eunt unus è Consiliariis, & unus è Præfectis Quadraginta-Virûm, qui hominem adepti statim in Comitia perducunt, nulla colloquendi cum aliquo potestate facta, & exinde quò concesserunt omnes alii ex eodem numero; quo impleto demùm Comitia, neque prius dimittuntur. Et quemadmodum Triginta-Viri superius dicti, sic etiam hi Quadraginta sistere se pergunt ante Consiliarios, & Præsides Quadraginta-Virûm, atque in binis subselliis intermediis consident, & ad urnam evocantur sortibus eductis, in qua duodetriginta globuli argentei inter aureos bis senos reconduntur. Illi, quorum nomine puer argenteos exprompserit, statim dimittuntur, hi, pro quibus aureos, in eundem locum, ubi Novem-Viri antea fuerunt, aut aliò si libet, à Consiliariis & sociis deducuntur, & in electione jurati, prout superius est dictum, ibi se continent occlusis perpetuò foribus, donec Viginti quinque viros elegerint ex totidem familiis inter se diversis, neque pauciora quàm novem suffragia singuli requirunt, qui postea creati nunciantur Consiliariis atque eorum sociis, qui statim habent Comitia, si fert ita tempus, alioqui rejiciunt in diem proximam. Recitantur eo modo, quò superius ostendi, horum Viginti quinque nomina per Scribarum principem, quibus auditis ad tribunal singuli progressi dimittuntur ex Comitiis in conclave alterum, quemadmodum Quadraginta-Viri antea nominati, & si quis non adest, accersitur eo modo, quo dixi, & ad Comitia statim deducitur, atque inde ad aliorum conventum. Ubi vero coacti sunt omnes, è Comitio discedítur, ipsi vero prodeunt in conspectum eorum, qui præsunt, & in sedibus suis collocati sortito advocantur ad urnam, quæ continet novem aureos globulos, sexdecim argenteos: quibus hi contigerint, abeunt; quibus illi, permanent & conclusi ad instar aliorum, quos commemoravi, non paucioribus suffragiis, quàm septenis eligunt Quadraginta quinque viros ex familiis diversis quadraginta quinque. Comitiis indictis hi quoque renunciantur, & omnes qui aderant, & qui aberant in unum coacti ea ratione, quam exposui, ubi Comitia dimissa fuerint,

A accedunt ad Consiliarios, & alios, qui præsunt sedentque coram ipsis, & prout sors evenerit, ad urnam advocati se conferunt intra se cohibentem undecim globulos aureos, quatuor trigintaque argenteos. Hos qui sortiti fuerint, quoquò libet proficiscuntur. Alii vero manent, qui jurejurando more cæterorum obstricti, eodemque modo prorsus occlusi saltem novem suffragia in unum conferentes eligunt Quadraginta-Viros, & unum præterea, qui sunt *Electores Ducis*, ex aliis atque aliis familiis omnes separati.

Ioannes. Hæc res est admodum implicata, satisque longa, neque certe magno usui videtur

B esse.

Trypho. Id verò disputare in præsentia nolim: nihil enim, ut præmonui, hodie à me accipies, quàm simplicem administrationem nostræ Reipublicæ. Quapropter ut institutam narrationem prosequar, posteaquam advocatis Comitiis Electores hi quadraginta & unus renunciati omnes fuerint, & in Conclave sibi tributum introducti, quemadmodum est dictum, principio sacris opera datur ad implorandam cœlestis Spiritus opem, & unusquisque solemni Sacramento se obligat fore, ut omnes rerum humanarum cupiditates abjiciat, & eum tantùm deligat, quem

C prospexerit ornamento & usui futurum Reipublicæ, & quæcunque dicta vel acta fuerint inter ipsos, nulli proditurum. Post hæc autem nullis adhibitis Scribis aut ministris ipsi soli includuntur, ita ut à nemine prorsus conspiciantur, & primo loco tres *Præsides* optant ex Senioribus, quos *Priores* nominant, deinde *binos à Secretis*, sed ex junioribus. Præsides eunt sessum, & ante se mensam quandam positam habent; in ea bini loculi cohærentes, atque conjuncti, cujusmodi Magistratibus creandis adhiberi diximus, quorum alter continet globulos quadraginta & unum, eadem nota insignitos, ne cui fraudi sit locus. Cæ-

D teri Electores occupant eas sedes, quas cuique libet. Illi duo, qui sunt à Secretis, chirographa numero quadraginta & unum à se confecta & circumplicata cuique distribuunt, similiter globulos exprómptos quadraginta & unum. Ordine verò ante Præsides ternos singuli evocati chirographum suum in mensa deponunt, in quo scriptum est nomen illius, quem Ducem optarint. Excipiuntur ea nomina ex chirographis per duos à Secretis, adjecto numero suffragatorum unicuique. Vix autem unquam plura nomina excipiuntur, quàm sex aut octò, quia ferè non sunt plures ii, quos justè credi potest ad

E id honoris fastigium provehendos esse. Postea reconduntur in urna nomina descripta, ut ex ea sortitò educantur, & cui prima sors obtigerit, si fortè unus est ex numero Electorum, emittitur extemplo in Aulam Quadraginta-Viralem, atque inibi clauditur. Mox Electoribus singulis fit potestas accusandi hominem, quocunque nomine libet, & arguendi esse indignum tanto Magistratu. Si quid ab aliquo dictum fuerit, accuratè notant, & referunt in scriptum illi duo à Secretis. Accersitur ille deinde, & in conspectum adducitur, omniaque eidem objecta recitantur ex scripto; purgandi quoque, si velit,

F datur sui locus; quo facto iterum egreditur in eandem Aulam, idque toties fit, quoties aliquis superest, qui accusare velit, aut ipse se tueri pergat. His peractis itur in suffragia, quibus omnibus latis, conveniunt universi Electores ante ipsos Præsides, quorum natu maximus adhibita quadam virgula numerat suffragia, quæ vel propitia, vel adversa fuerint in utroque loculo. Nam si quinque supra viginti suffragentur ipsi, Dux habetur statim, nec alteri suffragari licet: sin a-

liquid desit huic numero, depromendum est alterum nomen ex eadem urna, in qua conjecta sunt nomina sortienda, una cum numero suffragatorum, quot cuique fuerint; continuatur hic ordo, quoad perventum fuerit ad aliquem, qui viginti quinque suffragia saltem adipiscatur. Fieri quidem potest, ut nullus tot assequatur, sed ubi res hæc evenit, necessarium est Electores tamdiu clausos detineri, totiesque nominationes iterari & suffragationes, donec aliquis extet, in quem inclinet is numerus, qui modo dictus est. Hæc autem ratio fuit eligendi Ducis, usque ad creationem hujus, in qua nonnihil est variatum. Non enim fuit ille Dux prius renunciatus, quàm cæteri omnes competitores suffragia subirent. Quare si quis eo posterior in sortitione extitisset, & tamen obtinuisset ampliora suffragia, Dux habitus esset, & non ipse, viginti quinque suffragia primùm licet assecutus.

Hoc itaque pacto, ut diximus, creato Duce, permulta sunt, quæ fieri solent honoris causa: Primum illud, quod Electores per Scribarum principem, qui de more nuncium hoc præfert, certiores faciunt Consiliarios & Præsides Quadraginta-Virûm, quem creaverint Ducem, ipsique accedunt ante alios omnes ad congratulandum, & æs campanum pulsari jubent, nisi intempesta nox fuerit. Quo signo propinqui omnes, & amici exciti ad salutandum Ducem properè conveniunt. Interea moneta recens cuditur, & ipsius nomine signatur. Proximum his est, quod Electoribus Dux adhibitis in ædem *D. Marci* descendit, atque ubi devotè supplicatum est, unà omnes in pulpitum ascendunt; natu verò maximus ad populum verba facit, qui convenire solet in templo maxima frequentia; narrat in mortui Principis locum alterum suffectum, quem multis laudibus ornatum palam ostendit, ingentes acclamationes & plausus referentem, in certum approbationis lætitiæque argumentum. Tunc ipse quoque Dux alloquitur populum, optimeque sperare jubet de suo principatu. Ubi peroravit, ex pulpito descendunt, & Principem deducunt ad aram maximam, ubi delato à Basilicæ Procuratoribus sacramento jurat in leges, & accipit vexillum de manu illius, qui vices Primicerii ex officio gerit. Atque ita certo pecuniæ numero ad altare oblato procedit ad ingressum atque aditum chori, & ibi duobus comitibus non amplius ascitis, quorum alter sustinet vexillum, alter, qui sanguine aut certè necessitudine conjunctissimus est, argenteum craterem defert aurea & argentea pecunia quàm maximè refertum, in qua nomen est inscriptum atque [1] facies Ducis. A nautis, qui versantur in Navali Reipublicæ, in ligneum pulpitum sublatus egreditur ex templo, & per aream totam circumfertur, eo, qui craterem tenet, in plebem nummos assidue passimque spargente. Exhausto cratere, qua patet ostium regium, ingreditur in Ducarium, atque ubi pervenit ad primos scalarum gradus, ex pulpito desilit. Conscendenti verò præsto sunt Consiliarii & Præsides Quadraginta-Virûm, qui adventum præstolabantur, occurrentes in medio ascensu, & excipientes enitentem ad summos gradus, ibique unus ex Consiliariis, qui ætate cæteros præcedit, imponit ejus capiti Pileum, quem Duces gestare solent. Hinc ad Publicorum Aulam contendit, in qua commoratur aliquantisper, & sedet in quadam

A sella in eum usum parata. Tandemque ad suas ædes ab iisdem deducitur, quibus una cum Ducario traditis, confestim disceditur. Hæc igitur in novi Principis creatione solent honoris causâ officia præstari. Sed Majestatis plurimum ei præterea conciliant ea, quæ à communi usu longè distant, ornamenta vestium, in primis ipse pileus apice perinsignis, qui non nihil ab occipitio in altum assurgit, deinde intra pileum velamen album ex lino, quod totum caput circumtegit, protentis ad aures, & pendentibus inde vittis collo tenus. Ad hæc oculos hominum convertit is, quem gerit, amictus, nullis B manicis impeditus, uti nostræ togæ, sed perquam similis illi vestimento, quod vulgo pallium dici solet, eaque longitudine, ut usque ad talos demittatur. Circumplicat autem collum appendix rotunda, quæ pertinet usque ad cingulum undequaque, & pretiosis, quas fulcit pellibus obducta. Vestes omnes contextæ de more sunt ex quolibet genere pannorum, cujusmodi sunt ea, quæ vocantur, Velutum, Rasum, sericum *Damascenum*, & Broccatum, tela quoque cùm aurea, tùm argentea. Quotiescunque progreditur in publicum, æs campanum insonat, & præferuntur aliquot vexilla in altum sublevata: C clangunt etiam buccinæ quædam insigni magnitudine. Succedit porrò pulvinar, sellaque aurea. De Musica re nihil dico, quæ communis est omnibus in *Italia* Principibus. Procedit inde sub Umbella tandem Dux ipse, utrinque bini Oratores præcipui latus ejus tegunt, alii à tergo stipant. Hos prosequuntur ad tricena paria Nobilium Virorum, qui Ducalibus vestimentis omnes induti sunt ex Coccino confectis, aut alio genere panni. Ille, qui exterior incedit in primo pari, sustinet elatum ensem, quem præ manu gerit. Hæc autem omnia præbent ejusmodi spectaculum, quod reverentiam non mi- D nus, quàm admirationem injicit. Temporibus certè nostris *Andreas Grittus*, qui ornatus est tàm insigni dignitate propter eximias singularesque animi virtutes, non parum adjicit huic pompæ ornamenti & magnificentiæ ex ea dignitate, nec non venustate, quam habet summam in aspectu. Enimverò, quod animos contemplantium mirùm in modum pascit, est illud, quod cuilibet tunc in mentem subit, nulla violentia id honoris à civibus exprimi, quemadmodum in tyrannide fieri solet, sed ultrò deferri Principi ex legum præscripto & ex instituto Reipublicæ, quæ jubet illum omni genere observantiæ E coli; id verò tam severe à cunctis exigitur, ut è Patriciis quidam subierit gravissimam pœnam, non alia de causa, quàm quod à Principe dicta sententia de nescio qua re, his verbis ad eum usus fuisset: *Serenissime Princeps nugaris.* Quæ sanè visa sunt è triviis desumpta, & minimè digna, quæ jactarentur in eam personam. Hæc habui dicere de Principis Electione, nec non de summis Honoribus, qui eidem habentur. Reliquum est, ut de Consiliariis quoque differamus, qua sint autoritate in Republica, & quas partes habeant, si tamen nihil tibi superest, quod requiras amplius.

F *Ioannes.* Antequam pergas ad alia, cedo mihi quæso. Quantum temporis tribuitur huic Electioni?

Trypho. Consideranda fuerint in ipsa *Tria Temporis Curricula.* Primum ab obitu Principis usque

1. *Atque facies Ducis*, &c.] Immò verò facies ipsa Ducis non inscribitur modò in nummis Reipublicæ, quod lege vetitum est, sed nomen tantum, & effigies quædam, & imago non hujus, aut illius Ducis, sed hominis Ducalibus insignibus exornati.

que ad initium Electores instituendi. Alterum ab hoc initio, usque ad suum finem. Postremum ex quo Electores concludi solent, usque ad creationem. *Primo* tempore justa persolvuntur, ac eliguntur, cùm Inquisitores tùm Correctores, qui vel multum, vel parum temporis conterere possunt, dum suum munus obeunt; prout etiam vel multa vel pauca sunt ea, quæ indigent correctione & institutione. *Alterum* certè curriculum non est valdè longum, quandoquidem universæ sortitiones atque electiones, donec unus & quadraginta Electores designati sunt, absolvuntur quàm citò, neque tamen his pauciores impendi, quàm quini dies possunt, propterea quod Comitia quinquies indicere est opus. *Postremum* vero tam longum, quàm breve contigerit: nam inter Electores, ubi sunt coacti, incidere multas controversias est existimandum, quæ aut citò dirimi possunt, aut in longum duci. Veruntamen intra senos atque octonos dies, quin expedita fuerit Electio, nunquam intellexi. Est etiam quando celeriùs multò res conficitur, pro sensu atque animo Electorum, qui variè est affectus. Tu, qui *Romæ* versatus es diu, optimè rem nosti.

Ioannes. Sed prætermisisse videris illud, quod adhuc scire aveo: An Inquisitoribus definitum sit quoddam tempus ad suum munus præstandum.

Trypho. Unius anni curriculum tribui solet, intra quod conficere debeant suam Jurisdictionem.

Ioannes. Ne graveris etiam exponere, si quid habes, cur solemnes tot ritus adhibeantur, ubi Dux est creatus: exempli causa: Cur alloquatur populum, in *D. Marci*: Cur ad Publicorum Aulam deducatur: Et præterea, si alicunde tenes, undenam ea insignia, quæ Duci præferuntur, à te modo exposita.

Trypho. Cur alloquatur Dux populum ex eo loco, quem dixi, non plane novi. Rationi tamen consentaneum hoc ipsum videtur, ut dum spectandus exhibetur ipsi, verba faciat, & in spem optimæ administrationis omnium animos erigat.

Cur deducatur [1] ad Aulam Publicorum, causam nullam habeo, nisi fortè id propterea institutum fuit, ut imbecillitatis humanæ memoria ipsi renovetur. Ut enim antea memoravimus, cum Principem ex vita discedere contingit, illius funus in eandem Aulam defertur.

Insignia porro, quæ recensuimus, fama est ab *Alexandro III.* profecta esse, cujus non modò dignitatem, sed etiam salutem adversus *Ahenobarbi Friderici* furorem Respublica texit.

Ioannes. Nostin' verò, quo tempore sumpserit initium ejusmodi Electio Ducis tàm ordinatè instituta?

Trypho. Referam id, quod ex nostris monumentis hausi. Quemadmodum superius explicatum est, penes Populum erat potestas eligendi Ducis, & acclamationibus quibusdam res peragebatur tumultuosè. Obtinuit mos ita creandi summum Magistratum usque ad tempora *Sebastiani Ziani*, qui post illatam *Vitali Michaëlio* necem ab Undecim Viris Dux creatus est, ut nonnulli memoriæ prodiderunt suffragatione XXXIV-Virûm id munus adeptis, qui prius beneficio sortis instituti fuerant. *Aurius Mastropetrus*, & quaterni proximi Duces per Quadraginta-Viros electi fuerunt, hoc modo. Ex universis civibus quatuor optabantur cives. Ab his eligebantur postea Quadraginta-Viri, quorum singulis licebat, ubi simul convenerant, eum Ducem nominare, quem existimaret tantæ amplitudinis gradum conscendere oportere. Omnes, qui nominati fuerant, subjiciebantur suffragiis; is autem Dux erat, qui majori cumulo competitores dejiceret. Primus omnium Dux eo modo & ordine, quem diximus, *Marinus Maurocenus* electus est anno MCCLI. Cæterum in quibusdam nostris Commentariis, quod animadvertere debes, à *Sebastiano Ziano* usque ad *Petrum Gradenicum* de cunctis electionibus Ducum hæc habentur verba: *Dux iste creatus est per electionem, & comprobatus per populi acclamationem.* Ad ejusmodi comprobationem pertinere censeo, quod Electores in *D. Marci* pulpitum ascendant, & à se Ducem creatum in publicum enuncient, atque tunc ingenti clamore edito ad declarandam animorum lætitiam electio Ducis palàm approbetur à populo. Quæ sane res cum minimè necessaria sit, tamen conservatur, & adhibetur magis cerimoniæ cujusdam loco, quàm alia ex causa: Fortasse necessaria res erat antiquis temporibus, quibus obtinuerit mos ita faciendi, ut contineretur in officio populus electione privatus. Hæc habeo dicere de his rebus, & nihil aliud præterea.

Ioannes. Cumulatissimè mihi satisfactum arbitror ex iis, quæ à te accepi. Perge, quæso, ut instituisti.

Trypho. Quemadmodum dicebam, in persona Ducis positum est supremum Imperium *Venetæ* Reipublicæ, in qua solus apparet rerum ipse Dominus. Sed quamvis obtineat tantum amplitudinis, nulla tamen res est, in qua liberam, atque integram potestatem habeat. Nihil enim statuere potest, quantumvis minimum, & multò minus præstare ac exequi, nisi adsint illi *Consiliarii*, qui sex numero sunt, ex singulis tribubus, & ex honestissimis quibusque Patriciis delecti accuratè, quandoquidem summa dignitas Magistratus hoc ita requirit. Non eliguntur hi seni simul eodem tempore, neque eodem momento ineunt Magistratum, sed eliguntur duplici vice, terni, alio atque alio tempore, vel ex iis tribubus, quæ sunt ternæ citra, vel ex iis ternis, quæ sunt ultra Maximum Canalem. Modus autem hic est, ut exposui superius: Ex cunctis iis Magistratibus, qui in Comitiis Majoribus creari solent, alii quatuor competitores desiderant, alii tantum duos. Quoniam igitur hic Magistratus unus ex iis est, qui per Majora Comitia renunciatur, ad alteram classem pertinet, nimirum ad priorem: sed Rogatorum Concilium ex singulis tribubus unum legit, qui suffragia deinde subit omnium in Comitiis, quæ certè convocare solemne est, quandocunque tres Consiliarii fuerint eligendi. Ubi vero quatuor Electorum ordines absoluti sunt, & in sedes attributas singuli coacti, ut eligantur competitores, quemadmodum exposui modo, per aliquem à Secretis significatur unicuique, qui Rogatorum Concilium ingreditur cum jure suffragii, ut ex Conclavi, in quo habentur Comitia, transeat in alterum quodam intervallo disjunctum, ubi Senatus de more cogi solet. Posteaquam omnes convenerunt, accedit eò Dux adhibitis unà Consiliariis, nec non Præsidibus Quadraginta-Virûm, & eam tribum sortiti, ex qua primus sit eligendus Consiliarius, quisque nominat eum, quem maxime cupit. Omnes, qui

[1]. *Cur deducatur ad aulam*, &c.] Non aliâ sane de causa Dux deducitur ad Aulam Publicorum, quàm ut humanæ conditionis memor sit. Quod etiam à Magno Cancellario prisco ritu, & solemnibus verbis in memoriam revocatur.

qui nominati sunt, describuntur, & pro singulis ordine suo suffragia feruntur. Qui plura supra dimidiam partem fuerit consecutus, is electus est Competitor. Modus autem hic eligendi per concilium Rogatorum, dici solet Scrutinium. Redeunt porrò Senatores unà cum Duce ad Comitia, & Competitores renunciati per quaternos Electorum ordines, suffragia subeunt eo modo, quo dixi, singuli. Cui plura suffragantur, modò superent dimidiam partem, Consiliarius ab omnibus habetur. Evenire potest in Comitiis, ut unus tantummodò Competitor nominetur, atque interdùm non alius, quàm qui in Concilio Rogatorum fuit renunciatus. Id ubi evenit, pro uno tantum illo debet iri in suffragia, tametsi id nemini conceditur, qui Competitore careat. Nam quicunque in diversis Conciliis renunciatur, is videtur quodam modo secum ipse competitor esse, idque verisimilitudinis nonnihil habet. Is igitur unus Consiliarius evadit, si præter dimidiam partem suffragiorum saltem unam assequitur. Ferè autem semper usù venit, quod etiam observare debes, ut etiam quando plures uno Competitores habentur, (hoc autem accidit plerumque) tamen ille Magistratum adipiscatur, qui à Senatu Competitor electus est. Id ex eo fieri puto, quod existimari soleat, eum, qui ab ipso Senatu productus est, præ cæteris esse dignum eo Magistratu, utpote comprobatum judicio tot numero Senatorum, quemadmodum ex iis, quæ disserui, non latere te arbitror. Præterquam quod is, qui in Senatu renunciatur, minus est de ambitu suspectus, quàm qui ea ratione, quam dixi, in ipsis Comitiis, quod quidem facilè animadvertere potes ex te ipso. His etiam accedit, quod quicunque in Concilio Rogatorum suffragati sunt homini, suffragantur eidem quoque in Majori Concilio; ut ex omnibus his causis atque rationibus is, qui creatus fuit in ipso Senatu, plurimum approbari soleat etiam in Comitio.

Sex igitur [1] hi Consiliarii semper assident Duci, & cum ipso res omnes peragunt præcipue publicas, cujusmodi est, audire postulata, publicas literas omnes resignare, privilegia indulgere, & id genus alia, quæ tamen ab ipso Duce perfici non possunt, nisi adsint unà quaterni Consiliarii: possunt quidem ab ipsis, si fortè Dux absit. De rebus omnibus ad Comitia referunt, quæ præcipua est ipsorum autoritas; possunt etiam ad Senatum referre, & ad Concilium Decem-Virûm. Qui tamen ad Senatum præcipue referunt, nimirum Sapientes, de quibus memini, & qui præcipue ad Decem-Viros, hoc est eorumdem Præsides; his ad Majora Comitia referre nullo mòdo licet. Quare Consiliariorum autoritas multò major est, quàm Sapientum, & eorum, qui Decem-Viris præsident. Est tamen animadvertendum, integrum fore vel uni Consiliario, etiamsi nullus alius cum ipso conveniat, referre cum ad Comitia, tum ad Senatum; sed non ita ad Decem-Viros, nisi tres accedant; quo fit, ut quatuor simul convenire oporteat. Annuum est munus ipsum Consiliarii, quod tamen non obitur, nisi menses octo; quatuor impenduntur alii Quadraginta-Virali Collegio, quod capitis judicia exercere solet. Sedent in eo perpetuo tres Consiliarii, qui vocari solent Inferiores, dum inibi sedent. Liberum vero est ipsis A huic Collegio interesse, vel primos quatuor menses, vel quatuor extremos, vel etiam ex his atque illis menses pariter binos. Quare quicunque inferior Consiliarius existit, necesse est, ut fuerit, vel esse debeat quoque major, sive superior, proindeque sint omnibus temporibus noveni Consiliarii, ex iis unà cum Duce sedent assidui seni, & in collegio Quadraginta-Virali hi terni, quos dixi. Quandocunque verò iidem abeunt Magistratu, aut certe pergunt, ut sedeant unà cum Duce, tres ex eo numero qui assidebant, se conferunt ad Quadraginta-Viros, aut exacto Magistratu, tres alii denuo sunt creandi. Scire quoque debes, B unà cum Duce & Consilariis tres ex Quadraginta-Viris Capitalibus pariter sedere, quos vocare consuevimus Capita Quadraginta-Virûm, qui binis tantum mensibus sunt in hoc honore. Cum de Collegiis Quadraginta-Viralibus agam, melius id intelliges. Quapropter *Dominationis* nomine intelligi solent, Dux unà cum senis Consiliariis, prætereaque terni Præsides Quadraginta-Virûm.

Ioannes. Cedo, priusquam ad alia transeas, cur tres Consiliarii sedent inter Quadraginta-Viros, & tres horum Præsides cum Duce & Consiliariis?

C *Trypho.* Quod in nostris commentariis invenire potui, hoc in causa est. Antiquis temporibus Dux atque sui Consiliarii interesse consueverant judiciis Quadraginta-Viralibus: *Marcus* autem *Cornelius*, qui anno MCCCLXV. Dux creatus est, ob negotiorum ingentem multitudinem, quorum copia in dies magis augebatur, propagata Republica, permisit eam curam his Consiliariis quos dixi. Tres itidem Præsides Quadraginta-Virûm Duci assident cum ipsis Consiliariis, ut, quemadmodum Quadraginta-Viratus communicat cum iis, qui Reipublicæ præsunt, ob illos tres Consiliarios, qui inter ipsos versantur; sic etiam ii, D qui summum locum obtinent, aliquam habeant communionem cum Quadraginta-Viratu, tribus ejus Præsidibus in consessum receptis; atque ita vicissitudine quadam altera pars intersit alterius munerum functionibus, quippe quæ conjunctæ erant invicem ante Ducem *Marcum Cornelium.*

Ut autem modò perstringamus, quicquid superest de Duce: is, quemadmodum ajebam, cum suis Consiliariis adest in Collegio, in Senatu, nec non in Comitiis, quin etiam in Concilio Decem-Virûm, de quo agendum proximè. Referendi vero potestatem habet ad singula Concilia, nimirum ad Comitia, ut Consiliarii; ad E Senatum, ut Sapientes; ad Decem-Viros, ut eorumdem Præfecti. Nam cunctis iis Magistratibus comitem se adjungere potest, qui sunt Principes atque Præsides Conciliorum; quo fit, ut nulla res agatur ipso non præsente, pariterque ipse unus nihil per se agere possit. Omnia quæ tractantur negotia, ejus nomen præferunt, literæ, privilegia, scriptaque alia publica, tanquam foret ipse tantùm autor, cuncta scribuntur illius nomine: externæ quoque epistolæ missæ vel à Principibus, vel ab Oratoribus, qui ubique locorum agunt, dantur omnes, & perferuntur ad ipsum Ducem. Quando contingit Sapientes Mari, F seu Continenti Præfectos, aut etiam alios Magistratus ad eorum Legatos, vel Duces, vel alios Publicos Ministros aliquid scribere, hoc modo subscribitur: *Andreas Grittus Dux Venetia-*

[1] *Sex igitur hi Consiliarii.*] Consiliarii præterea bene mane soli conveniunt, & usque ad tertiam diei horam, aut privatos homines cum supplicibus libellis, aut Magistratus inter se de jurisdictione certantes audiunt: deinde vero cum Principe ac Sapientibus sacris intersunt, mox simul coëunt omnes, aut de rebus publicis tractaturi, aut exterorum Principum Legatos, aut subjectorum populorum Oratores, aut etiam privatos homines audituri.

tiarum, &c. Eadem ratio adhibetur in quovis alio scripti genere, qualia sunt diplomata, privilegia, obligationes, leges, & alia. Concilium x-Virûm, de quo proximus erit sermo, variat hanc formam, & duplici ratione describit. Aut enim universum Concilium scribit, tuncque ita subscribunt: *Andreas Grittus Dux Venetiarum*, &c. *cum Concilio nostro Decem-Virûm*; aut soli principes Decem-Virûm, hoc est ii, qui Præfecti sunt eidem Concilio, uti mox dicetur, & utuntur ea forma: *Andreas Grittus Dux Venetiarum*, &c. *cum Capitibus Consilii Decem-Virûm.* Respondentes, prout viderint subscriptum fuisse, ita supra scribunt. Sed ut persequar institutam rem, octavo quoque die, utputa Mercurii, consuevit noster Dux inferius descendere eo tempore, quo dicitur jus à Magistratibus, & circumlustrans ambulacra duo, in quibus eorum sedes sunt collocatæ, ad singulas inhibet gressum, Magistratumque ibi sedentem justitiæ commonet. Si quis autem est, cui jus obtinere suum minime videatur, tunc adit supplex Ducem, & totam rem exponit. Qui si judicat supplicem illum injuria affici, statim imperat illi Magistratui, ut jus ipsi reddat; alioquin arguit immerito conquerentem, & administrationem cœptam persequitur. Variatum est in hoc ordine à quibusdam Ducibus, qui stata die noluerunt semper fungi eo munere, ut improvisi Magistratibus incumberent. Negotiorum multitudo fuit in causa nonnunquam, ut intermitteret Dux hunc morem in aliqua hebdomada. Ut autem Dux pro dignitate sui Magistratus honorificè ac magnificè satis agat, annua pensio ei persolvitur aureorum ter mille, nec non quingentorum; sed quatuor variis temporibus convivia debet celebrare, festo die *S. Stephani* unum, *D. Marci* alterum, *Ascensionis* tertium, postremum die *S. Viti.* Ad hæc convivia mos est vocare Patricios diversis ætatibus. Quapropter ad primum adhiberi solent, præter Consiliarios, Præfectos Quadraginta-Virûm, Advocatores, & Præsides Decem-Virûm, illi quoque, qui sunt ætate admodum provectâ. Ad alterum porro, qui sunt minus affectâ; sic ad tertium, & quartum natu minores ordine, graduque suo semper invitantur; idque ita institutum est, ut ætas quælibet Patriciorum conviviorum minime sit expers. Præter hæc unicuique Patricio, qui Comitiis interfit, munus quoddam impertire Dux quotannis debet. Non multis abhinc annis præbere singulis mos erat quinque anates marinas. Exhibetur modò certum monetæ genus, quod ejus rei gratia cuditur. In altera parte D. *Marci* vexillum Duci porrigentis effigies impressa. In altera nomen Ducis est inscriptum, & ejus administrationis quotus annus, ita: *Andreæ Gritti Venetiarum Principis munus*; *Anno* IV. Nunc plene habes, quicquid ad præcipuas facit nostræ Reipublicæ partes, quibus, ut accepisti, publicæ administrationis ordo totus continetur inter se colligatis atque implicitis, ea ratione, qua est dictum. Restat, ut verba faciamus de Concilio Decem-Virûm, de Procuratoribus, Advocatoribus, Quadraginta-Viris, atque de Censoribus. Sed nescio, an satietate tam longæ orationis sis adhuc defatigatus.

Ioannes. At istuc mihi verbum est à te præreptum. Major enim est linguæ labor in differendo, quam aurium in audiendo; si rectè opinor, quæ jucundissimis sermonibus admodum levantur.

Trypho. Ita est planè, ut dicis; nisi quod affirmas de auribus, istuc ipsum de lingua dici quoque potest; idque ipsa re nunc intelligo. Nam quamvis modo sit hora tertia, ex quo loqui cœ- A pi, nullo tamen labore sum defessus, tantum oblectationis capio ex hac re, de qua colloquor. Et profecto nullum sermonis genus majorem voluptatem iis animis affert, in quibus enitet aliquid generosum, quam ubi de istiusmodi republica agitur, quæ si non planè & omninò (ne videar huic nostræ administrationi fortè nimium tribuere) at certè majori ex parte est rectè instituta. Quando igitur audire tibi non est grave, persequar ea, quæ supersunt adhuc exponenda.

Ioannes. Persequere amabo; nihil est enim, quod mihi gratius accidere queat.

Trypho. Quod superius admonui, Reipublicæ B universus ordo positus est in præcipuis partibus iis quatuor, quos dixi. *Concilium Decem-Virûm*, de quo sermo habendus, licet unum sit ex membris maximi momenti, nihilominus est quid annexum magis, quàm præcipuè insitum, & ad Dictatorem, ut puto, quàm proxime accedit; qui dicebatur apud *Romanos* in magnis periculis. Hoc interest, quod Dictator creari solebat quibusdam modo temporibus turbulentis, Decem-Viratus in nostra Republica semper adest, eademque pollet suprema autoritate, qua Rogatorum Consilium, & Civitas universa; nam decernere potest de rebus publicis, utcunque libet, nec C ulla est, unde pendeat superior potestas. Non tamen uti solet hac autoritate, præterquam in rebus gravissimis, quibus alia ratione non facilè subveniri potest, quales occultæ deliberationes sunt de bello inferendo, de pace componenda, clandestinæque omnes transactiones, aut pertractationes expeditæ, missiones Legatorum in castra. Quæ certè si in Collegio examinarentur; ac deinde in Senatu deliberarentur, ubi deliberanda jure optimo forent, non iis rationibus fortasse, quas tempus exigeret, hoc est non silentio, neque promptè, ac celeriter administrarentur. Cum adhuc essem adolescens, tamen rectè D memini eo bello, quod in *Clusentinis* finibus cum vestra Republica gessimus, pace tua dixerim; duos ex Oratoribus vestris in nostram Urbem venisse, *Paulum Antonium Soderinum*, & *Joannem Baptistam Rodulphum* (nisi fortè mihi exciderunt eorum nomina) homines, ut à nostris fuerunt habiti, multis egregiis ornamentis animi refertos, ad conventa cum nostra Reipublica sancienda missos, quæ cum omninò tàm Dux, quàm Collegium inire vellet, antequam fama recens in vulgus manaret de classe, quam *Turca* instruebat adversus Rempublicam, ne si ea perveniret ad aures *Florentinorum*, ii convenire ampliùs nollent, prævidentes nos gravi bello mox implicitos E fore, cumque in Senatu res obtineri non posset, tandem in Concilio Decem-Virûm fuit ad finem perducta. Acceptis postea literis, quibus apparatus *Turcarum* significabantur, nullus fuit, quin probaret eam deliberationem. Quod exemplum commemoravi, ut facilius intelligeres, cujusmodi sit autoritas hujusce Concilii, & quibus in rebus ab eodem usurpari soleat. Itaque ubi Collegium decrevit aliquam rem transigere, sed quam occultissimè, ut exempli gratia; si videretur è Republica icere aliquod fœdus cum Rege *Galliæ*, aliove Principe, ac Republica, ad aliquod aggrediendum perinsigne facinus, sed o- F porteret omnino rem in occulto esse; quoad conficeretur; tunc Oratoribus, & hominibus iis, quorum opera necessaria esset in eo negotio, literæ mitti solent ita subscriptæ: *Andreas Grittus Dux Venetiarum*, &c. *cum nostro Concilio Decem-Virûm.* Eadem quoque supra scribuntur ab iis, qui respondent, & eorum literæ perferuntur ad Decem-Virûm principes, qui veniunt in Collegium, unde tum excluduntur tres Præfecti

cti Quadraginta-Virûm, treſque Sapientes Mari, ita ut illis ingredientibus hi ſtatim exeant. Ab his res eatenus pertractatur, atque agitatur, quoad ipſa deliberatio ſit expedienda. Neque tamen hæc pertractare & agitare eſt ipſorum tantum, ſed adſunt etiam alii ex Concilio Decem-Virûm à tribus ſuis principibus accerſiti. Ubi verò deliberatio fuerit habenda, præter Ducem, & Conſiliarios, univerſumque Concilium Decem-Virûm [1], nec non Sapientes Maximis Rebus atque Continenti, neceſſe eſt, ut Quindecim viri interſint, qui dicuntur Adjuncti, & Trium-Viri Advocatores, & novem Procuratores. Quoniam verò hi quatuor ſupra viginti ſunt his temporibus, ut jam explicabitur, quinam deliberationibus intereſſe debeant, per Concilium Decem-Virûm ſunt delecti. Verùntamen jus ferendi ſuffragii non eſt æquè omnibus. Id enim datur ſolum ipſis Decem-Viris, Adjunctis, Duci, atque ſenis Conſiliariis. Omnes autem, qui concilii Decem-Virûm ſunt participes in unum collecti, appellatione non alia continentur, quàm Concilii Decem-Virûm cum Adjunctis, quod tamen nunquam cogi ſòlet, niſi de rebus graviſſimis ſit deliberandum, & quidem ad ipſius Reipublicæ ſummam pertinentibus, quæ aliòquin in Senatu diſputandæ eſſent, ſed propter eas cauſas, quas attuli, hoc in Concilio tractantur aliquando. Quidam ſunt autores, inſtitutum fuiſſe Concilium Decem-Virûm, quo tempore cæſus eſt Dux *Vitalis Michaëlius*, ad eos coërcendos, qui aliquid molirentur contra Rempublicam. Aliqui ejus originem referunt ad tempora *Petri Gradonici*. Autoritas initio perexigua fuit, auctaque deinde paulatim exiſtimatio. Nam præter crimina læſæ Majeſtatis, & perduelles omnes, in quos animadvertit, vindicat etiam ſibi horum criminum reos, adulteratæ pecuniæ, præpoſteræque libidinis. Ad hæc aliquam tractat pecuniæ vim, quæ repræſentatur à Quæſtoribus, & etiam aliunde. Habet quoque in navali triremes proprias his duabus characteribus inſignitas C & X. quæ indicant, illas eſſe penes Capita x-Virûm. Tormentorum præterea bellicorum curam omnem gerit. Enimverò ad aliquid deliberandum ex iis ipſis de rebus conveniunt ipſi tantum x-Viri, præter Conſiliarios ſex, & Principem, nemine alio adhibito; quod Concilium x-Virûm ſimplex appellatur. In publicis autem rebus, non in his, tantummodò obtinet eam autoritatem, quam ſuperius expoſui, & quæcunque occulte peragenda ſunt, præcipue adminiſtrat. Quapropter à noſtris majoribus ſancitum eſt, ut in eo Sapientes Maximis Rebus, atque Continenti, Advocatores, & ex Procuratoribus novem convenirent, & xv-Viri Decem-Viris adjungerentur. Cujus quidem Magiſtratus ſumma potentia quandoque tam inſignem invidiam eidem conflavit, ut ægrè admodum ſucceſſores fuerint impetrati: ſed huic malo tandem occurrerunt ii, qui ad gubernacula Reipublicæ ſummi viri ſedebant. Pervicerunt enim contendendo quam maximè, ut lex ea ferretur, qua cautum eſt, *ut antequam ſucceſſores deſignati eſſent, Decem-Viri non abirent ſuo Magiſtratu.* Conſtat is ex Patriciis numero decem, qui eliguntur in Comitiis ea ratione, qua cæteri. Singulis menſibus ex eo numero tres ſortiuntur, qui vocari ſolent *Capita Decem-*

A *Virûm.* Horum trium ſingulis hebdomadibus unus eſt Præfectus, qui, majora Comitia ubi celebrantur, in conſpectu ſedet, nec non ex adverſo Ducis. Penes hos inſignia ſunt ipſius Magiſtratus continenter quem regunt, indicendique Concilii partes præcipuas habent, ad quod ipſi referunt, non tamen valent per ſe ſinguli, ſed ſimul omnes, aut bini ſaltem. Debent autem octavo quoque die convocare Concilium, hoc eſt alios ſeptem, aut etiam frequentius rebus ingruentibus, de quibus oporteat conſilium capere, & deliberare. Antiquitus nullum certum tempus definitum erat, quo Concilium ejuſmodi

B indiceretur. Sed quoniam, ubi Decem-Viri conveniebant, in magna perturbatione Civitas tota verſabatur, non ſine gravi cauſa convenire ipſos rata, id, quod diximus, tempus definire placuit, ut amplius non teneretur ea ſollicitudine. Quando verò ſententia de aliquo ferenda eſt facto rei capitalis apud ipſos reo, & propter aliquod crimen, ex iis quinque dictis, in cuſtodiam tradito, non datur eidem reo ad Concilium pro ſe verba facere, neque adhibere patronum aliquem ad ſuam cauſam tuendam, ſed ante Præfectos ipſos duntaxat ſiſtitur, & quicquid expreſſum fuerit ab eo, literis mandatur; de quo

C demum ad Concilium per eoſdem refertur, & tunc opus eſt, ut unus eorum ſuſcipiat partes hominis tuendi, alioqui patrocinium & defenſionem habere nullatenus poteſt. A Decem-Viris provocare ad alios non licet, neque verò immutari aliquid in ſententiis latis, præterquam vel ab ipſiſmet, qui tulerunt, aut à ſucceſſoribus, ſi quid in eis immutandum fortè videatur. Eorum vero Præſides, atque Præfecti ſunt ii, qui Conclave, in quo habentur Comitia, præſentia ſua ornant, eo, quo dictum eſt, ordine circumſedentes, in Rogatorum quoque Concilium non ipſi tantum, ſed alii quoque ſeptem Decem-Viri

D omnes cooptantur. Munus autem annuum eſt hujus Magiſtratus, quo abeuntibus alterum inire continuò licet, quod etiam Sapientibus, & Conſiliariis, ut præmonui, datur; omnes enim hi Magiſtratus Sapientes maritimis, terreſtribus, maximiſque rebus, Conſiliarii, Decem-Viri, Advocatores, atque Cenſores, impedimentum nullum ſibi mutuò inferunt; quin abſoluta confectaque juriſdictione ex uno in alium tranſire cuique ſit integrum; quin etiam ſi qui in minori Magiſtratu verſatur, majorem adeptus nihil obſtat, quin hunc ſtatim ineat, priore neglecto.

Ioannes. Neceſſariò conſequens eſt his rebus,

E quas diſſeris, omnes eos Magiſtratus, quos enumeraſti, ex ipſa viciſſitudine imperii gerendi, penes oppidò paucos Optimates redactum iri.

Trypho. Recte quidem colligis, idque a nobis ita prædicari ſolet, quotieſcunque Patricius aliquis eò pervenerit, ut Sapiens Continenti perficiatur; ſanè quàm rarò evenire poſſe, quin aſſequatur adhuc aliquem ex iis Magiſtratibus. Sed ad rem propoſitam. Intellexiſti Concilium Decem-Virûm membrum quoddam à Republica divulſum eſſe, immò verò ſejunctum ab eadem omninò, neque vero alio vinculo, quàm quod ut cæteri Magiſtratus per Comitia creantur. De

F quo cum ſatis multa dicta fuerint, reſtat, ut *de Procuratoribus* aliqua dicamus. Et Magiſtratus is in noſtra Civitate maxima cùm honeſtate, tùm exiſtimatione, quamvis ex eorum numero non ſit,

1 *Concilium Decem-Virûm.*] Nulli modò ſunt Decem-Viris adjuncti; longo namque uſu edoctis Patriciis additione carere multo ſatius viſum eſt. Conſtituitur id Concilium à Duce, ſex Conſiliariis, ac ipſis Decem-Viris, præterea nemine. Hi vero de pace, & bello, atque publico ærario nihil planè deliberant. Crimina tantum, eaque ſumma, & atrociſſima audiunt, atque in ſontes animadvertunt, præcipuè perduelles: immo vero tres inſtituti ſunt ex hoc ipſo Concilio, qui cumſtudioſè in ſontes inquirere debeant, ex eo *Status Inquiſitores* appellantur.

sit, in quo ratio sita est nostræ administrationis; sed quia nonnisi cum vita hæc dignitas terminatur, sicut illa Ducis, idcirco magno in honore atque pretio habetur. Præter hæc quoque Magistratus antiquissimus est, & attulit usque ad nostra tempora eam existimationem. Nullus enim fuit unquam in nostra Republica vir nobilis magnæ autoritatis, quin honestari voluerit hac dignitate, ut perpaucissimi Duces sint renunciati, ex quo primùm traditur eadem instituta, qui non extiterint prius in hoc numero atque loco. Unus priscis temporibus erat Procurator, ut ædis *Marciæ* res omnes procuraret, & sacras opes custodiret, idcirco creatus. In obitu deinde *Sebastiani Ziani*, qui multos fundos legavit ædi *S. Marci*, ut distribuerentur per Procuratorem in pauperes fructus inde percepti, cum unus tam multis negotiis par esse non posset, necesse fuit alterum Procuratorem institui, qui *Sebastiani Ziani* legatum prócuraret. Auctis autem in dies multiplicatisque legatis, tertium anno MCCLXX. oportuit creari, quo tempore Dux erat *Raynerius Zenus*, eaque ratione visum est negotia distribui, ut unus eorum templum, & sacras opes curaret; alter ea, quæ ab incolentibus Urbem citra magnum canalem; tertius demum, quæ legata essent ab aliis incolis ultra eumdem canalem. Nos ea consuevimus nominare *de Citra*, & *de Ultra*. Eodem quoque Duce *Raynerio Zeno* quartus electus est, & additus illi collega, qui res templi curabat. Bini alii creati sunt ejusdem rei gratiâ, cum Dux esset in Republica *Joannes Superantius*. Sed ubi *Franciscus Foscarus* Dux est dictus, anno MCDXXIII. terni sunt adjecti. Quare Procuratorum numerus ad novem excrevit, ex quibus tres procurabant res ædis *Marciæ* cum sacris opibus; tres legata in regionibus, atque tribubus ternis citra canalem; tres reliqui in aliis totidem ultra ipsum canalem, quemadmodum etiam fieri consueverat, cum tres solum erant. Cæterum anno M D IX, cum à *Ludovico* Franciæ Rege nostri exercitus ad *Abduam* fusi fugatique sunt, compulsa quærendæ pecuniæ gratiâ Respublica fuit ad ejusmodi honorem tribuendum iis, qui certum pecuniæ numerum eidem mutuò concederent. Exinde tam insignis accessio facta est, ut in præsentia sint numero quatuor & viginti. Omnes autem hi, qui superioribus novem accesserunt, alii in alias ex iis tribus Procuratoribus tributi fuerunt. Eorum administratio, ut exposui, versatur in distribuendis legatis. Habent etiam jus & autoritatem compellendi hæredes, ut ejus, à quo instituti fuerunt, voluntati pareant. Ducalibus indumentis ornati incedunt famulorum aliquo subsequente; à cunctis Magistratibus datur eis locus, nisi in proprio consessu: in supplicationibus quoque, dum procedunt sociati cum Præfectis Quadraginta-Virûm, & Consiliariis per singula paria, claudunt ipsorum latus à læva gradientes. Assignantur Procuratoribus ædes ad habitandum, aut certe annua pensio aureorum sexaginta. Inter Senatores cuncti numerantur; non item inter Decem-Viros, sed tantum novem, qui ex singulis procurationibus terni ab eo Concilio eliguntur. Ad alium verò Magistratum ipsis aditus non patet, præterquam ad unum ex his duobus, aut ad Maximos Sapientes, aut ad Decem-Viros Adjunctos. Sed quo tempore summus Præfectus classis, vel Legatus in castris eligendus est, lex ad Senatum fertur, ut etiam Procuratorum omnium ratio haberi queat. Quod quidem ea de causa institutum fuit, ut per viros magna existimatione & autoritate res bellicæ gererentur, quales existunt ii, qui hac dignitate sunt præditi. Majoribus autem Comitiis interesse non possunt, una Principis electione excepta, quæ singulari quadam lege fuit concessa. Superioribus temporibus moris erat, dum Comitia Majora celebrarentur, eos interea versari ac morari in atrio Ducarii, & nisi dimisso Concilio inde non discedere, ut præsto essent ad occurrendum, si quid mali accideret. Et fortasse quoque fuit hoc ipsum in causa, cur interdictum sit eis Comitio à majoribus nostris. Sed in præsentia consuetudo hæc obsolevit conveniendi, commorandique in atrio Ducarii, donec habentur Comitia, daturque illis opera. Id ex ea quiete ac tranquillitate profectum est, quam in nostra Republica contemplari licet, ex qua certè fit, ut nullus putet in Civitate posse accidere aliquid ejusmodi, quod præsentiam Procuratorum, opemque desideret. Atque ut omnia, quæ dici possunt in hoc genere, absolvam, nullus est in Republica alius Magistratus, quem nostri Patricii tantopere expetere soleant. Vereor tamen, ne plurimum detrahatur ejus dignitati. Nam qui nonnisi multùm provecta ætate, spectataque virtute hominibus honor tribuebatur, hoc temporibus nostris permultos vidimus, qui nullum privilegium haberent virtutis atque ætatis. Id vero temporum malignitati fuerit adscribendum, quæ necessitatem hanc Reipublicæ imposuit maximis difficultatibus implicitæ, graviterque affectæ.

Ioannes. Cur hic Magistratus sit in ea opinione, causam nullam video. Fructus enim utilitatis ex eo perceptæ, cum habitatio duntaxat, vel annua pensio sexaginta aureorum suppeditetur, tantus esse nequit, ut expetendus omnibus ideò videatur. Sed nec etiam video, quomodo habeat hæc administratio tantum dignitatis. Quamvis enim veniant in Senatum, communis est ejusmodi honor cum tam multis aliis, ut tantæ amplitudinis esse causa præcipua non debeat. Unum est tantummodò, quod magni faciendum existimarim, in Concilium Decem-Virûm adscribi, quemadmodum ostendisti; sed tamen id novem duntaxat impertiri solet, quos etiam ætate partaque existimatione antecellere par est opinari.

Trypho. Rectè ais, idque monere institueram, sed memoria excidit. Quod verò spectat ad Magistratus autoritatem, nec non dignitatem, crediderim, acceptas illis referendum esse, qui sunt insigniti hoc honore, perfunctique hoc munere. Iis enim mandari consuevit vel ad hoc usque tempus, qui cum prudentia, tùm probitate celeberrimi sunt. Quo fit, ut primarios viros ex Patriciis nostris hac dignitate ornari perpetuo contigerit, proptereaque etiam ex ordine procuratorio fuisse, quicunque ascenderunt ad summum apicem Reipublicæ. Nam sæpenumero ita evenire videtur, ut artes, atque scientiæ aut nobiles habeantur, aut viles, pro eorum conditione, qui ipsas profitentur.

Hactenus recensui, quicquid mihi venit in mentem de Procuratoribus dicere, neque succurrit quicquam aliud, quod narrare valeam. Quare, nisi quid superest, de quo etiam dubites, rationem judiciorum explicare incipiam, ubi certè, quidnam rei sint *Quadraginta-Viralia Collegia*, *Trium-Viratusque Advocatorum*, nec non *Auditorum* cùm *Veterum*, tùm *Recentiorum*, & cujusmodi sit *Præfectura Quadraginta-Virûm*, & *Collegium Frugibus providendis*, tandemque *de Consiliariis inferioribus*, nonnihil intelliges. Hæc omnia cum sint invicem conjuncta atque colli-

gata, propterea ſimul de omnibus diſſerendum fuerit.

Ioannes. Nulla mihi dubitatio reſidet, aut ſcrupulus, qui ſit evellendus, in iis rebus, quæ pertinent ad Procuratores. Quapropter expecto, ut ediſſeras, quæ præpoſuiſti; arbitror autem & auditu, & notatu quàm digniſſima eſſe.

Trypho. In noſtra Civitate tria ſunt Concilia, quæ ſingula complectuntur XL. Patricios viros, ideoque nominantur XL-Viratus. Primò ut auſpicemur ab eo, qui eſt minima dignitate, nomen eſt XL-*Viratus Civilis Novus*; hic civilibus cauſis audiendis vacat, ſed externis tantum. Nam id genus provocationis eo deferri ſolet, quod à ſententiis provincialium Magiſtratuum datur. Alter appellatur XL-*Viratus Civilis Vetus*, qui civilibus cauſis urbanis operam impendit, urbanorumque Magiſtratuum ſententias omnes, quando provocatum fuerit ab ipſis, aut reſcindit, aut ſancit. Tertius eſt *Capitalis* XL-*Viratus*, quippe qui rei capitali unus eſt præfectus, urbanaque & externa pariter cognoſcit, non à provocatione modo, ſed re planè integra, hoc eſt antequàm judicarit ullus Magiſtratus. Eſt aliud præterea Concilium[1], ſeu Collegium, quod nomen habet à frugibus, ex tam multis Magiſtratibus coagmentatum, ut duo ſupra viginti conveniant Patricii viri; quoniam vero ii, qui præfecti ſunt frugibus, inter hos cenſentur, propterea Concilium hoc nuncupatur *Collegium Frugum*.

Quadraginta-Viratus creandi eſt ejuſmodi ratio. Per Majora Comitia XL-Viri eliguntur, qui exegerint omnes trigeſimum ætatis ſuæ annum; nullus enim eſt capax hujus Magiſtratus, qui nondum emenſus fuerit id curriculum temporis; cæteros autem Magiſtratus quilibet obtinere poteſt, ſimulatque pervenerit ad annum vigeſimum quintum. Non abſolvitur hæc electio una tantum die; ſed octonis diebus, ita ut ſingulis eorum eligantur quini. Hi XL-Viri primò ingrediuntur ad cognoſcendas provocationes externas, quod munus eſt XL-Viratus Civilis Novi, in quo verſantur judices menſes octo; alii quadraginta creantur ſtatim ab eo tempore, qui ſuccedunt primis; illi vero tranſeunt in Veterem Civilem XL-Viratum, cui dant operam itidem menſes octo; & ad extremum evadunt Judices Capitales, conficiuntque juriſdictionem in tertio XL-Viratu, poſtquam elapſi fuerint octo menſes reliqui; ſuccedunt autem alii prorſus eodem modo.

Singula XL-Viralia Concilia tres *Præfectos* habent ſeu *Præſides*, & duos *Propræfectos*, qui honor eſt bimeſtris. Illi à nobis vocari ſolent, *Capita* Quadraginta-Viratus Civilis Novi; *Capita* Quadraginta-Viratus Civilis Veteris; & *Capita* Quadraginta-Viratus Rerum Capitalium. Ex his poſtremi ſunt, quos convenire cum Duce, & Conſiliariis ſuperius eſt dictum, & cum iiſdem gerere perſonam *Venetæ* Reipublicæ.

Hi Præfecti, & etiam Propræfecti hoc pacto eliguntur. Ubi Quadraginta-Viri Civiles Novi creati ſunt, qui poſt octo menſes evadunt Veteres Civiles, & poſt alios octo Judices Capitales, paucis ante diebus, quàm ineant Magiſtratum, in conſpectu Ducis & Conſiliariorum, nec non etiam Præfectorum Quadraginta-Virûm, qui omnes nomen *Dominatus* apud nos A habent, in altera urna reponuntur quadraginta chirographa ſingulorum nominibus inſcripta; in altera quoque globuli ſexdecim aurati inter alios viginti quatuor obductos argento. Permixtis confuſiſque omnibus de induſtria quàm maximè, ex urna priori chirographum ſortito depromitur, & recitatur id nomen, quod eſt in eo ſcriptum. Deinde globulus elicitur ex ſecunda, qui ſi eſt ex argento nihil obtinet ille, cujus nomine fuit elicitus; ſin ex auro, unus habetur ex Præfectis XL-Virûm binis primis menſibus; alter, extremuſque Præfectus non alia ratione colliguntur. Ad proximos binos B omnes quoque inſtituuntur eodem tempore atque modo tres alii Præfecti; ſic etiam alii, atque alii tertio, & quarto loco, ut futuri ſint omnes numero bis ſeni. Poſt hæc tam diu chirographa pergunt ex urna ſua educere, quoad aurei globuli, qui adhuc ſunt reliqui quatuor, depromantur ex altera. Qui ſortiti hos fuerint, nominantur *Præfecti pro re nata*, & ſunt quatuor numero, quorum partes & officia jamjam explicabo. Simul etiam duo Propræfecti, atque hoc modo creantur. Omnia nomina, quibus nihil obtigit, ſunt autem quatuor ac viginti, conjiciuntur in urnam. Globuli quoque undecim C aurei, argenteis tredecim permixti, demittuntur in alteram. Singula deinde chirographa extrahuntur, ſingulique globuli. Quorum nomina incidunt in aureos, hi ſunt Propræfecti, primum par ad duos primos menſes, alterum ad duos proximos; ita tertium, & quartum. Tres autem ultimi ſunt pro re nata Propræfecti. Quapropter eodem tempore unà deſignantur, qui futuri ſunt cùm Præfecti, tum Propræfecti tàm binis primis menſibus, quam reliquis, uſque ad octo deinceps.

Quibuſcunque obtigerit in Quadraginta-Viratu Civili Novo, ut inſtituantur Præfecti atque D Propræfecti, ſive ſollemnes, ſive pro re nata, retinent eundem gradum in Quadraginta-Viratu altero ac extremo. Siquidem, ut diximus, Quadraginta-Viri Civiles Novi, octo menſibus exactis, evadunt Quadraginta-Viri Civiles Veteres, & poſt alios menſes octo, Quadraginta-Viri Capitales. Sedent igitur ii, qui dicuntur Capita Quadraginta-Viratus Civilis Novi, in honeſtiſſimo ejus Concilii loco, cujus ſunt tanquam Præſides. Autoritatem verò habent ſtatuendi de forma judicii, tollendique omnem controverſiam atque contentionem de cauſæ agendæ ratione, ſi qua oriatur; ut, exempli gra- E tia, ſi veniret in diſceptationem; Utrum hæc illi cauſæ prævertenda eſſet, an hæc, & illa ſcripta eſſent recitanda, & cætera id genus. Præcipuæ tandem eorum partes ſunt, iis, qui controverſias habent, legitimo tempore atque ordine copiam facere Concilii. Quapropter ſummo mane ſingulis diebus, antequam Quadraginta-Viri conſideant, ipſi præveniunt, ut ejuſmodi controverſias audiant, atque dirimant. Propræfecti quidem idcirco inſtituti ſunt, quò ſi quis ex Præfectis recuſaretur ut Judex parum æquus, & addictus alterutri ex partibus, ſive neceſſitudinis, ſive alterius cujuſque rei gratiâ, F qui ſubiret ejus locum, judex minimè deeſſet. Pro re nata creantur adhuc Præfecti, ut in promptu ſit, qui ſuccedat, ſi quis Præfectus obtineat, atque ineat alium Magiſtratum: ſemper

1. *Eſt aliud præterea Concilium,*] Concilium Frugum nihil in præſentia judicat aut definit, præter ea, quæ ad fruges ipſas, & rei præſertim *frumentariæ* copiam maximè ſpectant: ſed in ejus locum Viginti-Virûm, & Duodecim-Virûm Collegia ſuffecta ſunt, quæ eodem planè ordine & ratione cauſas audiunt, quibus Quadrageſima-viralia Concilia: ſed quæ CC. nummorum ſummam non excedunt, à Duodecimo-virali; quæ vero ſuperant uſque ad D. nummos, à Vigeſimo-virali Collegio terminantur.

per enim alium capere, si libet, sed eo, quem gerit, deposito, cuique licet. Quod si usu veniret, ut Præfecti solemnes fierent omnes, qui erant pro re nata, & tamen adhuc esset opus alio; tunc res ad sortem revocatur, ac unus ex iis debet eligi, quibus in sortitione prima nihil obtigit. Eadem ratione si Propræfectus abiret suo Magistratu, ut gereret alterum, qui Propræfectus erat pro re nata in ejus locum succedit. Et si aliquis ex his desideraretur, fieret id, quod diximus, de Præfectis pro re nata. Sed postquam octo menses fuerint elapsi, Quadraginta-Viri Civiles Novi transeunt in locum Quadraginta-Virûm Civilium Veterum, & alii Quadraginta-Viri recens creantur futuri judices in Quadraginta-Viratu Civili Novo. Quicunque igitur primo, secundo, tertio, & quarto loco Præfecti, sive Propræfecti per duos menses fuerant in Quadraginta-Viratu Civili Novo, eodem planè ordine, atque eadem autoritate sunt in altero proximo Quadraginta-Viratu. Porro mensibus octo itidem transactis hi, qui erant Quadraginta-Viri Civiles Veteres, evadunt Quadraginta-Viri Capitales, nec non Quadraginta-Viri Civiles Novi, postmodo fiunt Veteres, & alii Quadraginta-Viri Novi sunt creandi. Qui erant in Veterum Præfecti atque Propræfecti, sunt adhuc eodem ordine Quadraginta-Virûm Capitalium. Sed hoc tantum interest, quod horum Præfecti non in Concilio, sed cum Duce, Consiliariisque sedent, quod superius exposui. In eorum autem loco sedent inter Judices Capitales tres *Consiliarii*, qui dicuntur *Inferiores*, unà cum tribus iis Præfectis, qui succedunt proximis mensibus, ex quibus unus quidem supra, alii verò duo consident infra ipsos, sed non semper iidem; nam singulis hebdomadibus sedes permutantur, vicissimque locum superiorem tres illi obtinent. Quapropter Præsidum loco sunt in Quadraginta-Viratu ipsi Consiliarii, unà cum Præfectis autoritate legum referendarum, ut dicemus, præditi.

Adhæc in Comitiis creantur tres Magistratus, qui causas omnes præferunt ad Quadraginta-Viros, singuli verò ad id Consilium, quod sibi est attributum. Primus continet *Trium-Viros Advocatores* Reipublicæ, à quibus causæ perferuntur ad Quadraginta-Viros Capitales; Alter *Trium-Viros Auditores Veteres*, qui causas ad Civile Concilium Vetus afferunt urbanas; Tertius *Trium-Viros Auditores Recentiores*, qui externas inferunt in Novum Quadraginta-Viratum. Sanè Trium-Virûm Advocatorum Magistratus maxima est autoritate in nostra Republica, & non nisi viris conceditur, qui & matura ætate, & probitate, & prudentia spectabiles habeantur. Præcipua cura ipsi incumbit, ut leges non violentur; quapropter in judiciis reo semper adversatur. Si quis autem in civili disceptatione causâ cecidit, tàm actor, quàm reus, & sententia lata est à provinciali Magistratu, nimirum, vel à Prætore, vel à Præfecto, qui mittuntur ad urbes, atque oppida regenda *Venetæ* ditionis: hic Auditores recentiores adire potest, eosque omnibus iis argumentis, quæ sunt idonea fidei faciendæ edocere potest, de injuria quam existimat sibi illatâ. Agitur verò causa partium apud hos Auditores, quomodo acta fuit ad priorem judicem, proferunturque eædem tabulæ atque scripta, eadem testimonia, quoad saltem unus, si non simul omnes, intercedere statuat: intercessio ipsa refertur in publicum codicem.

Ubi lis æstimatur majoris, quàm trecentis aureis, causa perferenda est ad XL-Viros Civiles Novos; & qui reus erat ante judicem priorem, si

A siquidem provocet ipse, hic evadit actor; alter ex actore fit reus, tametsi neuter eorum nomen suum mutat. Nam qui reus erat initio, vocatur adhuc reus, atque ita etiam actor. Sed quando Auditores intercedunt, notari debet ab iis bimestre spatium non amplius concedi provocanti, intra quod si copia non fiat eidem Concilii aliqua de causa, futurum ut adversarius conetur exequi sententiam judicis prioris. Quapropter is, qui ab Auditoribus obtinuit, ut intercederetur, ubi animadvertit se Concilium consequi non posse intra tempus sibi præfinitum, confugit ad Præfectos Quadraginta-Virûm, ut
B de intercessione proferenda Concilium consulant, à quo uno id præstari potest, & præterea à nemine. Atque ita demum prorogatur intercessio ad duos alios menses; & etiam si contingeret hoc tempus elabi non audita causa, potest eodem modo impetrari alia prorogatio, atque alia.

Sed quemadmodum causæ tractantur in hoc Concilio, planius ut intelligas, hæc præterea dico, Reum, nempe illum, de quo præjudicia sunt facta ab altero judice, simulatque ab Auditoribus impetraverit intercessionem, contendere ad Præfectos Quadraginta-Virûm, ut fiat copia Concilii. A quibus certè fit, modò aliæ causæ,
C quæ præcedant, non sint impedimento; aliòqui facere recusant, comperendinantque ad triduum, neque enim possunt ultra hoc tempus, quod omnium longissimum atque summum est, quod audiendis causis tribuant Quadraginta-Viri. Sed ubi demum Concilii copia facta est, adhibitis iis patronis, quos libet, eòdem procedit, & jubet eos pro se verba facere, aut ipsemet verba facit. Actor etiam, nempe ille, secundum quem pronunciata fuit altera sententia, aut ipse causam agit, si mavult, aut causidicos adhibet, sed nullus est, quin causidicos adhibere malit. Præstant eam operam, aut cives, aut viri nobiles,
D qui profitentur hanc facultatem cùm tuendi, tum accusandi, mercedis causâ, prout vel à reis producuntur, vel ab actoribus. *Advocati* ut juris periti sint, minimè requiritur, nec etiam, ut illi facultati unquam operam dederint. Satis est, ut in decretis atque sanctionibus Reipublicæ sint egregiè versati. Scias autem velim, antiquissima quadam lege cautum fuisse, ne quis habeat orationem ad Magistratum, qui non sit vir Patricius. Ideoque ejusmodi Advocatos in Comitiis XXIV. instituti, ex his tantum quatuor iis Curiis, quæ sunt apud *Rivum altum*; iis verò, quæ sunt in ipso Ducario, cæteros attribui. Si
E quis alteri litem intendit, aut in ipsum infertur, necesse est, ut alicujus opera ex ipsis utatur, & certam quandam mercedem eidem persolvat. Necessitas autem huic vicissim imponitur, ut pro eo diligenter causam agat, à quo mercedem accepit. Sed ejusmodi consuetudo in præsentia admodum non tenet. Nam quamvis adhuc in more sit Advocatos creare; perpauci tamen causis agendis vacant, utilitatis, quam tamen percipiunt, fructibus contenti: solet enim mandari hoc munus ferè tantum junioribus. His igitur opibus destituti, qui habent controversias, ad aliorum patrocinium necessariò confugiunt.
F Atque ita cum magna sit paucitas eorum, qui profiteri velint hanc artem, ex patricio genere, permissa est aliis ea cura, contra quàm lex præcipiebat. Sed ut ad rem institutam, locus, ex quo verba faciunt Advocati, satis eminens est. Ad pedes Notarius adest Quadraginta-Virûm, qui præ manibus tenet eas tabulas, quæ sunt exhibendæ, frequenter verò inter orandum recitare jubetur aliud atque aliud caput, hoc aut illud scriptum. Singulis partibus ad causam di-

cendum præfinitum eſt certum ſeſqui-horæ ſpatium, excepto eo tempore, quod recitandis tabulis atque ſcriptis datur. Quapropter interea dum loquitur Advocatus, ſtat horologium, in quo arena defluit; inclinatur autem in latus, dum Notarius legit, ne quid ex conſtituto tempore depereat. Ubi repetitur oratio, de integro erigitur, ut magna quædam ſimilitudo his noſtratibus Advocatis cum antiquis *Romanorum* Oratoribus intercedere videatur. Poſteaquam ſingulæ partes allegarunt ſua jura, & nihil aliud ſupereſt, quàm ut feratur ſententia, ex Quadraginta-Viris unus natu quidem minimus ſingulis judicibus ejuſmodi ſacramentum defert, ſic eum judicaturum, ut recta conſcientia perſuaſerit. Exinde ſuffragia adhibentur ferendæ ſententiæ, quæ colliguntur in tribus loculis, unà coagmentatis. Quicunque priorem ſententiam reſcindunt, inferunt in primum: in proximum, quicunque comprobant, quod *Laudare* nos dicimus. Quibus nondum liquet, hi *Non ſinceri* appellantur, & in extremum loculum dejiciunt globulum, quem habent. Si plures numero ſunt eorum, qui laudant, quàm qui reſcindunt, neutroque inclinant ſuffragia; cauſa tunc eſt peracta, lataque eſt contra reum, hoc eſt eum, qui provocavit, ſententia. Quod ſi ea, quæ reſcindunt, ſuperant alia duo conjuncta; tunc intelligitur ſententia prior nullius eſſe roboris, rediturque ad eundem judicem, ſi libet ab eo, qui gravem rem ducit. Nam Quadraginta-Viri nihil aliud, niſi quod prioris judicis ipſam ſententiam antiquant, aut irritam faciunt. Fieri autem poſſet, ut nonnihil æqui contineret ejus poſtulatio, ſecundùm quem lata fuerat altera ſententia. Quapropter ut obtineat, ſi quid eſſet æqui, poteſt iterum venire ad eundem judicem, novaque afferre poſtulata, & eodem planè ordine, lite ac judicio perſequi. Veruntamen ſi nulla pars alias utraſque ſuperat, hoc etiam altero judicio res non definitur; proinde de integro cauſam agere oportebit, non alio quidem ordine, quàm fuit explicatum. In hoc autem judicio, quod eſt tertium, non habenda eſt ratio eorum, qui Non ſinceri vocantur. Quibus enim bis audita cauſa, tamen nondum liquet, pro certo exiſtimari poteſt, fore ut amplius non liqueat. Quare ſpectatur eorum numerus modo, qui probant aut improbant, cauſaque demum obtinetur per eos, utri ſuperaverint. Hac itaque ratione plurimùm tribus continuatis judiciis cauſa, cujuſcunque generis ea fuerit, expediri ſolet. Antea ſpectare conſueverat adhuc in tertio judicio, ſi quibus etiam non liqueret; atque ideo non ſuperante una reliquas duas partes, nihil eo judicio decretum exiſtimabatur, & opus erat orationem dictam iterare, eodem quidem ordine, ſed ad multo plures judices. Accedebant enim Quadraginta-Viri Capitales. Sed eo tempore, quod notari debet, Quadraginta-Viri Civiles Novi nulli adhuc erant. Quare quicquid per eos nunc adminiſtratur, id adminiſtrari per Veteres olim conſueverat. Illud quoque prætereundum minime fuerit, ea die, qua prima judicium inchoatur, nihil aliud agi, niſi quod ipſa cauſa breviter proponitur; hoc eſt breviter oſtenditur, cujuſmodi ſit ea res, de qua eſt diſcèptandum, nullaque alia re audita itur in ſuffragia (vernacula noſtra lingua, *Ballottæ* nomine utitur, idque etiam ego dum loquerer *Hetruſcè*, toties uſurpavi, ut exiſtimem in numerum *Hetruſcorum* jam receptum eſſe, donatumque ipſa civitate uti novum civem) ſed unuſquiſque globulum eò injicit, quo ſolent ii, quibus res nondum liquet. Reliquis diebus Advocati orationem habent pro ſuis

A quiſque partibus, & eo, quo dictum eſt ordine, cætera procedunt. Poſtremo judicio, quod prætermitti non debet, utriſque non ſemel tantùm verba facere, ſed quotieſcunque libet, toties etiam licet, dummodo ſeſqui-hora non prælabatur ad ſingulos cives, eademque die ſententia plane terminetur. Quare interdum uſu venit, ut partibus, orationem ſæpius iterantibus, totoque matutino tempore conſumpto, neceſſarium ſit terminandi judicii cauſâ, ut xl-Viri conveniant rurſum poſt meridiem.

Si litis æſtimatio quinquaginta quidem excedit, ſed non aureos trecentos, admiſſa provocatio per Auditores pertinere intelligitur ad *Collegium Frugum* ea de cauſa inſtitutum, ut ab aureis quinquaginta uſque ad trecentos omnes cauſas, tàm externas, quam urbanas tandem definiat. Alternis porrò menſibus, eas viciſſim audit, & res aguntur eadem ratione atque ordine, quo apud Quadraginta-Viros, nullo intercedente diſcrimine, niſi quod oritur à numero. Siquidem Collegium Frugum conflatum eſt ex judicibus viginti duobus, cum bis viginti contineat Quadraginta-Viratus.

Quod ſi lis fuerit infra quinquaginta aureos, neque ad Collegium Frugum, neque ad Quadraginta-Viros defertur, ſed *Auditores* ipſi pro ſua poteſtate minimis hiſce cauſis finem tunc imponunt, quandocunque tres ſimul, hoc eſt omnes conveniunt; aliòquin aliud judicium convocari ſolet, ſi altera pars petat ex tribus Magiſtratibus coagmentatum, nimirum ex Auditoribus cùm Veteribus, tùm Novis, & ex iis, quos vocamus *Cataveres*; omnes autem collecti ſunt novem judices, ex quibus minimè ſeptem adeſſe oportet, ſi ſententia eſt ferenda, aliàs non fertur. Eſt autem rata ea ſententia, quæ ſuperat dimidiam partem ſuffragiorum. Veruntamen ſi tres Auditores ſimul, omnes nempe conſentiunt, opus eſt, ut æquo animo rem ferat is, qui cauſâ cecidit.

Atqui ſcire id oportet, ſi fortaſſe contingat, ut ne unus quidem ex Auditoribus velit intercedere, duobus menſibus elapſis, qui petit id, huic licere ad Quadraginta-Viros ita demum accedere, ſi deponat eam pecuniæ ſummam, quæ Auditori perſolvitur. Solet autem æſtimata lite pro centenis quibuſque aureis certum quid ei perſolvi, dum tamen intercedat. Eo non intercedente, ubi provocatio datur, pertinet id pecuniæ genus ad ærarium publicum. Nihil autem obtineri poteſt, niſi ea pecunia depoſita fuerit, ac duo menſes elapſi. Enimvero ſi controverſia fuerit inter cives, hoc eſt urbana, qui provocare intendit, Auditores Veteres petit, à quibus quandocunque provocatio admittitur, aut imponitur liti finis, ſi minoris ea ducitur aureis quinquaginta; aut alterutro debet introduci, à quinquaginta ad trecentos aureos, in Collegium Frugum ſupra trecentos ad xl-Viratum Veterem Civilem, non alia ratione, quàm fieri diximus ad Novum.

Verum *Capitalis* de rebus omnibus cum urbanis, tum externis pariter cognoſcit, neque modò cauſas & crimina delata ex provocatione, ſed etiam ea, de quibus nullum præjudicium eſt factum. Nam quæſtiones univerſæ maleficiorum conſtitutæ ſunt de more in hoc ipſo Concilio, præterquam furti ſimplicis, cædiſque non certo conſilio factæ, quæ pertinent ad Trium-Viros Nocturnos; vulnerum quoque in alia parte, quàm in facie: hæc enim à Quinque-Viris Paci permitti ſolent.

Quicunque igitur provocare inſtituit ab aliquo Magiſtratu, vel urbano, vel provinciali, con-

confugit ad Trium-Viros Advocatores, qui diligenter animadversa causa, & re probè inspecta, an sit intercedendum, maturè deliberant; si visa fuerit intercessio non impertienda, omnesque pariter conveniant in hac sententia, remedium aliud nullum superest, quàm alios Advocatores præstolari. Sin autem intercessioni locus fuerit, qui satis est, ut ab uno eorum præbeatur, eodem ordine atque ratione omnes res procedunt, sicut in cæteris Conciliis Quadraginta-viralibus, non alio discrimine, quàm quod in illis Auditores Veteres ac Novi, postquam intercesserunt, nihil aliud curant, partesque ipsæ accedunt ad Quadraginta-Viros, adhibitis patronis sive causidicis. In hoc autem Trium-Viri Advocatores non solum intercedendo provocationes admittunt, sed etiam patroni munere funguntur ad XL-Viros, causa per eos introducta. Qui verò provocavit, si reus erat, fit actor, tametsi non alio, quàm rei nomine vocetur. Patrocinantur autem ipsi, vel omnes Advocatores, aut certe ille unus, qui decrevit intercessionem: sed qui apud priorem judicem fuerat actor, hic mutatus in reum, quamvis actor maneat revera atque ita nominetur, aut ipse suam causam agit, aut adhibet Advocatos, quod in binis aliis XL-Virûm Conciliis fieri solet, idem quoque hic peragitur, atque eodem modo, quoad sententia feratur, aut secundum, aut adversus reum: illud, ubi ea rescinditur, fieri solet; hoc, ubi comprobatur sententia judicis prioris; ad hunc tamen redire non amplius licet, quemadmodum in civilibus causis evenire solet, quandoquidem statuunt ipsi XL-Viri, an reus plectendus sit, & qua ratione plectendus. Res autem hoc modo procedit. Advocatores, ubi fuerit antiquata sententia, quam prior judex tulit, referunt ad Concilium ea de re, utrùm reus aliqua pœna dignus videatur. Si per plures obtineat, ut impunitus discedat, eo ipso censetur statim absolutus. Veruntamen si plurium suffragatione assecutus non fuerit impunitatem, Advocatores, Consiliarii inferiores, & Præfecti Concilii sententiam rogant (præter hos autem nullus alius rogare potest) qua pœna videatur ille afficiendus. Potest quidem fieri, ut omnes in eadem sententia conveniant; sed quandoque habent varias discrepantesque sententias: nam singulis referre de pœna pro suo arbitrio datur. Pro singulis itaque sententiis colliguntur suffragia, eaque sancitur, in quam propenderint suffragia majoris partis, atque ita prout eadem jubet, reus pœnam subit. Nonnunquam contingit, ut aliquis injustè damnetur à Magistratu, quo post provocationem absoluto, ejus injustitiæ pœnas nullus sit, qui pendat: hoc enim in Magistratu ipso certum ponitur, erroris causam præbuisse non malitiam ullam, sed vel opinionem, vel rei fortè culpam. Præterea verò integrum est ipsi Magistratui, qua ratione cæteri se defendunt, suum judicium tueri. Quod si contigerit hominem condemnatum fuisse propter falsum testimonium, quod aliquis dixerit, aut aliam accusatoris fraudem, quæ Magistratum induxerit; puniri solent illi testes, atque accusatores ea ratione, qua dictum est, dummodo sistentur; alioqui publica voce præconis evocati citantur, quod à nobis *stridare* vulgo dici solet, hoc est certum tempus definire, quo se sistere debeant. Intra hoc nisi se sistant, legitime damnari solent, hoc est bona publicantur, ipsi verò mulctantur exilio, tandemque afficiuntur iis pœnis, quas ipsæ leges statuerint in reos contumaces; hoc autem modo cum omnibus agitur, qui se non sistunt citati. Sed multa pertinent ad hæc judicia singulari ratione, quæ in præ-

A sentia mihi satis minimè succurrunt. Ne graveris quæso tu interrogare, si quid habes minus perspectum.

Ioannes. Nisi tibi grave accidat respondere, mihi quidem gratissimum fuerit percunctari. Cedo igitur, si quis provocat à provincialibus Magistratibus, qui adesse nequeunt, ut suam sententiam tueantur, quonam modo res transigitur?

Trypho. Hac ratione: *aut* ipsa controversia est inter actorem; & reum, ut si quis de illata vi postulatus condemnaretur; *aut* inter Magistratum, & eundem reum quemadmodum sæpenumero fieri solet, ut dentur occulta judicia, quibus à judice maleficii reus peragatur. *In priori*
B non est, quod Magistratus ipse laboret de sententia tuenda, cum ad illum spectet, secundùm quem lata fuit. *In altera* controversia, si reus provocat, Magistratus verò ipse constituit adesse, expectandum erit, donec jurisdictionem conficiat, ut tunc demum adsit. Quòd si adesse negligat, permittere potest, ut Quadraginta-Viri videant, statuantque quid juris, atque ita causa transigi potest atque terminari. Hoc autem quod dixi, commune est omnibus causis, in quibus agitur res capitis, aut etiam civilis.

Ioannes. Gedo adhuc; quando Magistratus il-
C li, qui sunt in provincia, sententiam tulerint contra aliquem egestate afflictum; nam controversiæ non minus inter pauperes, quàm inter locupletes oriuntur, facinora quoque cùm ab his, tùm ab illis æquè perpetrantur; sed tamen pauperibus, quia sumptus sustinere non possunt, non suppetit ea facultas, ut *Venetias* petant, sive causæ civiles fuerint, sive capitales, quia sermo est pariter de omnibus; habetisne igitur aliquid hac de re constitutum, quo liceat illis obtinere jus suum, quibus inopia moram infert atque impedimentum?

Trypho. Maximè verò; neque est, quòd ipse
D putes, Majores nostros huic rei minimè succurrisse, cui succurrendum maximè fuerat, si cuivis alii. Nam multis partibus sunt plures egeni, quàm divites, id quod omnes norunt; sicut autem majorem numerum conflant, ita minus ambitionis morbo laborant. Quamobrem si datur ipsis tranquillè vivere à nemine oppressis, in eo plane acquiescunt neque turbas excitant; quo fit, ut ii, qui student novis rebus, ambitione adducti quiescere cogantur, dum cernunt illos quiescentes. Quod si contra fiat, atque inopes malè accipiantur, oritur inde seges magna seditionum, plurimùmque tumultus consequuntur, ubi ansa præbetur, nisi eorum, qui
E præsunt, vigilantia citò hæc mala sedentur. Argumento id est, quod civitates invadere statuentes, summi belli Duces potissimùm in eam spem sunt erecti, ex eo quod viderent, populos malè acceptos non probè in suum Principem animatos esse. Prudenter itaque Majores nostri operam dederunt, ut non minus pauperibus, quàm divitibus per leges ipsas liceret suum jus obtinere. Sanxerunt enim, ut Trium-Viri Auditores Novi ditionem *Venetam* universam in Continente biennio quoque lustrantes peragrarent, & commorarentur ubique locorum aliquantisper, ut si quis esset, qui ad eos provocandi gratiâ
F conferre se non potuisset *Venetias* usque, is ejusmodi facultate minimè careat. Dant igitur operam Auditores omnibus iis causis, quæ ad ipsos delatæ fuerint, tàm capitalibus, quàm civilibus audiendis, ex quibus omnibus eæ literis consignantur, quæ saltem uni, si non pluribus visæ fuerint cum æquitate, & justitia conjunctæ. *Venetias* reversi referunt ad Quadraginta-Viros ea ratione, quà est dictum, ad Capitales, quæ-

cunque capitis censentur; res autem alterius generis ad Civiles Novos. Quo fit, ut non solùm Trium-Viri Advocatores, sed etiam Auditores Novi in Capitali Quadraginta-Viratu causas persequantur, sed non alias præter has, quas modo recensui. Et quia nimis longum atque etiam operosum esset, Auditores obire provincias maritimas, quadriennio quoque mos est creare Duumviros, qui *Syndici Maritimi* à nobis appellari solent, ut oppida & urbes, cunctaque adeo loca perlustrent, quæ in *Dalmatia*, in *Illyrico*, atque in *Græcia* obtinet Respublica, præstaturi eadem, quæ Auditores in Continenti, relaturi quoque post reditum ad Quadraginta-Viros vel Capitales, vel Civiles Novos, prout causæ exegerint, quas quidem agunt non secus, quàm Advocatores. Itaque Syndici causam pro reo dicunt; contraria pars adhibet Advocatos, ut dixi, aut ipsa pro se verba facit. Eas verò causas, quæ intercedunt reo cum Magistratu, antequam jurisdictio conficiatur, agere non licet, nisi Magistratus ipse assentiatur, quod superiùs monui.

Ioannes. Hæ controversiæ, quæ oriuntur ex provocationibus, possuntne ab aliis cognosci, quàm à Quadraginta-Viris?

Trypho. Possunt, sed non omnes. Nam de civilibus Senatus cognoscere potest, non item de aliis. Quænam verò sit ratio cognoscendi, jam intelliges,

Ioannes. Ad Quadraginta-viralia Concilia spectantne aliæ causæ, præter eas, quæ deferuntur ex provocationibus?

Trypho. Utique spectant, sed non ad alia, nisi ad Capitale, quod etiam cognoscit, atque statuit de re adhuc integra, quemadmodum solet prior judex, ut superius dixi: exempli gratia; si quis vitæ, aut fortunarum, aut existimationis discrimen, sive detrimentum aliquod subierit, licet huic pergere ad ipsos Advocatores, & adversarium eorum criminum postulare. Causa verò suscepta per eos agitur, ut exposui superius. Multa præterea in hoc Quadraginta-virali Concilio pertractari solent, quæ suscipiuntur ab Advocatoribus Collegio jubente; ratio verò est hujusmodi: fieri posset, ut aliquis ex iis, qui maritimis rebus præfecti sunt, aut Legatus in castris, aut Orator apud Principes, aut quilibet alius Magistratus non obiret publicum munus ex præscripto, atque ex formula. Hæc ubi comperta fuerint ex literis aliisque nuntiis, quos de more venire omnes in Collegium paulò ante admonui, licet unicuique eorum, qui intersunt, adversus ipsum sententiam dicere, nec non referre ad collegas alios de eadem. Si quis autem ita ferat, velintne Magistratum non solum abrogari, verùm etiam illi mandari, ut se Advocatoribus tradat, & permittat; idque sancitum fuerit in Rogatorum Concilio, prout explicavi, aut etiam in Concilio Decem-Virûm (siquidem rata sunt ab alterutro comprobata, & justa) reo tunc imponitur ea necessitas, ut se Advocatoribus sistat, à quibus oppugnari debet non secus ac nocens: causa vero agitur ea planè ratione, atque ordine, quo supra memoravi, aut in Concilio Quadraginta-Virûm, aut in Senatu, aut etiam in Majoribus Comitiis, pro Advocatorum arbitrio, à quibus jussu Collegii suscepta res fuerit. Ejusmodi sanè causa erat *Angeli Trivisani*, qui post acceptam cladem in *Pado* à *Ferrariæ* Duce negligentiæ reus factus est, accusatusque ab Advocatoribus ex autoritate Collegii, imò verò eorum, qui Reipublicæ præsident (hoc enim rectè dici potest) pœnas quoque dedit. Non dissimilis fuit causa Ducis *Lauredani*, de qua supra memini; neque verò illa Ducis A *Antonii Grimani*, sed non paucis antè annis, quàm perveniret ad eam summam dignitatem. Hic Imperator ornatissimæ classis adversus *Turcas* in crimen vocatus est, quod cum hoste manum conserere noluisset, eoque inspectante amissa *Naupactus* esset. Utraque verò causa cùm propter objecta crimina, quæ levia non erant, tùm propter eorum, quorum nomina delata fuerant, summam dignitatem, rejecta fuit ab ipsis Advocatoribus ad Majora Comitia.

Ioannes. Nondum certè dixisti, quisnam ferre valeat ad Majora Comitia, aut ad Rogatorum Concilium, quandocunque ejus generis causæ B inibi tractantur.

Trypho. Ita est, sed nihil tibi omnino deperiit: nunc enim ad hæc omnia explicanda ingredior. Ad ea Concilia, quæ commemorantur abs te, Advocatores, aut eorum loco Auditores Novi, Syndicique Maritimi, quorum autoritas est in causis provincialibus, Dux etiam, & Consiliarii, & Præfecti Quadraginta-Virûm, de pœna, quæ sumi debet, jus habent ferendi. Cæteris omnibus, quocunque in Concilio res agatur, in aliquam sententiam ex his discedendum fuerit.

Ioannes. Quando contigerit aliquem compre- C hendi, atque in manu esse, ut quæstiones de ipso sint habendæ, vel tormentis, vel alia ratione, quodnam genus instituti atque juris apud vos est?

Trypho. Præclarum sanè, atque ejusmodi, ut nihil eo melius opinor, queat excogitari. Ubi res & causa delata fuerit ad Trium-Viros Advocatores, sive integra, quemadmodum fieri solet in priori judicio, sive ex provocatione, sive ex autoritate Collegii, accuratè res ab iisdem expendi solet, suisque ponderibus atque momentis examinari. Si fuerit gravis atque ejusmodi, ut existimandum sit, aliquod periculum immi- D nere, nisi celeriter & quam occultè res ea peragatur, jus est ipsis per se jubendi, ut comprehendatur reus, sed non jus, eum in custodia retinendi ampliùs quàm triduum. Cum autem quæstionem de homine oporteat habere, petendi sunt Quadraginta-Viri exposita causa, ut quoad ipsa probè cognita fuerit, ac dijudicata, per eos potestas fiat hominis retinendi, nec non in ipsa quæstione tormenta admovendi. Quæ sanè potestas fieri solet, modò assentiatur major pars Quadraginta-Virûm. Veruntamen si causa tanti momenti non fuerit, ut opus esse videatur tam magna celeritate, ac silentio, solent Advo- E catores petere à Quadraginta-Viris, ut liceat sibi reum comprehendere; qua facultate impetrata non requiritur ampliùs alia, ut quem comprehenderint, retinere possint: sufficit enim jus prehensionis datum, assentientibus Quadraginta-Viris ex majori parte. Fit exinde potestas quæstionis habendæ, quæ facta potestate comprehendendi sive retinendi, negari non solet. Quæstionibus præest Collegium quoddam, quod conflatum est ex duobus Consiliariis Inferioribus, totidemque ex Judicibus Nocturnis, atque ex uno Præfecto Quadraginta-Virûm, & ex uno Advocatore, qui coram omnibus à reo quærit. Is au- F tem si causam suam tueri conatur, rationes & argumenta undique conquirit, testes quoque cæteraque omnia, quibus innocentiam suam comprobare possit. Tunc autem, si quatuor è Collegio saltem id censeant, admoventur tormenta, ut sensus doloris atque cruciatus ab eodem exprimat, quod proposito solum metu tacere constituit. Habita vero quæstio per unum à Secretis refertur in codicem, & promulgatur ex more; nimirum copia fit illius cùm patronis rei, tùm

tùm Advocatis etiam pro contraria parte, ſi qua modo eſt, tandemque omnibus, qui cupiant legere, aut videre. Poſtea reditur ad ipſos Quadraginta-Viros, & eo, quo diximus ordine, cuncta peraguntur. Advocatores ipſi reum quàm acerrimè oppugnant, qui viciſſim adhibet Advocatos, ut ſuam cauſam orent, alteroque, vel ſummùm tertio judicio, ad extremum aut abſolvitur, aut condemnatur. Poſt damnationem vero pœna definitur, quàm pendere debeat, ex Advocatorum ſententia, vel certè Conſiliariorum Inferiorum, vel Præfectorum Quadraginta-Virûm, qui cum illis conſident, ut neceſſario ſit ea pœna ſubeunda reo, quam maxima ſuffragiorum pars conſtituerit.

Ioannes. Si contingat, à Quadraginta-Viris minimè dari jus comprehendendi, aut etiam retinendi, quando jubentibus Advocatoribus reus datus in cuſtodiam fuerit, quid tunc agi ſolet?

Trypho. Si Quadraginta-Viri non tribuant jus prehenſionis, gravius quicquam de reo conſuli non poteſt: alterutrum enim poni neceſſario debet, aut hominem in nulla re quicquam nocuiſſe, aut non ejuſmodi, quæ digna ſint animadverſione tanti Concilii, ſed ad Magiſtratus Minores de jure ſpectent, nimirum vel ad Trium-Viros Nocturnos, vel ad Quinque-Viros Pacis. Eadem ratione, ſi quiſpiam in cuſtodiam tradatur, quem retinere per Quadraginta-Viros non liceat, reſtitutus in integrum, atque liber abit, inhibito Advocatore, nequid ultrà pergat.

Ioannes. Prout ſingula mihi occurrunt, dubitationemque identidem afferunt, ſic in iis percunctationes varias interpono, ut mirum non ſit, ſi nonnunquam complector ea, quæ non ſatis inter ſe cohærent. Cum igitur fines Imperii, ditioniſque veſtræ ſatis latè patere ſciam cùm terra, tùm mari, nec non ſatis amplam, & frequentem eſſe Urbem, tanti imperii ſedem, exiſtimo neceſſariò fieri, ut magni concurſus fiant ad Judicum tribunalia. Quapropter explicari mihi, atque ediſſeri cupio, quiſnam ordo, & quænam ratio ſoleat adhiberi, ut citra perturbationem res expediantur.

Trypho. Ratio, & ordo ejuſmodi eſt: Cauſæ omnes, verbi gratiâ, delatæ ad Advocatores, per unum à Secretis excipiuntur, literiſque mandantur, primo, ſecundo, tertio loco, ac deinceps, prout ſingulæ deferuntur. Quo verò ordine ſunt exceptæ literiſque mandatæ, eodem planè inducuntur in Quadraginta-virale Concilium; nec alius ordo in ſecundo, ac tertio judicio, quàm in primo ſtatuitur. *Prærogativæ* tamen *Privilegium* eſt certis cauſis, quæ licet poſtremæ fuerint, cunctis anteferuntur. Hujuſmodi ſunt [1] in carcerem conjectorum, ſepulturæ, medicinæ, farinæ ex farinaria taberna, mercedis pupillorum, conjunctorumque cauſæ, utpote ſi pater in judicio diſceptaret cum filio, aut frater cum fratre; Procuratoriæ tandem, hoc eſt quæ ad Procuratorum pertinent adminiſtrationem. Hæ ſunt cauſæ, quæ cæteras omnes debent antecedere: quæ donatæ fuerint hoc privilegio præter eas, non memini.

Ioannes. In quolibet Concilio Quadraginta-virali evenire poſſe, arbitror, ut extremo judicio utraque adæquet urna, tàm quæ reſcindit; quàm quæ ſtabilit aliquam ſententiam, ita ut nihil omnino conſtituatur. Cedo ergò, ſi quod A remedium comparatum habetis, ne ſententia, cùm id evenerit, relinquatur anceps atque incerta.

Trypho. Si fortè, quemadmodum ais, neque reſcindatur ſententia, neque comprobetur, & res civilis agatur, permutantur judicia, ſucceduntque Concilia Quadraginta-Virûm Civilia, alterum in alterius locum. Quod ſi contigerit aliquid ejuſmodi in Collegio Frugum, cauſæ provinciales atque externæ ad Quadraginta-Viros Novos; urbanæ verò ad Veteres ſunt rejiciendæ, orandæque de integro, quemadmodum in Quadraginta-viralibus Conciliis fieri diximus. B Enimverò ſi paria numero fuerint etiam tunc ſuffragia, in Majoribus Comitiis lex ea ferri debet, ut Rogatorum Concilium de ipſa re cognoſcat. Lege ſancitâ cauſa agitur in Senatu, atque in eo demum terminatur. Atque ita controverſiæ ex provocatione delatæ ad Quadraginta-Viros, perveniunt etiam ad Senatum, quam rem antea declarare tibi pollicitus fueram.

Sed tamen ubicunque capitis res agitur, à Quadraginta-Viris toties iterantur ſuffragia, quoad in alterutram partem denique propendeant. Igitur quæ ad Quadraginta-Viros capitales cauſæ deferuntur, has oportet ab iiſdem expediri C omnino. Veruntamen te latere non debet, fieri quoque poſſe, ut alterutra urna, quæ damnat, & abſolvit, plus uno tantùm ſuffragio nihil habeat; quod ſi accidat, neque reſciſſa, neque comprobata habetur ſententia; ideoque rejicitur ad alios Quadraginta-Viros eâdem ratione definienda, quæ fuit jam expoſita. Id autem inſtitutum eſt ob eam rem à majoribus noſtris, ne quis ab uno tantum judicaretur: hoc enim exiſtimabant nullo modo conſentaneum eſſe.

Ioannes. Eſt ne tibi aliquid compertum *de Primordiis horum Conciliorum* Quadraginta-viralium, & Advocatorum, & Auditorum Veterum, atque adeo Novorum? Adhæc, quidnam Ma- D joribus veſtris *Cauſæ* fuerit, ut hos Magiſtratus inſtituendos putaverint, atque illa Concilia?

Trypho. Dicam tibi, quodcunque mihi eſt in comperto. *Trium-Viros Advocatores* quidam ferunt inſtitutos eſſe, cum Dux eſſet in Republica *Aurius Maſtropetrus*, qui creatus eſt anno MCLXXVIII. *Quadraginta-Viratus Capitalis*, quo tempore fuerit inſtitutus, nunquam E intellexi. Videtur hoc veriſimile, non aliam fuiſſe illi originem, quàm Advocatoribus, à quibus cauſæ deferuntur ad Quadraginta-Viros. Sed neque à veritate fuerit alienum, Advocatores aliquanto prius extitiſſe, & ad Majora Comitia ferre conſueviſſe, quæ paulo antè, ut diſſeruimus, inſtituta fuerant. Poſtea vero confluentibus cauſis & multiplicatis, nimis grave ac moleſtum viſum eſſe, tàm frequenter & crebro convocandis Comitiis, à privatis negotiis homines diſtrahere. Hac de cauſa eam cogitationem ſuſceptam, tanquam omnium optimam, ut alterum quoddam Con- F cilium inſtitueretur, præficereturque huic potiſſimùm curæ audiendi provocationes. Quanquam multi adhuc Quadraginta-viralis hujus Concilii originem ad ſuperiora tempora, multoque antiquiora ſolent referre. Sed alii viderint, quænam ſententia propiùs ad veritatem accedat. Antiquitus vacare ſolebat hoc Concilium tàm civilibus, quàm capitalibus rebus au-

1. *Hujuſmodi ſunt*, &c.] Sunt quoque aliæ cauſæ, quæ hujuſmodi privilegio comprehenduntur, regni ſcilicet *Cretæ*, propter loci longinquitatem: ejus Magiſtratus, qui *Superiorum* vocatur, ubi de alimentis, aut jure dotium agitur: eæque præ cæteris, quæ propter paria ſuffragia ab altero Quadrageſimo virali Collegio non fuerint terminatæ.

audiendis, de quibus omnibus Advocatores ad ipsum ferebant. Hi verò cùm tantum oneris sustinere non possent, multiplicata Civitate, nec non aucto Imperio, cùm etiam causæ in dies magis abundarent, propterea *Veteres Auditores* instituti sunt *Andrea Dandulo* Duce, qui creatus est anno MCCCXLII. ut omnes causæ civiles, & urbanæ, & provinciales in Quadraginta-virale Collegium ab ipsis introducerentur. Propagatis autem Imperii finibus in continente, quo tempore Dux erat *Michaël Stenus*, qui creatus est anno MCCCC. adeoque strenuè ac feliciter Rempublicam gessit, ut in ejus ditionem atque potestatem magna ex parte redegerit, quæcunque in *Gallia Cisalpina* modò tenet oppida; cum itaque permultum causæ crevissent ex hac propagatione, necessarium fuit alios *Auditores* creare, qui Novi, hoc est *Recentiores* nominati sunt, ut introducerent causas civiles provinciales. Et quia tot, tantisque negotiis expediendis satis non erat unus *Quadraginta-Viratus*, institutus fuit is, qui dicitur *Vetus*, ad cognoscendum pariter de causis externis, atque urbanis omnibus, per Auditores Veteres atque Novos introducendis. Contigit hæc institutio temporibus *Francisci Foscari*, qui creatus est Dux anno MCDXXIII. Temporibus verò tandem nostris *Quadraginta-Viratus Civilis Novus* insuper accessit, cui permissæ fuerunt provinciales, urbanæ verò causæ Veteri duntaxat relictæ. Antequam Novus Quadraginta-Viratus adhiberetur, ita res se habuerat. Auditores cùm Veteres, tùm Novi, si quæ lites æstimabantur minoris quàm aureis triginta, has omnes transigere solebant, sed quisque suas. A triginta usque ad aureos trecentos causæ omnes pertinebant ad Collegium Frugum, supra hunc numerum statuebant Veteres Quadraginta-Viri, quos adire oportebat: Auditores autem Veteres urbanas, & provinciales causas Novi introducebant. Hi quoque pariter atque illi, quod notare debes, non solum provocationes admittebant intercedendo; verùm etiam se interponebant, atque orabant ad Civiles Quadraginta-Viros, quemadmodum ad Capitales modò solent Advocatores, causas eorum omnium, pro quibus intercessissent. Sed his temporibus nihil aliud præstant Auditores, quàm intercessionem: cætera permittunt, ac relinquunt eorum industriæ, quorum præcipua res atque utilitas agitur. Id, quandoquidem primum mihi nunc occurrit, te celare nolui. Advocatoribus autem res capitales, sicut in præsentia sunt, ita etiam curæ tunc erant, easdemque in Concilium Quadraginta-Virûm Capitalium introducebant eadem planè ratione, qua modo solent. Ex his ergo intelligere potes, ex quo Novissimus Quadraginta-Viratus institutus est, haud ita multa immutari contigisse de instituta ratione judiciorum. Cæterum *de Collegio Frugum* nihil habeo dicere, quod quidem spectet ad initium, atque ejus originem: nunquam enim legisse me recolo, aut ab alio accepisse, quibus temporibus institutum fuerit; non dico de iis Magistratibus, ex quibus constat, verùm de re conflata, coagmentataque ex ipsis, cui nomen est hoc tempore Collegium Frugum. Conjecturæ tamen cuidam locus est, aut non multo ante, aut certè paulo post exordium illud habuisse, quàm Vetus Quadraginta-Viratus institutus esset. Veruntamen hac in re diutius non est insistendum, quæ ignorata nihil omnino detrimenti, comperta nihil utilitatis poterit afferre. Hoc unum prætereundum minimè duxi, cum magna sit occupatio in propriis rebus eorum Magistratuum, ex quibus Collegium conflatur, propterea que difficile ad-

A modum convenire possint nostrates homines; hac re animadversa, ut judicia sint magis expedita, minusque incommodi percipiant ii, qui controversantur, in ea cogitatione diu multumque versari, ut per Majora Comitia Triginta-Viris electis, quemadmodum in omnibus Magistratibus fieri consuevit, ad obeundum hoc ipsum munus Collegii Frugum, præcipuum quoddam Concilium instituatur, quod in nulla alia cura sit occupatum, voceturque *Concilium Triginta-Virûm.* Persequentes autem opere id, quod animo cogitant, brevi quoque perfecturos persuasissimum habeo. Hac de re certè monitum propterea te
B volui, ut nulla caperet admiratio, si quando audires, Collegium Frugum tandem Obsolevisse. Expone, si quid habes præterea, quod quærendum putes.

Ioannes. Dixisti antea, certum quemdam numerum pecuniæ Auditores ab iis, qui controversias haberent, accipere solitos. Recensito mihi nunc accurate ac disertè, quodnam laboris atque industriæ præmium percipere debeant non solum Auditores ipsi Veteres ac Novi, sed etiam Advocatores & præterea Judices, quos equidem arbitror multum laborare in obeundo, ac præstando munere, prout decet.

C *Trypho.* Ut de Auditoribus cum Veteribus, tùm Novis primo loco dicam, qui judicio repetunt aliquid hoc est Actores, & urbanos Magistratus cùm primum adeunt, quanti res controversa æstimata fuerit, tantum persolvere debent iisdem certo quodam numero pro centenis quibusque aureis definito, ac tributo; nos appellamus *Carattos* id pecuniæ genus, quod etiam ab iis, qui provocant, Auditoribus, dummodo provocationes admittant, præberi solet, ubi tamen Quadraginta-Viri sententiam rescindunt. Quandocunque id contingit, judices priores, quicquid acceperant pecuniæ ab iis, qui conten-
D debant, restituere coguntur ipsis Auditoribus, qui certè non sunt participes tunc illius lucri, cum sententia fertur à Quadraginta-Viris contra provocantes. Magistratibus autem, qui sunt in provinciis, à contendentibus in judicio quicquam non persolvitur, sed à provocantibus tantum Auditoribus Novis, impetrata nimirum intercessione, rescissaque sententia. Trium-Viris Advocatoribus, præter id stipendium, quod ex ærario publico, sed exiguum ferunt, nonnihil cedit in lucrum ex impositis mulctis, nec non ex iis rebus, quæ fraudatis portoriis, sive importando, sive exportando fuerint interceptæ;
E ut, præterquam quod honestissimus est hic Magistratus, non parum fructus quoque afferat & emolumenti. Quadraginta-Viri ex quolibet quadraginta-Viratu, quotiescunque conventus eorum celebratur, tertiam partem aurei nummi singuli lucrantur. Omnes quidem mane de more convenire solent; sed ubi conveniunt à prandio, ex eo quod res ita ferat, XL-Viri Civiles nihil amplius habent; Capitalibus tantum stipendium duplex obtingit. Ad hunc vero quasi calcem spatio decurso (nunc enim in hujus rei memoriam incurro) obitoque triplici Quadraginta-Viratu, & transactis partibus, nemini licet in numero eodem reponi, præterquam octo mensium intervallo; tamdiu reditus intercluditur ad eam petitionem. Cedo modo si quid aliud occurrit.

Ioannes. Cujusdam Magistratus Nocturni meministi, ex quo duo cum Collegis cæteris præessent Capitalibus quæstionibus, cum de reis haberentur: sed quis foret hic Magistratus, non exposuisti.

Trypho. Non inficior equidem; nam id præter-

termisi, ut non interrumperetur narratio, quæ instituta esset. Sex viri Patricii in custodia Urbis collocandi, ex singulis tribubus eligi singuli consueverunt, qui omnes communi nomine vocantur Judices Nocturni, propterea quod nocturna maleficia puniebant olim: sed hac tempestate nonnulla certè, quæ nocte; non pauca tamen, quæ luce palàm committuntur, jure suo vindicant; cujusmodi sunt illæ fraudes atque fallaciæ, in quas impellit aut pecuniarum aviditas, aut alii pravi cæcique animorum motus. Cœpit hic Magistratus creari, quo tempore Dux erat in Republica *Marinus Maurocenus*; atque initio duos habuit, quorum alter citra canalem, ut dicimus, hoc est maximum Euripum; alter verò ultra, nocturnas vigilias agebat: his porro quatuor adjecti sunt, Duce *Raynerio Zeno*. Sex tanquam primarii Duces sunt ipsis tributi, qui tot ministros atque satellites sub manu habent, quot necessarii putantur ad præstandam operam. Tres ex his Ducibus unà cum suis cohortibus pernoctant ad Ducarium, & ad *D. Marci* vicinitates & confinia quoque obire soliti. Totidem alii versantur in *Rivo alto*, finitimaque loca itidem perlustrant. Curare debent, ne quid mali accidat in Urbe, ne quis offensionem alicunde accipiat; armatis, quibus intervenerint, arma detrahunt, & quoscunque deprehenderint in facinore, è vestigio comprehendunt, traduntque in custodiam; sontes autem ab ipsis Judicibus Nocturnis judicati plectuntur, ubi delicta pertineant ad eum Magistratum; aliòquin eorum arbitrio permitti debent, qui legitimi sunt Judices ad ea constituti. Sed mei consilii non est, hujus Magistratus, neque alterius cujusque singula persequi. Hanc enim disputationem aggredi nolui, quia longior est, neque id modo, sed etiam quia, cum ab Urbe diu multumque absim, ex usu atque fori consuetudine eam notitiam non habeo, quæ necessaria est ei, qui alterum condocefacit. Futurum est aliquando, ut *Venetias* adeas; ibi reperire non paucos, & facilè poteris, qui tibi planè rationem Magistratuum explicent; & si omnes alii defuerint, certè noster *Hieronymus Quirinus* nunquam tibi deerit, vir non minus humanitate atque comitate, quàm insigni doctrina & facundia ornatus. Veruntamen si quid habes adhuc ambiguum de judiciis, explica: nam si præterea nihil ambigis, aliqua de Censoribus dicam, quos in extremam narrationem ea de causa rejeci, quod minus pertinere videbantur ad ea, quæ sunt dicta. De his igitur agendum fuerit, modo tu ita censeas.

Ioannes. Ego vero censeo; nam rationem judiciorum, quam probè explicasti, ita cognitam perspectamque habere me puto, ut nihil sit relictum, de quo amplius addubitem.

Trypho. Bini sunt *Censores*, qui Magistratus non ita pridem institutus est ad coërcendam ambitionem Patriciorum. Antequam vero hi Censores crearentur, Trium-Viris Advocatoribus, & Præfectis Decem-Virûm iis, qui sedent in eminentissimo loco Comitiorum, dum Magistratus eligebantur, id erat curæ, ne quis ambitione sua corrumperet jura, eamque Reipublicæ operam sedulo navabant, ut opes, aliaque adjumenta corruptelæ id genus nemini viam struerent ad eos Magistratus, quos aliòquin obtinere, & assequi nunquam potuissent. Itaque posteaquam electi erant Magistratus, nondum Comitiis dimissis investigabant, an aliquid animadversione atque pœna dignum commisissent ii, qui honores fuerant consecuti. Deprehensos autem in crimine reos peragebant, quemadmodum in judiciis fieri supra dixi, tanquam legum & Reipu-
A blicæ status eversores. Sed cum in dies augeri ambitio planè videretur, tandemque allatura perniciem communibus rebus, nisi remedium opportunum adhiberetur, recens hic Magistratus institutus est, cujus est ea cura præcipua, ut inter viros Patricios ambitum coërceat. Sed ut in eo, quod tibi sum pollicitus, fidem meam liberem, clandestinæ certorum hominum conspirationes, qui venalia cum haberent suffragia, quæstum faciebant, hujus Magistratus creandi causam attulerunt. Hi cum ambitiosissimis quibusque coitione facta, qua die Magistratus erant tribuendi, constitutam inter se rem jam pridem
B habebant, in quem omnium suffragia convertenda essent: poterant autem licitantibus duplex obsequium præstare. Nam si quis beneficio sortis consecutus fuerat arbitrium, potestatemque nominationis (qua ratione, dixi) is autem aliquem ex iis nominabat, in quem constituissent ea die suffragia conferre. Omnes alii deinde suffragabantur, ut electio in Comitiis comprobaretur. Sunt, qui hac re facta perperam animadversa, cum etiam intelligant, apud nos moris esse, ut Magistratus aliquando venales proponantur, in eam sententiam sunt adducti, ut censeant labefactatum iri statum Reipublicæ, & in tyranni-
C dem aliquam degeneraturum, sin minus hac ipsa, filiorum saltem ætate. Veruntamen quando Censores instituti sunt, nihil ejusmodi vereor, animi securus; ne qua pernicies ingrueret inde, formidarem, si hac tempestate Censores nulli essent. Quibus hoc mihi persuadeam, intelliges aliàs, quandoquidem hæc considerare non est hujus loci.

Supersedere tamen nolo commemorationi explicationique ejus cum rationis, tum usus, quo *Venales* haberi solent nostri *Magistratus*, ut, si quatenus aliquid detrahit virtutibus, atque opibus adjicit, ex quo fieret, ut attentiores ad has
D homines evaderent, remissiores autem ad illarum studia, non sine maximo publici boni detrimento, propterea videatur hæc consuetudo non satis probanda: intelligas tamen aliqua ratione defendi, tolerarique eam posse. Quando aliqua necessitate Respublica urgetur, ii, quorum interest operam navare faciendæ pecuniæ, utpote Collegium, quemadmodum explicavi, & etiam Concilium Decem-Virûm, præter alia, de quibus constituerint vel ad Senatum, vel ad Comitia referre, nonnunquam de his referunt, ut vel ii, qui futuri sunt Senatores, data pecunia, vel quatuor Procuratores, aut sex eligantur, aut alii
E denique Magistratus illis tribuantur, qui suis facultatibus opem Reipublicæ tulerint. Leges autem ejusmodi ferri possunt tàm ad Majora Comitia, quàm ad Senatum. Sed quotiescunque Senatus consultus fuerit, consuli debent præterea Majora Comitia, quæ tamen possunt ejusmodi sancire inconsulto Senatu. Quicquid igitur Comitia decreverint, exequendum erit; aliæ vero ineundæ rationes, si quicquam non sciverint.

Ioannes. Antea dixisti, quantum universa Respublica, tantundem posse quoque Concilium Decem-Virûm. Quidni ergo ferantur ejusmo-
F di leges ad Decem-Viros, eorundemque autoritate jubeantur?

Trypho. Jus omne Magistratuum creandorum est penes Comitia, cætera Decem-Viri summam habent autoritatem. Quæ causa est, cum refertur ad Senatum de aliqua re simili, ut semper ea conditio sit adjicienda, referendi postremo ad ipsa Comitia. Re comprobata planeque constituta, ubi visum maturum fuerit eos Magistratus creare, qui committendi, concredendique

sunt civibus, ærarii publici inopiæ subvenientibus; principiò quaterni ordines Electorum fiunt, quemadmodum in creatione qualibet fieri solet; & quia contingit nonnunquam, quod superius monui, ut non plures ordines, quàm bini competitores renuncient, hîc ad renunciationem quatuor adhibentur. His autem competitoribus alii adjiciuntur ea ratione, quam Scrutinium appellari dixi, per Rogatorum Concilium renunciati. Nam dum ab Electoribus datur opera, ut eligantur ac nominentur candidati sui, interea secedunt in conclave proximum, in quo Concilium Rogatorum de more cogitur, omnes, qui jus suffragiorum habent in Senatu. Quicunque autem nominari cupit, ad fores accedit, & eum, qui est à Secretis, ea de re monet. Nomina eorum in chirographa singula inseruntur, & educuntur ex urna sortis ipsius ordine subjicienda suffragiis ab egressu statim. Candidatus porrò statuitur ejus Magistratus, quisquis ita suffragia propitia tulerit, ut superet eorum dimidiam partem. Renunciantur hi postea in ipsis Comitiis; sed antequam pro ullo contingat in suffragia ire, is liberaliter offert Reipublicæ quicquid eidem commodare statuit, aut potest, supra id, quod fuerit præscriptum atque constitutum. Atque ita demum suffragia conferuntur, addictura, adjudicaturaque illi Magistratum, in quem plura collocata fuerint, modo non infra dimidium. Est ubi minora pollicitus obtinet Magistratum, si quid habet insigne ad existimationem, & decus.

Ioannes. Quænam pecuniæ summa præstitui solet ejusmodi Magistratuum creationi?

Trypho. Maxima nunquam definitur, sed minima tantum, eaque pro temporum conditione ita variatur, ut modò plùs, modò minùs mutuum detur. Hoc anno, cum pecuniis multis opus esset Reipublicæ ad sustinendos bellicos sumptus, quos ideò facit, ut legitimo Principi *Mediolanum* restituatur, lex in Comitiis lata fuit, ut certi quidam Magistratus illis mandarentur, qui commodarent ipsi Reipublicæ de ducentis aureis: supra id licet unicuique polliceri, quantum libet. Cum primùm ejusmodi mos obtinere cœpit, constituebatur, id quod prætereundum non est, ut Magistratus traderetur etiam nihil pollicenti, modò dejiceret alios, qui pollicerentur, supra dimidiam partem pluribus suffragiis; quod certè non semel quoque usu veniebat. Sed competitor is erat ex eorum numero, qui renunciabantur per quatuor Electorum ordines. Nam per Senatum nullus, nisi ea conditione, ut pollicendum quid esset, nominabatur. Et quia contingere potest, ut Senator evadat, ubi pecunia in Senatum patefacit aditum, is qui Senator aliòqui creatus non esset, præteritis aliquibus ex illis, qui futuri erant, ut in hunc numerum omnes referantur, qui communi opinione prudentes habentur (nam Senatorium munus est ejus momenti, quod tibi compertum esse persuasum habeo) per Majora Comitia hi quoque asciscuntur, ubi creandi sunt ii, qui vocantur Adjuncti, non quod ulla lex cogat, aut jubeat eos eligi, sed quia in ejusmodi re quilibet ita fieri oportere intelligit. Mos hic habendi venales Magistratus, sed falsò ita dictus, anno MDIX. cœptus est haberi, quo tempore nostris copiis fusis fugatisque in prælio cum *Aloysio XII.* Rege *Galliæ* gesto, coacta fuit Respublica sustinere se, quibuscunque rationibus fieri potuit. Veruntamen, quod animadvertere potes à te ipso, non satis est ad assequendos Magistratus polliceri pecuniam, sed oportet etiam competitores superare suffragiis; nec unquam nisi difficillimis tem-

A poribus ea res usurpatur; quo fit, ut corruptelæ genus minimè videam, quod à nonnullis prædicari, immò fingi solet, neque tamen id approbare velim ea de causa, quàm dixi. Nihilominus aliquid concedendum videtur conditioni temporum.

Ioannes. Ne graveris, amabo, illud mihi exponere, cur in creandis Magistratibus pecuniæ causa præter eos competitores, qui legitimi sunt, alii quoque per Senatum constituantur; & cur ii Magistratus, qui non plures exigunt quàm duos, quatuor ordinibus Electorum opus hoc tempore habeant.

B *Trypho.* Hæc propterea fiunt, quod ad Rempublicam deferuntur eò plura & majora, quò major & frequentior numerus est competitorum. Postremis autem Comitiis, id quoque scias velim, pronunciari palam eos Magistratus, qui creandi fuerint in sequentibus pecuniæ causâ, quò suppetat unicuique tempus dandi operam, ut eam, quam expetit, sibi dignitatem comparet, cum procuranda impetrandaque à Senatu electione, tùm providè atque maturè iis expediendis, quæ sibi adjumento futura sunt ad id, quod intendit.

Sed eò redeamus, unde sumus digressi. Quod C in Conclavi describendo supra monuimus, in quo Comitia majora celebrantur, sedent Censores in loco eminentiori, atque his temporibus obeunt sustinentque eas partes, quæ Advocatoribus, & Præfectis x-Virûm commissæ antea fuerant. Sed emendandi atque corrigendi præterea jus habent, quicquid pravi usus, & corruptelæ ambitionem inducit. Quapropter legem quandam tulerunt propè ante biennium, quacum iis, qui obtinerent Magistratus, consuetudo congratulandi fuit omnino sublata.

Ioannes. Tantone Reipublicæ detrimento erat, ut esset ea consuetudo latâ lege tollenda?

D *Trypho.* Erat cuidam potius dedecori, quàm ulli detrimento. Creatis enim Magistratibus, qui voti compotes fuerant, illicò certum aliquem locum insidebant, in quo Patricii vel omnes, vel maxima ex parte, dum egrederentur conclavi, in ipsos inciderent, & congratulationes vulgò concelebrabantur, cum quisque videri vellet honoris autor, etiamsi cunctis opibus adversatus esset. Quo in genere satis multa intercidebant vulgarium hominum magis imperitiæ, quàm gravitati patriciæ verba accommodata. Nunc igitur obsoleta sunt hæc studia, atque hic pravus usus abolitus est opera Censorum, atque dili- E gentia, qua certè futurum esse persuasum habeo, si modò is, qui rebus omnibus prospicit, constitutum id habet, ut aliquot secula vigeat ea Respublica, quæ ornata est optimis institutis, & sanctissimis legibus, ut si non aliud, saltem documenta præbeat, quemadmodum se gerant, atque regant, civitates *Italiæ*, ne qua tyrannide opprimantur libertate amissa; futurum, inquam, existimo Censorum industria, ut depellantur à Republica omnes illi morbi, quibus aliqua pars ejusdem afflictari posset. Hactenus ejus administrationis universa ratio, qua sustinentur res omnes publicæ, fuit à nobis expo- F sita, & singula quæque tam accuratè explicata, ut oppidò pauca, ni fallor, prætermissa fuerint. De singulis Magistratibus, ut prædixi, nihil quidem agam; alius erit de his omnibus differendi locus, aut certè poteris ab iis quærere, & audire commodius, qui probè gnari sunt harum rerum, *Venetias* profectus.

Nunc esset habendus sermo *de iis quinque Rebus, quæ debent esse compertæ cuilibet homini*, qui veniat in communionem ipsius *Civitatis*; sed nol-

nollem tibi molestus esse tam longa oratione.

Ioannes. Sermones tui mihi esse graves nullo modo possunt, quandoquidem aviditas audiendi plurimum augetur eorum, quæ tu commemoras, grata quadam varietate. Argumenti præterea genus ipsum tàm grave, ut nullus sit tàm degenere, abjectoque animo, quin ejus desiderium atque studium facile commoveat, attentiorem me reddit, efficitque, ut molestia & satietas, si qua oriri posset, convertatur ad animi fructum atque voluptatem. Quamobrem nisi tu labore disputationis hujus defessus es, per me licet expedias omnia, quæ dicenda sunt.

Trypho. Facilè patior omne id absolvi, quod est institutum, cum præsertim hac die ipse mihi videar ad hanc disputationem maxime paratus. Fieri posset, ut non essem ita promptus aliâs. De iis igitur quinque Rebus, quas commemoravi, quantum pertinet ad rem nostram, dicam, neque singula persequar.

Universum Imperium nostræ Reipublicæ, quod neminem præterire persuasum habeo, duabus omninò partibus continetur, quarum altera spectat ad continentem, & ad mare altera. Utrinque sui *Fructus* uberes ac multi; sed uberrimi atque plurimi sunt ex continente, præcipueque ex regione *Longobardorum*, in qua, præter alia non exigua, septem nobilissimæ urbes sunt in nostra ditione, *Tarvisum*, *Patavium*, *Vicentia*, *Verona*, *Brixia*, *Bergomum*, & *Crema*. Mari quoque Respublica nostra dominatur in *Cypro*, in *Creta*, in *Corcyra*, præter alias Insulas; oramque maritimam tenet *Illyrici*, *Dalmatiæ*, & *Histriæ* satis longo tractu, in quo non paucæ sunt urbes, & quàm plura oppida, ex quibus emolumenta non modica nostra Civitas capit. Ejus autem *Vectigalia* amplissima sunt atque multiplicia, utpote rebus omnibus, quæ vel importantur, vel exportantur, imposita portoria, inter quæ centena millia florenorum affert, quod pro vino duntaxat solet exigi; ad hæc Scriptura maris, atque continentis, Decumæ, & Census Patriciorum, omniumque civium. Est hoc tributi genus illi persimile, quod à vobis Arbitrium appellari audio. Sunt enim multi ex Patricio, atque ex civium ordine, qui licet fundos atque agros minime possideant, negotiationis tamen causâ sunt locupletissimi. His ergo pariter, atque illis hoc tributum imponitur, quod *Tansæ* apud nos nomen habet, hoc est æstimationis: quandoquidem singulorum opes atque facultates de more taxari debent, id est æstimari, & quanti res unius cujusque fuerint æstimatæ, pro eo constitui, quid illi dependendum sit. Asseveranter à multis affirmatur, ex omnibus vectigalibus Urbis, maris, atque continentis, in annos singulos supra ducenta millia decies aureorum colligi. Reditus nostros annuos summatim descripsi: siquid magis enucleatum distinctumque cupis, tabulæ accepti consulendæ sunt, & rationes ipsæ, quæ referuntur à vectigalium Præfectis, investigandæ. Sed quemadmodum res urbanæ pariter, atque externæ fructuosissimæ sunt, ita etiam non modici *Sumptus*, qui jugiter fiunt. Principio terrestrium Copiarum Ducem continua stipendia merentem apud nos habemus, cui præmia satis ampla constituta sunt, & iis cohortibus militum, quas non paucas conducit. Hac dignitate fuit ornatus à nobis prope ante biennium *Franciscus Maria Roboreus* Urbini Dux, vir & rerum bellicarum scientia, & insigni prudentia, præter alias innumeras animi virtutes, celeberrimus imperator hujus nostræ ætatis, in cujus industria & fide ita conquiescimus, ut quamdiu copiis ille nostris præest cum summo imperio, si qua vis inferatur alicunde, non reformidemus. Ad hæc afficiuntur, à nobis continuo stipendio mille gravis armaturæ milites, paulò plus, minusve, prætereaque is peditum numerus, qui par esse possit custodiendis omnibus iis locis, quæ tenenda præsidiis nostris firmandaque ducimus, non modo cum bellum aliquod ingruit atque viget, sed etiam ubi conquievit planè, & res sunt tranquillæ. Multis quoque strenuis hominibus merces tribui solet, quorum opera atque studio, cum res ita postulat, exercitus nostri conscribuntur atque comparantur: omnes eæ copiæ, quæ sunt paratæ & instructæ, in ea *Longobardicæ* regionis oppida tribui solent, quæ vel assidua custodia & præsidio indigent, vel quæcunque pertinent ad victum, commode suppeditant; ubi gerendum bellum fuerit, illinc evocantur, & quo necessitas magis urget, eo proficiscuntur. Ad tuendam insuper ditionem maritimam ab injuriis omnibus, denæ, aut duodenæ triremes sunt semper in promptu, quæ distributis invicem partibus maria percurrunt, & *Cyprum*, *Cretam*, & *Corcyram*, aliasque Insulas, & loca magis opportuna de more circumsident. Singulis autem triremibus sunt quinquaginta sedilia, in unoquoque tres remiges collocantur ita, ut omnes hi numero sint centum, & quinquaginta, sed accedunt illis homines bello apti non pauciores quam octoginta, neque plures quam centum. Pretium remigibus non ita magnum tribui solet. Triremes enim certis in locis instruuntur, utputa in maritimis oris *Dalmatiæ*, & *Illyrici*, quarum incolæ non modò re tenui, sed omninò angusta, conducti parva mercede se remigio addicunt. Bellatores autem triremibus imponendos opus est eodem stipendio donatos augere, quo cæteros operam navantes in militia terrestri. Sumptibus igitur omnibus in unum collatis, qui solent in remiges, in milites, in commeatum, cæterosque apparatus continenter insumi, menstrui cujusque spatii habita ratione, prope septingentis aureis constiterint singulæ triremes. Non exiguæ præterea sunt impensæ, quæ fiunt in tuenda belli navalis plurima instrumenta; res tibi, de Navali cum audies, multò magis patebit. Cæterum quod vectigalia Reipublicæ plurimùm exhaurit, *Montis*, ut modò vocant, triplicis est ratio, nimirum *Veteris*, *Novi*, atque adeo *Novissimi*. Vetus autem originem suam ducit à temporibus usque *Vitalis Michaëlii* Ducis, qui Montis hujus instituendi primus autor fuit, ut sustineret sumptus immensos in eo bello factos, quod adversus *Emanuelem* Imperatorem tunc gerebatur; vocatur hic alio nomine, *Imprestita*, nempe Commodata. Alter bello *Ferrariensi* Mons habuit exordium, *Ioanne Mocenico* Duce, patrum nostrorum ætate. Tertius demum post annum MDIX. exercitibus nostris profligatis ab *Aloysio* XII. *Galliæ* Rege. Singuli porro Montes nihil aliud sunt, quam acervus & cumulus earum pecuniarum, de quibus maximis Reipublicæ necessitatibus à Patriciis, & civibus nostris commodatum fuit. Quæ necessitates, quia multæ frequentesque fuerunt, idcirco montes hi cuncti, sed præcipuè duo primi, evaserunt quædam immanis & immensa moles. Quapropter in usuras, quæ solvuntur semisse & quadrante, maxima pars nostrorum vectigalium abit, ex quo fit, ut coacervare pecuniam vix unquam possit, quamvis propter amplitudinem imperii sit copiosa Respublica. Veruntamen ut sui fructus essent illi usui, consueverunt majores nostri, ingruente bello, Montis veteris usuras neutiquam pendere; confecto quoque ipso bello non præsentis anni, sed ejus, quo solutiones conquieverant,

rant, habere rationem, atque ita deinceps intermissas pensiones prosequi. Quare posterius est hic Mons annis quadraginta, & etiam aliquanto amplius hac tempestate. Novo quidem Patricii nostri admodum prudenter biennio ante consuluerunt, atque prospexerunt. Usuræ quoque Montis hujus multæ residebant, & quando suis creditoribus erant persolvendæ, non præsentes, sed exactæ numerabantur, qua ratione fieri videmus nunc in Monte veteri. Ut ergo tantum æris alieni conflatum dissolverent, suisque vectigalibus permitterent Rempublicam frui, importunissimo fœnore tandem liberatam, lege lata sanxerunt, ut nihil penderetur in posterum usuræ amplius nomine; quæ vero deberentur antea, nondum persolutæ redigerentur in unum, unâ cum sua sorte. Quo fit, ut quisquis habet pecunias creditas huic Monti, eidem referantur accepta, unâ eâdemque ratione tàm caput ipsum, quàm fœnus ex ipso profectum; id autem, quod singulis annis pensitari solet, à creditoribus ipsis numerandum sit in aliqua parte pecuniæ, quæ debetur sibi, non in alicujus pensionis atque fructus loco. Qua ratione Respublica paulatim recreatur, onere gravi levata æris alieni, brevique universa nomina expedirentur, si continuarentur adhuc aliquot annis solutiones. Sed in qua vicissitudine sint omnia, tu vides, bellorumque continuatione quanti sumptus faciendi, ut nec tibi, nec ulli mirum videri debeat, si non dissolutum fuerit, quicquid superest æris alieni, non modo, sed instituendi præterea nonnulli alii Montes: ex quibus unius rationem prope initam audio, qui nomine subsidii appellandus sit, ut subsidio sit ad eos sumptus sustinendos, qui subeundi nobis necessario sunt. Sed ut regrediar eò, unde sum digressus, pensiones à duobus hisce Montibus solvendæ, quanam ratione convertantur in usum Reipublicæ ex iis, quæ dicta sunt, constare tibi satis arbitror.

Ioannes. Ni fallor, eo tempore, quo gerendum est bellum, nihil à Monte vetere penditur cuiquam, sed ita resident usuræ, quæ interea debentur, ut si eo anno, quo solutiones intermissæ fuerint, debitiones fortè superfint annorum quadraginta, tertio quoque duorum, si eadem intermissio procedat, quæ certe nullis temporibus est definita. Mons novus etiam quicquam solvere non cogitur, sed cum modus aliquis factus sit usuris ejusdem, nullam omnino jacturam subire potest, nisi quatenus non dissolvit ea, quæ jam pridem debet. Quibus in rebus nihil aliud incommodi cernitur, præter allatam creditoribus moram exigendi. Veruntamen ipsa res exigit, & æquitas suadet, ut æquo animo perferatur, si quid incommodat in communibus Reipublicæ difficultatibus. Relinquitur autem Mons tertius, nempe novissimus, de quo tu nondum quicquam edisseruisti.

Trypho. Non est, cur aliud quicquam de hoc Monte dicam præter id, quod huic uni contingit ex omnibus, ut usuras quincunces continenter solvat.

Ioannes. Estne locus aliquis negotiationi relictus in his vestris Montibus, quemadmodum *Genuæ*, & *Florentiæ* consuevit relinqui?

Trypho. Nostri Montes non secus ac aliæ omnes merces liberè comparari, & venire possunt. Veruntamen duo primi sunt minima fide, quia sæpe contingit, ut nihil pensitent, interceptis à Republica fructibus. Novissimus continuata pen-

A sitatione unus tuetur suam fidem.

Nunc ubi de Reipublicæ vectigalibus atque sumptibus egimus, progredientes ulterius loquemur *de Bello*, & *de Pace*. Requirit hæc disputatio prius eam cognitionem, quibus armis nostra Respublica sit parata, & instructa, & unde suppeditentur eidem res omnes bellicæ; quæ faciam ut intelligas, & alia quædam opportuna. Quis, quantusque solemnis apparatus sit militiæ omnis tàm maritimæ, quam terrestris, ex iis, quæ dicta fuerint, propemodum cognovisse te arbitror. De apparatu, qui fit extra ordinem, nihil attinet dicere. Nam quotiescunque opus
B est augere militibus copias terrestres, eo mercenario genere uti consuevimus, cujus hac tempestate in *Italia* usus est assiduus. Neque necessaria est ea cura comparandi arma suppeditanda militibus, atque tribuenda: quicunque accedit, ut stipendia faciat Reipublicæ secum defert ea, quæ sunt illi necessaria. Satis est providere iis rebus, quarum magnum est opus, tormentorum bellicorum, in maxima copia pulveris, & nitri, omniumque instrumentorum, quæ apta sunt vel oppugnandis, vel tuendis arcibus, in quibus rebus comparandis nostra Respublica adhibita summa diligentia, nulli sumptui parcit. Navali bello, quemadmodum superius exposui, triremes nostras adornamus in certis locis, ubi quàm exigua mercede & pretio invitati gestiunt homines in remigum numerum adscribi. Ad prœliandum vero illos adhibemus, qui terrestribus prœliis quoque habentur apti. Et quamvis ii sint cum iis armis, quibus opus habent; nihilominus quia nonnihil discriminis inter ea, quæ pertinent ad pugnæ varium genus, intercedit; ideò Respublica curat, & dat omnem operam, ut abunde copioseque admodum adsit parata his omnibus, ne quid postea sibi desit ad tuiti-
D onem, cum necessitas urget. Si quando vero classes emittendæ, maritimæque vires essent adaugendæ, nihil incidit opportunum huic rei, quo careat Respublica. Est in Urbe, ne [1] quid te lateat, certus quidam locus, in quo triremes, & navigia cuncta fabricantur, & quæ necessaria sunt bellis, apparantur omnia, vernacula lingua vulgo, *Arsenale*, dictum, murorum ambitu continente circumvallatum, ex omni parte clauso aditu, præter unam por-
E tam, & quà navigiis ingressum, vel egressum aperit Euripus; tanta vero elegantia, nec non amplitudine, ut introëuntibus urbis speciem referat æqualem, immò forte majorem, ut profectò autumo, quam vestrum illud oppidum in via, quæ *Pisas* ducit. Recolo me ibi fuisse multis abhinc annis, cum suscepissem iter causâ perlustrandi *Pisas*, *Lucam*, atque *Genuam*, cum tota ora maritima: est autem quod accepi, nomen oppido illi *Empolis*. Distinctæ sunt porro sedes in nostro Navali pro vario genere, atque copia rerum instructarum, alibique alia coagmentantur, & elaborantur.
F Loca tributa compingendis navigiis sunt quædam spatia, quæ à nobis, *Volti*, hoc est fornices nuncupantur, superimpositis tectis ad arcendos imbres, qui defluunt pariter à dextris, atque à sinistris. Tàm verò singuli latè atque longè patent, quàm moles ejus navigii poscere videtur, quod inibi asservatur, sive fabricatur. In plures ordines ea spatia distributa sunt, non æquali numero, sed prout in longum protenditur is locus, in quo sita sunt. Non

1. *Est in urbe, ne quid* &c.] Arsenale modo non solum murorum ambitu circumvallatum, sed Euripo, fossarum instar, undique circumdatum, insulæ speciem præ se fert. Nihilque toto in hoc genere aut pulchrius, aut instructius, aut ornatius non dicam videri potest, sed ne mente quidem & cogitatione comprehendi.

Non multis ante diebus cum *Venetiis* essem, de integro contemplandi cupido me incessit, quicquid erat apparatus in toto Navali; neque vero grave mihi duxi, cunctos eos ordines singulatim adire, & coram invisere, ut commode cernerem genus omne navigiorum, quod sub tectis esset, aut inchoatum, aut omnino perfectum; ejusmodi sunt & triremes, & biremes, & phaseli, & quinqueremes onerariæ ad merces convehendas ex *Beryto*, *Alexandria*, *Africa*, atque *Belgio*, quamvis *Belgica* negotiatio in præsentia refrixit. Duo quoque Bucentauri, quod navigii genus in ceremoniis tantum solemnibus adhiberi solet, principibusque viris suscipiendis, quo tempore statuunt ad Urbem nostram proficisci; sunt etiam quædam triremes insignitæ his duabus literis, C. X. quæ Concilii x-Virûm nota est, ostenditque, eas in Concilii illius potestate; præterea verò nullius Magistratus esse; quod quidem ea de causa institutum fuit, ut si quid accideret improvisum atque inopinatum, semper essent ad manus promptæ aliquot triremes. Cuncta vero navigia non sunt instructa, cùm alia sint inchoata, paulatimque absolvantur, alia, quæ vitium fecerunt, reficiantur; sed urgente necessitate brevi adornarentur; siquidem nihil aliud opus esset, quam fabrorum, operariorumque numerum augere. Sunt præter hæc apparatui cuique suæ tributæ sedes, utpote tormentorum bellicorum, & utriusque generis armorum, quæ ad vim cum inferendam, tum propulsandam necessaria sunt, anchorarum, gubernaculorum, malorum, velorum, & rudentum. Sunt etiam certa loca illis destinata, qui candentes laminas tractant, ut thoraces conflent, & ferramenta, cum clavis quælibet fabrefacientibus, quæ ad navigiorum fabricationem necessaria sunt. In apparatu quoque bombardarum, maximam vim reperi omnium tormentorum & majorum, & minorum, cujuscunque generis, utputa quas vocamus moschettos, falconetos, cannones, dimidiata, quadrantalia, colubrinas, sacros, & his similia; continenter autem recentia conflari solent, & eorum materia in hunc usum converti, quæ non sunt accommodata militiæ hujus nostræ ætatis, cujusmodi majora tormenta non pauca vidi ex eo genere, quod coagmentari & compingi solebat, cujus antiquis temporibus usus frequens erat; minora quoque navigiis tunc imponi solita magno numero inspexi ex ferro, quasi decurtata. In Armamentario sunt Arma, quibus instruantur armatorum dena millia quolibet momento, multoque plures adhuc, necessitate imminente. Ad arcendam vim comparata sunt quædam capitis, atque pectoris integumenta, nec non thoraces multi ex eo genere, quod militiæ terrestri modo nihil esset utile. Ad inferendam quoque plurima spectantur, inprimis magna vis eorum, qui dicuntur scloppi, unà cum eorum pyxidibus atque retinaculis, squari, machæræ, veruta, enses graviores, balistæ, Scythicæ arcus, omnia singulari apparatu collocata, & ordine. Longum esset particulatim universa consequi. Tu cum eas *Venetias*, invisurus es coràm inter cætera hoc ipsum Navale, in quo contemplari poteris hæc à me recensita, & alia multa, quæ prætereo consulto, ne molestior sim. Hoc unum tamen silentio non est transeundum, in Ducario propter Ducis habitationem apparatum armorum quemdam conservari, qui satis esse queat hominibus armandis propè mille & quingentis, ob eam rem à majoribus nostris institutum, ut facile coërcerentur, atque opprimerentur, si qui contra Rempublicam fierent domestici impetus, qualis fuit con-

A spiratio *Bajamontis Theupuli*, quo tempore Dux erat *Petrus Gradonicus*, inauguratus anno M CC XC; & quam *Marinus Falerius* iniit, Dux quinquagesimus quintus, electus anno M CCC LIV. Fuerat autem id consilii *Bajamonti Theupulo*, ut auxiliis popularium instructus Ducarium invaderet, ibique Ducem obtruncaret, & quoscunque Patricii generis viros posset comprehenderet, ut occuparet tyrannidem nostræ Civitatis. Sed imbrium magna vi de cœlo ingruente, quibus ita conjurationis participes impediti fuerunt, ut minime ad tempus adfuerint, factum est, ut consilia & conatus omnes ad nihilum reciderint. B Nam Duci & Patriciis omnibus datum inde fuit, ut mature consulerent capiti, atque rebus suis; & ipse Dux conjuratorum cum fugæ se daret per eam viam, quæ ab æde *Marcia* fert ad *Rivum altum*, à muliere interiit lapidea pila desuper ex fenestra ictus. *Marinus* autem *Falerius* cum Dux esset, non contentus eo fastigio, tyrannidem cogitabat, Patriciisque viris cædem moliebatur. Sed unius ex conjuratorum numero proditur indicio, amisit eam vitam, qua minime sunt digni homines nefarii, siqui conantur opprimere patriam suam tyrannide. Ut igitur impressiones ejusmodi prohiberentur, majores nostri statue- C runt, & dederunt operam, ut semper instructum esset Ducarium ea copia armorum, quæ cunctis ad tuitionem atque custodiam opportune suppeterent. Quod autem spectat ad *Bella*, quæ gessêre majores nostri, fuerunt ea solemnia Reipublicæ atque continentia cum Imperatoribus *Græcis*, & *Ungaris* Regibus, sed antiquis temporibus, non recenti hominum memoria. Nam posteaquam *Turcæ* in *Græcia* dominati sunt, non minùs *Ungari*, quam nos ipsi coacti fuimus eorum vim arcere atque propugnare; quapropter amplificatio imperii nulla deinde contigit; sed quicquid insularum tenemus in *Jonio*, & *Ægeo* D mari, oppidorumque in maritimis *Istriæ*, *Dalmatiæ*, *Illyrici*, & *Peloponnesi*, id eorum bellorum præmium fuit, quæ confecta sunt olim contra *Ungaros*, & *Græcos*. In *Syria* quoque commisimus multa prælia, non modò cum populis alienis à *Christiano* ritu, sed etiam cum *Liguribus*, sive *Genuensibus*, in qua dimicatione & concertatione tam adversa fortuna semel usi fuimus, ut cogitandum fuerit de laribus defendendis, ad extremum tamen insigni virtute atque fortitudine *Victoris Pisani*, *Caroli Zeni*, *Iacobi Caballi* Veronensis, & aliorum præterea Ducum, vicimus egregie. Post hæc in *Gallia Cisalpina* bel- E la inchoata sunt, in quibus multa secundissima nobis evenerunt, eaque cum Imperii propagatio, tum opum accessio, quæ *Christianis* Principibus omnibus formidolosissima evasit, & necesse fuit illis unà fœdus icere, molientibus eam suspectam vim nonnihil deprimere; hinc *Abduana* clades illa, & imperii amissio, quantumcunque nobis fuerat in *Longòbardorum* regione. Tandem cunctando fortunæ vim ita fregimus, ut propè amissum imperium omne receperimus, recuperata quoque pristina dignitate; inde factum est, ut *Francisco* Rege proximè in bello capto, illius potentiam atque minas minime horruerimus, F qui terrorem incutiebat *Italiæ*, *Galliæque* universæ, immò verò eidem in præsentia bellum indixerimus, cujus exitus felices quidem auguramur, si modò in pulcherrimam hanc provinciam perbenigne intendere superi adhuc propitii, & volentes omnes constituerint. *De Finitimorum Viribus* nihil attinet dicere, quæ omnibus sunt perspectissimæ, maximeque cognitæ. Quis opes *Turcicas* ignorat, quot, quantæque sint? iis porro ditio maritima Reipublicæ quaquaversus uni-

versa circumcluditur, & circumsedetur. *Germaniæ* verò, quantumvis magnæ, cum distractæ sint, hoc tempore non videntur valdè formidandæ, & qui res omnes illius provinciæ, rationesque tenet, facillime animadvertere & cognoscere potest, ægre admodum eas in unum contrahendas esse. Quæ si dissociatæ non existerent atque dissipatæ, nulli dubium est, quin multo plus terroris atque adeo periculi impenderet ab iis *Italiæ*, quàm ab ipsis *Turcis*. Sed percensere atque enumerare omnes eas rationes, quæ me in hanc sententiam adducunt, nimis longum esset. De *Mediolano* sollicita non est admodum Respublica, nisi quando est in ditione atque potestate aut *Galliæ* Regis, aut ullius potentissimi Principis; tametsi res ita comparatæ sunt ejus principatus, ut non parum habeat negotii, quisquis eum possidet, in dominatu retinendo, atque defendendo. Reliqui sunt *Mantuæ* pariter, & *Ferrariæ* Duces, quorum opes atque vires tantæ non existunt, ut pertimescendæ sint à nobis, id quod omnes vident.

De *Custodia Regionis* atque tuitione (nam tertio loco superius hæc proposita fuerant) audisti, quanam ratione, & quibus præsidiis terrestria, atque maritima quæque tueamur, cum modo versaremur in ea narratione; quapropter nihil amplius fuerit hac in re immorandum. Hoc unum, quod quidem te latere nolo, tantummodo dicam, cum majores nostri cognovissent, id re ipsa experti, amitti posse vel unica clade accepta, quicquid esset Imperii sibi in continente, ab iisdem consilium initum fuisse, cunctas urbes atque oppida ita muniendi, ut direptionibus & rapinis hostium non paterent, siquando exercitus Reipublicæ dissipati essent. Quamobrem ab anno MDIX, usque ad hoc tempus, sex urbes communitas adeò firmavimus, nempe *Taurisum*, *Patavium*, *Veronam*, *Brixiam*, *Bergomum*, & *Cremam*, ut inexpugnabiles modò à cunctis habeantur. *Bergomi* munitiones sunt minùs aliquantò firmæ, quàm cæterarum urbium, ob collis propinquitatem. Sola *Vicentia* relinquitur immunita, quæ licet habeat collem quemdam ita sibi imminentem, ut magno sit impedimento ejus munitioni, nihilominus *Bartholomæus Livianus*, qui Reipublicæ copiarum Summus Dux fuit, exemplar quoddam effinxerat, atque excogitarat, quò tuta redderetur eadem ab hostium injuriis. *Lemniacum* oppidum inter *Patavium* atque *Mantuam* ad *Athesim* situm, in eo numero putatur, quo sunt quæque opportunissima, & qui præsunt Reipublicæ, quemadmodum audio, assiduè instant atque urgent, ut communiatur.

Quarto loco *Rerum*, *quæ importantur*, *atque exportantur*, consideranda *Vis*, atque genus fuerat. Hæc quoque non indigent propè ulla explicatione, cum manifestissima res sit, atque omnibus pateat, Urbem nostram, quæ in mari posita est, opus habere convectis universis rebus, quæcunque pertinent ad hominum vitam sustinendam, quippe cui plurima cum terra, & nulla cum aqua ratio, & communicatio necessaria palàm intercedit. Quæ solent exportari, non alia sunt quàm panni sive serici, sive lanei, aliæque merces permultæ variorum generum, solertia laboreque artificum nostrorum confecta. Plurimas etiam mercatores convehentes inferunt ex *Africa*, & *Alexandria*, nec non ex *Beryto*, quæ postea diffundi solent per has omnes provincias.

Ultimo loco proposita erat *Legum Latio*; quæ res spectat ad aliud genus disputationis, quod esset instituendum, si tu intelligere cuperes, utrum Reipublicæ nostræ ratio sit simplex, an composita; cujusnam vero formæ, si simplex, aut in quam magis propendeat, si composita; quæ tecum ipse cogitare potes atque examinare, cognitis & perspectis rebus omnibus, in quibus est posita. Quod si alterius audire malis hac de re sententiam, cumulatissimè tibi satisfieri poterit à *Nicolao Leonico* Doctore *Patavino*, qui cum sit insignis Philosophus, & peritissimus omnium; multò amplius disseret his de rebus, quàm quilibet alius. Exposui tibi administrationem nostræ Reipublicæ quàm brevissimè, & quàm facillimè fieri potuit. Si quid amplius desideras, polliceor, atque adeò recipio, non recusaturum me hos ipsos sermones repetere, quoad omnia probè comprehendas, atque ita percalleas, ut communicare possis eadem cum amicis tuis.

Ioannes. Satis est, superque factum desiderio meo, & puto me institutionem vestræ Reipublicæ non minus tenere, quàm si ego educatus in ipsa, atque natus essem. Propediem me *Venetias* iturum confido, ibique à Nobilissimo viro *Hieronymo Quirino*, Privatorum Magistratuum [1] quænam sit jurisdictio, intelligam. Post hæc à *Nicolao Leonico* [2] percunctabor ea, quæ modò dicebas: non enim decet laborare ac defatigari unum tot in rebus. Certè quicquid laboris hodie causa mea suscepisti, de hoc plurimùm te amo, plurimumque debeo. Quod si pateretur id amicitia nostra, pollicerer tibi vicissim, quicquid operæ ac studii ab amico gratissimo carissimoque proficisci potest.

Quibus dictis omnes illicò surreximus, & ad viridarium perreximus, in quo invenimus *Bembum* cum aliquot nobilissimis viris deambulantem, atque conferentem. Ad hos progredientes quoque nos adjunximus, atque una circuivimus totum viridarium sæpius. Inclinatam verò cernentes ad vesperam diem omnes postea discessimus, & admodum læti ex eo congressu domos nostras revenimus.

1. *Privatorum Magistratuum*, &c.] Quæ desunt huic loco, ex Libris, quos *de Veneta Republica* scripsit doctissimus Vir, amplissimusque Cardinalis *Caspar Contarenus*, præsertim quarto & quinto, suppleri possunt: in quibus more nostro nonnulla sumus animadversuri, quæ vel à scribente omissa, vel postquàm scripsit, in Republica introducta fuerunt.

2. Conferatur hic Caroli Crassi *de Forma Reipublicæ Venetæ Liber Singularis*, qui olim hisce Notis subjunctus, nunc vero & separatim prodiit.

F I N I S.



IN-



INDEX RERUM ET VERBORUM.

Numeri cum literis majusculis paginas & Textum, absque literis vero paginas & Notas indicant.

Comi-

D.

E.

F.

Fo-

O.

Se-


T.

V.

EMENDANDUM.

pag. 124. *lin.* 61. *lege*: Nicolai Crassi.

FINIS.



GASPARIS CONTARENI,

Patricii Veneti, & S.R.E. Cardinalis,

DE

MAGISTRATIBUS

ET

REPUBLICA VENETORUM

LIBRI QUINQUE,

Cum Notis

NICOLAI CRASSI.

Accesserunt


BALTHASARIS BONIFACII,

DE MAJORIBUS COMITIIS ET JUDICIIS CAPITALIBUS

DUÆ EPISTOLÆ.

Editio Novissima, emendatior & auctior.





LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

VENETÆ per orbem terrarum celebratissimæ Reipublicæ, Tibi, *Benevole Lector*, hic offerimus descriptionem elegantissimam. Reliquit illam eruditæ posteritati *Gaspar Contarenus*, clarissimo Patricio genere Venetiis, *Aloysio Contareno*, & *Polixena Malipetria*, fœmina primaria, natus, ac postea S. R. E. creatus Cardinalis. Ipsi quantum debeatur, nobis tacentibus, loquantur subsequentia statim Auctoris Elogia &c. quæ ex Alphonso Ciaconio *de Vitis Pontificum Romanorum & S. R. E. Cardinalium*, ex Pauli Jovii *Elogiis Doctorum Virorum* aliisque Auctoribus huc curavimus transscribenda; ubi & simul *Contareni* effigiem voluimus exhibitam. Opus vero præsens, ubi ex sæpius iterata librorum editione de ipsorum judicare licet dignitate, nulli cedat, necesse est. Prodiit illud separatim *Basileæ*, Anno 1543. & 1544. *in octavo*, apud *Frobenium*; *Venetiis*, Anno 1563. *in Octavo*, & 1589. *in Quarto*, apud *Aldum*; *Lugduni Batavorum*, Anno 1628. & 1654. *in* 24. apud *Elzevirum*: ac una cum omnibus Auctoris Operibus *Parisiis*, Anno 1571. *in Folio*, apud *Sebastianum Nivellum*; item *Venetiis* Anno 1589. *in Folio*, apud *Damianum Zenarium*. Nobis vero illud publici juris denuo facere volentibus exemplar *Venetum* de Anno 1589. exemplo proponere visum est. Tanta quippe tot editionum copia nos pæne reddidisset inopes. Ea enim inter diversa illa exemplaria offendebatur lectionum varietas, ut destitutis exemplari *Veneto* genuinum Auctoris sensum divinare non posset non esse difficillimum. Subjecimus tamen quasdam alibi repertas lectiones variantes, quæ ad sensum nonnihil videbantur facere. In primis pagina 9. & 10. ubi de admittendis ad Consilium Magnum Patriciis agitur, insignem locum, qui in editione *Veneta* non legebatur, ex *Elzeviriana* de Anno 1628. reperiet Lector; ut & in fine Operis binas *Balthasaris Bonifacii* Epistolas, alteram de Majoribus Comitiis, alteram de Judiciis Capitalibus. Ad nostrum vero opus ut redeamus, dignum illud fuerat visum *Nicolao Crasso*, in quod, ut & in Donati Jannotii *Dialogum de Republica Venetorum*, sua conscriberet annotata. Separatim hæc erant impressa, nonnisi aliquot verborum adjecta allegatione: ideoque maxima cum difficultate quærendus erat locus, ad quem illustrandum hæc vel illa pertinebat Nota. Hac molestia levari Lectorem jam curavimus, ubi nuper denuo impressus a nobis Jannotii *Dialogus*. Subjecimus enim ibi ipsis paginis *Crassi* annotata, ut Textus & Nota illum illustrans uno habeantur intuitu. Hanc & in hoc opere nobis observandam censuimus legem, quadam tamen admissa differentia. Cum enim *Crassi* annotata *Jannotium* respicerent ut plurimum, ipsisque in hujus *Dialogo*, editionis nostræ, locus assignatus esset debitus; ea hic repetere videbatur supervacaneum. Hinc ubi Auctor materiam tractat, quam *Crassus* in Jannotii *Dialogo* reddidit illustratam, Notam illam citatam subjecimus, reservatis & justo loco positis, quæ in solum præsens opus erant

conſcripta. Præterea cujus nos in editionibus noſtris ſemper ſumus ſtudioſiſſimi, illud nec hic deſideratum iri, confidimus. Eam enim dedimus operam, ut opus exhiberemus literis exſcriptum nitidiſſimis in charta puriſſima. Nomina propria, ut eo facilius pateant, diverſis a contextu conſignavimus literis, quod & obſervatum, ubi alia abſoluta materia ad aliam tranſit Auctor. Errores typographicos, qui in priores editiones irrepſerant varii, ſtudioſe hic ſuſtulimus. Paginas Editionis *Venetæ* de Anno 1589. *in Quarto*, in noſtra ad marginem poſuimus, ut, ubi locus ex illa occurreret allegatus, is in hac reperiri poſſit æque facile ac in priori. Indicem denique, quo alias editiones videbamus plane deſtitutas, ſubjunximus locupletiſſimum. Hi in Tui, *Benevole Lector*, gratiam noſtri ſunt conatus. Vale nobiſque fave.



GASPARIS CONTARENI,
Cardinalis,
VITA, EPITAPHIA ET ELOGIA.

PATRICII *ordinis* Venetus, *ab insigni memoriâ illustrique doctrinâ mirabilis, ad Rempublicam ita accessit, ut gravitate judicii, consummatæ prudentiæ Senatoribus æquaretur: & deinde maximarum Legationum munia capesseret, non ætatis quidem, sed unâ virtutis prærogativâ commendatus.*

Juvenis, tanquam perfectus peripateticus, Aristotelem *à calumniâ defendit, quanquam modestiæ causâ suppresso nomine, adversus* Pomponatium *Præceptorem, cum ille impio conatu, animas nostras interire cum corpore, ex* Aristotelis *sententiâ, persuadere libro edito contendisset.*

Anno 1537. Paulus III. *Pontifex Maximus nihil tale expectantem in Senatum legit, purpurâque ornatum titulo* S. Praxedis *in* Germaniam *Legatum misit Anno* 1541. *ut Religionis dissidium* Ratisbonæ *in Comitiis Imperii conciliaret. Sed cum casso labore redisset* Romam, *Legatus* Bononiæ *creatus est, vel Summi Pontificis Locum tenens, in quo munere paucos post menses rapidâ febre correptus obiit Anno Christi* 1542. *nondum sexagenarius.*

Vitam ejus disertè descripsit Johannes Casa, Episcopus Beneventanus.

Obiit *Bononiæ* Kal. Septembris anno 1542. Corpus in *Divi Petronii* lateritio in tumulo depositum est eo consilio, ut *Venetias* ad *Divæ Mariæ ab Horto* in familiæ sacellum postea exportaretur, quod factum est, ibidemque collocatum in sepulchro majorum suorum cum hoc epitaphio:

GASPARIS CONTARENI S. R. E. CARDINALIS OSSA,
CUIUS ADMIRANDAM INTEGRITATEM, DOCTRINAM,
AC ELOQUENTIAM IN UTRAQUE REPUBL. ET APUD
SUMMOS REGES GESTA ET SCRIPTA TESTANTUR.
BONONIÆ LEGATUS PONTIF. NATURÆ CESSIT
MDXLII. VIXIT ANN. LIX.
ALOYSIUS EQUES, ET GASPAR EX FRATRE
NEPOTES TANTO VIRO. P.

Ejusdem corpus in D. Petronii *depositum cohonestavit* Janus Vitalis *hoc carmine:*

CONTARENE TIBI PIETAS DUM DIU PARENTAT
ET QUERITUR LONGO AMISSUM RESPUBLICA LUCTU:
ITE, AIT, ILLUSTRES ANIMÆ, VITALIA SECLA
HEROUM, ET VESTRO ATHLETÆ EXORNATE SEPULCHRUM
FLORIBUS: HIC VERIS DOCUIT RATIONIBUS ESSE
IMMORTALEM ANIMAM SUMMA DE MENTE CREATAM.
OBIIT NONDUM SEXAGENARIUS ANNO MDXLII.
JANUS VITALIS AMICO POS.

Sepulchrum ejus lateritii operis in æde D. Proculi *conspicitur, cum hoc Carmine* M. Antonii Flaminii:

CONTARENE, TUO DOCUISTI MAGNE LIBELLO,
EXTINCTIS ANIMAS VIVERE CORPORIBUS.
ERGO JURE TUI VIVUNT MONUMENTA LIBELLI,
ET VIVENT SECLIS INNUMERABILIBUS.

Ejusdem *Flaminii* Epigramma
in *Contareni* librum de Magistratibus & Republica Venetorum.

Descripsit ille maximus quondam Plato,
Longis suorum ambagibus Voluminum,
Quis Civitatis optimus foret status.
Sed hunc ab ipsa sæculorum origine,

Nec ulla vidit, nec videbit Civitas.
At Contarenus Optimam Rempublicam,
Parvi libelli disputationibus,
Illam probavit esse, plus millesima
Quam cernit æstas Hadriatico in mari,
Florere pace, litteris, pecunia.

Epigramma
Latomi in Contarenum.

Lectus es in Venetum, Romanum deinde Senatum,
Firmior ingenio qui stat uterque tuo:
At nunc cælesti fulges trabeatus in ostro
Sceptra Magistratus æthereique geris.

SCRIPTA AUCTORIS.

DE *Elementis Libri V.*
Primæ Philosophiæ compendii Libri VII.
De Immortalitate animæ adversus Petrum Pomponatium *Libri II.*
Non dari quartam figuram syllogismorum secundum opinionem Galeni, *ad* Oddum de Oddis.
De Homocentricis, ad Hieronymum Fracastorium.
De Ratione anni, ad Joannem Genesium Sepulvedam.
De Magistratibus & Republica Venetorum Libri V.
De Sacramentis Christianæ legis & Catholicæ Ecclesiæ Libri IV.
De Officio Episcopi Libri II.
Scholia in Epistolas Divi Pauli.
Catechismus.
Conciliorum magis illustrium summa, ad Paulum III. Pont. Max.
Confutatio articulorum seu quæstionum Lutheri.
De potestate Pontificis, quod divinitus sit tradita; ad Nicolaum Theupolum.
De Justificatione.
De Libero Arbitrio.
De Prædestinatione.
Explanatio in psalmum: Ad te levavi Oculos meos.





GASPA-



GASPAR CONTARENUS,
Cardinalis.

2 # GASPARIS CONTARENI,
Patricii Veneti & Cardinalis,
DE
MAGISTRATIBUS
ET
REPUBLICA
VENETORUM
LIBER PRIMUS.



SÆPENUMERO animadverti complures advenas, prudentes homines, nec bonarum artium ignaros, quum primum *Venetias* venissent, atque amplitudinem ejus urbis contemplati essent, tanta esse admiratione & veluti stupore quodam perculsos, ut nihil mirandum magis, aut illustrius se unquam vidisse præ se ferrent, ac totius oris significatione ostenderent. Non tamen omnes ejusdem rei capiebat admiratio. Nam quibusdam mira quædam res, ac prorsus incredibilis esse videbatur, tam magnam mercium omnium copiam ex omnibus terrarum oris ac regionibus, perpetuo quodam ac constanti tenore, in hanc unam civitatem invehi, indeque in longe diversissimas gentes terra marique deduci. At alios detinebat urbis frequentia, & omnium propemodum gentium conventus, veluti [1] commune orbis emporium, una *Veneta* civitas esset. Nonnulli mirabantur magnitudinem imperii, latamque & terra & mari ditionem: at plerique omnes politioris & acrioris ingenii homines, hanc novam situs urbis rationem adeo ad omnia opportunam, ut deorum immortalium potius, quam hominum opus atque inventum fuisse arbitrarentur, & ob hanc potissimum causam *Venetam* urbem omnibus aliis præstare, quæ aut hoc tempore usquam gentium sint, aut unquam fuerint. Ac nimirum, si superiora perspexeris, etiam hac tempestate nonnullas urbes invenire facile poteris, quas cum hac nostra conferas; non paucas verò seculis retroactis, quæ & imperii magnitudine, & frequentia populi, rerumque omnium copia & magnificentia urbi *Venetæ* longè præstitere. Verùm post hominum memoriam, nulla usquam [2] gentium civitas exstitit, quæ tam opportuno, tam tuto situ, atque adeo superante omnium fidem condita fuerit. Plerique in condenda urbe satis se fecisse arbitrati sunt, si locum delegissent, ad quem difficilis & incommodus hostibus accessus esset ad eam invadendam atque obsidendam. Inde evenit; ut complures civitates conditæ sint, aut [3] in editioribus & præruptis, aspero difficilique accessu, aut palustribus demissisque locis. Diversa quadam ratione nonnulli nihil præferendum censuere commodo, opportu-

A noque situi ad importanda exportandaque omnia sine quibus sufficere civitas sibi nequeat, tum ad necessitatem, tum ad molliorem atque elegantiorem quendam vitæ cultum. Qui verò utrique rei studuerint, paucos admodum invenias, pauciores verò, qui id præstiterint, nullos autem quos sciam, qui omni ex parte id fuerint assequuti. At *Venetiarum* situs divino potius quodam consilio, quam humana industria præter fidem eorum 3 omnium, qui eam civitatem non videre, cum ab omni impetu terra marique tutissimus est, tum etiam aptissimus omnium ad cujusque rei copiam, sive ex mari, sive ex continente civibus suggerendam, atque ad commercia omnis generis mercium, cum omnibus penè nationibus habenda. Nam in recessu penetralique *Adriatici* pelagi est sita, unde [4] qua mare attinet ad continentem, magna æstuaria panduntur, miro artificio naturæ munita. Nam XII. millibus passuum à continente mare incipit esse vadosum: intra vadosa breviaque littus assurgit, veluti agger quidam. Hæc fluctibus [5] impetuique marino obsistentia, universam eam stationem interiorem, longe lateque fusam adeo tutam reddunt, ut non tantum maris impetus, quum assurgit, valida tempestate actus, fractis fluctibus retrocedat, verum etiam neque navibus adventantibus liber aditus pateat. Quin potius opus est, nisi leves admodum fuerint, ut his in locis, ubi vadosum mare esse incipit, in anchoris consistant: nactæ deinde tranquillam tempestatem, à peritisque gubernatoribus, seu potius vadorum exploratoribus circumactæ, angusta quadam & implicata via, quà scilicet altior est unda, (hæc verò singulis ferè diebus æstu maris mutatur & variat) tandem ad Urbem perveniant. Littus illud, quod assurgit post vada, sexaginta fermè millibus passuum extenditur, atque interiora æstuaria concludit. Non ita tamen continuum est, ut non septem locis diruptum mari aditum ad internam stationem præbeat. Distat autem à continente sex millibus passuum. Hac ergo ratione *Venetæ* urbis æstuaria hæc partim continente terra, partim littore ac vadis conclusa sunt; in quibus mediis, ea regione quæ *Rivoaltus* [6] dicta à Majoribus, in hunc usque diem nomen servavit. Con-

1. *Edit. Elzev. habet*: ac si commune orbis imperium Veneta Civitas esset.
2. *Edit. Elz. habet*: nulla unquam; *& paulo post*: tam tuto, ac tandem tam alieno ab hominum fide, situ condita fuerit.
3. *Edit. Elz. habet*: aut in montium salebris, aspero difficilique accessu, aut locis palustribus.

4. *Edit. Elz. habet*: ubi qua mare.
5. *Edit. Elz. habet*: fluctibus fremituique; *mox*: stationem internam; *ac tandem, ead. period.* quum assurgit etiam valida tempestate, ad interiora non nisi fractus penetrare possit, verum etiam neque navibus, &c.
6 Conferatur hic Donati Jannotii *Dialogus de Republica Venetorum pag.* 23. *Edit. nostræ Novissimæ*; ibique Nicolai Crassi annotata. *Not.* 1.

Condita urbs fuit *Veneta*, quo tempore *Hunni* Duce *Attila* totam oram *Venetam*, inſignem *Italiæ* provinciam, quæ hiſce æſtuariis finitima eſt, igne ac cædibus devaſtabant. In qua calamitate *Patavii*, *Aquilejæ*, *Opitergii*, *Concordiæ* atque *Altini*, illuſtrium *Venetiæ* urbium cives, qui & nobilitate, & divitiis aliis præſtitere, primum ſe cum familiis recepere in nonnullas inſulas, ſeu potius tumulos, qui in æſtuariis hiſce paululum è mari eminebant: ibidemque oppida exſtruxere, in quibus tanquam in tutiſſimo portu turbulentiſſimam illam *Attilæ* tempeſtatem effugerent. Eodem autem tempore in littore, (de quo ſupra meminimus) nonnulla oppida condita fuere, eo convenientibus ejuſdem oræ incolis, qui patrias [1] item ſedes reliquerant, ab *Hunnis* direptas, ac dirutas: tutumque locum quæſierant uxoribus, liberiſque, atque (ut ita dicam) diis penatibus. Poſtmodum *Caroli Pipinique* Regum temporibus [2] communi conſilio omnes in *Rivoaltum* convenere, veluti in locum omnium tutiſſimum, & maximè commodum. Ita eò convenientibus omnibus, quicunque vexationem & devaſtationem eam *Italiæ* ab immani illa Barbarorum illuvie illatam, effugere potuerunt, in eam magnitudinem, quam nunc cernimus, excreverunt *Venetiæ*.

Urbis igitur *Venetæ* ſitum maximè tutum eſſe liquere omnibus poteſt, vel ex ipſa ratione ejus urbis conſtituendæ, quum ſibi homines illam condiderint, qui eam *Italiæ* cladem atrociſſimam effugère: ibique incolumes cum familiis in tantis calamitatibus perſtitere. Quin poſt ea tempora (quod nulli unquam civitati legimus contigiſſe)
4 à prima Urbis origine ad hæc uſque tempora [3] per mille ferè ac centum annos integra ſemper ab hoſtili vi urbs *Veneta* perſeveravit, quum tamen opulentiſſima ditiſſimaque auri argentique ac rerum omnium Civitas ab extremis etiam orbis regionibus barbaros ad prædam potuerit invitare. Quo fit, ut non male ſentire exiſtimem eos, qui una hac ratione *Venetias* cæteris civitatibus præſtare cenſuere.

Verùm aliud quiddam eſt in hac civitate, quod longe omnium præſtantiſſimum cenſuerim ego: mecumque omnes, qui civitatem, non tantum mœnia ac domos eſſe putant, ſed civium conventum, atque ordinem potiſſimum hoc ſibi nomen vindicare exiſtimant. Ea eſt Reipublicæ ſcilicet ratio & forma, ex qua beata vita hominibus contingit. Hoc ego reor eſſe eximium illud ac præclarum, quo *Venetiæ* maximè enitere, atque omnem antiquitatem ſuperare videantur. Nam etſi compertum eſt, nonnullas Reſpublicas extitiſſe, quæ imperio, ditione, tum militiæ diſciplina ac bellorum glòria Reipublicæ *Venetæ* longè præſtiterint, nulla tamen fuit, quæ inſtitutione ac legibus ad bene, beateque vivendum idoneis, cum hac noſtra conferri poſſit: quo effectum eſſe perſpicimus, ut neque adeo diuturna ulla unquam perſtiterit. Quam rem cum mecum ipſe conſidero, magnopere mirari ſoleo Majorum noſtrorum ſapientiam, induſtriam, excellentem animi virtutem, atque adeo incredibilem erga patriam charitatem. Fuere *Athenis*, *Lacedæmone*, ac *Romæ* nonnulli cives vitæ probitate, atque in rempublicam inſignes pietate viri: ſed adeo pauci, ut multitudine obruti non multum rei patriæ profuerint. At Majores noſtri, à quibus tam præclaram Rempublicam accepimus, omnes ad u-

1. *Edit. Elzev. habet:* primas item ſedes.
2. Conf. Donati Jannotii *Dialogum de Republica Venetorum* p. 27. *Edit. dictæ*; ibique Nicolai Craſſi annotata. *Not.* 1
3. Conf. ejuſdem Nicolai Craſſi annotata. p. 12. *dicta Edit. Not.* 1.

A num conſenſere in ſtudio patriæ firmandæ, & amplificandæ, nulla prope privati commodi & honoris habita ratione. Hujuſce rei conjecturam facere quivis facile poterit, minimè, inquam, ambitioſos fuiſſe *Venetos* homines, ſed patriæ commodo tantum ſtuduiſſe: quòd nulla, aut admodum pauca, antiquorum monumenta *Venetiis* extant, cum tamen domi foriſque præclarè ſe geſſerint, optimeque de Republica meriti fuerint: non ſepulchra, non equeſtres aut pedeſtres ſtatuæ, non roſtra navium, aut vexilla ab hoſtibus direpta, ingentibus prœliis ſuperatis. Vnum ex innumeris gentilis mei *Andreæ Contareni* Du-
B cis exemplum afferam. *Genuenſi* bello graviſſimo, ac longè omnium periculoſiſſimo, cum Dux hic noſtræ Reipublicæ præeſſet, incredibili ſapientia, animique magnitudine ſingulari rem patriam ſervavit, hoſteſque jam victores maxima clade illata profligavit, omneſque ad unum, aut trucidavit, aut captivos fecit: conſervata patria, re aucta confirmataque Republica, diem extremum clauſit, ac teſtamento cavit, ne ejus ſepulchro, quod ad hunc uſque diem viſitur juxta templum divo *Stephano* dicatum, ulla Ducis inſignia, ullave gentis noſtræ affigerentur. Ne nomen quidem ibi tam magni Ducis inſcriptum videas. Qua
C ejus modeſtia effectum eſt, ut Viri celeberrimi illuſtriſſimique Principis monumentum plerique ignorent. Certiſſimum hoc reor argumentum eſſe, non ambitionis ventoſæque famæ Majores noſtros ſtudioſos fuiſſe, ſed patriæ tantum bono, communique utilitati conſuluiſſe. Hac ergo incredibili virtute animi, Majores noſtri hanc Rempublicam inſtituere, qualem poſt hominum memoriam nullam extitiſſe, ſi quis hanc noſtram cum celeberrimis antiquorum conferat, facile animadvertat. Quin aſſerere auſim, neque monumentis inſignium philoſophorum, qui pro animi voto formas Reipublicæ effinxere, tam rectè for-
D matam atque effictam ullam contineri. Quamobrem putavi ego exteris hominibus rem minimè ingratam, atque inutilem me facturum, ſi tam præclaram Reipublicæ inſtitutionem literis mandarem: quum præſertim nullum his temporibus videam ex quamplurimis doctiſſimis viris, qui multum ingenio, eruditione rerum omnium, ac eloquentia valent, hanc rem literis illuſtraviſſe. Cui licet nihil luminis ex oratione noſtra afferri poſſe certò ſciam, per ſe tamen eſt adeò illuſtris, ut non tantum ſibi, verum etiam orationi alioquin tenui multum ſplendoris & dignitatis ſit allatura.

E Quamobrem cum de hac noſtra Republica ſcribere inſtituerim, ut quilibet facilè dignoſcere queat, rectène, an perperam ſe habeat, hinc mihi potiſſimum Exordium ſumendum reor. Hominem ſcilicet à natura civile animal effectum eſſe, ſolum verò nedum rectè vivere, ſed nec vivere poſſe: id quod quotidiana neceſſitas, ac victus veſtituſque ratio plane oſtendit: ac ob eam cauſam, & à principio homines conveniſſe in hanc civilem ſocietatem, ac deinde perſeveraſſe, ut bene beateque viverent, hoc eſt, ut mutuo adjumento atque opera ſummum hominis bonum aſſequerentur, quoad fieri poteſt, donec morta-
F lem hanc vitam degimus. Quamobrem etiam univerſa ratio civilis inſtitutionis eò pertinet, ut, qua faciliori via id fieri queat, cives faciat felicis vitæ compotes. At felix beataque vita uſu virtutis præcipuè contineri à ſummis Philoſophis perhibetur, quod etiam probant certiſſimis rationibus, & argumentis evidentiſſimis. Verùm uſus virtutis & in muneribus bellicis elucet, & in functionibus pacis. Atqui quamvis laus bellica, to-

totaque militaris ratio tum necessaria sit civitatibus pro conservanda libertate, ac finibus tuendis, tum etiam dignitatis & splendoris plurimum habeat; nihilominus respuit communis hominum sensus officia bellica, (quibus cædes ac mortalium detrimenta in primis procurantur,) esse per se expetenda, atque ad ea cætera omnia civilia munera esse referenda. Ac crudelis quidem ingenii, vel potius ab humanitate abhorrentis hominis esset, optare prælia, cædes, incendia, hac duntaxat de causa, ut in re militari clarus sit; adde etiam, si libeat, ut summi Imperatoris laudem consequatur. Quare omnes philosophi insignioris notæ in hanc sententiam consensere, bellum propter pacem expetendum esse, omnemque functionem virtutis militaris atque universam laudem bellicam ad pacis officia esse referendam. Quamobrem is reipublicæ institutor, qui laude dignus haberi, &, ut dici solet, omne punctum tulisse videri vult, eam moderationem adhibeat, ac eum ordinem tueatur, ut ad virtutem accommodata tota reipublicæ institutio videatur: atque ad pacis functiones magis quàm ad bellica munia spectare existimetur, bellicis interim & militaribus non neglectis. Nam plerumque & finibus tuendis & propagandis, (dummodo id sine injuria fiat) necessaria est militaris virtus.

Cæterum iis, quæ diximus, constitutis, illud statim in controversiam revocari solet, gubernationi civitatis rectiusne unus, an pauci præsideant, an potius universa multitudo: qualem plerique effingunt statum illius, quæ propriè respublica vocari debeat. Mihi quidem egregie statutum, sapienterque dictum videri solet, hominum gubernationem perperam homini cuipiam demandari, sed divinius aliquid esse oportere,
6 cui officium istud incumbat: quod cognosci facilè potest ex plerisque generibus animantium. Gregem enim ovium ovis non regit, nec equorum aut boum armentum bos equusve aliquis moderatur, sed animal quoddam longè magis eximium tuetur, ac regit brutas animantes: homo, inquam, qui quantum brutis antecellat, est omnibus compertissimum. Itaque non diversa ratione hominem moderari, ac regere debet quippiam homine præstantius & divinius, si ex animi sententia res successura sit. Sed cùm in mundanis rebus, quæ sensu percipiuntur, inveniri minime possit melius ac præstantius homine, ac homo varium quoddam sit animal, & longè diversis partibus constet: inferioribus quippe animi viribus cum belluis communionem habet, at supremis quodammodo deos immortales attingit: id rectè inter homines gubernatoris atque moderatoris locum tenere debet, quod est in homine divinum. Id verò omnium consensu est mens, divini tanquam splendoris radius quidam à natura insitus hominum animis. Non ergo satis reipublicæ consultum erit, si gubernatio homini committatur, quem brutæ illæ vires sæpe perturbant, atque à recta semita revocant rationis, sed menti puræ ac motionum animi experti, id munus deferendum est. Quamobrem divino quodam consilio, cum alia ratione id fieri non posset, inventis legibus hoc assequutum humanum genus videtur, ut menti tantum ac rationi nullis perturbationibus obnoxiæ, hoc regendi hominum cœtus officium demandatum sit. Quod sanè deorum munus, nescio an ullo inferius existimari debeat, si quis accurate secum reputet legum commoda. Primo namque in sanciendis, plurimi sapientes viri conveniunt, qui multarum rerum experientia docti, inventis aliorum, exemplisque veterum collatis, tandem post diuturnam consultationem decer-

A nunt id, quod optimum visum fuerit: neque odio tunc, aut amicitia, aliave animi perturbatione à virtute deduci possunt, quum nullius privati causa agatur in legibus constituendis, quod in forensibus judiciis semper accidere solet. Post verò leges sancitas, si quis contra eas fecisse deprehendatur, easque pœnas dederit, quas leges jusserint, jure nullum habere odio poterit. Proindeque metuendum non erit, ne qua seditio aut simultas inter cives contrahatur, maxima & periculosissima rerumpublicarum labes. Contrà plerumque cum hominum judiciis, non vi legum quispiam plectitur, discordiæ inimicitiæque graves
B proveniunt. Nam fieri vix potest, ut non male affecti in eum simus, qui nobis detrimentum attulerit. Quo circa haud scio, an hominum generi à natura omnium parente quippiam hac legum inventione majus concessum fuerit, quæ etiam jure diis immortalibus fuit ab antiquitate consecrata. Quin quod magis mirum videatur, *Aristoteles*, philosophorum facile Princeps in eo libello, quem *De Mundo* ad *Alexandrum*, Macedonum Regem, scripsit, *nil aliud reperit*, *cui similem Deum optimum faceret*, *præter antiquam legem*, *in civitate recte instituta*: ut id propemodum tam magni philosophi sententia sit Deus in hac re-
C rum universitate, quod antiqua lex in civili societate. Ac *in Libris*, in quibus *de Republica* tractat, *legem*, inquit, *esse mentem sine appetitu*: perinde ac si diceret mentem puram lucidam, nullis affectuum morbis infectam, ex quibus effici illud, quod superius diximus maxime opportunum atque optimum esse, quilibet perspiciat homo et- 7
iam tardioris ingenii, ut scilicet divinius quippiam homine cœtus hominum moderetur, ac regat. Quòd si huic gubernationis muneri præficiatur homo, quum rari admodum sint & prudentia & probitate præditi, iique plerumque ob
D affectuum animi vim cum in judicando errent, tum maximè à recta animi sententia dimoveantur, non sine turbatione magna, ingentique periculo res processura est. Quod etiam si fieri posset, ut hominem inveniremus, adeò sapientem atque probum, atque adeo propositi tenacem, ut nulla animi perturbatione ab officio revocaretur: utique neque hac conditione optandus esset pro legum principatu hominis dominatus, qui mortali fragilique natura præditus, diutius eo munere fungi nequiret, quum leges æternitatem (ut ita dixerim) æquare possint. Ex his jam persuasum esse reor, summam imperii commendandam esse legibus, non homini: quàm paucissima verò,
E quando legibus comprehendi non possunt, hominis arbitrio permittenda.

Verùm necesse est, ut custos quispiam ac veluti vicarius & minister legibus constituatur, qui pro legis imperio rempublicam regat: &, quoniam neque legibus comprehendi possunt omnia, tum quæ in judicium veniunt, tum quæ consultanda sunt, arbiter sit hujusmodi omnium. Rursusque eadem controversia redit, quæ ex legum sanctione soluta esse alicui videri potuisset: an scilicet unus melius, an pauci, an potius multitudo tuendis legibus, & his dijudicandis, ad quæ satis esse leges non possunt, præferenda sit. Ac,
F quamvis multorum sententia Regius dominatus aliis habeatur præstantior, crediderim tamen ego, tametsi unius principatus, qui vere regiam dignitatem ac jure sibi vindicaret, si res per se consideretur, optimus omnium est, nihilominus propter sæpius in deteriorem partem labile ingenium hominis, ac vitæ brevitatem, optimum omnium statum minimè esse sub regio principatu, sed multitudinis gubernationem civili societati magis

convenire: idque experientia rerum omnium magiſtra luculenter docet. Nam nullum regium principatum apud veteres extitiſſe unquam legimus, neque noſtra tempeſtate conſpeximus, qui non brevi in tyrannidem lapſus ſit. Contrà plurimas reſpublicas multis ſeculis perduraſſe, ac pace & bello floruiſſe. Ac multitudo quidem omnis gubernationi per ſe inepta eſt, niſi in unum quodammodo coaleſcat: quandoquidem neque multitudo ulla eſſe queat, niſi unitate aliqua contineatur. Qua de re civilis quoque ſocietas diſſipabitur, quæ unitate quadam conſtat, niſi quapiam ratione multitudo unum efficiatur. Quo fit, ut præclariſſimi philoſophi, qui de reipublicæ inſtitutione accurate ſcripſerunt, temperandam rempublicam cenſeant ex optimatium & populari ſtatu, eo adhibito temperamento, ut incommoda uniuſcujuſque gubernationis vitentur, commoda verò comparentur. Quocirca rempublicam *Lacedæmoniorum* ſummopere laudant, in qua Reges, & Ephori, & Senatus effecerint miſtionem quandam, ut bene dignoſci nequeat, ſub quanam gubernationis ſpecie fuerit ea reſpublica collocanda. Id tamen reprehendunt, quòd duntaxat ad belli munera inſtituta fuerit, nulla interim habita ratione officiorum pacis, atque otii, ex quo effectum eſſe, ut reſpublica illa multis & clariſſimus virtutibus inſignis, ubi primum in otio eſſe cœpit, in deterius lapſa ſit, ac demum corruerit. 8 Quod etiam *Romanis* accidiſſe eadem prope cauſa compertum eſt: nec id eſſe eventurum latuit præcipuos *Romanos* Senatores, ex quibus *Naſica* cenſuit *Carthaginem*, tametſi *Romani* nominis æmulam, vel potius inimicam ſempiternam, minimè diruendam eſſe: ut ſemper *Romanus* hoſtem haberet; cum quo agendum armis eſſet: ne inimico atque æmulo ſublato ea Reſpublica inſtituta ad bellum, juventuſque in armis educata in ſeſe arma converteret. Quod *Naſicæ* conſilium, quamvis à Senatu tunc repudiatum fuerit, contraque ejus ſententiam decretum, rerum tamen ipſarum eventus prudentiſſimum fuiſſe oſtendit. Nam everſa *Carthagine* continuo ferè bella civilia exarſere, quibus tandem florentiſſima, ac potentiſſima omnium, quæ unquam fuerunt, reſpublica concidit, ac demum in Barbarorum prædam ceſſit opulentiſſima, ſeu potius rerum domina Civitas.

Sed ut aliquando ad inſtitutum opus veniamus, majores noſtros, qui *Venetam* Rempublicam inſtituerunt, mira quadam ſapientia atque egregia probitate præditos fuiſſe apparet, qui nihil prætermiſerint, quod ad rectam reipublicæ inſtitutionem pertinere videretur. Primum namque ad uſum muneraque virtutis inſtituere omnem vitam, functionemque ſuorum civium, ſemperque eis fuere potiora ſtudia pacis quàm belli. Et in eam curam potiſſimum incubuere, ne qua ratione concordia civilis ſolvi poſſet, non neglectis interea officiis bellicis, his, inquam, quæ noſtræ Civitati maxime convenirent. Nam is eſt Urbis ſitus, ut valde idoneus ſit maritimæ militiæ, terreſtri verò parum aptus. Neque enim huic Urbi aliquo pacto accomodari queunt, aut equitum turmæ, aut peditum acies, ut ex his, quæ ſupra de Urbis ſitu à nobis accurate deſcripto diximus, perſpicuè conjici poteſt. Eam verò [1] in hac Republica moderationem ac temperamentum adhibuere [2], eamque miſtionem omnium ſtatuum, qui recti A ſunt, ut hæc una Reſpublica & regium principatum & optimatium gubernationem, & civile item regimen referat: adeo ut omnium formas pari quodam libramento commiſcuiſſe videantur, quod clarè ex operis proceſſu liquebit.

Verum, ut tandem Reipublicæ *Venetæ* inſtitutionem aggrediamur, ſumma totius Civitatis auctoritas, & ex cujus decretis & legibus, tum Senatus, tum Magiſtratus omnes jus poteſtatemque habent, penes illud *Conſilium* eſt, in quod Nobiles omnes Cives conveniunt, qui annum XXV. exceſſere; nam plerique alii, qui nondum B id ætatis habent, ubi tamen annum XX. peregerint, hoc jus ſortis beneficio adipiſcuntur: de cujus rei univerſa ratione inferius dicemus. Nunc à nobis illud primum omnium ſtatuatur, probè à Majoribus noſtris cautum fuiſſe, ne plebs admitteretur ad conventum hunc civium, in quo eſt ſumma Reipublicæ poteſtas. Deinde non minore prudentia factam fuiſſe civium hanc definitionem generis nobilitate potius quàm facultatum cenſu, quemadmodum fieri conſueverat in priſcis Rebuſpublicis, ac plerique veteres philoſophi præcipiunt eſſe faciendum. Civitas namque civium ſocietas eſt: nec tamen omnes hi homines, C quibus indiget civitas, aut qui intra mœnia urbis habitant, ſunt habendi pro civibus, neque jure in civium numero ſunt collocandi. Opificibus enim cuivis civitati eſt opus, aliiſque permultis, qui mercede operam ſuam locant, ac privatis demum ſervis: at nullus horum civis vere dici poteſt. Nam civis liber eſt homo: hi vero omnes ſervitutem ſerviunt, vel privatam, vel publicam. Mercenarii namque & opifices omnes veluti ſervi 9 publici haberi debent. Etenim non diſſimili modo à natura conſtitutum fuiſſe animal putandum eſt, ac civitatem ab hominibus conſtitui oportere. In animante verò multæ ſunt partes, quæ D animatæ non ſunt; illis tamen indiget animal, ut vivat: ſic in civium cœtu multis hominibus eſt opus, qui tamen minimè partes civitatis aut eſſe, aut haberi debeant, nec in civium numero collocari. Quamobrem ſapienter à Majoribus noſtris cautum eſt, ne univerſus populus ſummam poteſtatem habeat in hac Republica, quam longe optimam voluerunt. Summa enim turbatio, popularesque tumultus frequenter concitantur in illis civitatibus, in quibus ſumma rerum eſt apud populum: quod etiam in quibuſdam rebuſpublicis obſervatum fuiſſe legimus, & à nonnullis philoſophis præceptum. Hoc tamen rectè ſe poſſe E aſſequi arbitrati ſunt, ſi jus hoc adminiſtrandæ reipublicæ definiretur cenſu atque copia rei familiaris: verum in maximas difficultates, nec mediocria incommoda incidere. Nam frequenter evenit, ut infimæ plebis homines comparent ſibi ingentes facultates: quippe qui plerumque ſordidis artibus, officiiſque minime liberalibus dant operam augendæ rei, neque unquam ſibi parcunt, quin potius genium fraudant, ut opes accumulent. Contrà ingenui cives ac liberaliter educati pauperes fiunt, ſeu adverſa fortuna, (ut frequenter accidit) ſeu quòd liberalibus ſtudiis addicti univerſam hanc augendæ rei familiaris F operam negligunt. Qua ratione fit, ut ſordidi homines, qui nil aliud ſapiunt quàm lucrum, bonarum verò artium expertes ſunt, paulatim rempublicam capeſſant: ingenui verò ac liberaliter educati, opibus ſenſim deficientibus, à jure civium decidant. Inde maximas ſeditiones oriri, ac rempublicam turbari neceſſe eſt. Ideo Majores noſtri, ſapientiſſimi homines, ne ſua Reſpublica quandoque in has calamitates incideret, hanc definitionem publici juris, generis nobilitate

1. *Edit. Elzev. habet*: Enimvero hac in re temperiem adhibuere.
2. Conferatur hic Nicolai Craſſi *de Republica Venetorum Liber Singularis*, qui olim Notis in Donatum Jannotium & Auctorem noſtrum ſubjunctus, nunc vero apud nos & ſeparatim prodiit.

tate longe melius fieri censuerunt, quàm magnitudine census: ea tamen temperatione, ne tantùm supremæ nobilitatis viri hoc jus haberent, (illud enim paucorum potentiæ fuisset, non reipublicæ) sed etiam quicunque alii cives non ignobiles. Itaque omnes, qui aut genere nobiles extitere, aut virtute insignes, aut de Republica bene meriti, principio hoc jus Civitatis regendæ adepti sunt. Quòd si post eum primum Civium conventum Nobiles alii fuere, qui tum opibus, tum strenuis gestis Rempublicam auxerint, nimirum illis omnibus jus administrandæ Reipublicæ concessum fuit, id quod & temporibus nostris vidimus. Nam nonnulli etiam advenæ, externique homines in hunc numerum Civium asciti sunt, vel ob eam causam, quòd nobilissimi, vel quòd officiosi erga Rempublicam fuerint, eamque insigni quopiam facinore honestarint.

Universus ergo hic Civium conventus, seu (ut dicitur) *Magnum* hoc *Consilium*, penes quod summum totius Reipublicæ jus est, & à quo etiam Senatus Magistratuumque omnium auctoritas pendet, in hac Republica vicem refert popularis status. *Dux* verò qui præfinitum imperandi tempus non habet, sed dum vixerit, præsidet, regiam præ se fert potestatem, præsertim cum regiam speciem habeat, ac gravitatem dignitatemque regis servet. Reliqui verò Cives regia veneratione Ducem prosequuntur, omniaque decreta & leges, tum etiam publicæ literæ, sub Ducis nomine prodeunt. At *Senatus*, *Decem-Viri*, *Se-*
10 *niorumque* seu *Præconsultorum Collegium*, qui apud nos vulgò *Sapientes* appellantur, eorum, inquam, qui præconsulunt, ac de Republica ad Senatum referunt, ostendunt quandam optimatium speciem.

Quæ cùm sint præcipuæ Reipublicæ hujus partes, antequam ad inferiores Magistratus deveniamus, de iis primo sigillatim dicendum est. Initium verò sumatur à *Majori Consilio*, à quo universa pendet Respublica. Omnes ordinis Patricii juvenes, qui XX annum exegere, ad Magistratum, qui vulgò Advocatorius dicitur, accedunt, cui præcipuè legum tutela demandata est, coram quo constituti cum patre, aut matre, si pater decesserit, aut proximiore generis cognato, si utroque parente orbati fuerint, adhibitis duobus testibus, honestis viris, sed alienis à matre, probant sese natos ex eo, quem patrem profitentur, non spurios: sed matrimonio legibus statuto & ex matre honesta muliere. Testes verò in hæc verba jurant, sibi id compertum esse ex omnium quos novere attestatione, atque ex omnium assensu. Deinde pater seu mater, vel consanguineus genere proximus, si fuerit is juvenis utroque parente orbatus, jurejurando asserit, adolescentem XX. annos excessisse. [1] Quæ quum rite à Scriba Magistratus illius in codicem fuerint relata, diem A quartam mensis Decembris opperiuntur: eademque die omnium horum adolescentum nomina, qui nondum sortis beneficio jus Civis adepti sunt, nec vigesimum quintum annum excesserunt, in urnam conjiciuntur, & ad Principem deferuntur: ibique coram Consiliariis ea urna constituitur. Penes quam est & altera, in qua tot sunt pilulæ seu globuli, quot nomina in priori fuerint, suis quæque notata syngraphis. Pilularum quinta pars aurea est, reliquæ omnes argenteæ. Extrahit Princeps ex priori urna nomen, mox & ex altera pilulam: quæ si aurea fuerit, juvenis is, cujus nomen exierat, confestim publicæ potestatis jus habet, & in B Majus Consilium admittititur: sin argentea, sorte decidit, ac insequentis anni sortem opperitur, nisi eo temporis spatio XXV. annum exegerit. Nam quicunque patricius ad id ætatis pervenerit, continuò jus habet civis, publicæque potestatis est particeps, atque in hoc Consilium Majus admittitur. Hac igitur ratione quinta pars candidatorum juvenum quotannis recipitur ad jus suffragii ferendi cum aliis Civibus. Quòd si accidat, ut cujuspiam Patricii pater atque avus, vel propterea quòd absentes fuerint, vel ob aliam causam nunquam hoc jure suffragii ferendi sint usi, eorumque nomina nunquam fuerint relata in C publicos codices, in quibus Patriciorum omnium nomina sunt descripta: ne qua fraus confici posset, neve quispiam degener furtim obrepat in hunc Nobilitatis cœtum, noluerunt arbitrio tantum Advocatorii Magistratus eam rem constitui ac decerni; sed lege cautum est: *Ut hi referentibus Advocatoribus ad XL. Viros agnationem Patriciam probent, atque testibus & scripturis publicis*: sicque causa cognita disceptantibus Quadraginta-Viris decernitur, an ad ordinem Patricium admittendus sit. Ne autem quispiam impune tentare hujusmodi judicium audeat; itidem decretum est: *Quicunque referre de Nobilitate sua* D *voluerit ad eos judices, priùs ad Magistratum afferat quingentos nummos aureos, qui in ærarium referuntur, si ille deciderit à causa.* Ea fuit Majorum nostrorum diligentia, ne qua labe Nobilium hic cœtus inficeretur. Qua de causa etiam illi cives, qui vigesimum quintum annum excesserunt, non prius adipiscuntur jus suffragii ferendi, quàm coram Advocatoribus constituti jurejurando patris seu 11 matris, aut proximioris consanguinei probaverint, se ad id ætatis devenisse: ac duobus item testibus, se ex eo Patricio genitos quem parentem

---

1. Hic Edit. Elzev. addita habet sequentia:

Eadem plenius & planius explicantur in hunc modum:

Accedere possunt ad hoc Patricii juvenes annos viginti nati, certis tamen & constitutis quibusdam legibus servatis. Deferri enim oportet ac significari Trium-viris, quos Advocatores vocant, nuptias legitimas parentum intra mensem, posteaquam traducta uxor fuerit; quod si contingat unum aliquem ex Trium-viris esse affinem, aut agnatum, ejus in locum ad eam causam cognoscendam sufficitur Consiliarius ex superioribus. Sponsum jurare oportet, & matrimonium legitimum esse contractum, & eam fœminam, quam ipse duxerit, esse honestam, nullaque insignem nota. Conjurare item oportet quatuor testes, qui nuptiis præsentes affuerint, quibusque mulieris status sit cognitus, cujus nomen & parentes debent profiteri: quo possint eæ nuptiæ (quod attinet ad nobilitatem) rejici, quæ cum fœminæ impudicæ, aut servilis abjectæve alias conditionis constitissent. Deferri F quoque, & in publicis describi opus est natalem diem, statim atque editus puer in lucem fuerit, aut certe intra proximum mensem, coram Trium-viris, nemine eorum absente; alioqui irrita delatio censeatur explicandi utriusque infantis no- E men, ejusque parentis utriusque. Ad hæc duo, qui sanguinis necessitudine infantem proxime attingant, sacramento verba sancientes testari coguntur infantem integris natalibus esse, idque omnium opinione approbat: sibique matris ejus pudicitiam optime cognitam. Quorum quidem natalium attestationes non possunt publicis monumentis consignari, nisi præstituto tempore, matrimonium prius Trium-viris innotuerit. Quod ne forte aliquando negligatur, proferuntur prius matrimoniorum catalogi, nec, nisi agnita quo de agitur matrimonii delatione, infantis natalia describuntur. Series autem utriusque delationis, hoc est nuptiarum inter parentes, ortusque liberorum, subscriptione Trium-virorum, qui de eis cognoverunt, intra dies quindecim roborari debet cum præscriptione diei & anni, quo eas muniri contigerit. Hujusmodi porro acta à nullis tabellionibus aut notariis, præterquam à duobus, quos Primarios F appellant, scribi possunt; quod si scribantur, abrogatà fide, irrita & nulla pronuntiantur, quibus omnibus ad amussim observatis pater candidati, si vivus est, alioqui mater, aut duo ex conjunctissimis sistunt juvenem coram Triumviris, poscentes, ut inter magni Consilii proceres cooptetur. Primarius deinde intenta voce legit juvenis ortum ejusque parentum matrimonium, temporibus à lege statutis, professum atque delatum; tùm ad Trium-viros conversus: *Illustrissimi Patres*, inquit, *Pater, aut Mater, aut cognati proximi sistunt vobis hunc nobilem juvenem* (illum digito ostendens) *& juris-jurandi religione affirmabunt, illum ipsum esse cujus modo natalis dies à me vobis pronuntiatus est, idque: absque fuco & fraude dolove malo.*

tem profitentur, non spurios nec matre pudenda. A

Postquam omnis ferè ratio à nobis exposita est, qua civibus ad jus publicæ potestatis aditus fiat, illud animadvertendum existimo, Majores nostros sensisse plurimum ad amicitiam & unionem Civium conciliandam & conservandam conferre, si sæpius in unum convenirent. Quare tum legibus, tum veteri consuetudine inolevit mos ille, *ut octavo ferè quolibet die, interdum etiam frequentius, Consilium Magnum cogeretur.* Hujus præcipuum munus est, ut omnes Magistratus creet, tum eos qui in Urbe jus dicunt, & aliis Reipublicæ muneribus funguntur, B Senatum quoque & Decem Viros, tum etiam Prætores, Præfectos, Quæstoresque oppidorum atque urbium, quæ in societatem *Veneti* Imperii sunt ascitæ, nec non Custodes arcium, classis Imperatorem, Legatos, item, classis triremium Præsides, ac demum (ut uno complectar verbo) quoscunque qui domi vel foris jus habeant publicæ potestatis. Leges item omnes, quæ ad constitutionem Reipublicæ pertinent, hujus Consilii auctoritate sanciuntur, quod præcipuè fieri consuevit tempore interregni, cum scilicet mortuo Duce nondum alius ei suffectus sit. Sed inferius de Interregno.

C Nunc omnis *Comitiorum* habendorum *Ratio* à nobis exponetur. Circa meridiem, quibusque ferè diebus festis Consilium hoc cogitur sub amplo spatiosoque tecto, quod liceat appellare *Comitium.* In eo decem sunt sedilia longissima, utpote, quæ longitudinem Comitii penè æquent. Cives omnes, ut quisque eo loci pervenerit, sessum eunt, ut cuique libuerit. Nulli enim statutus est locus in Comitio, præterquam quibusdam Magistratibus, qui Comitiis præsunt. Ii verò sunt Dux, Consiliarii, & Quadraginta Virorum Præsides tres, qui in elatiori suggestu sedent, atque soli jus habent referendi ad Magnum D Consilium. Post hos in mediis ferè subselliis, quæ paulo elatiora sunt ad parietes Comitii posita, certis statutisque sedibus, Advocatores sedent, tresque Decem Virum Præsides, ac demum quàm longissime à suggestu Ducis sunt subsellia Auditorum Veterum, ac Recentium, de quibus omnibus Magistratibus à nobis infrà dicetur. Cæteri verò Cives omnes (ut dicebam) promiscuè pro animi arbitrio sedent. Statuta deinde hora fores Comitii clauduntur, feruntur que claves ad suggestum Principis, & ad ejus pedes locantur. Tunc Scriba primus, qui honos est non Patriciorum, maximæ tamen dignitatis, E assurgit, atque elatiore loco constitutus voce magna pronunciat Magistratus, quorum sunt eo die habenda Comitia. Pronunciatis Magistratibus, continuo ex eo loco confert se ad suggestum, in quo est Princeps, altaque voce citat Magistratus, præsides Comitiorum, quos supra memoravimus, ut ad Principem seu Consiliarios, si Princeps abfuerit, accedant. Jussi confestim accedunt, ibique jurejurando interpositio pollicentur, *operam se daturos, ut leges Comitiorum serventur,* [1] *pronunciaturosque civem eum, qui contra decreta aliquid egerit, ac pœna legibus constituta punituros.* His F peractis ad sua quisque loca revertitur, præter unum ex Advocatoribus, ac unum ex Præfectis Decem Virum, qui ad extremam partem atrii se conferunt adversam Principis suggestui, ibique
12 destinatis sedibus consident. Reliqui vero Advocatores in dextro latere Comitii, duo verò reliqui Decem Virum Præsides sinistro latere è regione Advocatorum se item locant. Consimili ratione Auditores Veteres & Recentes extremo loco Comitii, quem dicimus longissimè distare à suggestu Principis, oppositis lateribus consident, dextro inquam ac sinistro: ut hujusmodi Magistratuum consessu universo Civium Consilio omni ex parte appositi custodes esse videantur, ne quis impune quippiam agere possit, contra leges & Comitiorum decreta. Magistratibus hunc in modum dispositis, tres urnæ [2] juxta Principis suggestum statuuntur, in quibus conduntur globuli aurei argenteique, hocque modo dispositæ, ut in medio suggestu sit una, ex utroque latere itidem una, in quarum utraque triginta tantum sunt globuli aurei, innumeri vero argentei. In media verò urna sexaginta tantum globuli conduntur, quorum triginta sex aurei, argentei verò viginti quatuor: suntque aurei omnes globuli, certis literarum notis inscripti, quas singulis Comitiis sorte educunt, ne qua posset subesse fraus. Locatis urnis, tres Consiliarii cæteris juniores è suis sedibus surgunt, ac ad extremam partem suggestus juxta tres eas urnas sessum eunt, ea ratione, ut singulis singuli Consiliarii assideant. His ita actis & dispositis, sortes ducuntur, atque is ordo Civium, cujus sors exierit, consurgit ex utroque Comitii latere. Per atrium enim quod longum est, decem sunt sedilium ordines dispositi, in quibus pro cujusque arbitrio considere Cives suprà diximus, unaque tantum sors duobus ordinibus inservit, iis scilicet, qui ex utroque latere Comitii sibi respondent. Is ergo ordo, cujus sors exierit, magna præconis voce citatur, & ex utroque latere Comitii, eo ordine, quo sorti libuerit, consurgitur: civesque eo quo sederint ordine, ad eas se urnas conferunt, quibus juxta suggestum Principis constituti Consiliarii assident: ac manu imposita quisque globulum unum educit. Qui si argenteus sit, diverso itinere ad sedile, unde surrexerat, revertitur. At qui aureum eduxerit, confestim Consiliario, qui urnæ illi præest, conspiciendum tradit: ille diligenter notam agnoscit. Illa notæ inscriptio ea ratione est inventa, ne quisquam efferre domo secum posset aureum, quem manu furtim impositum videretur ex urna eduxisse, sicque per fraudem Elector fieret. Is ergo cui sors aurei obtigerit, continuò ad mediam urnam se confert, indeque alium globulum extrahit. Qui si argenteus fuerit, impos voti revertitur ad eundem locum, unde discesserit; sin vero aureus fuerit, suggestum ascendit, atque è regione Principis destinato locu sessum it. Secundus qui eadem sorte usus fuerit, eodem etiam se recipit, ac item tertius: sicque deinceps cæteri, quousque novem fuerint, qui primum Electorum ordinem complent, atque ita eo in ordine disponuntur, ut solius ætatis ratio habeatur, præterea nullius rei.

Hoc loco institutum illud minime prætereundum est, illos qui sortis beneficio Electores sunt facti, statim alta voce à Scriba pronunciari solere, adeo ut omnes audiant: neque amplius facultatem ullam esse cuipiam ejus consanguineo, aut affini arcta necessitudine conjuncto tentandi sortem, qua Elector fieri queat: neque etiam pluribus quàm duobus Gentilibus aditus patet ad ordines Electorum, quod summa prudentia Majores nostri instituere, ut scilicet ad plures agnationes ac familias hoc munus eligendi perveniat, publicumque hoc beneficium latius pateat inter Cives: satis enim haberi debet, si ex una familia 13
sors duobus contingat, qua publicæ auctoritatis compotes efficiantur. Sed

1. *Edit. Elz. habet*: leges Comitiorum serventur, non pronunciaturos civem eum, qui contra decreta aliquid egerit, sed pœna legibus constituta, &c.

2. Vid. Donati Jannotii *Dialog. de Rep. Venet. p.* 65. *Edit. Novissimæ*; ibique Nicolai Crassi annotata.

Sed eò revertatur, unde nostra divertit oratio. Primus hic Ordo Electorum Civium è vestigio ut completus fuerit, è Comitio egreditur, simulque novem illi se in certum conclave recipiunt. Hic Scriba unus à Secretis Reipublicæ adest: primum Electoribus nunciat ea, quæ legibus præscripta in Magistratibus eligendis servari debeant. Leguntur item Senatusconsulta, ac cæteræ leges, quibus cavetur, ne pecunia corrupti Electores, seu quapiam mala arte & fraude eligant, vel, ut rectius dixerim, nuncupent eos, qui competitores futuri sunt, ac suffragiis consilii proponendi disponuntur. Deinde novem illi Electores, pro cujusque ætate, seniores scilicet digniori loco, priorique sedent. Nullum enim aliud discrimen, præterquam ætatis, inter Cives *Veneti* esse volunt, quod seditionis nullius aut simultatis unquam id causa fuerit: neque à summis philosophis, Aristotele, inquam, *in Politicis*, & Xenophonte *in Cyri Persarum Regis Institutione*, opere longè celeberrimo, est prætermissum. Electoribus eo ordine dispositis, novem item globuli in urnam conjiciuntur, numeris in quoque notatis, ab uno ad novenarium. In pagina verò paululum longiore inscripti sunt Magistratus, quorum habentur Comitia suo ordine. Maximus natu Electorum, ex urna sortem educit: numerus sorti inscriptus inspicitur, ac quotus fuerit numerus, in eo etiam Magistratu, qui in pagina illo fuerit numero descriptus, pronunciandi quem voluerit Civem jus habet. Idem contingit secundo, tertio, ac deinceps omnibus, ut scilicet ducta sorte quisque Electorum proprii Magistratus beneficio & arbitrio sortis sit pronunciator effectus. Postmodum is, cui primi Magistratus sors obtigerit, eum Civem pronunciat, quem voluerit. Itur in suffragia à novem Electoribus. Si sex suffragia, vel plura tulerit Electus ab eo Electorum ordine, in eo Magistratu renunciatur, ac ejus nomen in pagina ea oblonga, in qua Magistratus omnes, quorum habentur Comitia, sunt inscripti, ab uno Electorum subscribitur notæ primi Magistratus. Quòd si pauciora quàm sex suffragia tulerit, quod rarissimè evenit, iterum alius ab eodem Electore proponitur. Atque eadem ratione res deinde peragitur, & sic deinceps, quousque aliquis proponatur, qui approbetur sex Electorum judicio. Idem eligendi modus in secundo, tertio, omnibusque aliis servatur, quoad ille Electorum ordo in singulos Magistratus singulos Cives elegerit.

Interim verò dum hæc in Conclavi aguntur, reliqui Cives ordinem sortium in Comitio cœptum non intermittunt; sed ad urnas se conferunt, prout cuique sedilium ordini sors contingit: deinde globulos educunt, donec novem alii sortem utramque auream ex urna extraxerint. Hi complent Secundum Electorum Ordinem, qui habita (ut dictum est) ætatis ratione, & ipsi in Conclave destinatum seorsum secedunt: quo in loco adest & alius Scriba à Secretis, qui ratione nulla in re dispari à priore, tum leges ac Senatusconsulta, quæ servanda illis sunt, recitat palàm, tum suo quemque loco collocat: paginamque defert eisdem Magistratibus, eademque serie, qua prior illa, quam in Conclavi primi Electorum ordinis delatam fuisse suprà diximus. Itidem sortes ab Electoribus educuntur, ut quisque suam educit, à singulis pronunciantur Cives singuli in Magistratibus, quorum Comitia fiunt, prout cujusque Electoris sors tulerit. Ac eodem ferme modo post hos
14 tertii novem eadem ratione Tertium Ordinem

A complentes, in privatum quoque Conclave secedunt, in quo eadem ad amussim observantur. Sic etiam Quarti novem in suum, atque hoc pacto explent numerum triginta sex Civium; totidem enim fuerant globuli aurei in urna medio suggestu constituta. Quamobrem ex sexaginta Civibus, quibus ex primis urnis sexaginta pilulæ aureæ contigere, triginta sex Electores fiunt, in quatuor classes distributi: quatuor verò & viginti, qui ex media urna globulos argenteos eduxerunt, spe frustrati sessum redeunt. Non me latet, perquam arduum esse minuta hæc à veterum *Romanorum* usu longe remota, literis illustrare,
B sed potius inepti culpam mihi censeo subeundam, quàm parum diligentis. Ideo minima quæque etiam accurrate sanè à nobis recensebuntur, adeò ut nihil amplius etiam ab homine diligenti desiderari queat.

Nunc revertamur, unde digressa est oratio. Cum ergo in quolibet Magistratu, cujus eo die habentur Comitia, à classibus quatuor Electorum quatuor item Cives electi sunt, à singulis inquam singuli: nisi fortè contingat unum aliquem à duobus, aut tribus Ordinibus Electorum renunciari, quod interdum accidit, sed plerumque cujusque Magistratus quatuor fiunt Competi-
C tores: in nonnullis tamen parvæ dignitatis, ac inferioris notæ Magistratibus duo tantum fiunt competitores: duæ namque priores Electorum Classes jus habent eligendi, ac pronunciandi competitores, in illis minoribus Magistratibus, cum posteriores Classes eo jure sint privatæ. Postquam Magistratuum omnium competitores electi fuerint, ea quam suprà exposuimus ratione, confestim Electores dimittuntur, neque suffragari ea die cuipiam possunt, nec etiam Comitiis interesse: ac Sriba Magnus, qui (ut dixi) patricius honos non est, sed tamen maximæ est existimationis, ex suggestu magna voce pronunciat Com-
D petitores primi Magistratus: ac sigillatim recitat, quis, & à quo Electorum ordine electus sit, nec non quo Electorum auctore, & in quo ordine unusquisque Competitorum nominatus fuerit. Quo mihi in loco illud nequaquam prætereundum existimo, legibus sancitum esse, *ut Elector ille, quo auctore quisque Competitorum pronunciatus ac electus sit, veluti fidejussor ejus habeatur: ac si contingat pronunciatum Civem superatis Competitoribus voti compotem Magistratum eum adipisci, quem petebat, ac in eo Magistratu pecuniæ publicæ quippiam averterit, ac damnatus fuerit peculatus, nec solvendo sit, is Elector, quo auctore pronunciatus est, in*
E *ærarios referatur.* Igitur alta voce à Magno Scriba pronunciatis Competitoribus primi Magistratus, continuò pronunciati, si adfuerint, cum Gentilibus quisque suis, ac maxime necessariis cognatis è Comitio egrediuntur, & in Conclave destinatum se conferunt. Ibique opperiuntur, donec illius Magistratus habeantur Comitia. His peractis, idem Magnus Scriba omnes admonet, *divinis atque humanis legibus unumquemque teneri, ut ei suffragetur, qui omnium optimus ac Reipublicæ utilissimus fore videatur*: deinde primum Competitorem nominat, à primo scilicet Electorum ordine electum, pro quo in suffragia eundum sit.
F Continuò juvenes tot consurgunt, ut unicuique sedilium ordini bini inserviant. Hi urnas quasdam manibus gestant [3], miro artificio inter se coagmentatas, exterior est viridis, interior alba, unico fornice superius tectæ: in quem cum manum in-

3. Conf. Donati Jannotii *Dialogum de Rep. Venet.* ibique Nicolai Crassi annotata p. 71. *Edit. Noviss.*

injeceris, liceat tibi in utrum volueris suffra-
15 gium demittere: cum tamen nullus, etiam qui adsit [1], ac diligenter inspiciat, dignoscere queat, in utram urnam suffragium sive calculum conjeceris. Nec fabis suffragantur, sed pilulis quibusdam linteis, ne qua ratione ex sono, quem cadentes in urnam fabæ facturæ sint, dignosci possit, in utram urnam calculus sit jactus. Nam Majores nostri maximè Reipublicæ conducere existimavere, si libera judicia fierent: idcircoque summam operam dedere, ut suffragia quàm occultissima essent. Juvenes ergo illi cum suis quisque urnis invicem coagmentatis ad sedile suum concedunt, ac cuique Civium eo, quo sederunt ordine, urnas offerunt. Quilibet vero Civis palàm ostenso calculo manum in fornicem imponit, ac in utram voluerit urnam, eum demittit: si suffragari velit, in interiorem albam: si vero refragari, in exteriorem viridem. Simul in unoquoque sedilium hac ratione atque eo, quo diximus, modo in suffragia itur. Quo fit, ut brevi admodum temporis spatio ab universo conventu Civium suffragatum sit. Tunc urnæ deferuntur ad suggestum Principis, ibique collecta suffragia effunduntur in duo vasa patula, ea videlicet, quæ fuerunt in urnis albis, & quæ faverint, in vas candidum; at quæ in viridibus urnis collecta sunt suffragia, quibus repellitur Competitor ille ab eo Magistratu, itidem in viride vas conjiciuntur. Deinde ad Consiliarios numeranda deferuntur, inter quos medius sedet Princeps. Candidi vasis suffragia, Competitori faventia, ab eis Consiliariis numerantur, qui dextro Principis latere assident. At collecta in vase viridi, quæ scilicet refragantur, ab his, qui ad lævam Principis sederint, recognoscuntur. Scribæ publici Consiliariis adstant, statimque perscribunt numerum suffragiorum. Interea dum primi suffragia recensentur, eadem ratione pro secundo in suffragia itur, qui à secunda Electorum Classe fuerit electus. Deferuntur itidem suffragia ad Consiliarios. Numerant illi, Scribæ autem numerum suffragiorum scriptis mandant. Sic pro tertio, ac demum pro quarto, si tot fuerint Competitores, in suffragia itur. Numeratis suffragiis, is qui plurima tulerit, dummodo dimidia excedant, pronunciatur Electus à Magno Scriba, quum peractis omnium Magistratuum Comitiis consilium dimittendum est. Sin autem ejus Magistratus Competitorum nullus plura suffragia quàm dimidia omnium tulerit, præteriti hi omnes habentur, differturque electio ad altera Comitia. Post primi Magistratus Comitia peracta pronunciantur nomina Electorum in secundo. Discedunt in Conclave Competitores cum gentilibus ac cognatis. At illi qui conclusi erant, primorum scilicet Competitorum gentiles atque cognati, in Comitium redeunt. Eadem ratione nulla in re dispari à priori, eodem ordine itur in suffragia pro secundi hujusce Magistratus Competitoribus, atque item numerantur à Consiliariis. Is electus habetur, qui suffragiis alios superavit, dummodo plura dimidiis sint. Sic pro tertio, item deinceps pro quarto, hoc demum in omnibus aliis Magistratibus servatur. Comitiis confectis, Electorum nomina magna voce pronunciantur [2] à Scriba Magno, postea dimittitur Consilium: neque omnino ultra solis occasum protrahi Comitia queunt. Quòd si ea solis occasus interceperit, statim renunciantur, qui

A ad eam horam fuerint electi: eorum, qui restant, nulla ratio haberi potest. Itaque beneficio, quod eis cùm sors, tum electorum Classes attulerant, exclusi tempore [3], minime frui queunt. Fuitque 16
hoc summa ratione decretum: nam haud facile factu esset, si res in noctem protraheretur, ut tam magna Civium multitudo a Magistratibus, qui Comitiis præfecti sunt, in officio contineri posset, ut tenebris faventibus non aliquid contra leges agerent. Idcircò Majores nostri sapientissimi viri, qui eximia prudentia, & animi solertia omnia prospexisse videntur, statuere, ultra solis occasum Comitia ne protrahi liceret, neve ullo
B pacto lucernam ullam in atrium illud inferri, dum Comitia haberentur.

Hæc est omnis Comitiorum habendorum ratio; in qua minime est prætereundum, ita inter Cives distribui Magistratus, ut tamen duo ejusdem gentis, aut etiam consanguinei maxime necessarii, in eodem magistratu esse non possint. Quemadmodum neque iisdem Comitiis duo gentiles, aut agnati, maxime necessarii, sortis beneficio Electores esse queunt, ut suprà ostendimus. Quod summa quidem ratione statutum est, ut scilicet jus publicæ potestatis ad plures pertineat, non autem ad paucos necessarios con-
C trahatur. Nam hi potestatem adepti moliri aliquid facilè possent, Rempublicamque turbare. Plurimi præterea, honorum facti expertes, Rempublicam oderint, rebusque novis studeant, necesse est. Eam verò Rempublicam, quam pars civium, eaque magna non probat, diutius consistere posse, non videtur esse valde sperandum. Magis autem reipublicæ proprium nihil prorsus est, quàm publicam potestatem ad plures pertinere: nam cum Respublica ex iis planè civibus constet, quos inter summa sit æqualitas, ut in honoribus adipiscendis dispares sint, minimè convenit. Etenim paucorum statum, quem *Græci*
D ὀλιγαρχίαν dicunt, facilè constituunt, qui jus publicum contrahunt ad paucos necessarios. Quamobrem in Republica *Veneta* ita magistratus inter cives distribuuntur, ut quoad fieri possit, omnes familiæ agnationesque honorum, munerumque Reipublicæ sint participes: ea tamen ratione, ut non quivis, sed hi tantùm viri, qui & probitate & prudentia excellunt, Rempublicam administrent, ac muneribus publicis fungantur. Prior illa institutio populare quiddam sapit: altera verò optimatium gubernationem. Quare luce clarius intueri licet, omnes rectas gubernationes civitatum in hac una Republica esse commistas.
E Nam quamvis hoc Magnum Consilium speciem quandam referat popularis status, nihilominus in eo perspicitur commistam esse rationem optimatium gubernationis cum populari. Nam sorte eligi magistratus, populare est. In eo enim statu civitatis justum atque æquum æqualitate Arithmetica metiuntur: atque ita reputant, quum unusquisque è populo unus sit civis, & liber, ac paribus paria debeantur, unumquemque ex populo pari jure ac commodo frui debere in Republica: neque esse causam, cur alius minus alio magistratus consequi possit. Quum vero omnes simul nequeant imperare, sed per vices, æquum
F esse existimant, ut res sorti committatur, utque imperent ii, quibus illa faverit. Contrà in paucorum potentia, quæ aberrat à Republica optimatium, usu venit. Quippe arbitrantur, cum imparibus imparia debeantur, divitesque superent alios cives copia rei familiaris, eis quoque supremos

1. *Edit. Elzev. habet:* etiamsi adsit.
2. Conf. Donati Jannotii *Dialogum de Republica Venetorum* p. 72. *Edit. cit.* ibique Nicolai Crassi annotata.

3. *Edit. Elzev. habet:* spe frustrati.

mos honores deberi. In quo utrique falluntur, longeque à vera ratione recedunt, licet verisimili nitantur. Nam quod inquiunt, paribus paria, aut imparibus imparia deberi, rectè statuunt; in eo verò, quòd paritatem priores numero tan- 17 tum, posteriores imparitatem solum divitiis metiuntur, procul dubio perperam judicant. Etenim qui numero pares sunt, aliqua in parte pares sunt, non omnino pares. Et qui divitiis impares, non omnino impares censendi sunt, sed aliqua tantùm ratione impares. Verùm cum civilis societas ad bene vivendum sit instituta, virtus sola discrimen hoc efficit. His ergo, qui virtute præstant, tanquam imparibus ac potioribus, supremi etiam honores in republica debentur: æqualibus verò virtute ac civili industria æquales etiam honores. Hic modus, hæc norma optimatium est. Sicuti ergo populare est, uti sorte in Electoribus constituendis: ita est optimatium, ut is, qui virtute præstare judicio Consilii existimatus fuerit, potior habeatur, ac reliqui repulsam ferant, qui indigniores habiti sint. Qua ex re facilè perspici reor, in hac Comitiorum habendorum ratione commistam esse cum populari specie optimatium formam: eo tamen temperamento, ut id, quod est optimatium, superet rationem popularem. Nam sors in Electoribus tantum constituendis dominatur: cujus potestatis nequam etiam homines Reipublicæ absque detrimento A compotes esse queunt, parque jus habere cum optimis civibus. At in mandandis honoribus nil sortis est, totum in electione & judicio positum est.

Quo in loco non omittendum illud institutum censeo, in Comitiis Magistratuum, qui exigunt viros præcipua quadam bonitate ac solertia præditos, quatuor Ordinibus Electorum, de quibus supra memini, Senatum velut quintum Ordinem explere. Nam dum Ordines illi in Conclavibus ad hoc munus destinatis eos pronunciant, quos voluerint Competitores, si fiant Comitia cujuspiam horum, quos dixi, Magistratuum, cogi- B tur Senatus in Minus Atrium: ibique unicuique Senatori licet eum, quem voluerit, in certis illis Magistratibus nominare, pro quibus in suffragia itur. At is, qui plura attulerit, pronunciatur Electus Senatus Scrutinio, fitque quintus Competitor. Quamobrem liquidò apparet, præstantiorem esse in nostra Republica formam optimatium, quàm status popularis. Cæterum hujuscemodi Comitiorum modus, ac ratio satis hactenus diligenter à nobis exposita est. Accedamus ad eam Reipublicæ partem, quæ, veluti in fidibus ad constituendam διαπασῶν consonantiam vox gravis proportione quadam acutæ respondet, sic etiam C specie quadam regia parti populari respondeat, ac demum in unum concentum optimæ Reipublicæ, injectis mediis Magistratibus, coalescat.

18

LIBER SECUNDUS.



NULLUS est, qui ignoret Principem in urbe *Veneta* personam Regis, ac speciem regiæ gubernationis præ se ferre. Ideo non absque ratione, postquam is à nobis Conventus Civium est descriptus, qui populi formam habeat, si non satis pro rei ipsius dignitate, pro tenuitate tamen nostra non indiligenter: sequitur, ut explicare aggrediamur, qua ratione ducti Majores nostri, optimi atque sapientissimi homines, Principem unum Reipublicæ præesse voluerunt, tum verò, quibus temporibus ac qualis fuerit hujus Principis præficiendi origo. Neminem puto latere, id quod à nobis sæpius hoc toto opere est repetendum, civitatem civilem quandam societatem esse, quæ per se sufficiat ad bene beateque vivendum. Omnem verò societatem unitate quadam contineri, quis ambigat? contrà autem distractione solvi. Quo effectum est, ut discordia civilique dissidio, maximæ & opulentissimæ civitates brevi corruerint, funditusque eversæ sint. Unitas verò commode contineri non potest, nisi ab uno, qui multitudini civium ac universis magistratibus, quibus certæ quædam functiones sint demandatæ, præsit, atque multitudinem quodammodo diffluentem colligat, atque in unum conciliet. Quod philosophi summi ac præcipui naturæ indagatores, cum in universi constitutione, tum etiam in microcosmo hoc, id est animali, animadvertere. Nam perspexerunt in hac rerum universitate multos ac difformes motus, prout scilicet uniuscujusque natura fert, ab uno cœlesti, ac diuturno contineri: omnes etiam causas ab una prima omnium causa: demum in uno animali plurima ac longe diversa membra, quorum functiones variæ difformesque sint, una tamen amica & unico membro, corde scilicet, comprehendi, atque in unitatem quandam colligi. Pari propemodum ratione multitudo civium, ni ita fuerit legibus instituta, ut unum quempiam præsidem velit, cui bonum D commune omnium, ac unionis civilis conservandæ cura præcipue incumbat, quò uniuscujusque civis, tum privati, tum magistratu fungentis actiones, tanquam ad ultimum finem & præcipuum referri debent; nimirum diutius non poterit conservari, sed in diversas partes distracta decidet. Quod ut nullius civis culpa aut injuria contingat, ex singulorum quidem sedulitate circa proprium, privatumque munus accidere necesse erit, cum commune bonum nulli præcipuè sit demandatum. Age rem spectemus in rei frumentariæ Præfectis. Hi potissimum in hanc curam incumbent, ut opera sua magna frumenti copia ex omnibus partibus invehatur in urbem, sitque E tritici annona vilis. At hoc fortasse publicis vectigalibus officiet. Navalis quoque Rei Præsides, quod pulcherrimum habemus, non dissimili ratione maxime studebunt, ut quamplurimas triremes ædificent, omnibusque bellicis & nauticis instrumentis exornent egregiè, atque pecunias publicas undique coactas in eum usum expendant: ex qua forsitan sedulitate reliqui 19 reditus publici, & reficiendis arcium & oppidorum mœnibus, & custodibus regionum satis esse non poterunt. Quamobrem solutis compagibus, Respublica distracta dilabitur, non vitio, sed studio civium, dum quisque perquam F egregiè munus suum obire studet. Quod si hisce incommodis effici videtur, ut operæ pretium sit boni communis curam alicui præcipuè demandare, cujus nullum sit certum quoddam officium, sed solum moderetur, & dirigat cujusque functionem ad commune bonum, & ad reipublicæ unionem: pluribus æquè hoc negotium committi non reor expedire civitati. Etenim *id, quod pariter plures curant, omnes pariter negligunt*; ut inquit *Aristoteles*, neque si quid perperam agatur, culpa potest in unum quendam præ aliis conferri. Ut interim omittam æmulationem ac simultates, quæ inter pares plerumque esse solent. Sin verò unus huic rei præficiatur, qui temporaneum hunc magistratum gerat, utputa annuum aut se-

mestrem, non autem quoad vixerit: hic nimirum bene secum agi putabit, si tantisper Respublica feliciter agat, donec defunctus fuerit magistratu, securus, quid postmodum sit eventurum, ac quo res casura sit. Quare contigit, ut male plerumque res cedat. Id quod certissimo experimento compertum esse potest, à plerisque rebuspublicis sumpto, quæ hoc gubernationis genere nostris temporibus usæ sunt. Ideo à nostra Civitate sapientissime institutum fuit, ut in hac Republica constitueretur quædam species regiæ gubernationis, adeò legibus temperata, ut quovis incommodo ac periculo, quæ Reipublicæ imminere possent, amotis, utilitate verò & commodo, quod regia gubernatio habere solet, ascito; nihil relictum esse videretur, quod esset desiderandum, ac simul Rempublicam liberrimam, & Regem præsidem haberemus.

Unus ergo *Princeps* eligitur, qui etiam habet *Ducis* nomen. Is quoad vixerit, Reipublicæ præest: præcipue curam boni communis habet; quo maxime civitates contineri, superius à nobis efficaci ratione probatum esse reor. Hujus nulla certa functio tamen est in universa Republica [1], cujus expers esse debeat. Hic cum unumquemque privatum, tum etiam quoscunque magistratus ita debet in officio continere, atque ea ratione moderari, ut veluti quadam harmonia omnia consonent communi bono, atque ad unionem civilem referantur: ne qua scilicet functio aut nimia sedulitate magis quàm opus sit intenta, aut negligentia remissa utilitati communi officiat. Hoc igitur est Principis munus, ut tanquam in quadam Reipublicæ specula positus conspicetur, quid unusquisque rerum agat, eorum præsertim, qui publica auctoritate ornati fuerint: ac si quem perspiciat, qui officio suo desit, accersitum coram universo Collegio verbis primùm castiget, ac si res ita tulerit, adhibitis Advocatoribus, seu X Virûm Præfectis, mandet culpam ejus dignosci, ac de Consilii sententia puniri. Ipse quoque Dux, si velit, tum Advocatoris, tum Præfecti Decem Virûm auctoritate uti potest, atque de cujusque crimine, & de mulcta infligenda ad Consilium referre. Id quo more fieri soleat, infrà docebimus, quum de Judiciis Criminum agemus. Eam enim Princeps obtinet potestatem, ut in quovis Civium Collegio sese adjungere collegam possit Magistratui Præsidi, parque cum aliis præfectis jus habeat: ut hac potissimum ratione omnibus consulere queat. Verùm potestas hæc adeò est legibus contracta, ut nihil solus
20 possit, aliis Magistratibus adjunctus non amplius auctoritatis obtineat, quàm quivis unus eorum, qui eo Magistratu funguntur. Quin etiam Magistratuum jus adeò modicum est, ut nullus quamvis summus sit, quidquam statuere possit, quod alicujus momenti haberi debeat, nisi de Consilii sententia. Sed de his suo loco luculenter dicetur. In quovis præterea Consilio Princeps unius tantùm suffragii tanquam unus ex illis jus habet. In Magno item Consilio, in conventu omnium Civium dum Comitia Magistratuum fiunt, neque gentili, neque consanguineo competitori suffragari potest, verùm eodem parique jure cum omnibus utitur. Ex his igitur puto, quemcunque facilè intellecturum, *Venetorum* Principi omnem ademptam esse facultatem Principatu abutendi, & pro tyranno se gerendi. Quæ res diuturna, vetustissimaque consuetudine, à primis originibus Urbis ad hæc usque tempora perducta, adeò ino-
A levit, ac confirmata est, ut nihil minus Urbi *Venetæ* timendum sit, quàm Principem Reipublicæ libertati ullum unquam negotium facessere posse. Verùm enim vero, cum maximos labores, atque ingentem sollicitudinem animi, ni aliqua tanquam merces adderetur, universi rejecturi essent, potestatis dispendium Principi repensum est, adhibitis honore, dignitate, ac specie regia. Nam ornatus corporis regius est, purpurea enim veste aut aurea semper utitur. Capite gestat velamen linteum pro regio Diademate: id supra gestat capitium purpureum, limbo aureo ornatum, cujus pars, quæ occiput tegit, in cornu formam
B assurgit. Sedem in suggestu habet veluti regiam. Omnes cives tum privati, tum Magistratum gerentes, detecto capite, ac stantes, sedentem Principem alloquuntur: honoris hac tempestate præcipuum signum. Nulli Princeps assurgit. Publicæ literæ omnes sub nomine ipsius prodeunt, obsignanturque. Orator quivis, Prætor, Præfectus, aut quilibet alius, qui ad Senatum scribere voluerit literas, ad Principem destinat: decretorum, legum, ac Senatusconsultorum promulgationes nomine Principis fiunt. Nummi omnes tam aurei, quàm argentei cum nomine, atque imagine Principis excuduntur.
C Tandem ut paucis absolvam, ubique Regis speciem intueri possis, potestatem nusquam. Sapientissimè hoc quidem in Republica *Veneta*, ut cætera omnia, constitutum fuisse, nullus sanæ mentis inficiari ausit. Nam hac honoris mercede laboriosum alioquin Principis munus rependitur, quod solum virtutis præmium esse vulgus prædicat, & summi Philosophi prodidere. Ex quibus Aristoteles in Ethicis inquit: *Quum hi, qui rectè & sanctè magistratum gerunt, non suæ sed aliorum utilitati consulant, nulla alia ratione æquum eis præmium tribui posse, præterquam ut honore alios antecellant.* Præterea hu-
D jusce Principis dignitas in primis facit, ut omnes cives & castigationem ejus maximè vereantur, & injuncta munera majori sedulitate perficiant.

Adjuncti sunt Principi sex Consiliarii [2], ex senis tribubus, in quas divisa est universa Civitas, delecti ex singulis scilicet singuli. Hi octimestrem magistratum gerunt, perpetuoque assident Principi, omnia cum Principe audiunt, nullæ literæ publicæ exeunt, nisi ex sententia quatuor Consiliariorum, qui etiam nomina sua literis adscribunt, non his tamen, quæ prodeunt, sed illis, quas scribæ Reipublicæ primum scripserunt,
E atque post exempla edita servant. In qua quidem re illud haudquaquam est prætereundum, hasce literas, quæ non ex decreto Consilii, sed jussu 21
Principis & Consiliariorum datæ sunt ad quempiam, ut res parvi momenti, modicæ esse auctoritatis. Sanè illud sæpius nobis repetendum est, omne jus, omnemque potestatem Consiliis esse duntaxat attributam: nullum verò Magistratum per se ampiam potestatem obtinere. Sed de Consiliariis infrà dicetur.

Nunc ad Principem, seu Ducem, quidem oratio redeat. Hac igitur specie regia Principi adfixa, quoniam plerumque contigerat, ut pri-
F vatæ opes satis non essent ad tuendam eam dignitatem, atque ad eum locum honestandum, ex publico ærario constituta sunt in singulos annos Duci, tria millia & quingenti aureorum nummûm, ac ne fortasse quisquam paulo avarior in rem

1. *Edit. Elzev. habet*: Hujus nulla est privata functio, nulla etiam est in universa Republica,

2. Conf. Donati Jannotii *Dialog. de Republ. Venet. pag.* 91. *Edit. nostræ*; ibique Nicolai Crassi annotata.

rem familiarem, neglecta dignitate atque utilitate publica, eam pecuniæ summam convertat, injuncta sunt illi munera quædam, quæ suis impensis obeat, suæque ipsius dignitati & usui Reipublicæ consulat. Quæ si, ut pecuniis parcat, negligat, hæredibus adeò ingens pecuniæ mulcta est imposita, ut dum rei familiari augendæ Princeps studere velit, & hæredibus prodesse, magnam ejus jacturam faciat, si ob avaritiam dignitati suæ desit; hæreditariam quandam præterea ignominiam & dedecus posteris relicturus. Complures stipatores alit, inermes tamen: sericis vestibus semper utitur: domum habitat aulæis mirifice instructam: supellectilis argenteæ copiam habet, cæteraque id genus, quæ Principi viro conveniunt. Singulis annis quater prandium parat, sexaginta & amplius civibus, laute atque opipare instructum. Qua in re pervetustum *Lacedæmoniorum* morem atque *Cretensium* (quorum Respublicæ illustres fuere) moderatum tamen, Majores nostri in hanc nostram Rempublicam transtulere. Nam quia summopere conducebat ad benevolentiam civium conciliandam conventus civium frequens, convivia quædam publica impensis ærarii fieri voluerunt tum *Lacedæmonii*, tum *Cretenses*: ad quæ cum cives convenirent, & unusquisque facilè quemvis dignoscere poterat, & necessitudine quadam arctiori ex consuetudine illa communi invicem vinciebantur. Verùm cum omnes promiscue convenirent, necesse erat plerumque in conviviis illis turbas ac tumultus excitari: quumque ii, quorum ea cura erat, pro se quisque cives laute excipere vellet, pecuniæ publicæ magnam jacturam faciebant. Quapropter correctione quadam modoque adhibito vetus illud institutum etiam ad *Venetos* deductum est, omneque id negotium Principi demandatum. Quater ergo singulis annis cives à Principe adhibentur, lautis sanè sed non invidiosis epulis. Nec unusquisque promiscuè accedit, sed hi tantùm quos Princeps asciverit, præter Consiliarios & Advocatores, Præfectos Quadraginta Virûm, ac Decem Virûm Præsides, qui jure quodam eorum Magistratuum semper conviviis Principum intersunt. Cæteri cives omnes invitati accedunt. Hac autem ratione quatuor hæc convivia distributa sunt, ut seniores dignioresque cives invitati, circa brumam die divo *Stephano* Protomartyri dicato summo mane conveniant in ædes publicas, habitationi Principum destinatas, ac solenni pompa domo Principem deducant in ædem divi *Marci*: simulque ibi sacris intersint, quibus peractis ad ædes suas Principem reducant, ibique simul epulentur. Aprili etiam mense die *Marci* Evangelistæ cujus numen *Veneti* præcipuum habent, & quem
22 Patronum sibi asciverunt, posteaquam corporis ejus reliquiæ ex *Alexandria*, illustri urbe Ægypti, *Venetias* delatæ sunt, cives ætate & dignitate minores invitati à Principe, eodem more ac pompa celebratis sacris, ad Principis prandium se conferunt. *Ascensionis* quoque die festo, quo die nundinæ *Venetiis* fiunt, adhibentur à Principe hi, qui virilem ætatem attigerunt. Hi item summo mane deducunt domo Ducem unaque cum eo navem conscendunt quàm ornatissimè ad hos usus constructam, quam Veneti *Bucentaurum* vocant: postquam verò æstuaria sunt egressi, cum primum liberum apertumque mare intueri licet, antiquorum Pontificum beneficio, qui hanc Rempublicam pro rebus quamplurimis fortiter & egregiè gestis contra communes nominis *Christiani* hostes, honestare voluerunt, Princeps jacto annulo aureo in mare, inquit totidem ferè verbis, *Se in signum veri perpetuique imperii eo annulo mare*
A *desponsare*. His adduntur ab urbis Præsule cærimoniæ quædam, quibus peractis, descendunt in ædem divo *Nicolao* dicatam, vetustam sanè, & quæ in littore condita est, quod mare ab æstuariis disterminat. Ibi sacra mysteria celebrantur, quibus rite peractis, conscensa rursus navi, *Venetias* reversi, Principem domum reducunt, simulque convivantur. Quarto epulæ pertinent ad juvenes cives, qui duodecimo Calendas Iulias die dicata *Vito* & *Modesto* Martyribus, solenni pompa cum Principe ad eorum Templum accedunt, quod quidem Templum ultra Rivum magnum,
B qui urbem mediam dividit, est situm, qui quidem rivus ponte jungitur supra triremes ædificato, pro temporis ratione, ne immenso ferè circuitu iter illud conficiendum sit. Templum igitur invisunt, sacris intersunt, ac demum à Principe domum reducto lauto sanè excipiuntur convivio. Atque ad has epulas frequenter adhibentur saltatores, mimi, cantatores egregii, qui convivas oblectent: intermiscentur interdum ludi nonnulli, quibus mirifice spectatores tenentur. Sic igitur vetus illud institutum in *Venetam* Rempublicam concessit, moderatum tamen. Nam hac ratione cujuscunque ferè ordinis cives, pares tamen
C cum paribus, ad epulas accersuntur, sicque cum dignitati Principis, tum etiam maximè conciliandis invicem civibus egregiè consultum esse videtur. Cæterum, quoniam Cives Patricii singulo quoque anno hisce epulis honestari non queunt, ne ullus præteritus videatur, veteri instituto ac lege constitutum est, ut hyeme unicuique civi, qui in majori Consilio suffragandi jus habeat, à Principe mittantur quinque marinæ anates, veluti convivii quædam publici portio, quod etiam ad conciliandos cives Duci non parum adjuvare censeri potest. Hisce impensis insumitur magna pecuniæ pars, quæ ex ærario Principi quotannis
D numeratur. Quo fit, ut etiamsi propter avaritiam velit, nequeat tamen Dux ullis avaritiæ sordibus fœdare dignitatem, atque amplitudinem loci, quem tenet.

Hoc loco quoniam ferè omnis potestas, atque auctoritas Principis est à nobis explicata, referre operæ pretium est, quo initio quibusve temporibus Ducis hujusce creandi *Venetiis* consilium initum fuerit: ac demum, quænam sit ratio comitiorum in Duce eligendo. A prima statim urbis origine cum nobilissimi quique *Venetæ* provinciæ cives, *Aquileja*, *Altino*, *Concordia*, *Opitergio*, *Patavio*, ac plerisque aliis urbibus am-
E plissimis atque opulentissimis, *Hunnorum* impetu eversis, qui Rege *Attila* Duce maximam *Italiæ* cladem attulere, in ea æstuaria maris *Adriatici* convenissent, in quibus postea *Veneta* Urbs condita est, ac in vicinioribus patriæ locis, quam 23
liquerant, unusquisque sedes suas posuissent, ædificata fuere circiter duo & viginti oppida, partim in littore eo, quod interiora æstuaria claudit, partim in tumulis quibusdam, qui ex æstuariis eminebant. Ac primis initiis cum ea oppida, neque per se satis munita essent, neque navigiorum copia alicui oppido tanta suppeteret, ut piratis ac prædonibus pro se quisque obsistere posset, optimum fore censuere, si de omnibus
F in commune consulerent, cum omnium eadem etiam fortuna esset: ac communi consilio prospicerent, cum annonæ, tritici, vini, frugumque omnium, quæ victui necessariæ sunt, tum maximè propriorum larium securitati: ne quam injuriam seu detrimentum acciperent à piratis, quibus nondum satis oppidis munitis expositi erant. Quamobrem cum prius unumquodque oppidum præfectum ac Præsidem sibi ex suis civi-

bus delegisset, quem Tribunum vocabant, constitutum est inter omnes, ut certis diebus Tribuni hi convenirent, ac de re communi decernerent. Paulò post usu compertum est, cum [1] ulli nemini præter cæteros cura hæc incumberet, ac propterea multa incommoda paterentur, commodissimam & utilissimam rem omnibus fore, si uni cuipiam communis boni procuratio demandaretur, quem omnes alii uti Principem agnoscerent. Itaque decretum est omnium oppidorum consensu, ut Dux seu Princeps unus eligeretur. Huic principio constituta est sedes in oppido *Heraclea* nuncupato. Situm id erat in intimis æstuariis, in insula quadam juxta *Plavis* fluminis ostium, quæ nostris temporibus alluvione fluvii continenti conjuncta est. Postmodum verò cum locus is non satis idoneus videretur: nam cum in recessu eo esset, sæpenumero priusquam mali fama eò pervenisset, piratæ jam intra æstuaria penetrarant, ac vel imprudentes oppidanos oppresserant, vel navigia diripuerant: idcircò statuerunt satius fore, Principem relicta Heraclea *Melamochum* concedere, oppidum in medio littore situm, ex quo Dux facilè præsentire posset, si quid insidiarum à piratis strueretur, ac parvo negotio adesse ubicunque opus fuisset. Demum quo tempore *Pipinus* cladem & servitutem initiis illis & quasi elementis *Venetæ* Urbis minabatur, cum omnes *Rivoaltum* ex omnibus oppidis concessissent, Principis etiam sedes eò loci translata est; quo cunctis oppidanis convenientibus in eam amplitudinem, quam cernimus, *Venetiæ* excrevere. Sic igitur perpetuo quodam tenore à primis statim Urbis originibus unus Princeps Reipublicæ *Venetæ* præfuit. Primi illi aliquanto majoris auctoritatis fuere [2]: postea vero usu docente paulatim sanctioribus institutis, ac legibus potestas Principis ad hanc, quam cernimus, temperationem deducta est.

Ratio verò eligendi Ducis, qui priori vita functo successurus sit, primum quidem simplex fuit, nam cum Majores nostri singulari quadam bonitate præditi, atque ab ambitione penitus alieni essent, unusquisque pro se eam solicitudinem recusabat. Quapropter acclamatione populi, is qui omnium optimus ac prudentissimus haberetur, Princeps renunciabatur. Post prima ea tempora aucta Civitate & populo ampliore effecto, inutile fore Reipublicæ visum est, si temeritati atque auræ populari res tam magna committeretur. Decretum itaque est, ut eligerentur undecim viri omnium probatissimi, qui creandi Ducis potestatem haberent. Deinde quum aliquantum simul cum Imperio etiam am-
24 bitio excrevisset, instituta sunt nova quædam atque inusitata Comitia, ac perplexa quædam Ducis eligendi ratio inventa. Hanc nos, ne quid incepto operi desit, paucis exponemus. Defuncto Principe ac justis piè, honorificeque persolutis, Consiliarii, qui interregni illius tempore se in sedes publicas habitationi Principis destinatas continuo post Principis obitum receperunt, Magnum Consilium vocant. In eo primo post interitum Ducis conventu, ea ratione Comitiorum, quàm suprà narravimus, quinque Cives creantur, qui defuncti Principis res gestas diligenter scrutari debeant; ac de Consilii sententia, si quid ab eo contra leges ac decreta sit factum, rescindant. Si à quopiam etiam munus acceperit, ac

A statutæ pepercerit impensæ, ea quinque hisce referentibus irrogatur hæredibus à Consilio mulcta, quam leges jusserint. Pecuniaria ea est, eaque summa æris de hæreditate Principis publicatur, atque in ærarium refertur. Eisdem Comitiis eliguntur quinque alii Cives, qui eodem momento quo renunciati sunt, recipiunt se in Conclave Comitio adjunctum: neque inde discedunt, antequam inter eos re consultata, statuant quid ipsis de potestate Principis detrahendum, aut addendum videatur. Re inter eos discussa, iterum cogitur Consilium, quo coacto egrediuntur illi è Conclavi, (nam prius non licet) ac suam quisque sententiam B ad Consilium refert de Principis Jure, atque universis Civibus disceptantibus suffragiis decernitur id, quod maximè Reipublicæ usui fore visum fuerit. Id decretum inter leges, quas Principes servare debeant, statim refertur. Constituta Principis potestate, postridie initur perplexa illa Comitiorum ratio, quibus Princeps creari solet. Conveniunt Cives omnes, qui triginta annos excesserint. Nam juniores eaque ætate minores veteri Reipublicæ instituto ad ea Comitia non admittuntur. Numerantur deinde universi cives, ac totidem globuli in urnam conjiciuntur, quot cives fuerint. Ex his triginta C sunt aurei, cæteri omnes argentei. Ea urna statuitur ante suggestum Comitii, ubi Consiliarii consident. Adstat urnæ puerulus, qui sortes educat. Subsellia Civium vocantur. Ad eam urnam accedunt omnes eo, quo sederunt, ordine, nullus tamen, quod in aliis Comitiis fieri consuevit, in urnam manum imponit, sed puer qui astat, pro singulo quoque globulum unum educit. Ii, quibus argenteus obtigerit, statim egrediuntur è Comitio. At is, cui sors faverit, educto aureo globulo, à Scriba alta voce pronunciatur. Continuo ille in certum Conclave secedit: ejus verò gentiles & consanguinei omnes arcta necessitudine D conjuncti ex suo quisque loco assurgit: universique in partem atrii concedunt. Numerantur ibidem, ac totidem globuli argentei ex urna extrahuntur: exceduntque hi ex Comitio, hoc pacto triginta, quibus sortis beneficio aureus globulus obtigerit, deliguntur ex universo Civium cœtu. Quo peracto consilium dimittitur. Postquam omnes discessere, triginta illi è Conclavi egrediuntur, ac coram Consiliariis denuo sortem subeunt, ita ut novem quibus sors faverit Electores fiant, cæterisque dimissis in Conclave secedunt, huic muneri destinatum: ibique soli concluduntur, nullo prorsus, ne ministro quidem ad- E misso: nulli copia fit eos alloquendi, neque inde discedere possunt, priusquam quadraginta Viros elegerint: nullusque referri potest ab eis electus, nisi sex suffragia tulerit. Quo fit, ut quatuor refragantibus nullus electus pronunciari queat. Quum primum quadraginta hosce viros ele- 25 gerint, per internuncium custodem ac janitorem publicum certiores Consiliarios faciunt, se munus suum obiisse. E vestigio Consiliarii, nisi hora diei fuerit valde intempestiva, Consilium Magnum vocant. Postquam Cives omnes in Curiam convenere, profertur syngrapha ex Conclavi, in qua nomina descripta sunt civium Electorum. F Ac Scriba primus ascenso suggestu magna voce pronunciat quadraginta designatos Cives. Horum quisque, si interfuerit, cum primum audierit se pronunciari, à loco ubi consederat, surgit, & ad suggestum Consiliariorum, indeque in Conclave destinatum concedit. Sin autem eorum quispiam absens fuerit, confestim ab uno ex Consiliariis, item ex Quadraginta Virûm Præfectis, vel per totam urbem conquiritur. Inventus primum

1. *Edit. Elzev. habet:* Paulo post experientia compertum est, cum nulli ex aliis præcipue cura hæc incumberet.
2. Conf. Donati Jannotii *Dialog. de Republ. Venet. pag.* 41. *Edit. nostræ*; ibique Nicolai Crassi annotata.

mum ab iiſdem Magiſtratibus in Comitium, deinde in Conclave ad collegas deducitur, nulla interim aliquem conveniendi aut alloquendi data facultate, ne ulla ambitioni occaſio, aut aditus in his Comitiis concedatur, quæ ſanctiſſima omnium Majores noſtri eſſe voluerunt. Hac ratione quadraginta Cives deſignati de improviſo conveniunt; ubi convenerint, è veſtigio dimittitur Conſilium. Tunc quadraginta hi egrediuntur è Conclavi, atque in Atrium Comitii ampliſſimum Conſiliarios adeunt: ibique eodem ſortium modo, quem ſuprà oſtendimus, duodecim ex ipſis decernuntur, viginti & octo qui ſuperſunt ex quadraginta Viris repudiatis. Hi duodecim viginti quinque Viros eligunt, quorum quiſque neceſſe eſt, ut octo ſuffragia ferat, paucioribus namque nullus eligi poteſt. Re expedita Conſiliarios per internuntium admonent. Hi ſi tempeſtiva hora fuerit, Conſilium cogunt, eodemque modo viginti quinque illi de improviſo coguntur; ac dimiſſo Conſilio eodem genere ſortis novem eliguntur, ſexdecim reliqui diſcedunt. Novem hi quadraginta quinque creant, ſenis item ſuffragiis: qui pari pacto coacto Conſilio à Scriba pronunciantur, & in Conclave coguntur. Ii ſortis ejuſdem beneficio rediguntur ad undecim, qui eligunt quadraginta & unum, omnes viros ex primariis Senatoribus. Qui ſubito, ut pronunciati fuerint, ſecedunt in Atrium deſtinatum: hique Ducis deligendi facultatem obtinent. Non tamen duos ejuſdem familiæ, aut arcta neceſſitudine conjunctos in hanc Electorum claſſem admitti leges ſinunt, qui mos perpetuus eſt apud *Venetos* in omnibus Magiſtratibus. Tam perplexam & multiplicem eorum Comitiorum rationem Majores noſtri viri ſapientiſſimi, atque optimi homines eſſe voluerunt, ne Civium multitudo omnino expers eſſet poteſtatis Ducis creandi. Nam primi ordinis Electores ſorte fiunt, quæ omnibus Civibus communis eſt. Poſt eum ordinem miſcuere ſorti electionem, ita tamen, ut electio ſortem antecelleret. Nulli enim favere ſors poteſt, niſi judicio prioris ordinis fuerit comprobatus. At in poſtremo ordine [1] à ſorte receſſerunt. Statuerunt enim, qui Principem electuri eſſent, non eſſe omnes ſortium temeritati committendos. Ideoque neque multitudo omnino expers eſt hujuſce auctoritatis, neque etiam prorſus jus hoc multitudini imperitæ tributum eſt, apud quam plerumque plus inanis quædam aura, quàm optimorum ac ſapientiſſimorum hominum judicium valet. Præterea cum nulli certi ſint Principis Electores, ſed res omnis ex eorum ſententia pendeat, qui ſortis beneficio uſi ſint, nullus ambitioni locus relinquitur. Nam fieri facile poteſt, ut hi nullum jus ſint habituri, quos
26 tu egregiè ambieris. Nunc ad rem redeo. Peracta tandem ratione Comitiorum, ubi jam creati fuerint XLI viri Principis Electores, ſtatim omnes, nullo interea Civium ſalutato, nedum compellato, conveniunt in eam Curiam, in quam cogi Senatus ſolet. Ibi Primum omnium ſanctè ac piè divina myſteria celebrantur, univerſique tactis altaribus jurejurando Deo Optimo, ac Reipublicæ pollicentur, eum ſeſe Ducem electuros, quem ſanctitate, in patriam charitate, ſolertia, ac prudentia aliis præſtantiorem eſſe duxerint. Amotis deinde ſacerdotibus, ſoli in Curia concluduntur, neque famulo, neque quopiam alio miniſtro accito. Tunc tres, qui cæteros ætate anteceſſerint, veluti Præfecti, reſident ad paratam
A menſam quandam ad hoc munus: ſuper qua urna quædam eſt conſtituta: hinc unuſquiſque Elector notat in ſyngrapha nomen ejus, quem Ducem pronunciat, ac notatam ſyngrapham in urnam jacit. Injectis omnium ſyngraphis una educitur, quæ ſorte in manum venerit extrahentis. Lecta à Præfectis ſyngrapha, is, cujus nomen exierit, ſi præſens adſit, ut plerumque contingit, continuò egreditur è Curia. Tunc ſi quis eorum exiſtimaverit eum Civem minus idoneum, qui tam magnam dignitatem ſuſtineat, aut ob quampiam aliam cauſam, non fore è Republica eum Ducem eſſe, conſurgit, ac primo modeſte
B præfatus ingenuè profert, quid de eo Cive ſentiat, & quamobrem putet non eſſe in rem patriæ, eum Ducem fieri. Ubi finem is dicendi fecerit, Præfecti nuncupatum adhibent: atque ex his major natu omnia illi compendio repetit, quæ ei objiciuntur, auctore tamen ſuppreſſo. Nam ſacramento antea omnes perpetuo ſilentio ſe obſtrinxere. Refellit ille objecta, ut libuerit. Deinde iterum recedit è Curia. Quod ſi prior aut alius quiſpiam novis rationibus adhuc arguere & accuſare hominem velit, poteſtatem habet. Rurſus accerſitus ille reſpondet, ſicque viciſſim res tractatur, donec accuſatoribus nihil amplius
C relictum ſit. Tum demum in ſuffragia itur. Ante hæc tempora, ſi is viginti quinque ſuffragia tuliſſet, nulla amplius aliorum ratio habebatur, ſed ſtatim ille Dux renunciabatur. Noſtra tempeſtate in Comitiis, quibus *Andreas Grittus*, ampliſſimus Senator, creatus eſt Dux, hæc ratio immutata eſt. Nam, tametſi nullus electus Princeps habeatur, niſi ſuffragia viginti quinque tulerit; res tamen in eo non conſiſtit, qui primus cum numerum ſuffragiorum expleverit, ut antea fieri ſolebat: ſed progreditur ad alios, ut, ſi quiſpiam eum numerum ſuffragiorum exceſſerit, non ille prior, ſed hic Dux renuncietur. Poſt-
D quam itum eſt in ſuffragia pro eo, cujus nòmen primum exierat, alia item ſyngrapha ex urna educitur, atque omnia eodem, quo antea, modo adminiſtrantur. Sic in tertio, quarto, ac omnibus deinceps. Quòd ſi nullus ad eam ſummam ſuffragiorum pervenerit, niſi hora diei fuerit intempeſtiva, iterum eadem ratione Comitia repetuntur. [2] Ne multa, Electoribus non prius exeundi, conveniendi, alloquendi aliquem, qui aliunde adveniat, poteſtas fit, quàm viginti quinque eorum in Principe eligendo convenerint: quo renunciato, confeſtim Conſilarii in Curiam vocantur: hi omnium primi novum Ducem ſa-
E lutant, ac venerantur.

Poſt id fama per Urbem vagatur, ubique diſcurritur. Cives omnes gaudere, à Deo Optimo Maximo ſupplices petere, ut Reipublicæ felix fauſtumque id ſit. Familiares ac conſangvinei Ducis in Curiam properant, novo Duci gratulantur. Eodem temporis veſtigio nummi cudun- 27
tur, inſcripto nomine Principis, atque imagine expreſſa [3]: parantur omnia, quibus ad pompam opus eſt. Interea Dux, Electoreſque omnes ibidem operiuntur. Inſtructis omnibus, deſcendunt è Curia, ædemque D. *Marci* ei loco propinquam adeunt, auguſtum templum, magniſque
F opibus ornatum: Deum immortalem primo religioſè venerantur, & ſuggeſtum, ex porphyritide lapide confectum, omnes aſcendunt. Ex Electoribus, qui cæteros ætate anteit, is verba ad po-

1. *Edit. Elzev. habet*: At in poſtremo Ordine nihil ſortis eſſe ſciverunt: non enim putavere omnes, qui Principem electuri eſſent, ſortium temeritati eſſe committendos.

2. *Edit. Elzev. habet*: Ac ut paucis res omnis expediatur, Electoribus &c.

3. Conf. Donati Jannotii *Dialog. de Republ. Venet. p.* 87. *Edit. cit.* ibique Nicolai Craſſi annotata.

populum facit. Denunciat creationem novi Ducis, eumque modestè laudat. Post illum item Dux orationem habet, ac pauca de se prudenter præfatus, servaturum se pollicetur omnia, quæ bonum Principem deceant, bonoque Reipublicæ, nullius privati commodi habita ratione consulturum, in primis justitiæ munus sanctè obiturum, daturumque operam, ut æquum jus omnibus administretur: non rei familiari, non labori ulli, non denique vitæ parsurum, si Reipublicæ suis incommodis prospici possit. Demum Deum Optimum Maximum, D. *Marcum* (sub cujus numine Civitas *Veneta* est) atque Divos omnes precatur, ut sibi faveant aspirentque læti, in tam magni muneris functione obeunda. Verba Ducis universus populus magno plausu excipit. Postquam Dux peroravit, omnes ex eo suggestu descendunt, Ducemque ante aram maximam templi statuunt. Ibi tactis Evangeliis jurejurando Deo immortali ac Reipublicæ fidem suam astringit, se nil eorum omissurum, quæ legibus Dux *Venetus* præstare teneatur. His actis Electores, qui eatenus cum Duce perstiterunt, discedunt omnes: at ipse ligneum pulpitum conscendit, adscito ex consanguineis eo, quem omnium habet carissimum. Nautæ, qui in pretio habentur, pulpitum humeris attollunt, magnoque plausu insidentem Ducem per totum Forum D. *Marci* deferunt. Dux verò ex pulpito pecuniam suo nomine excusam jacit. Summa nulla certa statuta est pecuniæ effundendæ, sed [1] is modus tenetur, quem rei familiaris copia, angustiave, aut ipsius Ducis ingenium statuerit. Jactam plebs studiose colligit. Tandem circumlustrato Foro cum ad scalas ædium publicarum Principis ventum est, pulpitum sistunt, è quo descendit Princeps. Mos invaluit, ut vestes, quibus Dux est indutus, vasque argenteum, in quod populo effundenda pecunia congesta fuerat, nautis, qui pulpitum humeris sublatum gestaverunt, dono dentur. Dux scalis ascensis excipitur à Consiliariis, qui ibidem operiebantur, & Capitio, quod Principis insigne supra esse diximus coronatur. Hæc series est totius pompæ.

Postridie Senatu in Curiam coacto, Dux orationem habet, Deo, ac Patribus gratias agit, quod ad id munus atque ad eum honorem evectus sit, simulque operam suam pollicetur nulli Reipublicæ commodo defuturam. Ejusmodi ferè orationem habet coram universis Civibus, primis statim Comitiis, quæ post se creatum Ducem fiunt. Hactenus de Principe, seu Duce Reipu-
A blicæ nostræ dictum sit. Illud proximum est, ut *de Consiliariis* pauca perstringamus, quæ tamen satis exploratam facient omnem illius Magistratus auctoritatem. Assident Principi Consiliarii sex [2], quod suprà quoque diximus, singuli inquam ex unaquaque Urbis regione. In sex enim regiones, sive tribus divisa est universa Civitas. Harum tres sunt citra magnum rivum, qui mediam Urbem dividit, tres verò aliæ ultra. Ex unaquaque Urbis regione Consiliarius unus eligitur eadem Comitiorum ratione, qua omnes 28
Magistratus creari suprà abunde satis explicuimus. Est Magistratus iste octimestris, simul-
B que cum Principe omnium rerum, quæ ad Rempublicam spectant, curam habet. Verùm instituto admodum veteri universa Comitiorum ratio Consiliariis potissimum incumbit. Si qua etiam de re ad Magnum Consilium referendum, ejusque auctoritate sanciendum sit, res tota Consiliariis referentibus decernitur, utpote qui soli id juris obtineant. His tamen interdum adjunguntur Quadraginta Virûm Præfecti, quibus tamen solis referendi jus non esset. Nulli præterea Magistratui (Ducem semper excipio) concessa est ea potestas. Possunt etiam, si eis libeat, de re omni, & ad Senatum, & ad Decem Viros re-
C ferre. Cæterum Præconsultoribus ea præcipue cura demandata est, ut & Senatum cogant, & ad Senatum referant: quemadmodum & Decem Virûm Præfectorum officium est, & Decem Viros cogendi, & ad eos referendi: de quibus à nobis infrà tractabitur. At Consiliarii ampliori auctoritate sunt præditi, utpote qui in Senatu par jus habeant cum Præconsultoribus, & in Collegio Decem Virûm cum illius Collegii Præfectis. Octo mensibus Duci assident, eoque munere funguntur, quod jam explicui. Quatuor verò menses intersunt, vel potius præsunt, Quadraginta Viris, quibus capitis graviores causæ
D sunt demandatæ, eisque decernentibus judicantur, de quibus suo quoque loco dicetur.

Nunc, postquam de Magno Consilio, quod popularem statum in hac Republica refert, & de Principe, qui regiam personam gerit, si minus eleganter, diligenter quidem tractatum est: institutum opus poscere videtur, ut de reliquis partibus hujusce gubernationis referamus, quæ Optimatium regimen repræsentant. Hujusmodi enim gubernatio in *Veneta* Civitate cæteris facile præstat, quam sequenti volumine Deo annuente integre explicabimus.

E

1. *Edit. Elzev. habet:* sed pensatur rei familiaris copia angustiave. Ac novi Ducis liberalitate jactam plebs &c.

2. Conf. Donati Jannotii *Dialog de Rep. Venet. p.* 91. *Edit. cit.* ibique Nicolai Crassi annotata.

29

LIBER TERTIUS.



MNIS hominum institutio, quæ quidem rectè se habitura sit, naturam optimam rerum omnium parentem imitari debet: quæ totius mundi vim, rationemque omnem ita disposuit, ut res sensus intellectusque expertes, ab iis, quæ mente præditæ sunt, gubernentur. Idem igitur servandum est in hoc hominum cœtu, quem civitatem appellamus: senes enim junioribus prudentia antecellunt, perturbationibus animi non æquè obnoxii atque illi, & rerum plurimarum, quas in longiori vita experti sunt, usu præditi. Quare sapientissimè Aristoteles in Politicis ait: *In unaquaque Republica, quæ naturæ so-*
F *lertiam & sapientiam æmulari voluerit, senes præficiendi sunt summæ rerum: juvenum vero officium esse debet, ea facere quæcunque jusserint senes. Neque, quando hoc institutum maximè secundum naturam est, seniorum imperium juniores detrectare possunt, aut ob hanc rem seditionem ullam concitare, quoniam in discrimine hoc, quod ætas facit, nullus invidiæ locus est, nullaque querela esse potest, quandoquidem juniores certò sperent sibi à minoribus vicem repensum iri.* Hanc *Aristotelis* sententiam comprobant omnes Respublicæ, quæ quidem alicujus nominis fuerunt: in iis enim gubernationi civitatis, rerumque omnium publicarum, seniorum consilium præfectum est, quem Senatum etiam à senioribus nominarunt. Hoc loco leges atque insti-

stituta *Romanorum* proferrem; etiam *Atheniensium*, & *Lacedæmoniorum*, & *Carthaginensium*, plurimarumque aliarum civitatum leges, ni res notior esset, quàm ut testibus indigeat.

Pari igitur ratione in nostra Republica institutus fuit *Senatus* ac Decemvirûm Consilium, qui in *Veneta* Civitate (cujus Rempublicam mistam esse dixi ex regio statu, populari, & optimatium) referunt optimatium statum, ac media quædam sunt, quibus extremæ partes, status scilicet popularis, Magnum Consilium, ac Princeps, qui Regis personam gerit, invicem vinciuntur. Sic inquit Plato *in Timæo* extrema elementa, terram ac ignem mediis elementis vinciri: sic in diapason consonantia, extremæ voces mediis diatessaron ac diapente vocibus, invicem nectuntur. Ut ergo cœptum iter peragamus, Senatus *Venetus* centum & viginti legitimos Senatores habet: multi tamen præterea Magistratus obtinent jus senatorium, adeò ut nostra tempestate ducenti & viginti, & amplius jus habeant ferendi suffragium in Senatu. Senatores legitimi singulis annis ab universo Civium cœtu (quem Magnum Consilium nominari sæpius est repetitum) creantur. Nec tamen hic honos vacationem ullam habet, quemadmodum omnes alii Magistratus: sed iidem, si ita sors tulerit, & Magno Consilio visum fuerit, quod plerumque fit, singulis quibusque annis in eo munere versari queunt. Modus & ratio electionis supra à nobis exposita est, cum formam omnem Comitiorum explicaremus. Eo igitur pacto, Augusto ac Septembri men- 30 se singulis Comitiis sex Senatores eliguntur, quæ decies repetita, summam sexaginta Electorum explent. Sexaginta reliqui adjuncti, seu adscripti sunt prioribus, omnesque hi simul propriis quibusdam Comitiis eliguntur. Nam ad tertium Calendas Octobris cogitur Senatus, atque unusquisque Senatorum & quivis alius, cui suffragii jus est, in Senatu unum civem nuncupat. Postridie illius diei mane ad horam diei tertiam conveniunt universi Cives in Comitium: prælectisque à Scriba Magno omnium Civium nominibus, quos pridie Senatores nominaverint, conjecta in urnam omnium nomina sorte educuntur. Mox in suffragia pro unoquoque itur, ex omnibus his sexaginta, qui plura suffragia tulerint quàm cæteri, dummodo etiam dimidia excesserint, eo anno adscripti Senatui sunt, ea tamen lege, ne plures, quàm duo ejusdem gentis in eorum numero sint. Sic in numero legitimorum Senatorum tres tantum ex eadem gente esse queunt: qua lege optime consultum fuisse Reipublicæ existimari debet. Nam nulla perniciosior pestis in Rempublicam obrepserit, quàm si quæpiam ejus pars cæteris prævaluerit. Ubi enim æquum jus non servatur, fieri non potest, ut societas ulla concors inter cives consistat: quod usu evenire solet, ubicunque plura Reipublicæ munera in unum conveniunt. Sic solvitur mistum, si quodpiam elementorum, ex quibus corpus constat, alia superaverit: sic omnis consonantia dissonans fit, si sidem unam seu vocem plus intenderis, quàm par sit. Non impari ratione, si civitatem aut Rempublicam constare volueris, necesse est in primis servari, ne qua pars aliis efficiatur potentior, sed omnes, quoad fieri possit, publicæ potestatis participes sint. Quocirca perquam egregie Majores nostri sancitum esse voluere perpetuum hoc jus in Republica nostra, non modo in Senatu, sed neque in aliis Magistratibus pluribus gentilibus locum esse, quàm ad servandam æqualitatem opus esse videatur. Nec minus prudens institutio eligendi Senatus habenda est,

A ut scilicet sexaginta Senatores more Comitiorum solito, sorte, inquam, electioni ac judicio admista, eligerentur, sexaginta vero adjuncti ratione diversa, in qua scilicet nil esset sortis. Etenim si in omnibus par sorti locus esset, facilè accidere posset, ut aliquando præcipuorum Civium ratio non haberetur, atque in eligendo Senatu præterirentur non sine Reipublicæ detrimento. Idcircò sexaginta Patres ascriptos nulla sorte, singulis tamen annis eligi placuit. Senatus igitur primum ex hisce centum ac viginti constat, quorum sexaginta proprio vocabulo Senatores, reliqui Adjuncti appellantur, quorum B Comitiis integra dies consumitur. Præter hos centum & viginti legitimos Senatores pari jure in Senatum cum Senatoribus veniunt, (ut Ducem & Consiliarios prætercam) Decem Viri, Quadraginta Viri Judices capitalium causarum & criminum graviorum, salis & annonæ frumentariæ Præfecti, divi *Marci* Procuratores, multique præterea Magistratus, adeo ut nostris temporibus summa omnium ducentos ac viginti excedat. Hi omnes jus Senatorum obtinent. Universa gubernandæ Reipublicæ ratio ad Senatum pertinet. Quicquid Senatus auctoritate decretum fuerit, id sanctum & ratum habetur. Eo C discrepante & decernente & paces fiunt, & bella suscipiuntur. Pecunia Reipublicæ, ejus jussu exigitur, & impenditur. Si res postulat, nova etiam tributa & decumæ, ex decreto tamen Senatus, tum imponuntur civibus, tum etiam exiguntur. 31 Si quando etiam visum sit è Republica esse, ut novus quispiam Magistratus pro tempore instituatur, is à Senatu eligitur. Præterea Senatus quibuscunque temporibus perpetuum jus obtinuit eligendi Oratores, qui ad Principes exteros à Republica destinantur, eorum etiam Collegium creandi, qui jus habent & cogendi Senatum, & ad ipsum referendi. Hos *Aristoteles* D Præconsultores nominat, nostri homines Sapientes, arrogantiore vocabulo vocant: quo interdum nobis quoque utendum esse duximus, ne à communi loquendi consuetudine penitus abhorrere videamur. Comitia tamen hæc Senatus, quibus & Oratores & Præconsultores eliguntur, minus habent sortis, quàm ea quæ supra descripsi, Magni scilicet Consilii, universique Civium cœtus. Unusquisque enim Senatorum nominat quem voluerit, deinde pro singulis in suffragia itur: isque, cui plura contigerint quàm reliquis, dummodo dimidium totius summæ excedant, electus renunciatur. Quòd si quandoque necessitas & u- E sus Reipublicæ proposcerit, ut invito cuipiam munus aliquod publicum injungatur, unusquisque Senatorum clàm in syngrapha ejus nomen notat, quem maxime idoneum duxerit: deinde in urnam ad id paratam schedulam eam jacit. Inde à Scriba extrahuntur, palamque leguntur omnes, ac demum pro quolibet itur in suffragia: isque pronunciatur electus, cui plures suffragati fuerint, dummodo etiam sint plures dimidiis. Hic schedularum modus inventus est, ne quispiam veritus inimicitias sibi alterius civis, aut odium parare, illum ad aliquod munus vocando, quod probè quidem sustinere ille possit, sed tamen im- F poni sibi iniquo animo ferat, abstineat ab eo nominando: sicque privati commodi gratia Respublica detrimento afficiatur.

Nunc modus nobis recensendus est, quo Senatus consulitur, eaque decernit & sancit, quæ facienda sunt: & quo Senatusconsulta fieri consueverunt. Non latuit Majores nostros, si unusquisque Senator promiscuè tum referre ad Senatum, tum sententiam dicere posset, atque hoc offi-

officium proprium nullius eſſet, magnam ſemper in Senatu turbationem fore. Præterea ita uſu compertum eſſe, ut id, quod omnes pariter curant, omnes etiam pariter negligant. Ideo legibus noſtris ſtatutum eſt, ut a Senatu ſexdecim cives eligantur, quos vulgus, propterea quod maxime omnium ſapere videantur, *Sapientes* appellat. Nos *Ariſtotelem* imitati eo quòd præconſultant illa, de quibus conſulendus eſt Senatus, Præconſultores merito appellare poſſumus. Hi jus habent & cogendi Senatum, & ad Senatum referendi. Magiſtratus hic ſemeſtris eſt. Cæterum hi Sapientes in tres ordines ſunt diſtributi, qui longiſſimo intervallo inter ſe differunt. In primo enim ordine ſex ſunt Senatores, primarii Cives, qui cum uſu rerum, tum dignitate, atque exiſtimatione alios facilè antecellunt. Horum præcipuum munus eſt, ut de adminiſtranda Republica, de bello, de pace, atque aliis majoribus negotiis præconſultent, atque Senatum conſulant. In ſecundo autem ordine quinque ſunt Cives, qui tametſi parem auctoritatem referendi ad Senatum habeant de rebus omnibus cum illis, qui ſunt primi ordinis, nihilominus ſunt dignitate atque exiſtimatione ſuperioribus longe inferiores. Ad eos pertinet in primis, cura militum, qui Reipublicæ ſtipendio aluntur, & merent ſub *Venetarum* copiarum Imperatore. Tertii quoque ordinis quinque ſunt, quibus demandata eſt rei
32 maritimæ cura, neque iis præterea jus eſt ulla de re ad Senatum referendi. Hic ordo apud Majores noſtros in pretio habebatur, quo tempore apud *Venetos* res maritimæ florebant. Verum re maritima diminuta, noſtrorumque ſtudiis ad continentis imperium converſis, cœpit hic quoque Magiſtratus non magni æſtimari: adeò ut ætate noſtra adoleſcentes, ac vix puberes ad eum ordinem eligantur.

Hi ergo Cives ſexdecim, quorum conventus apud *Venetos* proprio vocabulo *Collegium* appellari conſuevit, ſummo mane conveniunt cum Principe ac Conſiliariis: primumque ad tertiam uſque diei horam privatos homines audiunt, quibus aliquid rei eſt, aut cum Republica, aut cum aliquo Magiſtratu; eaſque cauſas decernunt omnes ſimul, vel, ſi ita res poſcere videatur, ad Senatum de illis referunt. Sub tertiam diei horam omnes privati è Curia dimittuntur, confeſtimque ab aliquo Scribarum, qui à Secretis Reipublicæ ſit, leguntur omnes epiſtolæ ad Senatum miſſæ. Poſtmodum, niſi ab Oratore alicujus Principis, qui ad Ducem & Collegium admitti velit, aut a quopiam majoris momenti negotio, quàm ut in aliud tempus differri poſſit, interpelletur, ſecedunt hi Sapientes, ſive Præconſultores in certum Conclave conſultaturi de publicis negotiis. Poſtquam conventum eſt, & conſederunt omnes, is qui Præfectus eſt (nam eorum unuſquiſque ſeptenos dies viciſſim rerum adminiſtrandarum primum locum obtinet) rem proponit, de qua ſit conſilium ineundum. Deinde ſingulos ſententiam rogat, eo ſervato ordine, ut primæ claſſis Præconſultores, primarii Cives, primi etiam ſententiam rogentur dicantque; poſt eos quinque illi, quos in ſecundo ordine conſtituimus. Poſtremi, ſi res propoſita maritima ſit, ſententiam dicunt tertiæ claſſis Præconſultores, quibus earum rerum cura demandata eſt. Quòd ſi ea res, quæ in conſultationem venit, non ſpectet ad rem maritimam, hi poſtremi ſilent. In unaquaque verò claſſe primus ſententiam dicit, qui ſeptem proximis diebus præfuit; deinde is, qui natu maximus, deinceps alii, prout ætate præſtiterint. Poſtremus omnium, qui alios rogat, remque deliberandam

A propoſuit, quique per eos ſeptem dies præfectus fuerit, ſententiam dicit. Re tandem inter ipſos propè diſcuſſà ac deliberata, ſive omnes in eandem ſententiam convenerint, ſive in duas aut tres diverſas, ut varia ſunt hominum ingenia, diviſi fuerint, Principem & Conſiliarios conveniunt, priuſquam Senatum cogant. Ibique omnium ſententiæ recitantur: quibus ſi Princeps, aut Conſiliarius quiſpiam aſſentiri voluerit, ſuaque auctoritate favere, aut aliam novam invenerint, re iterum inter eos deliberata, tandem omnium ſententiæ ſcriptis mandantur. Id muneris ad eos ſpectat, qui uniuſcujuſque horum trium
B ordinum ſunt Scribæ. Sic negotiis, quæ Senatus auctoritate decernenda ſunt, conſultatis, Senatum cogunt. Ubi Senatores in Curiam convenerint, primum recitantur omnes literæ, quæ alicujus ſint momenti, quæve poſt dimiſſum proximum Senatum Principi & Præconſultoribus redditæ fuerint. Poſtea de his rebus, quæ à Collegio Præconſultorum deliberatæ fuerint, primum ſententiæ leguntur, ſive illæ concordes ſint, ſive inter ſe diverſæ, eodem ferè pacto, quo *Plato* ſignificare videtur, apud *Athenienſes* rogationes populi fieri ſolitas fuiſſe. Nullus verò præter eos, quos à *Venetis* Sapientes vocari admonui, referendi ad Senatum jus habet, ſuamque
C ſententiam illius ordinis auctoritate confirmandi & ſanciendi. Ducem tamen, & Conſiliarios, 33
& Quadraginta Virûm Præfectos, de quibus infra dicemus, excipio. Lectis in Senatu omnium ſententiis, primi ordinis Sapientium hebdomadæ Præfectus, ſi voluerit, ſurgit. Sin minus, natu maximus, aut is, cui dicere volenti, alii conceſſerint. Is elatiorem ſuggeſtum ad id factum conſcendens, verba ad Senatum facit: rationes omnes, quibus ſententiam ſuam confirmet, diſſidenteſque refellat, in medium affert: modeſtè tamen & graviter, ut Senatorii ordinis virum de-
D cet. Poſtquam is peroravit, ſurgit Præconſultor alius, qui à priori diſſentiat, ſuamque ipſe ſententiam confirmat, priorem verò confutat, aliaſque, ſi quæ ſunt præter priorem, quæ à ſua diſcrepent. Surgit deinde tertius, ſi tot ſententiæ fuerint, eaque in medium adducit, quæ ſecum facere videntur. Sicque deinceps res inter eos diſcutitur, quoad nullus eorum reliquus ſit, qui verba facere velit: nulli enim Senatori locus dicendi datur, quouſque Præconſultores omnes, qui id muneris ſubire voluerint, dicendi finem fecerint. Sed poſtquam ultro citroque quantum viſum fuerit, & orationibus & argumentis hi con-
E tenderint, aliis quoque Senatoribus dicendi facultas datur. Quòd ſi Senatorum aliquis cuipiam ex dictis ſententiis contradicere, aut earum quampiam tueri, ſive novam afferre velit, dicendi copiam habet. Nullus tamen Senatorum de ea ſententia, cujus ipſe eſt auctor, jus ad Senatum referendi habet: ſed plerumque contingit, ſi Conſilium ejus Senatoris è Republica eſſe videatur, ut aliquis ex Collegio ſive Conſiliarius, ſive Quadraginta Virûm Præfectus, de ea ſententia ad Senatum referat. Hoc ergo pacto re bene diſcuſſa & deliberata, ſuffragiis omnium, qui ſunt ejus ordinis, Senatus decernit, quamnam
F ſententiam potiſſimum probet. Non tamen pedibus in ſententiam eunt, aut in contrariam partem diſcedunt, quem morem *Romanos* ſervaſſe memoriæ proditum eſt, neque palàm ſententiam dicunt: ſed urnis ac ſuffragiis rem decernunt, non diſſimili ratione ab ea, quam in Comitiis ſervari ſuprà docuimus. Scribæ, qui à Secretis Senatui ſunt, ferunt totidem urnas, quot fuerint ſententiæ, de quibus conſulitur Senatus: unam-

namque viridem, quæ eorum suffragia excipiat,
qui sententias eas omnes repudiant. Præterea u-
nam rubei coloris, in quam jaciunt suffragia Se-
natores, quibus nondum liqueat. Unusquisque au-
tem Senatorum suffragium in ejus urnam demittit,
cujus sententiam præ aliis probat: si vero omnes
rejiciat, in viridem urnam. Quòd si nondum li-
queat, atque ambigatur, urna rubea præsto est.
Consiliarii suffragia numerant. Id vero pro decre-
to habetur, cui plures, quàm dimidia Senatorum
pars fuerint suffragati. Quod si nullius sententia
dimidium summæ excesserit, primum ea rejici-
tur, cui paucissimi fuerint assensi: de cæteris
repetuntur suffragia, eodem modo postrema sem-
per rejecta, controversia ad duas deducitur: qua-
rum altera necesse est, ut plura dimidiis ferat
suffragia; in quam Senatusconsultum factum fuis-
se pronunciatur. Re una expedita de aliis refer-
tur, nisi hora diei intempestiva fuerit, idem in
omnibus aliis modus servatur. Si verò cujuspiam
Principis Orator ad Rempublicam *Venetam* ac-
cesserit, à Principe, Consiliariis, universo Col-
legio excipitur, auditurque ab eis: deinde con-
sultandi tempus petunt. Quo dimisso, reque à
Præconsultoribus eo, quem suprà diximus, mo-
do deliberata, Senatus consulitur. Princeps pri-
mum Senatui narrat, quæ petierit Orator. Dein-
34 de omnium, qui jus referendi ad Senatum ha-
bent, sententiæ leguntur, eadem ratione fit Sena-
tusconsultum, quo petitioni Oratoris respondetur.
Quo accito legitur ei Senatus decretum, sicque di-
mittitur. Hæc est ferè summa eorum, quæ tum ad
Senatusconsulta, tum ad universam rationem atque
ordinem consulendi Senatum pertinere videntur.

Atque hactenus quidem à nobis explanata sunt
cuncta membra, quæ Majoris Consilii sunt: quod
in *Veneta* Civitate formam habet status popularis:
tum ea, quæ ad Ducem spectant, qui quodam-
modo speciem quandam regiam in hac Republica
præ se fert: ac demum universa ratio habendi
Senatus: de Decem Viris deinceps dicendum vide-
tur. *Decem Virûm* hoc *Collegium* apud *Venetos* sum-
mæ est auctoritatis, & à quo non immeritò quis
afferat Reipublicæ incolumitatem præstari: cu-
jus origo, ut ejus magistratus ratio omnis faci-
lius intelligi possit, longius à nobis est repeten-
da. Divina quadam animi providentia Majores
nostri perspexere, quemadmodum in corpore hu-
mano, putrescente humore quopiam, innumeri
ac periculosissimi plerumque morbi accidunt, qui
sæpe etiam interitum afferunt: ita etiam in Re-
buspublicis existere interdum improbos cives, qui
negotium Reipublicæ facessant, dum potius pra-
ve imperare volunt, quàm legibus parere, sive
adducti ambitione ac regnandi cupiditate, sive
ære alieno oppressi, seu etiam scelerum conscii,
pœnæque ne à se exigantur, metuentes: quales
Romæ legimus fuisse, *Catilinam*, *Syllam*, *Ma-
rium*, ac demum *Julium Cæsarem*, qui tyranni-
de potitus Rempublicam penitus evertit. In *Græ-
corum* etiam Rebuspublicis & quidem illustribus,
ejusmodi cives nonnullos extitisse memoriæ pro-
ditum est. Nostris vero temporibus compertum
est, omnes ferè civitates *Italiæ*, quæ populari
statu, aut etiam optimatium utebantur, tandem
in cujuspiam suorum civium tyrannidem devenis-
se. Quamobrem omnibus viribus Majores nostri
sibi nitendum statuere, ne pulcherrime instituta
Respublica optimisque legibus confirmata, à quo-
piam hujusmodi monstro vexaretur. Nihil enim
magis sibi metuendum esse duxerunt, quàm in-
testinum hostem & Civium inter se simultatem.
Quare cum animadvertissent in Republica *Lace-
dæmoniorum* Ephoros summæ auctoritatis fuisse,
Athenis Areopagitas, *Romæ* Decem Viros, qui
A etiam leges condiderunt; operæ pretium se quo-
que facturos crediderunt, si, horum exemplum
imitati, in dispari tamen causa, Magistratum
summæ potestatis in hac nostra Civitate institue-
rent; cui providendi præcipuè cura esset, ne qua
inter Cives discordia, quæ seditionem faceret,
oriretur: ne qua factio, aut ne quis perniciosus
civis Reipublicæ insidias moliretur. Quod si
quispiam hujusmodi morbus malo fato in Civita-
tem obreperet furtim, summam haberet auctori-
tatem in eos animadvertendi, ac procurandi, ne
quid Respublica detrimenti pateretur. Tam ma-
gna verò potestas, neque paucissimis sine pericu-
B lo committi poterat; neque formidabilis, si mul-
tis committeretur, futura erat. Quocirca, ut
ab utroque incommodo caverent, hoc institue-
runt Decemvirale Collegium. Annuum hi ge-
runt Magistratum, eamque vacationem habent, ut
is, qui vel per diem in eo Magistratu fuerit, non
tantùm eo anno, sed futuro etiam ejus muneris
vacationem habeat, neque fas sit ejus in Comitiis
Decemviralibus rationem haberi. Quibus De-
cem Viris Principem quoque & Consiliarios ad- 35
junxere: ita ut universum Collegium summam
decem & septem Civium expleret, quibus hæc
summa potestas tributa sit. Ex Decem Viris,
C singulis mensibus tres dicuntur ab illis, quibus
sors obtigerit: hi Principes Collegii sunt, ma-
ternaque lingua *Capita Decem Virûm* appellari
consueverunt. Jus habent cogendi Decemvirale
Collegium, atque ad illud referendi; certum
conclave habent, in quod quotidie conveniunt:
certos etiam ministros, janitores, apparitores,
ac stipatores; adeò ut nullius Magistratus subsel-
lia cum majori observantia adeas. Adeunt vero
omnes, quibus cum Decem Viris negotium est.
Literas quoque ad Collegium scriptas legunt, &
de illis ad idem referunt. Ne tamen temere Se-
natus ille consulatur, non unus tantùm ex his
D Principibus referendi jus habet, sed duo sint, o-
pus est, qui referre de eadem re velint, seu qua-
tuor Consiliarii. Ob eandem etiam causam, ne
quid temere à paucissimis civibus immutari pos-
sit, illud institutum est, ne, si quippiam, quod
jam sancitum sit, abrogare velint, id habeatur
pro rato atque decreto, nisi duæ Collegii partes
suffragatæ sint. Illum quoque morem observant,
ne reum, cum de eo judicium laturi sunt, in
Collegium admittant, neque cognitorem, aut
oratorem quempiam, qui ejus causam agat: quod
tamen jus, cum apud alium Magistratum cau-
sam dicunt, reis concessum est. Ratio autem,
E quam in judiciis exercendis servant, hæc est. A
Principibus Collegii reus auditur, ejusque dicta
omnia scriptis mandantur. Cùm autem causa ad
Collegium defertur, ipsi Collegii Principes, a-
liique Judices, qui intersunt, & accusatoris &
rei vicem agunt: resque decernitur maxima sem-
per adhibita judicii moderatione. Initio Decem
Viri huic tantum rei operam impendebant, ne
quid existeret, quod Reipublicæ civilique con-
cordiæ posset officere. Postea vero gravissima
quædam crimina & enormia facinora hujusce ju-
dicii severitati ac censuræ commissa fuere, ut si
qui rei facti essent, vel quòd nummos adulteri-
F nos cudissent, vel quòd venere mascula usi es-
sent. Nostra [1] etiam tempestate additum fuit,
ut ab his Judicibus constitueretur multa, ac ju-
di-

1. *Edit. Elzev. saltem habet:* Sed nostris temporibus Decem Virûm authoritas longius serpsit. Nam jam nonnulla maxime arcana, quæ ad Reipublicæ gubernationem attinent, ad Decem-Viros deferuntur: licet nihil majoris sit momenti, nil e sententia totius Senatus decernant.

dicium exerceretur in quosdam sceleſtiſſimos homines, qui maledictis Deum Optimum vel Beatam Virginem inceſſere auſſi eſſent; nonnulla etiam, quæ maxime arcana eſſent, & ad ſummam Reipublicæ pertinerent, ut ad Decem Viros deferrentur, inſtitutum eſt, qui tamen nihil, quod majoris momenti ſit, niſi de ſententia totius Senatus, decernunt. Res quoque pecuniariæ ab ipſis pleræque adminiſtrantur. Quocirca ne de tot, tamque arduis negotiis poteſtas paucioribus, quàm par eſſet, civibus permitteretur, accerſiti ſunt in hoc Collegium [1] Sapientes primi ac ſecundi ordinis, Advocatores quoque & Procuratores ſancti *Marci*, qui Magiſtratus ſummæ eſt venerationis: ſuntque præter hos huic Collegio adſcripti quindecim Senatores, quos adjunctos vocant, univerſi tamen hi jus ſuffragii non habent, ſed tantummodo decem & ſeptem priores, & quindecim his adjuncti, adeò ut omnes ſummam expleant XXXII. ſuffragantium. Cæteri etſi omnibus negotiis interſunt, hoc jure privati ſunt. Adjuncti quindecim neque à Senatu, neque Comitiis Magni Conſilii eligi ſolebant: ſed Decem Viri, quos voluiſſent, Senatores quindecim Collegas ſibi adjungere conſueverant, qui tamen neque gentiles eorum, neque arcta neceſſitudine conjuncti fuiſſent. Nunc verò Comitiis Magni Conſilii eliguntur hi quindecim Adjuncti.

36 Maximam ex Decemvirali Collegio Reipublicæ *Venetæ* utilitatem extitiſſe, ipſa experientia rerum omnium magiſtra compertum eſt. Nam anno abhinc decimo ſupra ducenteſimum, *Marinus Faletrus* Dux, qui tyrannidem moliebatur, magnamque Reipublicæ turbationem allaturus fuerat, continuo Decem Virûm auctoritate ac prudentia oppreſſus, temeritatis ſimul & ſceleris pœnas dedit: diſceptanteque hoc Collegio capite mulctatus eſt unà cum pleriſque nobiliſſimis civibus, qui cum eo in perniciem libertatis conſpiraverant, perpetuaque ignominiæ nota fuit affectus. In ea enim Curiæ parte, in qua pictæ ſunt imagines omnium Principum cum elogiis rerum, quas optimè pro Republica gèſſerint, *Marini Faletri* ſedes, imagine vacua, verſiculis quibuſdam inſcripta eſt, quibus declaratur, *eum Ducem pro criminibus*, (ut nihil immutem) *ſecuri percuſſum fuiſſe*. Pernicioſiſſima certe, & quæ facile perniciem & exitum Reipublicæ allatura fuerat conſpiratio, ni Decemviralis Collegii auctoritate ſtatim oppreſſa fuiſſet. Nonnulli quoque cives, qui ambitione ducti periculoſas quaſdam leges promulgaverant, ut auram popularem aucuparentur, continuo Decem Virûm ſeveritate oppreſſi pœnas temeritatis, atque immodicæ ambitionis Reipublicæ dederunt. Qua ratione effectum eſt Deo Optimo favente, ut nullus hujuſmodi morbus noſtram in Civitatem auctoritate hujus Collegii confirmata invaderet.

Jam præcipuæ Reipublicæ *Venetæ* partes, quibus univerſa ferè gubernatio continetur, à nobis expoſitæ ſunt. Verum, ut omni ex parte inſtitutum à nobis opus perfectum ſit, de reliquis quoque Magiſtratibus dicemus, à quibus tum jura dicuntur, tum pecuniæ publicæ adminiſtrantur: nec non de Gubernatoribus civitatum, quæ ſub *Veneta* ditione ſunt, deque claſſium, exercituumqne Præfectis. Poſtremò nonnulla inſtituta exponam, quibus optimè meo quidem judicio cautum eſt, ne populus & plebs minutior ægre ferat, nullam ſibi in hac Republica gubernationis partem eſſe. Docebimus item haudquaquam

A omiſſam fuiſſe, ut plerique exiſtimant, publicam ad rem bellicam juventutis inſtitutionem. Verum, antequam ad hanc rerum inſtitutionem explicandam veniam, non ab re eſſe exiſtimo, ſi lectorem admonuero, in ea ratione, qua ſupra dixi Senatum conſuli ſolere, ipſumque Decem Virûm Collegium, apparere perſpicue miſtionem quandam legum popularis ſtatus, & Reipublicæ optimatium. Nam quòd nihil poſſit Senatus decernere, niſi de eo prius ad ipſum Senatum à Præconſultoribus relatum ſit, ſtatus optimatium eſt. Quòd vero Præconſultores nul-

B lam habeant poteſtatem, niſi conſulant Senatum, eorumque ſententia illius auctoritate confirmata ſit, profectò eſt popularis gubernationis inſtitutum. Itaque non modò in univerſa hac noſtra Republica, verum etiam in quacunque ejus parte, qui rectè perpendet, inveniet hanc, quam dixi, miſtionem & temperiem, qua rectæ illæ gubernandi rationes, in unam formam atque ſpeciem Reipublicæ noſtræ coaluerint. Sed illuc, unde egreſſa eſt, noſtra revertatur oratio. Omnium ergo prima ea pars nobis exponenda eſt, quæ ad jus dicendum pertinet.

Univerſum igitur jus, quod à Magiſtratibus reddi ſolet, bifariam diviſum eſt. Nam aut in

C ſuppliciis conſiſtit, quæ ſumenda ſunt de hominibus facinoroſis, qui patriam aut civem aliquem inſigni injuria affecerint, vel in deos immortales impii extiterint; aut poſitum eſt in cauſis forenſibus judicandis. 37 Idcircò etiam *Venetiis* duo genera judicum ſunt: horum alterum cauſis forenſibus; alterum verò judiciis rerum capitalium præficitur. Primum itaque de criminoſorum hominum judicibus, mox de forenſibus dicemus. Ex delictis quædam minutiora, vel ſuapte natura, vel peccantium hominum conditione habentur; nonnulla graviora & majoris momenti, aut

D genere ipſo peccati, aut peccantium nobilitate. Qua de cauſa duplices quoque ſunt capitalium rerum Magiſtratus inſtituti. Ad horum alteros graviores cauſæ & inſigniora crimina deferuntur, ad alteros yerò leviora. In Republica quidem *Veneta* judicia univerſa ad eam rationem, quam propoſuimus, perquam egregie diviſa atque conſtituta reperientur. Nos de inſignioribus primo: mox de aliis dicemus. Præter delicta, quæ Decem Virûm cenſuræ commiſſa eſſe ſupra diximus, graviora omnia crimina Advocatoribus referentibus, Collegioque Quadraginta virali diſceptante, diſcerni ſolent, iiſque pro crimine pœna

E conſtitui, qui in eis deprehenſi fuerint. Quadraginta hi Viri, qui criminum cauſis Præfecti ſunt, Criminales vulgò appellari conſueverunt. De utriſque tractandum, ſed primo de Advocatoribus.

Advocatorius Magiſtratus priſcis temporibus magnæ fuit auctoritatis incredibiliſque exiſtimationis. Præcipuum ejus munus eſt, legum cuſtodia, ne aliqua ſcilicet in parte legibus officiatur. Quamobrem quilibet eorum, qui in eo ſunt Magiſtratu, eam propè intercedendi poteſtatem habet, quam apud *Romanos* Tribuni plebis obtinebant: ſed illi ut tuerentur libertatem plebis *Ro-*

F *manæ*, noſtri verò ut vim legum tueantur: quare non immeritò Tribuni legum vocari poſſent. Nos verò, ne perſpicuitati, cui præcipue operam damus, ulla in parte officiamus à communi uſitatoque vocabulo non recedemus. Illi ad populum ſeu plebem referebant, noſtri vero Advocatores ad Quadraginta Viros quidem de levioribus cauſis, de majoribus ad Senatum, de maximis interdum, ſi ita eis viſum fuerit, ad Majus Conſilium referunt. Quamobrem antiquitus magna

---

1. Conf. Donati Jannotii *Dialog. de Rep. Venet. p.* 95. *Edit. cit.* ibique Nicolai Craſſi annotata.

A gna erat hujus Magistratus auctoritas. Nunc vero, quoniam Decem Virûm potestas latius se dilatavit, ideo Advocatorum auctoritas diminuta, existimatio obscurata est. Cæterum, quum is Magistratus tam amplam obtineat intercedendi potestatem [1], legumque custodia ad eum potissimum pertineat; qui autem facinus aliquod perpetrarint, maximè contra leges fecisse videantur, illustres præsertim cives, ad quos præter alios attinet, Reipublicæ conservandæ operam dare: idcircò peculiari quodam modo hujusmodi delicta censura Advocatorum visa sunt esse corrigenda, licet ipsi nullam habeant potestatem B quippiam contra reos statuendi, præterquam in parvis quibusdam causis, cætera omnia de Consilii sententia statuuntur. Hoc in loco non ab re futurum duco, si omnem judiciorum capitalium rationem explicuero, quæ Advocatoribus referentibus fiunt: quandoquidem nullibi, quod sciam, modus hic servari soleat: simulque (ut arbitror) perspicuum faciemus, quamnam auctoritatem habeat hic Advocatorius Magistratus. Quum crimen aliquod ad Advocatores delatum fuerit, si res digna censeatur eorum censura, confestim vel ab omnibus, vel etiam ab uno tantum (nam tres ei muneri præfecti sunt) interceditur, id est reus efficitur ille, cujus nomen de- C latum sit. Deinde ab intercessore refertur de eo 38 crimine ad Consilium illud, quod maluerit Advocator, qui intercesserit, quamvis plerumque consulatur Quadraginta virale Collegium, quod judiciis capitalium criminum præfectum est. Ibique causa recitata, de Consilii sententia decernitur, an reus sit in carcerem conjiciendus, & quæstioni adhibendus, an potius solutus causam dicere debeat. Reus postea ex Consilii decreto accersitur, vel ab apparitoribus Magistratus Advocatorum clàm deprehenditur. Causam dicit vel solutus, vel ex vinculis: de crimine interro- D gatur: respondet, testes utrinque citantur: quæcunque ille dixerit, sive sponte, sive tormentis coactus, tum quæ testes adducti coram Magistratu se scire fassi fuerint, sive pro reo, sive contra reum, omnia scriptis mandantur. Hac ratione tota causa in codicem publicum relata, omnium, quæ scriptis mandata sunt, reo fit copia: constituiturque tempus, quo docere causam possit Advocatos atque Oratores, quos sibi adhibuerit, illique possint omnia diligenter perspicere, quæ reo patrocinentur, & meditari, quo pacto objectum crimen, testimoniaque reo adversantia diluere possint. Tandem causa incipit agitari.

E Hac in parte non est reticendus mos Majorum ad nostra usque tempora perductus. Si enim fortè quispiam reus factus tam tenui re familiari fuerit, ut sumptum facere nequeat in conducendis Advocatis, qui partes suas tueantur, duo Oratores, qui Reipublicæ stipendio conducti, id muneris habent, suscipiunt inopis illius rei partes tuendas. Sic enim lege cautum est, ne ullus indicta causa puniatur. Postquam verò satisfactum fuisse reo videtur, neque ad ejus defensionem quippiam amplius requiri, Advocatores Consilium indicunt, diemque reo constituunt, quo causam dicturus sit. Consilio coacto Magistratus F hic Advocatorius accusatoris vice fungitur: eosque, qui in eo sunt Magistratu, maxime decet, ut accusatores acerrimos agant, qualis (dummodo id assequi possunt) fuit *Cicero* in *Verrem* & in *M. Antonium*, ita tamen, ut maledicta caveant, neque extra causam maledicendo vagentur. Nam is, qui maledictis indulget, potius inimici & pravi hominis officium facere, quàm Reipublicæ causam agere videtur. Hac enim in parte apud *Venetos* longe secus res se habet, quam apud *Romanos*. Olim *Romæ* quivis civis alteri diem dicere poterat, cumque quàm acerrime accusabat apud judices. *Venetiis* verò nemo privatus hoc munus obire potest, sed ex Reipublicæ lege officium illud est Advocatorii Magistratus. Qua in re magis naturam rerum imitati, sapientiusque concordiæ Civium consuluisse Majores nostri videri debent, quàm *Romani*. Nam quoniam, qui facinus aliquod perpetravit, maxime leges & Rempublicam læsit, ideoque præcipue Reipublicæ pœnas dare debet, jure Magistratus is, qui tuendis legibus præest, à facinoroso homine pœnas poscere, atque ad id omni studio eniti debet. Contrà privati officium est illatas sibi injurias oblivisci, facileque reo concedere. Præterea nullus privatus civis potest accusatoris personam sibi sumere absque maxima invidia & incredibili odio ejus, cui diem dixerit: ex qua re facilè seditiones oriuntur inter cives. Hoc igitur incommodum à nobis perquam egregiè vitatum est, universo hoc accusandi munere Magistratui demandato, qui non privata simultate ductus, sed ex legis præscripto id agat. Quo effectum est, ut nunquam ferè auditum sit Advocatorum cuipiam vitio datum fuisse, quòd vehementius in reum sit invectus, aut nimis acrem accusatorem se gesserit. Immo, qui acriter in hoc officio versatur, magnam sibi laudem comparat apud universos Cives. 39 Sed ad inceptam judiciorum rationem redeamus.

Agit ergo coacto Consilio Advocator partes accusatoris, orationemque in reum habet acerrimam. Crimina & facinora objicit primum, deinde testibus objecta confirmat, ac verisimilibus conjecturis corroborat. Postquam dicendi finem fecerit, agitur causa rei ab eo patrono, quem sibi asciverit. Deinde si Advocatorum quispiam, antequam judices sententias rogentur, adhuc urgere reum voluerit, locum dicendi habet: similiter Advocati rei respondendi, & objecta crimina diluendi facultatem habent: eaque ratione causa utrinque agitatur, donec alter eorum, sive reus, sive Advocator, cui dicendi locus incumbit, se amplius dicere nolle pronunciaverit. Perorata causa reus ejusque patroni discedunt è Curia judicum. Cum judicibus clauduntur in Conclavi Advocatores eorumque Scribæ, præterea nullus. Advocatores primum de puniendo reo ad judices referunt, sententiasque rogant, an puniendus videatur, nulla tamen adhuc constituta certa pœna; quem morem *Athenienses* ferè servabant. *Athenis* enim judices duplices sententias ferebant. Primis aut absolvebant reum, aut condemnabant: secundis, si prioribus condemnatus fuisset, pœna constituebatur, ut *ex Apologia Socratis* apud *Platonem* perspicue intueri licet. Consimili judiciorum ordine, & propè pari nos quoque utimur ratione. Refertur igitur primum ab Advocatoribus de condemnando reo. Judices in suffragia eunt. Omnia enim Consilia apud *Venetos* res omnes suffragiis decernunt. Tres urnæ deferuntur, quarum una reus condemnatur, altera absolvitur penitus absque mulcta, tertia colliguntur suffragia eorum, quibus nondum liquet, utrum sit statuendum. Prima urna, qua condemnatur reus, albi coloris est; secunda, qua absolvitur, viridis; tertia, rubei. Unusquisque judicum, sive causa disceptantibus Quadraginta Viris (ut plerumque) agatur, sive Senatus consulatur, quod raro accidit, in gravioribusque causis tantum fieri solet, sive ad Magnum Consilium ab Advocatoribus relatum sit, quod rarissime acci-

1. *Edit. Elzev. habet*: potestatem in omnibus.

dit, gravissimisque in causis fieri consuevit, ne quis suffragium suum perspiciat, pilulam linteam in eam urnam, quam maluerit, demittit. Postea à Præfectis Consilii suffragia numerantur. Quòd si plures dimidiis reum absolverint, confestim pronunciatur absolutus: estque Advocatorum rogatio repudiata. Sin plures dimidiis damnaverint, illico pronunciant damnatum. At si neutri dimidium excedant, quòd multi sint judicum quibus nondum liqueat, pronunciant reum comperendinatum fuisse, judicesque causam amplius discuti velle. Si absolvitur, nihil amplius negotii habet, sed e vestigio liber dimittitur. Si comperendinatur, judicibus & reo dies statuitur, qua denuo causa, Advocatoribus accusantibus, patronisque objecta crimina diluentibus, agatur. Post dictam & peroratam causam judicum suffragia repetuntur. Quod si etiam tum nihil decernatur, quod suffragia, quæ neutram in partem venerint, dimidium summæ non excedant, iterum pronunciant reum comperendinatum, & tertio Consilium indicitur. Constituta die, qua tertio quoque causa eodem modo repetatur, demum in suffragia itur, nec tamen amplius ratio ulla eorum habetur, quibus nondum liqueat. Idcirco, nisi paria fuerint suffragia, necesse est reum vel damnari, vel absolvi. Si absolvatur,
40 nihil amplius ei negotii est, ut dixi. Si pronuncietur damnatus, decernitur quanam pœna in eum sit animadvertendum. De genere pœnæ referunt, tum Advocatores, tum Præfecti Collegio Judicum. Mos tamen est, ut Advocatores eam pœnam proponant, quæ pro genere criminis videatur acerbissima. Etenim hujus Magistratus officium est, ut ad severitatem inclinet. Alii [1] verò, Consiliarii, inquam, ac Præfecti Quadraginta Virûm, quibus jus est ad id Consilium Judicum referendi, leviores pœnas proponere consueverunt, nisi crimen fuerit adeò atrox, ut clementiæ nullus sit locus, seu Advocatores lenius egerint, quàm eum Magistratum deceat. Propositis omnium sententiis eodem fermè modo decernitur pœna, qua reus ille sit afficiendus, quo suprà diximus Senatusconsultum fieri solere, ubi Præconsultorum sententiæ variant. Quam rationem si hoc in loco repetere vellem, importuneque tædio afficere lectorem; merito ineptus haberi possem. Hoc tamen dixisse satis est, eam sententiam Judicum pronunciari, quæ rejectis aliis plura dimidiis suffragia tulerit.

Hoc in loco mihi videor non ab re facturus, si bina instituta annotavero prudentissimè à Majoribus nobis tradita. Primum est, quòd nullius rei, seu judicii quempiam Magistratum nedum civem sine provocatione arbitrum esse voluerunt, sed omni in re summum jus atque arbitrium esse Consiliis, seu Collegiis tributum. Alterum verò superiore illo non minus utile est, idque est tale, quòd voluere judices non ore sententias dicere, aut palàm statuere, quidnam sentiant, sed clàm suffragiis decernere, quod maluerint. Utrumque sanè, meo judicio, prudentissimè. Nam, quod summa auctoritas nulli Magistratui concessa sit, rectè se habet. Etenim, præterquam quod periculosum est, summam alicujus rei, quæcunque ea sit, committere paucis civibus: tum illud cavetur, ne, si fortè res deliberata male cesserit, Civitas de paucis Civibus queri possit. Ut vero clàm decreta judiciaque fiant, non minore prudentia sancitum est. Judices enim, hujusmodi suffragiorum instituta ratione, liberius judicant, quam si palam atque ore sententiam

1. *Edit. Elzev. habet*: Alii leviores pœnas proponere &c.

A ferrent, ex quo interdum, vel propter ambitionem ab æquitate abducerentur vel amici ac bene de se meriti civis offensionem vererentur, vel potentioris indignationem extimescerent. Illud quoque provisum est, ut quisque judicum judicium suum sequatur, nec ab alterius judicis auctoritate pendeat: quod facilè accidere posset, si ille, qui prior dixisset sententiam prudentissimus, ac scientissimus haberetur. Quocirca nec etiam ab excellentissimis philosophis genus hoc judiciorum omissum est. Sed ad rem redeo.

Postquam omnis judiciorum ratio à nobis exposita est, ad *Quadraginta Capitalium Causarum Iudices*, de quibus dicendum institueram, revertar.
B Horum Collegium à Civitate nostra, ad quod Advocatores de causis capitalibus referant, eoque deliberante sontes puniantur, institutum est. Ideoque non nisi in causis gravissimis, ubi etiam Reipublicæ intersit, in utram partem judicium cesserit, Advocatores Senatum consulunt, rarissime verò Majus Consilium. Verùm omnes capitales causæ ad hoc Quadraginta virale Collegium deferuntur: cujus sententia rata est, nullusque ab ea amplius est provocationi locus. Gerunt hi Magistratum octimestrem, postquam sedecim menses expleverint in forensibus causis judicandis.
C Tria namque *Collegia* in Republica Veneta sunt, quodlibet *ex quadraginta Iudicibus* constat. Duo forensibus causis judicandis præfecta sunt, 41
tertium, de quo agitur, capitalibus. Hæc tamen distributa ratione sunt, ut cum primum functi fuerint Magistratu Capitales hi Judices, in ordinem ipsi redigantur, aliique quadraginta viri Magni Consilii Comitiis sufficiantur. Non tamen hi suffecti confestim ad judicandas capitales causas accedunt, sed Collegium illud quadraginta virale, quod urbanis causis decernendis octimestri eo temporis spatio præfectum fuit, subit in locum Capitalium, qui jam defuncti sunt
D Magistratu. His verò forensibus atque urbanis Iudicibus succedunt tertii Quadraginta Viri, qui item eo octimestri intervallo exterorum causas judicarunt, in eorumque locum illi nuper suffecti subeunt. Sicque per vices iidem Iudices, & de forensibus causis tum urbanis tum exteris, & de capitalibus decernunt, ac totum biennium in his judiciis versantur. Tria hæc Collegia Iudicum proprias habent appellationes. Primum, ad quod exteræ causæ deferuntur, Novum nominatur. Secundum, quod urbanis præficitur, Vetus dicitur. Tertium, quod de capite sontium judicat, Criminale à criminibus nuncupa-
E tur. Hi quadraginta viri Criminales nuncupati, præterquam quòd in causis criminalibus, sive capitalibus summam judiciorum habent, admittuntur etiam in Senatum, & jus suffragii in eo ordine obtinent. Habent præterea *Triumviros* ex suo ordine, qui singuli binis quibusque mensibus sorte educuntur, ac per vices semper assident Duci & Consiliariis, paremque cum illis auctoritatem ad Senatum referendi de quacunque re voluerint, habent; itemque ad Magnum Consilium, eo tamen modo, quem suprà tetigi. Nec absque ratione quadraginta hi juniores Viri Senatoribus, qui plerumque senes esse solent, commisti sunt, ut
F scilicet naturalis senum frigiditas juvenum calore temperetur. Non tamen juniores hi senibus numero pares sunt, sed longe pauciores; tot tamen, ut aliquod caloris vestigium in Senatusconsultis apparere, atque inesse queat: quod quandoque in rebus agendis perquam necessarium est. Accedit etiam illud, quòd senatoria auctoritate his Quadraginta Viris concessa, Reipublicæ administratio aliqua ex parte inferioris notæ civibus com-

communicata videri potest, quales plerumque hi sunt, qui Quadraginta Viratum gerunt, in quo ordine populari quadam lege Majores nostri usi sunt. Nam tribus his Quadraginta Virûm Collegiis singulis quibusque diebus, quibus conveniunt, certum ex ærario stipendium constitutum est. Ideoque raro admodum divites cives hunc Magistratum petunt, facileque, si petierint, repulsam ferunt. Verùm egenis civibus, probis tamen hominibus, facilis est ad hunc honorem accessus. Qua ratione tum inopiæ proborum civium aliqua ex parte consulitur: tum etiam Reipublicæ administratio non solum divitibus & insignioribus civibus, quod optimatium est status, & paucorum potentiæ commissa est: verùm etiam aliqua ex parte, mediocri tamen, cives inferioris ordinis ad Rempublicam accessum habent: qui mos pertinet ad popularem statum. Ex his cuilibet compertum esse potest, in omni parte Reipublicæ *Venetæ* temperationem illam apparere, cui plurimum studuisse Majores nostros, in hujus opusculi exordio diximus, ut scilicet popularis status ratio optimatium gubernationi permista esset: eo tamen temperamento adhibito, ut plures optimatium partes essent.

Satis itaque jam à nobis tum de Advocatoribus, tum de Quadraginta Viris causarum 42 capitalium judicibus dictum arbitror, qui ideo instituti sunt, ut in crimina, seu genere peccati, seu conditione peccantium insigniora, animadverterent.

Nunc tempus postulat, ut de nonnullis inferioribus Magistratibus, qui minutioribus, & genere ipso & hominum fortuna ulciscendis delictis & maleficiis præsunt, pauca quædam perstringamus. Hi quoque duplices sunt: alteri jus capitis habent, alteri non habent: quorum potestas eo tantum extenditur, ut in vilissimos homines, atque in meretrices animadvertant: quos vel virgis cædi jubent, vel in carcerem conjici, prout quemque peccasse constiterit. Potior verò ille magistratus, qui capitis judicium ferre potest, rursus bipartitus est. Nam non iidem judices quærunt de crimine, & quæstioni reum adhibent, ac sententiam ferunt: sed priores, *Noctis* scilicet *Præfecti*, totam prius causam reorum agitant, ac scriptis mandant, quæ testes dixerint, quæque rei vel sponte, vel coacti tormentis confessi fuerint: demum omnem causam ad *Judices Proprietatum* deferunt. Diversus à priori hic est Magistratus, hique sententiam ferunt, A ubi de causa capitis agitur. Quòd si levius fuerit delictum, ut tantum virgis cædendus, aut carcere aliquot menses coërcendus reus esse videatur, Noctis Præfecti totam causam expediunt, neque Collegium Quadraginta virale consulunt, sive conjicere quempiam in carcerem voluerint, sive quæstioni adhibere. Quod ipsum jus tamen Advocatorius Magistratus non habet, verum opus est, ut prius Collegium consulat, atque auctoritate decreti illius Collegii nitatur. Neque sine magna ratione hoc ita institutum videtur fuisse. Nam si pro quolibet crimine & pro iis reis, qui homines nullius pretii sunt, Consilium consulen- B dum esset, incredibile negotium Reipublicæ administrationi conflaretur: sontibus etiam viris major peccandi licentia tribueretur spe impunitatis majore proposita. Ut ergo judicia hujusmodi expeditiora essent ac breviora, Præfecti Noctis eam auctoritatem, qua Advocatores privati sunt, obtinent. Hi Noctis Præfecti sex sunt: sex item in minimo eo Magistratu, cui in infimos tantum homines, levibusque in criminibus jus est. *Capita Tribuum* Civitatis appellantur hi, qui eum Magistratum gerunt: quoniam ex unaquaque tribu (in sex enim tribus tota Civitas divisa est) tum Præfectus Noctis, tum Caput Tri- C bus eligitur: quo more etiam in Consiliariis eligendis uti solemus, quod superius à nobis minime omissum fuit. Utriusque præterea Magistratus officium est, ut nocturnas excubias per suas tribus agant alternis noctibus, ac vicissim modo Præfectus Noctis, modo Caput Tribus, suam tribum circumeant ad gallicinium usque, cum publicis stipatoribus & apparitoribus armati, provideantque, ne per nocturnas tenebras, quæ majorem licentiam præstare hominibus scelestis solent, cuipiam fiat injuria: neve fur clàm domum quampiam fodiat, aut ne latro ullas per vias grassetur in quemquam. In primis *Venetæ* Urbis ori- D ginibus uterque hic Magistratus magnæ existimationis erat, postmodum adjunctis novis Reipublicæ Magistratibus, prout ratio temporum & commoditas exigebat, horum dignitas & auctoritas est obscurata: summaque potestate ad novos Magistratus translata, parva quædam & viliora negotia veluti feces in eorum subselliis residere. Hactenus de Magistratibus, qui capitales causas decernunt, dixisse sufficiat. De forensibus in sequenti volumine dicetur.

43

LIBER QUARTUS.



Mos ille in Republica *Veneta* perpetuus semper fuit, ne quisquam Magistratus in majoribus causis summam auctoritatem haberet: sed summum illud jus Collegiorum seu Consiliorum, ut usitatius loquar, esse voluerunt. Ideo in Forensibus quoque causis, quæ summam quinquaginta quinque nummorum aureorum excesserint, nullius Magistratus judicium est, à quo non sit provocatio ad *Auditores Urbanarum Causarum*, qui lingua vernacula Veteres appellantur, & ad Collegia Quadraginta Virûm, de quibus suprà commemoravimus. Sed, ut perspicue tota hæc Iudiciorum Forensium ratio intelligatur, ab Auditoribus, qui quidem duplices sunt, ordiemur. Novi enim sive Recentes, atque Veteres sunt. *Veteres* à vetustate nomen sortiti, quòd hic Magistratus apud *Venetos* multo vetustior sit, quàm alter: qui non prius in hanc E Rempublicam inductus est, quàm Continentis imperium habuerit, multis seculis post Urbem conditam. Veteres hi Auditores eandem fere auctoritatem obtinent in judiciis causarum forensium, quæ urbanis Judicibus disceptantibus dijudicantur, quam Advocatores in plerisque omnibus rebus, si qua in parte legibus officere videntur, intercedendi, inquam, potestatem habent. Cum ergo à judicibus urbanis contra aliquem sententia lata fuerit, licet illi ab eorum judicio ad Auditores provocare. Causa ad eorum subsellia deducta, & ultro citroque agitata ab his, inter quos controversia fuerit, nisi summam exce- F dat quinquaginta aureorum nummûm, omnesque judices in eandem sententiam convenerint, possunt ipsi absque Quadraginta Virûm Collegio rem decernere. Quòd si inter se dissenserint, vel unus eorum potest intercedere: causaque illa apud minimum quoddam Collegium agitatur, in quod uterque Auditorum Magistratus, tresque alii

alii Iudices conveniunt, qui Præfecti sunt Iudiciis de Inventis Rebus: ibique minores hæ causæ dijudicantur. Quod si universa causa eam summam excedebat, ante nostram ætatem non poterat ad Quadraginta Virûm Collegium res deduci, nisi aliquis Auditorum latæ à judicibus sententiæ intercessisset, de eaque ad Quadraginta Viros retulisset. Nostra vero tempestate lata lex est, qua conceditur illi, contra quem priores judices sententiam pronunciaverint, ut post tres exactos menses, quamvis nullus Auditorum intercesserit, possit diem adversario dicere, & ad Collegium provocare. Qua lege Auditorum auctoritas valde est imminuta; quæ tamen, cum intercedunt, nonnihil ad causam obtinendam valeat. Nam neque tres menses operiri oportet, lorumque intercessio velut prærogativa judicii videtur esse. Si Auditor intercesserit, prioribus judicibus diem dicit, Collegium Quadraginta Virûm aditur. Ante nostram ætatem uterque Magistratus orabat coram Collegio, sententiamque uterque suam tuebatur. Paulatim verò segnitie quadam factum est, ut priores judices,
44 quorum sententiæ intercessum sit, non modo non orent, sed ne intersint quidem, cum apud Quadraginta Viros causa agitatur, dictaque illis per tabellionem die, ut id, quod jus postulat, statuatur, respondeant. Mos verò ille, ut Auditores primum referrent ad Collegium de causa, cui intercessissent, orationemque haberent, ad nostra usque tempora deductus est. Nunc verò penitus intercidit, sed patroni tantum eorum, inter quos controversia fuerit, hoc munere defunguntur, tuenturque suorum clientum causas: quibus rebus effectum est, ut dignitas Auditorii Magistratus, quæ diu illustris fuit, nostris temporibus obscura admodum & imminuta sit. Quadraginta hi Urbanarum Causarum judices eundem ferè morem servant in judicando, quem à judicibus Quadraginta Capitalium Causarum servari solere diximus. Hoc tantum discrimen est, quod in causis, in quibus de capite agitur, & fortunis reorum, nullum certum orandi tempus statutum est. In his verò urbanis litibus præscriptum est temporis intervallum, ultra quod orationem protendere non possunt: hora enim cum dimidia tantum cuilibet oranti concessa est. Neque in forensibus iis causis judicandis variæ referuntur sententiæ, ut eam Collegium eligat, quam maluerit, quemadmodum in sumendis pœnis de nocentibus & parvi pretii hominibus fieri solere superius dictum est: sed tantum refertur, an lata prius à judicibus sententia confirmanda sit, vel potius abroganda. De abrogatione refertur, si Auditor quis intercesserit. Quod si non fuerit intercessum, sed sine intercessore causa ad Collegium fuerit deducta, Præfecti Collegii perorata utrinque causa non de abroganda, sed de confirmanda lata sententia referunt. Jurati judices omnes in suffragia eunt. Tres item urnæ deferuntur. Viridi abrogatur id, de quo relatum fuerit: candida approbatur: rubea verò eis destinata est, quibus nondum liqueat, sed velint causam ampliari. Nihil autem decretum habetur, nisi plures quàm dimidii abrogaverint, aut approbaverint. Quod si Judicibus nondum liqueat, & in neutram partem Judicium factum sit, causa ampliata pronunciatur ad alteram diem; qua eadem ferè repetuntur. Quòd si etiam eadem die judicium pendeat, tertio cogitur Collegium, causa repetitur. Qua perorata utrinque itur in suffragia, neque amplius ulla eorum judicum, quibus nondum liqueat, habetur ratio. Quare nisi paria fuerint suffragia, in alteram partem fit decretum, sive

A de abroganda, sive de confirmanda sententia lata. Abrogata sententia nequaquam adimitur potestas actori, quin de eadem re judicium repetere possit. Nihil enim abrogatione statuitur, sed tantum lata sententia antiquatur. Confirmatione verò & approbatione rata fit sententia, quam priores Judices pronunciaverunt, neque amplius provocationi est locus, neque judicium repeti potest super eadem re, nisi causæ quippiam novi accedat.

Atque satis hactenus de Auditoribus Veteribus dictum sit: nunc pauca *de Recentioribus* perstringamus. Hic Magistratus in nostra Republica
B non fuit prius institutus, quàm in continentem æstuariis hisce finitimam *Venetum* imperium extendi cœpit. Ad hos à Prætorum judiciis provocatio est, aliorumque Magistratuum, qui extra urbem populis, qui in nostram venerunt societatem, jus dicunt. Veteres enim auditores utrisque causis, urbanis scilicet & exteris, haudquaquam satisfacere poterant. Quamobrem eam appellationem etiam sortitus est, ut Novorum sive Recentium diceretur. Nam post constitu- 45
tam Rempublicam Imperium *Venetum* extendi cœpit in *Venetiam* oram, quæ ad veteres dominos, veluti quodam postliminio volens ac libens
C rediit. Etenim, ut in exordio operis ostendimus, nobilissimi quique provinciæ *Venetiæ* barbarorum impetum, *Italiæque* totius devastationem fugientes se in nostra æstuaria receperunt, urbemque hanc opulentissimam condidere. Cui etiam nomen *Venetiæ* indiderunt multitudinis numero: ut posteris testatum esset, Florem Nobilitatis omnium civitatum *Venetiæ* regionis eò convenisse. Igitur cum brevi imperium *Venetum* crevisset in immensum, unus haudquaquam Magistratus urbanis & exteris causis satis esse poterat. Idcirco Novus hic institutus est, Novumque Quadraginta Virale Collegium. Provocatio
D quoque, quæ ab aliis, qui foris jus dicunt, fit, ad horum subsellia defertur. Atque hoc demum Collegio disceptante omnes ejusmodi causæ discernuntur. Eadem in omnibus ratio est, parque modus hujus Magistratus & Collegii, quem paulo ante docuimus, ab Auditoribus Veteribus & Collegio Quadraginta Virali, Urbanarum causarum Judice, servari solere. Illud tantum jus Auditoribus Recentibus [1] additum est, quòd in causis, quæ summam quadraginta nummorum aureorum non excesserint latam sententiam, de qua ad eos sit provocatum, moderari queunt, ejusque partem, si ita videatur, abrogare, par-
E tem verò comprobare, dummodo omnes in eandem sententiam conveniant. Quod ea de causa institutum est, ut exteri homines & advenæ, quorum præcipue rationem haberi debere summi philosophi tradidere, molestia levarentur, & sine magno rei familiaris dispendio litium exitum invenirent. Hoc jure Veteres privati sunt. Necesse enim illis est, ut aut totam sententiam approbent, aut totam rescindant, atque irritam fa-

---

1. *Illud jus Auditoribus recentibus.*] Permanet quidem idem jus Auditoribus Novis, ubi quis à Prætoribus ob facinus
F perpetratum, aut damnum illatum, pecunia mulctatur, quæ summam quinquaginta aureorum non excesserit: at in causis forensibus, quas civiles appellant, Trium-Viri Auditores Novissimi creati sunt, à quibus ea judicantur, quæ L. aureorum summam non excedunt, eademque pollent in his autoritate, qua olim Auditores Novi. Etenim si in eandem convenerint sententiam, nulla ab iis datur provocatio: si verò dissenserint, ad Duodecim Virûm Collegium causa defertur, quæ tamen, non tertio quoque die, qui dies *tertium Consilium* appellatur, ut aliæ causæ: sed vel primo, qui *dies pendentiæ*, vel secundo, qui *secundum Concilium* dicitur, agi solet.

faciant. Sic Novi parti intercedere possunt, reliquis non intercedere: at Veteres contrà: aut enim toti intercedunt, aut universam integram dimittunt. Hocque pacto exterorum lites breviori spatio dirimuntur, quàm causæ urbanæ: quamvis patronorum & jurisconsultorum versutia, quæ nihil contra fas intactum relinquit, in immensum quævis lites protrahuntur, quod ubique gentium fieri solet, ubi non temere, sed statuto ordine judicia fiunt.

Explicata ferè à nobis est judiciorum ratio. Superest, ut paucis perstringamus eos Magistratus, qui primi in causis urbanis jus dicunt, à quibus ad Veteres Auditores provocationes fiunt, & ad Collegium Quadraginta Virorum, quorum Judicum sex sunt subsellia [1] pro qualitate causarum & personarum distributa. Nam aut lites sunt de mercatura rebusque ad negotiatores spectantibus: vel de ædibus & fundis, quæ intra æstuaria fuerint: aut de possessionibus & agris, quæ in continenti sunt, aut de quibusvis aliis contractibus stipulationibusque: personæ autem, quæ lites inter se conferunt, aut sunt cives, aut exteri, iique aut alterutri inter se, aut alteri cum alteris experiuntur: denique vel cum pupillis res habetur, aut agunt viduæ fœminæ post obitum mariti de dotibus recuperandis. Ne ergo inter tot diversorum generum judicia turbatio esset, neve aliud alii impedimentum afferret, plura instituta fuere judicum subsellia: ita ut, quantum fieri posset, unusquisque pro ratione negotii, & litis suos judices cognosceret. Quæ enim lites ad ædes sive fundos intra fines *Venetiarum*, id est in æstuariis positos pertinent, hæ omnes *à Judicibus*, qui *Proprietatum* nominantur, dijudicantur,
46 quos etiam adeunt viduæ ab hæredibus maritorum defunctorum, dotes repetere volentes. Hancque appellationem habuerunt, quòd Majores nostri ea tantum Civium suorum propria existimarunt, quæ in æstuariis sita essent, utpote quæ ad alienos dominos non facile transferri possent. Cætera verò in continenti existentia sive agri sive domus fuissent, ut quæ facile invitis dominis possent auferri, injuriæque magis exposita essent, mobilia dici voluerunt. Quòd si de fundis continentis oræ controversia fuerit, Judices Procuratorum sunt adeundi. Iisdem judicibus cum pupillis, qui adhuc tutores habent, contenditur. Qua ex re ipsi judices nomen obtinuerunt: nam

A apud Venetos *Curatores*, & *Tutores*, & *Procuratores* appellari consueverunt. Si item lis de mercimoniis inciderit, & ad mercaturam spectet, subsellia judicum adeuntur, qui ex ea re judices, seu *Consules Mercatorum* nominantur. Hi majori quodam compendio judicant, quàm alii forenses Magistratus: quod ea ratione institutum est, ne longioribus litibus impedimentum morave fieret negotiis mercatorum, quæ assiduam quandam operam exigunt. At si inter exteros homines lis fuerit, vel quispiam civium hospiti diem dixerit, opus est ad eos *Judices* accedat, qui *ab Advenis* nomen habent. Cæteræ verò omnes causæ con-
B tractus ac stipulati, ex quibus quispiam ab alieno sibi aliquid deberi contendat, idque judicio petat, *Judicibus* veniunt, qui *Petitionum* nuncupantur: hique Prætoris Urbani vicem gerunt. Sunt præterea minimæ quædam, quibus dijudicandis Præfecti sunt *Judices Mobilium* dicti. Est & præter hos Magistratus alius, qui si quid inventum fuerit, aut olim reconditum aut nuper amissum, num ad ærarium, aut ad privatum quempiam, aut ad eum, qui repetit, res ea pertineat, decernit, omnesque hujusmodi controversias dijudicat.

Expedita universa judiciorum ratione ad eos
C *Magistratus* transeundum est, qui *Ærarii* curam habent, quibusve pecuniæ publicæ administratio commissa est. Hi fortasse plures, quam par sit, alicui esse videbuntur, cum pauciores universæ rei pecuniariæ satisfacere possent. Verum hoc loco animadvertendum est, Patres nostros summam diligentiam adhibuisse, ne in administrandis pecuniis publicis aliqua fraus fieret. Arbitrati enim sunt, ex Ærario veluti alimentum universis Reipublicæ partibus suppeditari, quo deficiente seu imminuto deficere quoque Rempublicam, aut minui opus esse. Quocirca lege sanxerunt, *ut si quis Civis peculatus damnatus fuerit,*
D *perpetua ignominiæ nota singulo quoque anno repetita inureretur.* Majori enim Consilio coacto in concione Civium omnium statuta die ab Advocatore omnes illo crimine damnati pronunciantur: ut, qui tantum scelus ausi sunt, perpetuæ ignominiæ pœnas luant. Sed, ne ab instituto longius digrediamur, Magistratus, qui Ærarii curam habent, duorum veluti generum sunt. Qua ratione publicæ quoque pecuniæ divisæ sunt. Nam vel ex

1. *Quorum judicum sex sunt subsellia.*] Judicum *Venetorum* alii in Foro *Marciano*, alii in *Rivoaltino* jus dicunt. Inter *Marcianos* sex sunt præcipua subsellia, quæ *D. Marci Curiæ* appellantur: inter hæc rectè Contarenus quinque comprehendit, *Proprietatum*, *Procuratorum*, *Advenarum*, *Petitionum*, & *Mobilium*: sed *Consules Mercatorum* perperam & alieno loco inseruit, atque *Examinatorum judices* omisit, qui sextam, ut vocant, Curiam constituunt. Hi trium-Viri venundandis pignoribus operam dant, & quæcunque circa pignora lis oriri potest, judicio dirimunt: de jure congrui sententiam ferunt; contractus omnes examinant, quosque ex legum præscripto celebratos cognoscunt, iis, ut rati subscribunt, præsertim verò Donationibus. Creditoribus suffragantur, ut quæ facilè auferri, aut abscondi possent res debitoris, eas Magistratus interdicto remorari, ac sistere valeant. Sed præter sex, quæ commemoravimus subsellia, & id, quod inventis rebus præest, à *Contareno*, omisso nomine, positum, *Cataverum* appellatum. Supersunt etiam Publicorum judices, qui olim *Rivialti*, nunc in D. *Marci* foro jus dicunt. Hi cum præcipuè caveant, ne quis vias, aut ædes, aut agros publicos sui juris faciat, Publicorum nomen sortiti sunt. De crimine quoque usurarum jus dicunt, & controversias, quæ xx librarum summam non excedunt, celeriter dirimunt: provocatur tamen in his levioribus caussis ad officium *Cataveri*. Sunt quoque in Marcianis Magistratibus Trium Viri Syndici, quorum munus est operam dare, ut judicia rectè, atque ordine, & sincerè fiant, cunctique Scribæ, Præcones, & alii in foro cùm *Marciano*, tùm *Rivoaltino* sua munera integrè atque sine fraude exequantur. His præcipuè subjecti sunt ii, qui cum litibus imponere finem sollicito animo procurare debeant, *Sollicitatores*, & *Procuratores* dicuntur. Nec quisquam hoc munere fungi po-
E test, nisi prius & vitæ innocentiam comprobarit, & se periculo facto aptum, nullæque sordidæ arti operam dedisse demonstraverit, atque Syndicorum & Quadraginta-Virûm Capitalium Præfectorum, qui Duci assidere solent, suffragiis sollicitator creatus fuerit. *Consules Mercatorum* Rivi-alti de mercatoribus jus dicunt: sicut etiam Magistratus ille, qui *Supra Consules* dicitur, causas judicat decoctorum atque adeo Judæorum, qui fœnerantur.

Multi sunt præterea Magistratus, qui à Senatu, ubi è Republica visum fuerit, creari solent, tamen nec ullum ex eo percipiunt emolumentum, neque cum fuerint candidati, id munus exprimitur ab Electoribus, ut de aliis dignitatibus, sicut superius diximus, fieri solet. Hujusmodi sunt Trium-Viri *Legum Conservatores*, qui ut leges observentur, operam navant, & præsunt Arbitris, ut ex legum præscripto judicent: ab iis vero provocatur ad Trium-Viros Advocatores. *Bonis Feudalibus Præfecti*, *Bonis communalibus*, id est iis, quæ Respublica rusticis utenda dedit; *Bonis incultis*, quæ scilicet olim vel nemoribus, vel aquis obruta non multis ante an-
F nis maxima industria, & majori impensa culturam admiserunt: *Scripturæ ordinandæ*, *publicæ Pecuniæ exigendæ*, & alii nonnulli, qui cunctis suis muneribus egregiè perfunguntur, omnemque movent lapidem, ut Respublica adhibitis tot civium manibus, non conservetur modo, sed etiam inter omnes emineat, atque sublimè feratur.

Sunt etiam Senatorum Collegia, quæ x Sapientum vocantur, à quibus ea judicantur, quæ Rempublicam attingere videntur: an subjecti immunitate aliqua donati fuerint, nec ne: quænam agri vectigalia pendant: ejusque generis multa, aut etiam, quæ iisdem collegiis delegata sunt, ut de iis cognoscant, statuant, judicent.

ex publicis, vel ex vectigalibus in ærarium con-
feruntur: vel interdum, cum reditus Reipublicæ
impenſis videtur ſatis facere non poſſe, à Civibus
pro cujuſque cenſu exiguntur. Id quod non raro
fieri neceſſe eſt, bellis, quibus Civitas noſtra fre-
quenter vexari ſolet, aut mari, aut terra ingruen-
tibus, vel cum *Turcæ* in noſtram ditionem ir-
ruunt, quorum impetum non ſine maximo detri-
mento complures annos ſuſtinuimus, acerbiſſi-
mumque hoſtem in univerſam Rempublicam *Chri-
ſtianam* ſævientem continuimus, vel cum Princi-
47 pes *Chriſtiani*, quibus Imperii *Veneti* amplitudo
quandoque officit, in perniciem noſtram conſpi-
rant: quemadmodum anno abhinc XV. accidit,
cum omnes ferè *Chriſtiani* Principes inito inter ſe
fœdere in exitium Imperii noſtri conſpirarunt.
Sed diis bene juvantibus omnes eorum impetus
ſunt repreſſi, reſque pene collapſa in integrum
reſtituta eſt. Duplex ergo cum ſit publicæ pe-
cuniæ genus, duplices quoque Magiſtratus ei rei
ſunt præfecti. Quidam enim pecuniæ ex cenſu
civium collatæ præficiuntur: alii verò reditibus
& vectigalibus Reipublicæ. Vectigalia quidem
exiguntur ex iis, quæ exportantur ex urbe, aut
in eam importantur. Quædam verò ex civitati-
bus, quæ in ſocietatem Imperii *Veneti* ſunt ad-
ſcitæ. Urbana porrò vectigalia, cum propter
maximam mercium copiam mercatorumque con-
ventum, tum ob ingentem hominum multitudi-
nem; qui hanc Civitatem incolunt, omni o-
mnium opinione majora ſunt. Ac mercium qui-
dem rerumque urbanarum varia ſunt genera: ideo
diverſi quoque Magiſtratus ſunt inſtituti, prout
ſcilicet commodum viſum fuit iis, qui his locan-
dis atque exigendis vectigalibus præſunt: quos
ſingulos enumerare ſanè putidum eſt, faſtidium-
que potius afferret, quàm voluptatem. Quam
ob cauſam illos etiam Magiſtratus, qui perpetui
non ſunt, ſed cum res poſtulat, tum denique
creantur, prætermittendos eſſe duco. In ſumma,
horum omnium Magiſtratuum officium illud eſt,
ut caveant, ne per dolum aliquid pecuniæ publi-
cæ avertatur, aut per inertiam pereat. Omnes
quoque controverſias, quæ ad id genus pecuniæ
pertinent, ipſi dijudicant. Pecuniam verò o-
mnem, quam exegerint, continuo ad *Gubernato-
res Redituum* Publicorum deferunt. Eam enim
appellationem is Magiſtratus obtinuit, qui huic
rei præfectus eſt. Sed ea procuratio, quoniam
magna, atque ampla eſt, non niſi inſignioribus
Civibus deferri ſolet. Qui, ut libentius hoc
munus ſibi depoſcerent, neve demandatum reji-
cerent, oneri magno atque gravi magnum emo-
lumentum adjunctum eſt, ſumma quoque tribu-
ta eſt auctoritas. Hi enim apparitores, viatores,
lictores, omneque id genus miniſtrorum Reipu-
blicæ creant, quibus omnibus ex ære publico ſti-
pendium perſolvitur. Id verò, quod reliquum
fuerit ad *Quæſtores Urbanos* defertur, ad quem
denique Magiſtratum pervenit omnis ſumma æris
publici, à quibuſcunque Quæſtoribus ſive Ma-
giſtratibus, ſeu illi extra Urbem, ſeu in Urbe
pecuniæ publicæ exigendæ curam habeant, alla-
ta fuerit. At Urbani hi Quæſtores eam pecu-
niam ex Senatus decreto in uſus publicos impen-
dunt, eamque in codices accepti & expenſi re-
ferunt. Quod munus quum operoſum ſit, labo-
riſque non exigui, ideo Civibus junioribus com-
mitti conſuevit: qui tamen, tum Nobilitate ge-
neris, tum innocentia vitæ clari ſint, ne ſcilicet
æs publicum ullo pacto in rem privatam avertatur.
Quocirca Urbanis Quæſtoribus jus ſenatorium
eſt, idem propemodum, quod legitimi Senatores
habent. Pecunia verò, quæ in Reipublicæ angu-

A ſtiis ex cenſu à civibus confertur, quamvis tan-
dem ad Quæſtores Urbanos omnis confluat, pro-
prios tamen quoſdam Magiſtratus habet. Inter-
dum enim de conferenda ex cenſu pecunia ea
ratione fit Senatuſconſultum, ut nulla mentio
habeatur, neque de reſtituendo eo ære, nec
de aliquo emolumento civibus erogando, qui
ex ſua re privata eam pecuniam contulerint.
Quod tamen raro admodum fieri conſuevit:
nam plerumque, immò potius ſemper, niſi res
contrarium poſtulet, Senatus Reipublicæ ita 48
conſultum eſſe vult, ut privatorum res non negli-
gantur. Promulgato igitur Senatuſconſulto, de
B pecunia ex cenſu conferenda facto, temporeque,
quod commodum viſum fuerit conſtituto, unuſ-
quiſque civium intra id tempus eam ſummam
perſolvit, quam ex cenſu debet. Exigunt au-
tem Gubernatores Redituum, deferuntque ad
Quæſtores Urbanos. At multo ſæpius ejuſmodi
Senatuſconſultum fit de pecunia ex cenſu confe-
renda, ut poſt certum temporis ſpatium civibus,
qui eam perſolverint, reſtitui incipiat, aliquo
etiam emolumento adjuncto: certaque in eam
rem delegantur vectigalia. Interdum verò Sena-
tuſconſultum de collatitia ex cenſu pecunia ante
noſtram tempeſtatem ita fieri ſolebat, ut de
C reddenda nulla fieret mentio, neque ullum certum
tempus conſtitueretur, niſi id commodum Rei-
publicæ fuiſſet. Sed Magiſtratus, qui *Præfectus
Mutuis* dicebatur, quod nomen adhuc quoque
retinet, acceptam ab unoquoque civium eam
vim pecuniæ in codices referebat: interimque
donec reſtitueretur, ſingulo quoque anno quini
nummi aurei pro centenis collatis, veluti vecti-
galis loco, civibus creditoribus numerabantur:
quem in uſum multa vectigalia erant aſſignata.
Qua ratione priſcis bellis facilis erat pecuniæ exa-
ctio, quæ ex cenſu ſolvebatur: neque verò ini-
quum exiſtimari debet, civibus, qui rem fami-
D liarem temporibus Reipublicæ neceſſariis con-
ſumpſerant, aut magna ex parte imminuerant,
viciſſim aliquid impendi ex reditibus publicis.
Nam, quemadmodum partes totius incolumitati
conſulere debent, ita natura comparatum eſt,
ut totum curam habeat, ne partes magnum in-
commodum patiantur, ſed pro viribus provideat,
ut incolumes perdurent, alimentaque illis parata
ſint, quibus reficiantur, & conſerventur. Ve-
rùm noſtra ætate hoc æs alienum Reipublicæ ad-
eò ingens erat, ut in illud emolumentum, quod
diximus civibus erogari, trecenta ferè nummo-
rum aureorum millia ſingulis quibuſque annis im-
E penderentur. Quorum ſolutio proximis annis
propter anguſtiſſima Reipublicæ tempora quum
intermiſſa fuiſſet, tandem quarto abhinc anno,
referentibus *Dominico Triviſano* Senatore ampliſſi-
mo, atque *Andrea Gritto*, cujus Ducis auſpiciis
nunc Reſpublica *Veneta* regitur, ſapientiſſimo at-
que integerrimo Senatore, factum eſt Senatuſ-
conſultum, *ut nulla amplius emolumenti erogandi
mentio fieret*, *neque in codicibus publicis poſt id tem-
pus id æris acceptum à civibus referretur*. Verùm,
ne omnino à Republica fraudati eſſe viderentur
capitis reſtitutione, nec non etiam emolumenti,
quod ad eam diem eis debeatur, cum multa ve-
F ctigalia aſſignata ſunt, tum Reipublicæ poſſeſſio-
nes in agro *Rodigienſi* poſitæ, ſunt diſtributæ.
Cujus muneris maxima parte nos functi ſumus,
qui illo tempore Magiſtratum gerebamus, qui
ante noſtra tempora inſtitutus præcipue fuerat
ad hujuſmodi æs alienum Reipublicæ minuen-
dum, aut ſi fieri poſſet extinguendum: de quo
pauca infrà dicemus. Sicque magna pars ingen-
tis atque incredibilis fere publici æris alieni im-
mi-

minuta fuit, nec non privatorum civium facultatibus satis commode consultum, ita tamen, ut prior ac potior semper fuerit Reipublicæ ratio, quàm privati commodi. Quod institutum à Majoribus nostris, ad hæc usque tempora per manus deductum est. Ut ergo redeamus, unde divertit oratio; Præfecti mutuis eam pecuniam exigunt, quæ à privatis ex censu in Reipublicæ
49 usus necessarios confertur: acceptamque in suos codices referunt, ac demum Urbanis Quæstoribus numerant. Iidemque Præfecti curam habent exigendi à Quæstoribus Urbanis eam summam pecuniæ, quæ quotannis erogari solebat in vicem reditus civibus privatis: eamque & acceptam, & expensam in suos codices referebant. Pecunia verò, quæ ea lege ex Senatusconsulto erogatur, à privatis, ut certo tempore restitui debeat, à proprio quodam Magistratu & exigi, & restitui solebat. Nunc universum hoc munus Gubernatoribus Reditus demandatum est. Alius etiam præter hos est Pecuniarius Magistratus minime prætereundus, qui in eam curam incumbit, ut cives ærarios factos, eosque, qui constitutam non persolverunt pecuniam, quam ex censu debent, investiget: eorumque bona publicet, & tandem sub hasta vendat. Nonnulli sunt præterea Magistratus Pecuniarii, à quibus ærarii cives investigantur: rationesque in publicis codicibus privatorum, ac Reipublicæ diligenter inspiciuntur, ne qua fraus publicis reditibus atque ærario fieri possit: quos consulto prætereo, ne tædio lectorem afficiam. Neque enim momenti quippiam habent ad eam, quam potissimum hoc opere mihi exponendam Reipublicæ gubernationem institui.

Præter hos Magistratus nonnulli etiam sunt, qui ad civitatis commodum, & ad bene, beateque vivendum plurimum valent, ideoque à nobis minime sunt omittendi. Primi nobis se offerunt *Monetæ aureæ*, *argenteæque Præsides*, qua cum externis hominibus civium commercia, & ipsorum inter se maximè continentur: deinde *Annonæ Triticeæ Præfecti*, itemque *Salubritati* Venetæ Civitatis *Præfecti*, sine quibus vita constare non potest: præterea amplissimi *Navalis Præsides*, *Aediles* quoque, qui viarum & pontium, & hujusmodi rerum resarciendarum curam habent, qui perquam necessarii sunt: postremo amplissimus *Magistratus*, quem *Procuratorum Veneti* appellant, Civitati nostræ longè opportunissimus. De *Præfectis monetæ* nihil est, quod plura dicamus. Ejus Magistratus illa cura est, ne argentum aut aurum imperfectius, aut impurius cudatur, quàm lex statuit: neve nummi sint minores pondere, quàm lex jubet. Quod sanctissime apud nos observatum fuit. Quamobrem maximo in pretio apud omnes nationes barbaras, nedum apud *Christianos*, *Veneti* nummi semper fuerunt, hodieque sunt. Cæteri namque Principes plerique omnes impurius aliquanto argentum & aurum cuderunt, ut facilius impensis satisfacere possent. At nostri constantissime semper hac in re dignitatem à Majoribus acceptam retinuere. Magistratus verò, qui *Annonæ Triticeæ Præfectus* est [1], Civitati *Venetæ* perquam necessarius est. Etenim, cum nulla prope frumenti vis ex agro *Veneto* colligatur, quod omni ex parte Urbs æstuariis amplissimis continetur, Civitasque hominum multitudine abundet, opus est rei frumentariæ magnam haberi curam: nequando populus, cujus commodo Majores nostri maxime consultum esse voluerunt, rei frumentariæ inopia laboret, nimiaque

A annonæ caritate prematur. Idcirco rei frumentariæ tres sunt præfecti, qui XVI mensibus Magistratum gerunt. Horum est officium providere, ne Civitas unquam frumenti inopia laboret. Quæ si quando timeatur, Principem, Sapientumque Collegium adeunt, reque inter eos discussa decernunt, quæ ad frumenti copiam comparandam usui esse videntur. Quandoque etiam solet certa merces ex ærario his constitui, qui ex longinquioribus provinciis frumentum *Venetias* 50
advexerint. Interdum ære publico triticum mercantur à negotiatoribus, qui polliceantur certam vim frumenti statuto tempore, atque ex certis
B etiam provinciis se *Venetias* delaturos: quod nisi præstent, pecuniaria multa plectuntur: quod autem Respublica magno pretio emerit, vili vendit, ut commodo populi atque inopiæ consulatur: qua in re magnam interdum jacturam ærarium facit. De re frumentaria præterea plurimæ sunt leges pulcherrimaque instituta: quæ si in præsentia recenserem, longius quàm par sit, ab instituto digrederer.

Sequitur Magistratus is, cui *Urbis Salubritas* est curæ. Hujus præcipuum munus est, providere ne aliquo pacto ex contagione tabes in Civitatem serpat. Quod, si clàm quandoque obrepserit, ut nonnunquam solet accidere, sedulo o-
C peram dat, ne longius vagetur. Quare ædes publicæ amplissimæ in æstuariis ædificatæ sunt, intervallo trium millium passuum ab Urbe: quibus finitimi sunt horti lætissimi. Eas in ædes, si quis ex plebe eo morbo ægrotare cœperit, confestim cum tota familia defertur. Hi vero, qui cum ægrotante consuetudinem aliquam habuerant, opus est, ne alios inficiant, ut proprios lares deserant, concedantque ad alias ædes publicas, itidem extra Urbem in eum usum conditas, regione à prioribus longe diversa; ibique XL. dies detinentur: in quibus si sani perstiterint, Ci-
D vitati ac domesticis laribus restituuntur. Supellectilis quoque magna cura habetur, ne ejus contagione quispiam inficiatur. Hic quoque Magistratus providet, ne quid putridum, aut quod incolumitati Civitatis officere possit, vendatur: demum id sedulo curat, ut quàm saluberrime *Venetiis* degatur. Atque hoc Præfectorum genus non multo ante nostram tempestatem institutum fuit: cum quidem antea creberrime Urbs pestilentia laboraret, adeo, ut plerique omnes vi tabis sæviente proprios quandoque lares desererent, & in continentem proximam secederent. Sed, postquam novo huic Magistratui hæc cura de-
E mandata est, Numine Divino favente, nulla penè pestilentia fuit. Interdum quidem, quod in magna hominum undique confluentium frequentia vitari non potest, nonnullæ domus infectæ fuerunt, cura vero hujus Magistratus, Deique auxilio, latius vagari malum non potuit.

Nunc de amplissimi *Navalis Præfectis* dicendum est: quod certè non solùm *Venetæ* Urbi magno est ornamento, sed etiam universæ *Italiæ* non mediocrem dignitatem affert. Immensum opus est & admiratione dignissimum. Nam in ea Urbis regione, quæ præter alias mari vicina est, & præterea maxime commoda, Navale ædifica-
F tum, ac in tres sinus, seu, si malueris, recessus excavatum: intra quos mare recipitur unico tantùm ostio tam lato, ut etiam satis sit ad maximas triremes capiundas. Munitum est ostium duabus turribus ex utraque parte, suntque hæ ponte sublicio [2] junctæ, portisque cancellatis, quæ nunquam



1. Conf. Donati Jannotii *Dialog. de Republ. Venet. pag.* 99. *Edit. nostræ*; ibique Nicolai Crassi annotata.

2. Conf. Donati Jannotii *Dialog. de Republ. Venet. p.* 19. *Edit. nostræ*; ibique Nicolai Crassi annotata.

quam referantur, niſi quum opus ſit triremes edu-
cere, ſeu in Navale inducere. Nullibi etiam
aditus ad interiora Navalis patet, præterquam
hoc uno oſtio ingredientibus. Primus occurrit
omnium quidem minimus, ſed amplus tamen ſi-
nus, tectis circum ac contignationibus in mo-
dum fornicis undique exſtructis: huc ſubducun-
tur è mari triremes, ibique ab omni ventorum ac
pluviarum injuria tutæ, ſi ita acciderit, ut illis u-
tendum non ſit, multos annos incolumes & illæſæ
permanent. Novas item ſub eiſdem tectis ædifi-
cant, veteres ſubducunt, & reſarciunt: magnum
51 ſanè opus, & maximi ornamenti, & ad naves fa-
bricandas utiliſſimum. Poſt hunc ſinum alius eſt
interior ampliſſimus, omni ex parte circum ejuſ-
modi tectis, ut dixi, inſtructus: nec ullum ex
eis inſpicias triremibus vacuum, ſed aut binis ple-
num, ſi tecta fuerint latiora; aut ſingulis, ſi an-
guſtiora. Tertius verò non minor ſecundo, pau-
lò ante noſtram ætatem ſuperioribus additus fuit,
iſque mœnibus pulcherrimis circumſeptus, in eo
autem plura ſunt tecta ædificata, quamvis non
ſint omni adhuc ex parte perfecta: verum ſumma
cum diligentia opera datur, ut illi ædificationi
manus imponatur extrema. Tres hi receſſus in-
vicem ſunt pervii, atque unico muro ambiuntur
nonnullis turribus diſtincto, in quibus vigiles ex-
cubias noctu agunt, ne quid detrimenti tam in-
ſigne opus vi ignis injecti, ſeu dolo facinoroſi cu-
juſpiam, ſeu caſu quopiam, ut interdum evenire
ſolet, accipiat. Intra mœnia tabernæ ſunt ar-
mamentorum ampliſſimæ, univerſæque nauticæ
ſupellectilis fabri ſuas ibi omnis generis rerum,
quod ad Rem Navalem pertineat, officinas ha-
bent. Ibi funditur æs ad tormenta conficienda:
magnaque in uſum tormentorum vis pulveris con-
ficitur. Ut totum in pauca conferam, nihil ad
rem nauticam pertinet, quod non in eo Navali
reperiatur. Ibi videre licet ingentem fabrorum
multitudinem, quorum quiſque ſuo munere fun-
gitur. Sunt præterea nonnulla atria bene ampla,
in quibus ingens armorum vis, tormentorum ſcili-
cet ac telorum, ad uſus bellicos ſervatur; ingens et-
iam velorum copia, remorum, armamentorumque
omnium, in ſuis quæque cellis condita eſt: ut
cum Senatus armandam claſſem decreverit, o-
mnia, quæ requiruntur ad eam rem, prompta,
atque parata habeantur. His rebus, officiiſque
omnibus præfectus eſt magiſtratus, de quo dice-
re inſtitueram, cujus conſilio ac diligentia o-
mnia, quæ ad Navale pertinent, adminiſtrantur.
Is fabros deligit, cum lignarios, tum ærarios,
cæteroſque opifices, qui ad opus faciundum ad-
mitti debent, ac ne quiſpiam deſit officio ſuo,
diligentiſſime curat. Huic Magiſtratui pecunia
ex ærario ad ſuſtinendos ſumptus Navalis nume-
ratur, Collegio tamen prius conſulto, rationi-
buſque apud illos Patres relatis. Apud Majores
noſtros, penes quos res maritimæ magno in pre-
tio erant, hic honos magnus habebatur: tempo-
ribus tamen noſtris Magiſtratus hujus dignitas eſt
imminuta, ac penè cecidit. Itaque, ſi quando
aliqua re extiterit, quam diligentius adminiſtra-
re oporteat, alios cives ac Senatores, ſummæ
dignitatis homines, Senatus Navali præficit, qui
jus in priores habeant, eiſque veluti miniſtris
utantur.

Poſtremo loco ſunt à nobis recenſendi D. *Mar-
ci Procuratores*, ampliſſimus omnium præter Du-
cem Magiſtratus: quippe, qui præfinitum tem-
pus non habeat, ſed unà cum vita terminetur.
Huic honori conjuncta eſt perpetua Senatorii or-
dinis dignitas, ac jus ſuffragii ferendi æquum
cum legitimis Senatoribus. Illud etiam præ aliis
A omnibus magiſtratibus obtinuerunt. Nam, cum
cæteris à ſenioribus civibus non cedatur, niſi cer-
tis locis, certiſque ſubſelliis, Procuratoribus ubi-
que idem honor præſtatur. Quocunque enim lo-
co ſedeatur, illis ſemper ceditur, digniorique ſe-
de ſemper honeſtantur: non ſecus, ac ſi quovis
in loco ſui Magiſtratus munere fungerentur. Ho-
rum officium eſt tutelam pupillorum habere,
quibus propter ætatem tutela indigentibus, nul-
lus defuncto parente ex teſtamento tutor eſt inſti-
tutus. Veluti ergo publici quidam tutores a Re-
publica ſunt inſtituti. Hi D. *Marci* Procurato- 52
res dicuntur, quod munus cum egregiam fidem,
B ac ſanctitatem vitæ præcipuam requirat, hi Cives
huic officio delegantur, qui jam publicis fere o-
mnibus muneribus defuncti, ſpectatæque ſunt
probitatis; in quo verſantes tanquam milites eme-
riti perpetuam obtinent Reipublicæ adminiſtra-
tionem. Priſcis temporibus tam magna fuit non
tantum *Venetiis*, verum etiam apud exteras natio-
nes, hujus Magiſtratus exiſtimatio, ut plerique
exteri homines, nedum indigenæ, teſtamento
ſuo hoſce Procuratores hæredum ſuorum tuto-
res, ac totius rei domeſticæ curatores inſtitue-
rint. Eorum fidei magna pecuniæ vis pauperi-
bus eroganda commiſſa eſt: adeo, ut noſtris quo-
C que temporibus ingentes opes ab hoc Magiſtratu
adminiſtrentur, ac pro eorum arbitrio in uſum
pauperum diſtribuantur. Hic Magiſtratus initio
inſtitutus fuit, ne hæreditates Civium, qui pro
tuenda, ſeu etiam pro amplificanda Republica
apud exteras nationes decederent, aut ſtudio rei
familiaris negotiis, ac mercimoniis occupati per-
egrè morerentur, nullo condito teſtamento, per
fraudem quampiam ab hæredibus pupillis averte-
rentur. Qua de cauſa effectum eſt, ut Civibus
illis publice ea cura demandetur, de quorum pro-
bitate omnibus, compertum ſit. Principio tres
fuere. Deinde aucta civitate tres alii additi, hac
D tamen ratione diſtributi, ut veteres pupillorum,
qui citra Rivum magnum, qui Urbem mediam
interfluit, habitant, curam habeant: tres item
curent eos, qui ultra Rivum magnum proprios
habent lares: dimidiam urbem alteri, item dimi-
diam poſteriores curent. Tres verò præter hos
patroni ſunt ampliſſimi, atque auguſtiſſimi tem-
pli, quod D. *Marco* Evangeliſtæ dicatum eſt,
ſub cujus numine *Veneta* Reipublica bonis legibus
aucta eſt, in ditionemque imperii crevit. Ab
his poſtremis tanquam à nobilioribus nomen in o-
mnes deductum eſt, ut D. *Marci* Procuratores
appellentur. De hujus templi ſtructura, de mar-
E morum, columnarumque copia, de porphyritide
ac praſio lapide, de opere teſſellato atque aurato,
quo tum laquearia, omneſque fornices confecti,
tum univerſum pavimentum ſtratum eſt, quia
nemo ferè mortalium eſt, quin vel viſu cognove-
rit, vel fama perceperit, nihil mihi ſtatui eſſe di-
cendum. Huic inſtaurando templo, ſi qua in
parte labaſcit, ejuſque ſacerdotibus, tres hi Pro-
curatores præſunt, operamque dant, ut pro Ci-
vitatis dignitate, & pro amplitudine patroni D.
Marci Evangeliſtæ Deus optimus in eo templo
pie, atque magnifice colatur. Hi ſunt, qui præ-
ter cæteros Magiſtratus meo judicio perquam ne-
F ceſſarii videri debent ad bene, beateque viven-
dum. Nam, & monetæ cudendæ cura nequa-
quam negligenda eſt, qua omnium commercia
civium continentur, annonæque triticeæ copia ſe-
dulo procuranda. Nec minor bonæ valetudinis
civium cura habenda, minimeque omittenda via-
rum ac pontium, idque genus ædificiorum inſtau-
ratio. Hæc communia cuique civitati: iſta ve-
rò ad *Venetias* magis attinent, rei ſcilicet mariti-
mæ

mæ procuratio ac pupillorum tutela, cum multi civium tum propter publica negotia, tum propter mercaturæ industriam peregrè profecti diem obeant. Idcirco Magistratus, qui his muneribus A incumbant, publicè instituti sunt, ut nulla in parte Majores nostri communi bono defuisse videantur, si quis diligenter omnem hujus Reipublicæ institutionem animadvertat.

53

LIBER QUINTUS.



POSTQUAM omnis fere ratio gubernationis Reipublicæ à nobis exposita est, omnesque recensiti Magistratus urbani, non importunam, alienamve ab opere rem facturus videbor, si *de Magistratibus Exteris* verba fecero: iis scilicet, quibus civitates, quæ in nostram venerunt societatem, regi soleant: postea de militaribus imperiis, ac demum de muneribus aliorum civium, qui patricii non sunt ordinis. His etenim expositis, extrema manus commode operi instituto imposita videri poterit. Insignioribus Civitatibus, quæ in *Veneti* Imperii societatem venerunt, quatuor Magistratus præficiuntur. *Prætor* unus omnibus jus dicit, & forenses lites dijudicat, atque in sontes animadvertit. Habet is Prætor in judiciis proferendis assessores homines jurisperitos, quorum consilio utitur, licet apud Prætorem sit omnis auctoritas. Præter hunc est *Præfectus*, qui *militibus* præest, qui urbem vel agros urbis coluerint. In hos Prætori nullum est jus, sed Præfectus tantum jus in eos habet. Arcis præterea, mœnium portarumque cura Præfecto est demandata, vectigalium etiam ac redituum omnium tum urbis, tum agri totius. Præter hos *Quæstor* unus, aut duo. Hic Magistratus pecuniam publicam administrat, impendit, & exigit, habetque codices rationum publicarum. Nihil tamen ferè agit, nisi ex mandato Præfecti, ac interdum utriusque, scilicet Prætoris & Præfecti. Ea enim ratio administrandæ utilior visa est, quàm si penes eundem esset, & auctoritas & administratio ærarii, facilius namque liceret per fraudem ærarium peculari. Id vero pecuniæ, quod reliquum fuerit ab impensis, *Venetias* ad Quæstores Urbanos defertur, ad quos, ut suprà diximus, undique pecuniæ publicæ conferuntur. Quartus, qui in unaquaque urbium Magistratum obtineat, est *Custos Arcium*. Alibi unus, alibi plures sunt: hique militibus præsident, qui arcem tuentur, curamque habent armorum, commeatus, & tormentorum, quæ ad munitionem contra hostes in arce posita sunt. Neque tamen Custos ita præest arci, quin Præfecti imperio subjectus sit: cui quidem omne jus, omnisque potestas in hujus generis rebus curandis tributum est.

In minoribus verò civitatibus, seu urbibus nullus est Præfectus, sed Prætor utriusque partes agit, in oppidis quoque, quæ in agris majorum urbium frequentia sunt, solus Prætor est, qui jus oppidanis dicat, nullus præterea magistratus. Nam Quæstores ac Præfecti principum urbium in universo quoque agro jus obtinent. A Prætoribus omnibus ad Auditores Novos provocatio est. Advocatores etiam quandoque sententiis capitalibus Prætorum intercedere solebant: sed, quoniam usu plerumque evenire solitum erat, ut judicia protraherentur, neque sontes criminum, ac scelerum pœnas darent: lata fuit lex à Decemvirûm Collegio, minime id juris Advocato-
54 ribus amplius in sententiis esse, quæ à Prætoribus assidentibus jurisperitis, quos secum comites ducunt, ut suprà dixi, pronunciatæ essent.

Et hactenus quidem satis de Magistratibus, B quibus Respublica tum domi tum foris administratur. Verum, quoniam non tantùm *Pacis*, sed etiam *Belli* gerendi *Ratio* habenda est, *quam universam qui neglexere*, ut inquit Plato in Politico, *libertatem diutius tueri nequiverunt*: ideo qui recte Reipublicæ institutionem posteris tradiderunt, illud in primis admonuerunt, ut cives instituantur ad utrumque munus, ut scilicet bello gerendo idonei sint, & domi in pace legibus subjecti, institutisque patriis in præclara aliqua functione vivant, ita utramque rem amplectentes, ut virtutes artesque bellicæ referantur ad studia pacis, tanquam ad potiora. C Unaquæque etenim res eam habet à natura insitam vim, ut primum bonum sibi quisque conveniens appetat: deinde ut contrario obsistat, nitaturque, quantum possit, à se injuriam propulsare: quæ res in animante natura omnium perfectissima, dilucidius dignoscuntur. Nam unicuique animali tributa est vis appetendi, qua prosequatur id, quod naturæ suæ consentaneum fuerit. Præter hanc unicuique adjecta fuit vis irascendi, quam *Plato* in corde atque in præcordiis collocavit, ut scilicet animal quodcunque, ejus virtutis stimulis actum, contrarium naturæque repugnans repelleret. Utriusque igitur partis virtutes, quarum semina in ani- D mis hominum natura indidit, civilem virum fovere oportet, & ad frugem perducere, sicque & belli & pacis gerendæ rationem habere. Quæ ratio à Majoribus nostris non fuit neglecta, ut quibusdam videri solet: sed, quoniam initio in mari ædificata Civitas, quæ multis annis imperium contempsit continentis, terrestris belli studiis detineri non potuit, universam se ad maritimum bellum convertit: in quo egregie operam navavit, & pro tuenda libertate & in hostibus ulciscendis: multaque præclara *Venetorum* gesta priscis monumentis memoriæ prodita sunt, plu- E rimique triumphi ex devictis hostibus, & eorum classibus superatis reportati: ex quibus facile quivis intellexerit, *Venetos* in re maritima longe præstitisse. Victa tandem post longum tempus superioris consilii sententia precibus finitimorum populorum, quorum quisque sui Reguli tyrannidem, quam diutius passus fuit, amplius tolerare non poterat, adhibuit animum Senatus ad continentis imperium, universamque *Venetiæ* regionem, pulsis tyrannis, ac passim civibus deditionem facientibus, veluti postliminio recuperavit: quæ libenti animo redibat ad veteres incolas, ejectis tyrannis exteris, quæ ex reliquiis barbarorum in to- F ta regione consederant, durissimaque servitute victos eos populos premebant.

Prolato igitur imperio in continentem, præterquam quod bonis legibus, & pacis studiis ii populi erant recreandi, qui nuper venerant in nostram societatem, danda etiam opera fuit, ut tueri libertatem possent, in quam se asseruerant. Cæterùm *Venetæ* urbis situs, utpote, quæ condita est in mediis æstuariis, minime patiebatur nostros cives impensius operam dare bello terrestri, illiusve studio diutius detineri, sine magno periculo seditionis civilis. Nam cives illos, qui terrestris belli studiis se dedissent, majorem anni partem agere in continenti, ibique & equos alere, & terrestribus certaminibus se exercere opus fuis-

55 fuisset: quin ut peritiores rei militaris fierent, opus fuerat, si quando domi otium ab armis fuisset, externa bella adivissent, in iisque animum pariter & corpora durassent, ut in ea functione cum laude versari possent, & patriæ prodesse: secus autem si fecissent, inepti profecto non tantùm Imperatores, verum etiam milites fuissent. Hæc vero frequens consuetudo continentis, urbanæque intermissio factionem quandam civium facile peperisset ab aliis civibus disjunctam. Quapropter procul dubio res *Veneta* brevi ad factiones, ac bella civilia deducta fuisset. Omitto interim, quàm magnos spiritus animi civium concepissent, cum plurimum armis potuissent, habuissentque frequentes assectatores: ut hominum natura semper ad malitiam pronior est. Quæ res, ùt ex priscorum monumentis facile intelligi potest, semper *Romanam* Rempublicam vexavit, contumacesque non paucos *Romanos* cives Reipublicæ legibus & Senatus decretis reddidit, ac demum *Julium Cæsarem* tyrannum *Romani* imperii fecit. Ne ergo hujusmodi quispiam morbus in *Venetam* Civitatem obreperet, satius Majores nostri esse statuerunt, ut continentis imperium externo potius, ac conducto milite, quàm *Veneto* defenderetur. Stipendium verò illis statuitur ex vectigalibus totius provinciæ. Æquum enim erat ejus regionis impensis militem vivere, qui ad eam tuendam accersitus fuerat. In hanc militiam plurimi socii ditionis nostræ adscripti sunt: quorum nonnulli ad summam imperii in nostro exercitu devenere, atque ob res egregie gestas *Veneta* Civitate, Patricioque jure donati sunt. Viget adhuc nostra ætate nomen *Bartholomæi Coleonii* Bergomensis, viri illustrissimi & summi Imperatoris, qui multa præclara bella confecit, ac *Venetam* ditionem auxit: quapropter equestri statua in celebri urbis loco à Republica honestatus fuit.

Cives igitur *Veneti* ea de causa, quam retuli, terrestris militiæ gloria privati sunt, eaque ad exteros delata est. Siquidem lege cautum erat, nullum Patricium *Venetum* pluribus quàm XXV. militibus præesse posse. Hæc tamen lex nostra tempestate ob bella frequentia, quibus vexati fuimus, vi consuetudinis tanquam abrogata est. Cùm autem terrestre bellum ingruit, nonnulli Patricii ordinis cives in exercitum mittuntur, qui, dum bellum urget, temporarium magistratum gerunt. *Quæstores* hi sunt, item *Legati*, qui Imperatori exercitus externo homini semper adstant: neque ei quidquam aut facere, aut decernere licet, nisi ex Legatorum consilio. Bello finito utrique Magistratus domum revertuntur, ac in ordinem rediguntur, nec quidquam amplius juris habent. Hæcque est belli, terrestrisve militiæ ratio apud *Venetos*.

Bello verò maritimo, ac navali nostra Civitas natura magis idonea est, cujus studiis semper *Veneti* studuere. Nam Urbs in mari condita parum timere poterat terrestres copias, quæ ei negotium facesserent: ac non modo iniquum, sed etiam valde incommodum erat, comparare exercitum ex civibus, quem in continentem trajicerent, ac finitimos populos bello lacesserent. Verum à mari quoniam injuria timenda erat, quod-

A que illatam propulsare non erat difficile, ideo universa Civitas ad studia rei maritimæ conversa est, eoque juventutem legibus instituit, ac totius vitæ consuetudine firmavit. Hic enim mos instituendi Patricios homines semper fuit, ut à teneris annis usque ad pubertatem sub pædagogi disciplina degerent, ac Latinis literis imbuerentur pro cujusque captu: ab ea ætate, præter pau- 56
cos quosdam, qui literarum studiis se manciparant genio naturaque ducti; omnes ferè rei maritimæ, ac familiari operam darent. Ac alii quidem navigabant ad longinquas oras, ubi mercaturæ industria rem domesticam augebant, simul-
B que efficiebantur periti morum ac consuetudinis, legumque multorum hominum. Plurimi conscendebant triremes armatas, atque à teneris annis & corpus laboribus firmabant, & animum excolebant rei maritimæ disciplina, ac navalis belli peritia: quibus artibus semper *Veneti* excelluere.

Quin lege cautum fuit, quæ usque ad nostra tempora pervenit, ut in unaquaque triremi armata stipendium ex ære publico non exiguum duobus adolescentibus daretur ordinis Patricii: quorum officium nullum aliud esset, præterquam imbui disciplina rei maritimæ: utque id facilius
C assequerentur, quædam illis assignantur exigua munera, quibus curandis se exercentes proficiunt, & ad majora capessenda idonei fiunt. Gravibus vero triremibus, sive ad classem, & rem bellicam instructæ fuerint, sive privatim civibus locatæ ad mercaturam, octoni cuique juvenes Patricii quandoque attribuuntur: nec mediocre eis stipendium constituitur, vel ex pecunia publica, vel ex ære privato, si ad mercaturas locentur, qui nauticis ac bellicis studiis in eis assuescant. Quin etiam privatorum navibus hoc onus legibus impositum est ad publicam utilitatem, ut ex ære domini privati hominis, uni seu
D duobus, si navis major fuerit, patriciis adolescentibus stipendium solvatur, quorum aliud nullum officium sit, præterquam exerceri muniis nauticis. Concessa quoque his adolescentibus facultas est, ut in triremibus onerariis, ac in navibus privatorum, quibus adscripti sunt, ferre queant certam mercium summam nullo naulo soluto: quam si non habeant, jus hoc suum aliis concedunt, ac locant. Qua lege consultum fuit non solum exercitationi juventutis, verum etiam utilitati tenuiorum civium, qui angustia rei familiaris premerentur. Quare facile intelligi potest, rationem [1] instituendæ juventutis [2] minime à Majoribus nostris neglectam fuisse, ut nonnul-
E lis videtur: immò in ea navium triremium copia ducenti, & amplius Nobiles adolescentes, legis istius beneficio, alienis impensis ad rem nauticam instruebantur: præterquam quod civili consuetudine, ac more patrio quilibet Patricius juvenis, aut literis, aut studiis rei maritimæ operam dabat: in qua exercitatione tum sibi plurimum, tum rei domesticæ non nihil consulebat, ac proderat. Hæ priscæ leges, & hujusmodi instituta etiam nostra tempestate perdurant, licet plerique adolescentes ambitione, aut luxu post ampliatum imperium corrupti patrias institutiones neglexerint: ac civium copia adeo crevit, ut nostra ætate ingruentibus bellis, ac

1. *Edit. Elzev. habet*: curam.

2. *Rationem instituendæ juventutis*] Et armis, & literis dant operam *Veneti* Patricii, neque ullo pacto eorum cura à Republica prætermissa. Nam præter ea, quæ *Contarenus* recensuit, Gymnasium est in Bibliotheca Reipublicæ, ubi humaniores literæ, lingua Græca, & Jurisprudentia publicè leguntur. In insula præterea, quæ *Judaica* vocatur, Academia superioribus annis Patriciorum fuit instituta, in qua
F pueri & bonis moribus, & liberalibus doctrinis imbuuntur publicâ impensâ. *Joannes* vero *Theupolus*, Venetiarum Patriarcha, vir paucorum hominum, quique vitæ innocentia ac integritate non minus, quàm scientia atque eruditione singulari inter omnes eminet, *Muriani* ludum literarium aperiendum curavit in ædibus D. *Cypriani*, in quo pariter *Veneti* cives optimis disciplinis instituuntur.

ac rerum domesticarum dispendiis longe plures effecti sint pauperes, quàm, ut satis consuli illis queat istius legis beneficio. Ita namque natura comparatum est, ut nihil inter homines perpetuum esse possit: verum cuncta, quamvis initio perfecte constituta esse videantur, post aliquot annos, natura in deterius labente, instauratione indigent: adeò ut, quemadmodum corpus prandio saturatum diutius incolumitatem servare non potest, nisi post aliquot horas cœna successerit: sic in unaquaque re opitulari oporteat naturæ ad interitum labenti, atque instaurationem adhibere. Hujusmodi rationem nos quoque Deo bene
57 juvante imitabimur, ac aliquod remedium excogitabimus, quo fiat, ut hac etiam in parte nihil sit in nostra Republica desiderandum. Sed de his hactenus.

Nunc à nobis recensendi sunt *Magistratus*, qui præficiuntur *rei maritimæ*. Unaquæque triremis ad bellum instructa Præfectum habet Virum Patricium, qui in ea triremi omnium potestatem obtinet, præterquam ultimi supplicii inferendi; veluti in terrestri militia Centurio, seu aciei Præfectus eorum curam habent, qui fuerint in sua acie. Hic *Triremis Præfectus* nautas, cunctaque, quæ in sua triremi sunt, & quæ ad ejus apparatum faciunt, diligenter curat. Quotannis quamvis nulla necessitas, *Veneti* aliquot triremes armant, quæ reddant mare tutum navigantibus, securamque navigationem compressis piratis præstent viris bonis, qui res suas agunt sine alicujus injuria.

Præter triremium Præsides est totius *Classis Legatus*, qui imperium habet in universam classem, & in cunctos triremium Præfectos. Hic veluti Legatus exercitus, nisi adsit Imperator, jus habet & capite mulctandi, quos velit, & dirigendi classem, quò maluerit. Hic quoque Magistratus semper ferè etiam pacis tempore creatur, præficiturque his triremibus, quæ armatæ sunt. Quòd si tempora Reipublicæ ita postulent, ut magna classis paranda sit, tunc universæ classi præficiunt *Imperatorem*, qui tum in classe, tum in cunctis provinciis maritimis amplissimam potestatem habet; ac eam propè, quam olim in *Romana* Republica Dictator, retinebat; nisi quod omnibus in rebus paret auctoritati Senatus, & Reipublicæ decretis. Summum tamen illi jus tributum est, cum in classem, Præfectos, Legatosve classis, tum in Prætores ac Magistratus omnes, qui cum imperio sunt in locis insulisque maritimis, ac munus publicum exercent: adeo ut, cum classis Imperator ad aliquam civitatem accesserit, continuo ei sacerdotum clerus obviam prodeat, claves portarum & arcium ei dentur, jura Prætorum sileant, ab omnibus Magistratibus ad Imperatorem liceat provocare. Quin, si ita ei libuerit, potest solus jus dicere, solus administrare pecuniam publicam, ac denique solus omnium potestatem habet. Nullus est apud *Venetos* Magistratus majoris auctoritatis, idcircò raro admodum classi Imperator præficitur. Non enim temere, nisi rerum necessitas ita exigat, alicui conceditur tam magna potestas, ut omnia unius civis arbitrio pendeant. Hoc in loco ea lex non est à nobis prætermittenda, *Imperatorem*, *Legatum*, *Præfectumve Classis ullum non posse cum triremibus armatis ingredi Venetam urbem, neque etiam tunc cum in patriam redit: sed cum primum Istriam pervenerit*, quæ provincia centum ferè millibus passuum ab Urbe distat, *stipendium nautis ex legis decretis solvi debet*, *ibique omnes dimitti:* deinde triremes à paucis *Venetias* deduci solebant, ac in navale subvehi sub tecta in eum usum ædificata, ubi tutæ servantur à ventorum & pluviarum injuria: nunc lex hæc non ita omni ex parte servatur, quemadmodum Patrum nostrorum temporibus servabatur.

Recensiti à nobis sunt omnes ferè Magistratus, quibus, veluti coronam & apicem Majores nostri imposuere eos, quos vernaculo vocabulo à Græca appellatione deducto, *Syndicos* dicere consuevimus. Nos eos appellamus *Recognitores*, novo fortasse nomine, sed satis idoneo ad id munus explicandum. Hi post quatuor, quinqueve annos creari solent, ac mitti tum in continentis o- 58
ram nostræ ditionis, tum in regiones maritimas ac insulas: recognoscuntque gesta omnium Prætorum atque aliorum, qui foris publicam potestatem habuerint. In quos animadvertunt ea propemodum auctoritate, quæ Advocatoribus tributa est. Nam, ut sapienter *Aristoteles* inquit, *hi, qui in potestate sunt, nisi ex aliis pendeant, ægrè in officio persistunt propter ingenitam cuique malitiam.*

Peregimus jam omnes [1] Patriciorum hominum Magistratus, quibus Respublica *Veneta* domi forisque administratur: reliquum est, ut ea ratio à nobis referatur, qua prudentissimi homines, Majores nostri semper in officio plebem, ac universum populum continuerunt, rem certè supra omnium fidem, tot annos populum gubernationis publicæ expertem nunquam Patriciorum imperium detrectasse aut ægrè tulisse, nec quippiam unquam molitum esse, ut mutata Reipublicæ forma ipse quoque ad jus publicum admitteretur, immo semper amantissimum atque obsequentissimum nobilitatis se præstitisse. Verum, si quis præter situs opportunitatem valde commodi ad Rempublicam tuendam, moderationem nostram in regendo animadvertit, comperiet populum non omnino repudiatum fuisse: sed ad ea munera fuisse admissum, quæ ei committi poterant absque rei communis detrimento. Ideoque facile perspicere poterit, id in hac Republica temperamentum extitisse, quod cæteris hominibus tum priscis, tum junioribus semper defuit. Quamobrem evenisse etiam comperiet, ut in cunctis aliis tumultus populares frequenter fuerint excitati, qui tandem omnes Respublicas everterint: contra in nostra Civitate ob eam causam nullum unquam tumultum popularem, aut seditionem extitisse. Etenim necesse fuit, ut in exordio operis dixi, si recte Respublica instituenda erat, populum à gubernatione Reipublicæ excludi. Qua in parte Majores nostri non tantùm auctoritatem summorum philosophorum ac rationem secuti sunt, verum etiam imitati sunt *Sesostrim* antiquissimum *Ægyptiorum* legislatorem, qui, ut *in Politicis* Aristoteles perhibet, genere distinctos voluit esse eos, qui armis regionem tuerentur, quive de bono publico consultarent, ac judicia exercerent, ab agricolis mechanicasque artes exercentibus, mercenariam operam locantibus. Verum institutum hoc facile evertere Rempublicam poterat, nisi temperatio ea adhibita fuisset, quam Majores nostri, sapientissimi homines adhibuere. Primum ergo apud *Venetos* constantissime hoc ob-

1. *Peregimus jam omnes*, &c.] Multos etiam Respublica mittit in Insulas, & in Continentem legatos proconsulari fere potestate, quos *Provisores Generales* appellant, & quamvis olim ea munera ad tempus essent, cum scilicet è Republica videretur aliquem mittere ad ea exercenda, qui re peracta domum revertebatur, nec successor aliquis eligebatur: attamen in præsens, & *Palmæ novæ* Civitati, & *Istriæ* provinciæ, & insulis *Corcyræ*, *Cephaleniæ*, atque *Zacyntho*, & regno *Cretæ* summi Senatores Legati præficiuntur.

obſervatum fuit, ut omnibus æquum jus eſſet, neque ulli impune liceret quenquam, ne de plebe quidem vel infima, injuria afficere: Patricium verò hominem contumeliam facere plebejo pro ſacrilegio, ac ſcelere maximo ſemper habitum fuit. Quòd ſi quis temerarius hujuſmodi quippiam perpetrare auſus unquam fuit, is ſenſit ſe impunè non abiiſſe: tantoque graviores pœnas dedit, quanto majoris exiſtimationis, dignitatiſve fuit. Præterea diligenter à Senatu conſulitur, tum annonæ triticeæ, tum omnium rerum copiæ, quæ faciant ad victum civium, & ad incolumitatem totius populi: adeo, ut magna interdum diſpendia faciat publicum ærarium, ne Civitas penuria laboret: quod cuilibet exploratum eſſe poteſt ex his, quæ ſuprà à nobis dicta ſunt, cum de Præfectis annonæ triticeæ, ac de Curatoribus publicæ ſalubritatis ageremus. Ac populi quidem hæc duo potiſſimum requirunt à Rectoribus civitatum, ut ſcilicet commode vi-
59 vant in rerum copia, neque obnoxii ſint injuriæ potentiſſimorum civium: quæ cùm aſſecuti fuerint, res ſuas agunt cæterorum ſecuri. Nihil verò à Majoribus noſtris omiſſum fuit, quod ad ea duo pertineret. Quin potius multa præterea addita ſunt, quibus mirifice conſulitur populi commodo, atque eorum hominum inopiæ, qui in ſtudiis honeſtis Reipublicæ utilibus verſantur, aut olim verſati ſunt, nec amplius per ætatem, aut imbecillitatem valetudinis id muneris obire queunt. Nam *Venetiis* innumeræ domus ædificatæ ſunt ſatis idoneæ, aptæque rei domeſticæ, quæ hominibus iiſce gratis conceduntur, in quibus cum familia degant, quoad vixerint ſine rei familiaris diſpendio. His adde, quòd in Navali ampliſſimo, quod vicem oppidi obtinet, conſtitutum ſtipendium eſt non mediocri hominum multitudini: qui tamen nil agunt, ſeu propter ſenium, ſeu ob incommodum acceptum; cum tamen tunc, cum in florenti ætate eſſent, ſuum munus in ædificandis triremibus, aut in hujuſmodi quopiam munere Reipublicæ utili obierint. Præterea veteri inſtituto in contractibus emptionis, venditioniſque mercium pretioſarum alteruter, emptor ſcilicet aut venditor, certum quippiam ſolvunt pro ſumma mercium: quod pauperibus nautis impertitur, qui amplius ei officio ſatisfacere minime poſſint propter ætatem, quam tamen in ea functione conſumpſerint.

Cæterum præter hæc optima inſtituta ad continendam plebem in officio Reipublicæ nonnullas alias leges recenſebimus, quæ ſapientiſſime mihi à Majoribus noſtris inventæ videri ſolent, ut pro eorum hominum conditione ſatisfactum pulcherrime ſit ambitioni & honoris cupiditati, quæ in cunctorum animis natura inſita eſt, nec tamen propterea gubernatio Nobilitatis ulla in parte perturbetur. Univerſus populus [1] in duo genera eſt diſtributus. Nam quidam honeſtioris ſunt generis, alii vero ex infima plebe, ut artifices, & id genus hominum, quod ab Ariſtotele *in Politicis* ſervorum publicorum eſſe perhibetur. Utriſque meo judicio conſultum eſt, nec incommodè, nec iniquè. Nam plebejis hominibus, qui ſuapte natura parum honori ſtudent, ſed potius rei familiaris ſtudio inſerviunt, ſua quædam jura conceſſa ſunt, ſuique honores. In tot enim claſſes diſtributi ſunt, quot ſunt artificia, in quibus degunt, ac unicuique claſſi propriæ quædam datæ ſunt leges, ſub quibus ſua quiſque exercet officia. His præficiuntur totius claſſis ſuffragiis ex eorum

1. Conf. Donati Jannotii *Dialog. de Republ. Venet. pag.* 21. *Edit. cit.* ibique Nicolai Craſſi annotata.

A numero nonnulli, qui non incommodè artificii illius præfecti appellari poſſunt. Horum juſſu multa præſcribuntur, nonnullæque leviores lites horum arbitrio dirimuntur. Quo fit, ut plerique omnes artifices cum ejus honoris compotes fuerint facti, in eo munere ſibi placeant, putentque ſe non parum dignitatis eſſe aſſequutos, cum eò pervenerint, ut à ſui ordinis hominibus ea præfectura digni habiti fuerint. Sunt præterea in unaquaque claſſe quidam præfectis inferiores, qui tamen nonnullius exiſtimationis ſunt. Hoc igitur modo magna in parte ſatis fit honoris cu-
B piditati, quæ indita eſſe videtur animis etiam plebejorum hominum, atque infimæ plebis. Alterum populi genus honeſtius in *Veneta* Civitate honoratiorem quoque locum habet, cui privata quædam, ac propria munera ſunt conſtituta decora atque honeſta, quibus Patricii ordinis viri privati ſunt, nec ad ea ulla ratione acceſſum habent. Quorum multa ſunt, ut nec Patricium hominem, tum propter emolumentum, tum honoris titulum eorum pœnitere poſſit. *Scribarum Ordo* honeſtiſſimus eſt, qui Magiſtratibus quibuſque 60
aſſident. Id munus plebejis tantum hominibus datur, patricio nulli: quod quamvis illuſtre non ſit,
C eſt tamen honeſtum. Eorum namque fidei & ſolertiæ codices, ſcriptaque publica, quibus res omnis privata & publica continetur, commiſſa ſunt. Qua provincia atque munere, qui dignus habetur, is jure optimo & probi viri & induſtrii nomen habet, commendationemque apud homines non mediocrem. Id autem eorum pleriſque ſtipendium conſtitutum eſt, ut rei domeſticæ non tantum tuendæ, ſed etiam amplificandæ ſatis ſit. Illi autem, qui ſunt *a Secretis Senatus*, omnes ex populo ſunt, Patricius nullus. Hic ordo ſuperiore honeſtior eſt, idcirco illi ex populo, qui nobiliori genere orti ſunt, eo munere
D fungi ſolent. Reditus habent ex ære publico non mediocres, neque ullum Senatuſconſultum hos latet. Semper namque interſunt & Collegii & Senatus conſultationibus; ex qua re in magno pretio ab omnibus habentur. Ex his nonnulli ſeliguntur, qui Decem Viris miniſtrant, eorumque acta in codices referunt, ac conſcii omnium ſunt, quæ à Collegio aguntur. Quo in honore verſantur, quoad vixerint, non per vices, quemadmodum Patricii viri in ſuis magiſtratibus, quorum nullus præter Procuratorium perpetuus eſt. Horum qui à ſecretis Senatus ſunt, unus primas partes tenet ac *Cancellarius Venetiarum* nominatur,
E qui in maximo eſt honore. Nam à quovis Patricio ei loco ceditur, præterquam à Procuratoribus. Nullum is Reipublicæ ignorat arcanum: magni quoque ſunt ei reditus ex ære Reipublicæ conſtituti: ac cum diem obierit, funebri oratione honeſtatur: quæ dignitas nulli in *Veneta* Civitate deferri conſuevit, præterquam Duci, aut cuipiam civi, qui ſit extra aleam, ut dici ſolet, præterea nemini, quaſi Cancellarius Ducem ex populo referat. Hic unus creatur Comitiis Magni Conſilii: cæteri omnes, qui à Secretis ſunt, à Decem Viris eliguntur, atque ſubduntur eorum cenſuræ, ſi quid in functione publica, quam ha-
F bent, deliquerint. Omnes etiam populares cœtus, ut artificum claſſes & cujuſque artificii præfecti, nonnullique alii, de quibus infrà dicemus, ex arbitrio Decem Virûm pendent, atque eorum ditioni ſubjecti ſunt: illiuſque Collegii auctoritate & initio conſtituti fuere, & nunc continentur. Quod ſapientiſſime inſtitutum fuit, ut is Magiſtratus provideat, ne hujuſmodi cœtus, qui ad bonum publicum ſunt inſtituti, quandoque ſimulatione officii aliquid in Rempublicam moliantur: qui

qui ad ejus morbi cautionem initio creatus fuit, ne qua scilicet malorum civium conspiratio facesseret negotium Reipublicæ.

Sunt præterea Venetiis *Quinque Societates* initæ sub divorum quorundam nomine & religione, in quibus innumeri homines sunt, & plebeji & Patricii ordinis. Harum suas quæque vestes habent suaque insignia, quibus tamen non semper ac passim utuntur, sed cum simul coacti prodeunt, aut honestandum cujuspiam funus, aut ad sacrum quodpiam munus. Festis diebus statutis cuncti ferè in suam societatem coguntur. Ibi sacris primum intersunt: deinde invisunt templa deorum immortalium, Deumque Optimum supplicationibus, pompaque solenni venerantur. Harum quæque societatum propriam ædem habent, in qua amplum atrium ædificatum est, quò statutis diebus conveniunt, ut exhibeant officium religioni, quod debent. Etenim celebrant quandoque sacra mysteria, interdum simul coacti templum cujuspiam Divi invisunt, sæpius exequias
61 ac funus fratris exornant, cum eorum quispiam diem extremum clauserit: cujus etiam delicta expiant sacrificio, ac precibus identidem repetitis. Præter amplissima illa atria singulæ destinatum conclave habent, in quod coguntur *Societatum Præfecti*, qui Magistratus est annuus, atque inter plebejos non mediocris dignitatis. Hi simul congregati de agendis consultant, dantque operam, ne qua in parte desint bono societatis. Eorum quoque fidei magna vis pecuniæ pauperibus erogandæ commissa est. Nam priscis temporibus tam ingentis fuerunt existimationis hæ societates, ut plurimi, qui rem suam testamento legaverant in usum pauperum distribuendam, hos potissimum tutores fecerint, quorum arbitrio ea pecunia erogaretur. Quo effectum est, ut harum societatum aliquæ copia facultatum, quæ in hos usus quotannis erogandæ sunt, Procuratoribus *D. Marci* minime concedant: qui Magistratus Patricius amplissimus est. Ad hunc honorem, Præfecturam scilicet istam societatum, Patriciis viris nullus est accessus, quamvis sint è numero fratrum, sed plebeji tantum homines illius dignitatis compotes esse queunt, ut hac etiam in parte populus Nobilitatem æmularetur. Hi enim Societatum Præfecti quodammodo in populo referunt Procuratoriam dignitatem. Verum, ne qua ratione hujusmodi Societates atque hi Præfecti, Reipublicæ officerent, omnes sub potestate Decem Virûm continentur, ut ne quid immutare queant, aut in unum cogi præter tempora statuta, nisi ex eorum arbitrio atque auctoritate.

Hujusmodi honores in nostra Republica viris plebejis utriusque ordinis constituti sunt, ut omnino expertes non essent juris publici ac civilium munerum, sed suæ honorum cupiditati ambitionive hac ratione satisfacerent, neque statum Nobilium aut odio haberent, aut perturbarent. Quo gubernationis temperamento Respublica nostra id consecuta est, quod priscarum nulla alioquin illustrium. Nam à primis initiis usque ad hæc tempora mille, ac ducentis annis tuta permansit, non tantum ab exterorum hominum dominatu, verum etiam à civili seditione, quæ fuerit alicujus momenti. Quod adepta est non vi ulla, aut armatis satellitibus, seu munita arce, sed æqua, ac temperata ratione regendi: adeo ut populus libenti animo pareat Nobilitati: neque ullam mutationem rerum optet, quin potius egregie sit affectus erga Nobiles. Quæ res nostra tempestate potuit esse compertissima. Nam, cum omnes *Christiani* Principes conspirassent in perniciem atque exitium nominis *Veneti*, fususque

A noster exercitus fuisset à *Ludovico*, Gallorum Rege, juxta *Cassanum*, oppidum agri *Cremonensis* ingenti clade, imminerentque inde *Germani*, hinc *Julius*, Romanus Pontifex, atque universa penè continentis ora ab imperio *Veneto* descivisset: ea rerum angustia perturbatus *Venetus* populus, adeo nihil in Nobilitatem est molitus, ut lachrymantes omnes se, suaque obtulerint ad Reipublicæ defensionem, reque ipsa præstiterint. Nam *Patavio* urbe propter incolarum animum erga nos egregie propensum nullo negotio recuperata, cum *Maximilianus* Imperator undique contractis auxiliis ingenti exercitu eam urbem obsedisset, B quàm plurimi non tantum Patricii, verum etiam plebeji ordinis sponte cum militibus stipendio eorum privato conductis ad tuendam illam civitatem profecti sunt, egregiamque in ea expeditione operam navarunt: adeo ut Imperator coactus fuerit reducere exercitum, expugnatione urbis 62
non tentata. Nec majore negotio aliæ quoque civitates recuperatæ sunt, maximo populorum omnium favore ex alieno imperio ad *Venetum*, veluti ad portum tutissimum, confugientium. Clarissimum certè argumentum justæ dominationis, cum volentibus imperatur. Quod non absque ratione contigisse, si quis bene attenderit, facilè C comperiet. Cuique enim civitati, quæ in societatem *Veneti* imperii venit, municipales leges relictæ sunt, multisque honoribus cives in sua quisque civitate potiuntur: oppida autem non pauca in agris urbium sita à civibus ipsarum urbium ibi magistratum gerentibus gubernantur. His adde, quòd Prætoribus civitatum, qui illustres sunt, assident cum jus populo dicunt homines jurisperiti: quibuscum consultant, antequam quippiam decernant. Qui honos est non exiguus, nec modicum inde emolumentum ad eos venit. Hujus generis magistratibus fungi Patricii *Veneti* non possunt, sed vel ex *Veneto* populo, vel, ut pleD rumque, ex sociis civitatibus deliguntur. Ex quibus facilè quivis intelliget, eam adhibitam fuisse in hac Republica moderationem, quæ maximè videatur rerum naturam imitari. Nam in animantis corpore videndi officium, respiciendique munus solis oculis est attributum, reliqua verò munera ignobiliora cæteris membris relicta sunt, quæ usu videndi careant, sed pareant, nec aliquo pacto obaudiant iis, quæ ab oculis ita esse nunciata fuerint, neve aliò ferantur, quàm quò oculi ea direxerint: sicque optime universum corpus consistit & conservatur. Non dissimili ratione in Republica *Veneta* summa rerum guberE natio Patricio ordini est demandata, veluti quibusdam oculis civitatis, ignobiliora officia cæteris ex populo: sicque tanquam bene compactum corpus *Veneti* felicissime vivunt, cum oculi Reipublicæ non sibi tantum, sed universis membris prospiciant: cæteræ verò civitatis partes, non tantum sui habeant rationem, verùm etiam hisce oculis, veluti potioribus membris Reipublicæ libentissime obtemperent. Quòd si in quapiam Republica eò insaniæ venerint cives, quod in plerisque contingit, ut populus videndi munere fungi velit, atque oculorum officium usurpet, continuo universam Rempublicam everti necesse F est. Quòd si etiam Patricii cives sibi tantum prospexerint, alia verò civitatis membra contempserint, irritato populo ad perniciem Nobilitatis procul dubio male cum Republica, atque adeò pessime agetur. Nostri Majores naturam imitati utrique incommodo providere, illamque præstitere moderationem, ut nullus, nisi invidus, locum habeat obtrectandi tam rectæ, tamque legitimæ institutioni.

Quam Deum optimum precamur diu servet incolumem. Si enim quippiam boni à Deo immortali hominibus provenire est credibile, hoc A præcipue divinitus *Venetæ* Urbi obtigisse persuasissimum esse debet.

ADDITAMENTA.

VIRO CLARISSIMO

JOANNI FRANCISCO CORNEANIO,

Matrueli suo,

BALTHASAR BONIFACIUS

S. D.

REGES Lacedæmoniorum, apud quos ejus Reipublicæ militaris potestas erat, cum civile imperium penes Ephoros esset, duplicis suffragii jure utebantur; duosque calculos ponebat, quisquis excelleret Regia dignitate; quod ex Xenophonte, Plutarcho, Luciano, cæterisque priscæ historiæ scriptoribus satis constat. Idem juris habere Venetorum Hegemona vulgo fama pecrebuit, quam veritati, reique ipsi adversari inter peritos publicæ administrationis compertissimum est. Nam quemadmodum Lacedæmone duo Reges creabantur, qui singuli binos calculos inferrent, imo tertium quoque, si quid pro se decerni vellent, superadderent; reique militari summo cum imperio præessent: ita ex contrario Venetiis unus tantum Dux dici solet, qui nihil bellicæ authoritatis, præter nomen, habeat, quique non amplius, quam Princeps Senatus, priore loco sententiam dicat; unumque duntaxat, idque primum, suffragium ferat. Ut pereleganter nescio quis dixerit, Venetorum Hegemona pompa & ornatu esse Regem, potestate senatorem, in Urbe captivum, extra urbem reo proximum, ac tantum non hostem: neque enim licet illi, Senatus injussu Urbe excedere. Hæc ut in literas darem, ad tollendam, quæ temere increvit, opinionem, Vir clarissime, præcepisti. Sed & illud visum est tibi nostræ huic qualicunque diligentiæ committere, ut suffragandi modum, quo Patres utuntur, mansuris apud posteros monumentis consignarem. Quanquam enim nostris omnium votis, hominumque communi judicio, forsitan etiam Deorum immortalium fato Inclytæ Venetiæ, quam merito Urbem Æternam nominamus, non nisi cum rerum natura, & mundi machina perituræ videantur, æquum tamen est, ut pulcherrimi instituti ratio, atque ingeniosissimi instrumenti longe utilior, quam operosa structura, cujus inventor perpetuum ducentorum aureorum stipendium ex ærario retulerit, exteras nationes non lateat, quo vel exemplo juvari, vel administratione oblectari possint. In Comitio maximo, cui majoris Consilii nomen est inditum, viginti subselliorum ordines recti, æquidistantes, & nusquam convenientes, tamquam parallelæ quædam lineæ, per longum producuntur, in quibus Patricii sedent suffragium daturi. Ordo item alius, qui superior vocatur, quod supra cæteros aliquantisper emineat, parietibus hærens, totum Comitii conclave circumambit. Singulis autem ordinibus inserviunt aliquot pueri, impuberes fere, & quartum decimum annum non excedentes; ex tribus ephebiis, Pietatis, Incurabilium, Divorumque fratrum Pauli & Joannis, ubi publice aluntur, evocati in hoc ministerium; terni fere, aut quaterni singulis Patriciorum lineis adscripti, neque enim sunt plures quatuor & quinquaginta uniformi habitu induti, hoc est chlamide pumicea tantisper infra genua, non tamen usque ad talos demissa;

B *ad femur dextrum peris coriaceis accincti, è quibus suffragia singillatim producta singulis Patriciis singula dantur; simulque porriguntur cadisci, pyxides, inquam, suffragatoriæ, in quas ab ipsis Patriciis suffragia conjiciantur. Porro hujuscemodi suffragia non fabæ, aut lupini, non calculi, non tabellæ punctis insignes, aut lineis, non spondyli ænei, non conchæ, non testulæ, non ostracia, non denique ossa ex porcinis cruribus, unde Græcis* χοιρίναι, ἀπὸ τοῦ χοίρου, *suffragia latinis, à suffraginibus videntur nuncupata; sed globuli sunt, ad nucis avellanæ magnitudinem prope accedentes, ex scutis linteis consuti, ne scilicet in vasculum decidentes, strepitu prodant suf-*
C *fragatorem, sed leniter, & sine ullo sonitu delabantur. Cadiscus enim ea concinnatus compactusque industria est, ut, cum duas quasi cellulas conjunctim habeat, alteram viridem negantem, alteram candidam affirmantem, sitque superne contectus & concameratus, unumque tantummodo os proferat, in quod suffragatoris brachium inseratur, pervium cuique sit in utram velit cellulam suffragium occulte & clanculum ponere; nemine intelligente, utrum is legem rogaverit, an abrogaverit. In fronte vero hujus Curiæ, seu Concilii majoris, quæ quidem est pœcile, longe lateque amplissima atque augustissima, conspicuum omnibus extat Prætorium, sive Tribunal, in*
D *quo medius sedet Princeps inter eos, qui Reipublicæ præsunt. In utroque cornu editioris hujus suggestus capsulæ duæ statuuntur, rectangulæ non tamen quadratæ sed altero tanto latitudine longiores, non solum loco, sed etiam colore inter se distinctæ, ad dexteram candida, in qua, quæ rogationi assentiuntur; ad lævam viridis, in qua, quæ dissentiunt, suffragia numerantur. Fit vero ingentis numeri mira celeritate, certitudine, & facilitate supputatio. Nam utraque capsula operculum habet, digituli spissitudine, superficie plana ac levissima asserculis eminentibus circumquaque vallatum, instar cribri ordinate pertusum, ducentis foraminibus interstinctum, quibus totidem*
E *globuli sese inserunt, manu tantum expansi, aut radiolo protrusi: sustinentur autem, ne decidant, neve per foramina dilabantur, tabella quapiam habili, suppostititia, pertuso illi operculo subtus cohærente, hinc ad latus capsulæ cardinibus affixa, hinc ad latus diversum obserata. Ubi vero foramina oppleta, & globuli reliqui, illic prius acervatim projecti, in acetabulum quoddam mobile & concavum, ad caput capsulæ binis ansulis vinctum, atque aptatum, radio sunt propulsi; cumque jam certum est globulos illos, foraminibus insertos, nec minus esse, nec plus, quam*
F *ducentos, compresso ferramento quodam, ultro citroque justar serræ Germanicæ commeante, laxatur tabella illa inferior, quæ perforatam alteram occludebat, foraminaque hactenus obstructa, aperiuntur;*

ta-

tabella illa, quæ alteri substernebatur, inferius cedente; & globuli statim sponte sua in fundum capsæ præcipitant. Nec mora, adducto funiculo, asserculus ille inferior, perforatæ rursum tabulæ adhærens foramina obturat; nam pessulus, qui venienti concesserat, prætergressum intercipit. Mox versantur alii denuo calculi ex acetabulo, foraminibus includuntur; eoque, quem proxime declaravimus, modo numerantur. Tam admirabile artificium, nunquam post homines natos excogitatum, ab importuna sannionum scurrilitate videtur, quasi à pistoribus mutuo acceptum, quorum artophora rotundis quibusdam, concavisque scutulis ita panes excipiunt, ut sine ullo enumerandi labore exploratissimum sit, quot unoquo- A *que artophoro panes contineantur. Ac ita prorsus inveniendorum Antipodum fertur ab invidis exprobrata facilitas Christophoro Columbo. Quos ille perquam subtiliter elusurus, sponsione conventa jussit eos ovum stans, ut erectum in mensa collocare. Quod cum illi frustra conarentur, tandemque factu impossibile pronunciassent; ille ovum ad perpendiculum allibratum, crebroque ad asperiorem tabulam frictu aliquantisper obtusum, statuit in mensa rectissimum: Tritum illud usurpans, facile esse aliena inventa reprehendere, arcanaque hactenus esse arcana, donec ignorantur: At, ubi rescieris, quæ difficillima videbantur, videri facillima. Vale. Tarvisio, Die intercalari anni bissextilis,* CIↃ IↃ CXXVIII.

AMPLISSIMO URBIS MAXIMÆ SENATORI,

DOMINICO MOLINO,

HERO SUO BENEFICENTISSIMO,

BALTHASAR BONIFACIUS

S. D.

NON tantum Adriaticum, & Jonium, verum etiam Ægeum, & Pamphylium, totumque adeo Mediterraneum Venetorum classibus velificatum, universasque opes, & omnem potentiam Italiæ principis populi è mari haustam fuisse: & Urbem urbium Venetias, Reginamque olim Peloponnesi Lacedæmona diversis inter se fatis usas, apud omnes constat. Hanc enim tradit Philostratus, quamdiu terrestribus negociis intenta fuit, ad cœlum usque gloriam suam extulisse; postquam vero maritimis studiis sese dedit, ad incitas redactam, & propemodum extinctam, terræ pariter, atque maris imperium amisisse. E converso Venetias multo præclarius maritimis, quam terrestribus studiis, atque artibus floruisse, & feliciorem mari, quam terra fuisse, liquet. Quippe quæ, ceu miraculum quoddam, tota in æquoris superficie sita, nihil solo debeat. Huic siquidem Urbium unicæ accepto ferimus, quod Italia nostra neque Græcorum machinamentis, neque Barbarorum conatibus, neque Romanorum operibus quicquam invideat. Nam, ut alia transeam, cum veteres Regis Persarum Cyri desidiam verius & ineptiam, quam laborem atque industriam suspiciant, qui Pyndem, Assyriæ fluvium, cujus vorticibus unus ex iis equis, qui trahere Regium currum albi solebant, fuerat abreptus, tam severe multavit, ut eum in trecentos sexaginta rivulos diduxerit; nos multo rationabilius Venetorum solertiam admiramur, qui urbem suam ita in mari medio collocarunt, ut mare ipsum, in quingentos, eoque amplius rivos, & canales mirifice divisum, omnibus sese tantæ Urbis anfractibus, & omnium fere domorum penetralibus insinuet. Sed & aliud quiddam non minus mirabiliter atque operose, quam magnifice & sapienter memoria nostra Veneti fecerunt. Herculis enim labores, Græcorum fabulis inclytos, pari animo, ac viribus æmulati, Eridanum, & Medoacum, amnium Italiæ non obscurissimos, impensa atque industria pene incredibili avertentes, aliò detorserunt. Nimirum metuentes ne stagna maris fluminum influentium impetu oblimarentur. Nam & Herodotus asserit Acheloum, per Acarnaniam in Echinadum pelagus influentem, eas insulas media ex parte fecisse continentem; & Diodorus memoriæ posteritatis mandavit, Ægyptum, cum mare olim esset, Nili inundationibus exaggeratam, paulatim in siccam, & habitabilem terram evasisse. Quod si parva magnis conferre licet, maribus in euripos dispertitis, ac flu- B *minibus in dioryges dissectis suffragatoriam pyxidem tres in partes bellissime divisam, libenter comparaverim. De illa nunc loquimur pyxide, quam adhibent Venetorum magistratuum Collegia, cum de fortunis, aut capite civium cognoscunt: nam de urna illa duplice, qua utuntur quoties munera atque honores distribuunt, satis à nobis alio loco dictum putamus. Græcis judicibus, suffragium daturis, duæ tantum urnæ apponebantur, altera* ἐλέȣ, *hoc est misericordiæ, quæ absolveret, altera* θανάτȣ, *hoc est mortis, quæ condemnaret. Romanis vero tres veluti schedulæ porrigebantur, quarum uni A. hoc est Absolvo, alteri C. hoc est Condemno, tertiæ N. L. hoc est Non Li-* C *quet, inscriptum erat; ut illam quisque in vasculum poneret, qua sensum, voluntatemque suam significare se commodo posse arbitraretur. Sed Veneti ex utriusque gentis institutis, quod optimum erat, decerpentes, subtiliter & prudenter unicam illam, eandemque triplicem pyxidem machinati sunt, quæ cum tres habeat cellulas, primam condemnantem, secundam dubitantem, tertiam absolventem, unico operculo affabre contectas, & unum duntaxat ostium, seu potius foramen exerat labrosum, ut exporrectum, manus in pugnum contractæ, & primoris lacerti capax; pronum & pervium cuique est aut condemnare, aut absolvere, aut neutrum facere. Ac, ut nemo divina-* D *re, sed ne suspicari quidem possit, quam in cellulam calculum injeceris, posteriore esse loco feliciorem voluerunt, quo scilicet oporteret manum tuam per alias minus prosperas cellulas transire, antequam ad meliorem perveniret; possetque facile, tam eunte manu, quam redeunte, calculus, summis digitis excussus, in pejorem urnam decidere. Hæc, mihi abs te, Domine, perhumaniter indicata, non tam tibi, quam seris olim nasciturus nepotibus, si modo scriptiones meæ genium habebunt, declaranda putavi; me de hominum genere bene aliquid mereri posse ratus, si pulcherrima patriæ nostræ instituta ad semotas quoque & disclusas ab Italia nationes transferenda curarem;* E *quibus edoctæ, publicis aliquando rebus consulerent. Illis enim fortasse gratum fecero, qui Venetorum comitiis nunquam interfuerunt; præsertim cum de suffragiis nonnulla scripserit Contarenus, Reipubl. lib. ... cap. ... quæ tempus hoc præsens inspicientibus, partim supplenda, partim etiam corrigenda videantur. Vale. Tarvisio, pridie Nonarum Martii* CIↃ IↃ CXXVIII.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C.

Con-



Q.

R.

S.

T.

V.

Z.

FINIS.





NICOLAI CRASSI,

Veneti,

DE FORMA

Potentissimæ ac Florentissimæ

REIPUBLICÆ VENETÆ

Per omnem ejus Ætatem Mista

LIBER SINGULARIS,

Antehac Auctoris Notis in Donati Jannotii *Dialogum*, & Gasparis Contareni *de Republica Venetorum Libros V.* subjunctus, nunc vero ob elegantiam suam separatim impressus.

Editio Novissima, nitidior & emendatior.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.
LECTORI SALUTEM.


Ut Venetæ *Reipublicæ per tot ſecula jam continuatus Splendor ſingularem tum in primis ejus Fundatoribus, tum in horum ſucceſſoribus, ipſius Rectoribus, teſtatur ſapientiam: ita & ſcriptoribus plurimis plurima ad eam monumentis ſuis celebrandam nata ſunt argumenta. Diſcrepantia tamen non exigui momenti offenditur, ubi de Forma ejuſdem Reipublicæ ſermo eſt, aliis eam alii Rerumpublicarum ſpeciei annumerantibus. Hæc ſententiarum diverſitas* Nicolao Craſſo *cauſæ fuit conſcribendi præſentis operis, in quo,* Venetorum *a Majoribus ſuis ſibi traditam libertatem omni temporum intervallo inviolatam, & feliciſſime conſervatam fuiſſe, ſolide non minus quam eleganter demonſtratum ivit. Divi-dit, ut ipſe innuit, cum aliis egregiis ſcriptoribus, omnem Reipublicæ* Venetæ *Ætatem, qua ex minimis initiis ad tantam excrevit Amplitudinem, in Infantiam, Pueritiam, Adoleſcentiam, Juventutem, & Virilem Ætatem; demonſtrans, omni Ætate, non obſtante ratione gerendæ Reipublicæ pro temporum & rerum circumſtantia variis conditionibus mutata, Formam tamen inſitam Reipublicæ miſtam nunquam ſublatam, ſed a ſuis primordiis unam eandemque perſtitiſſe, & perſiſtere. Exemplar, quo in recudendo Opere uſi ſumus, prodierat anno* 1642. *in* 24. Lugduni Batavorum *ex Officina* Elzeviriana, ~~*una cum*~~ *Notis, quas in Donati Jannotii* Dialogum, *& Gaſparis Contareni* de Republica Venetorum Libros V. *conſcripſerat Noſter. Notas illas, ubi nominata modo opera denuo impreſſimus, Textui & paginis, majoris commoditatis ergo, ſubjecimus; de hoc vero* Libro Singulari *ſingularis & ineunda fuit ratio. Nam licet, quod in Notis obtinet, Auctor initio hujus operis quædam* Jannotii & Contareni *verba præmittat: non tamen ob peculiarem, quo inſignitum erat, Titulum videbatur commodum Notis illud immiſcere. Tacemus ejus prolixitatem, quæ legentes* Jannotii *vel* Contareni *Textum non potuiſſet non nimium diſtrahere. Inde hoc Libro ibi citato, Lectorem huc ablegavimus, opusque ipſum nunc ſeparatim edimus, eadem, quæ in aliis noſtris Editionibus, obſervata & typorum & chartæ elegantia. Nomina propria, Diplomata, verbaque Auctorum aliorum huc transſcripta, ut eo facilius pateant, diverſis a contextu exhibemus literis. Indicem denique, qualem Opus exigebat, ipſi ſubjunximus. Hi in Tui gratiam,* Benevole Lector, *noſtri ſunt conatus. Vale, nobisque fave.*

NICO-

NICOLAI CRASSI
De Forma
REIPUBLICÆ VENETÆ
LIBER SINGULARIS.

JANNOT. *Posthac à Nicolao Leonico.*] 1.
CONTAR. lib. I. *Enimvero hac in re temperiem.*] 2.


UOD olim *Laconum*, atque *Romanorum*, idem modo *Venetorum* contigit Reipublicæ, ut inter viros eruditissimos nondum satis constet, quænam sit ejus vera Forma. Nam quidam ad Popularem statum illas retulerunt, quidam vero ad paucorum sive Optimatum: quidam qui rem, ut dicitur, videntur acu tetigisse, non simplices, aut uniusmodi illas statuerunt, sed permistas, & ex tribus formis temperatas, & Regia, & Paucorum, & Multorum. *Aristoteles* quidem hoc argumentum tradit perfectæ mistionis, quando contigit, ut unam eandemque rempublicam alii Democratiam dicant, alii Oligarchiam. Ait enim Lib. IV. Polit. Cap. VIII. *Manifestum est id contingere iis, qui dicunt, propterea quod perfecta est mistio, accidit etiam idem medio, quoniam utrumque extremorum apparet in ipso.* Id vero confirmat exemplo *Lacedæmoniorum* Reipublicæ, quæ visa est aliis popularis, quia populariter complura in illa constituta sunt; aliis verò visa est gubernatio paucorum, cum nonnulla haberet, quæ spectarent ad nonnullorum potentiam: sed omissâ *Lacedæmoniorum* administratione nec non *Romanorum*, de quarum genere fuit à multis satis disputatum, *de Venetæ Reipublicæ Forma* differamus. *Joannes Bodinus* Andegavensis, vir litteris multis perpolitus, & peracri ingenio, sed res novandi studio præceps, & nimium quam audax, extremo *de Republica* sua *Libro* Venetam Rempublicam statuit Optimatum esse, quam popularem omnino contendebat existere *Lib. de Methodo Historiæ*. Hominis autem hallucinatio ex eo fonte profluxit, quod simplices rerumpublicarum formas duntaxat agnoscit, easdem vero intèr se permisceri præfractè negat. Quapropter arguit summos Philosophos, ipsumque *Aristotelem*, qui præstantissimum reipublicæ genus illud statuerunt, quod foret è simplicibus formis probè temperatum. Et verò in quærenda simplicitate frustra laboranti, ubi mista quærenti occurrere poterat, contigit id *Bodino*, quod *Aristoteles* monuit, ut distraheretur in varias adversas sententias, & alias probatas sibi rejiceret, posteaque probasset rejectas, prout ingerebat se illi diversa species in singulis reipublicæ formis perpendendis. Quemadmodum igitur secum dissidet *Bodinus* in *Romanæ* Reipublicæ forma statuenda, quam modò Popularem facit, modò regimen Optimatum; sic etiam pendet, ac nutat, dum agit de statu *Venetæ* Reipublicæ. In eo verò *Bodinus* præcipuè

A peccat, quod permistionem formarum negat, ac de medio tollit, cujus aliquot argumenta, seu verius commenta, evidentissimis rationibus refellamus, ut hoc tanquam primo gradu facto, & constituto, ad alia progrediamur. Unum *Bodini* fundamentum præcipuum est, quo tota nititur fraus hominis, absurdaque opinio: *Esse res duas disjunctas, penitusque diversas, rationem gubernandi & statum civitatis*, qua in re tantopere sibi placet, ut omnes de rebus Politicis ante se scriptores, & nominatim ipsum *Aristotelem* arguat, quod ejusmodi distinctionem non animadverterit. Qua tamen in re perspicuè fallitur, ne dicam
B mentitur. Vidit enim hoc Aristoteles, & disertè monuit Cap. V. Lib. IV. Polit. *Neque vero latere nos debet, multis in locis contingere, ut quæ respublica secundum leges non sit popularis, nihilominus populariter gubernetur propter morem ac institutionem: similiter autem apud alios contra evenit, ut respublica secundum leges magis sit popularis; institutione autem, & moribus videatur magis ad paucorum regimen accedere.* Veruntamen id quandoque accidere, non fixum ac perpetuum esse, & præcipuè post mutationem rerumpublicarum fieri, scripsit *Aristoteles*, secus atque *Bodinus* arripuit, ac nobis obtrudit, qui si philosophari seriò didicisset, in errorem tam fœ-
C dum nunquam lapsus esset, ut operationem propriam statueret omnino dissentaneam ab agendi principio, atque forma insita. Accidere id quidem potest aliquando seu materiæ vitio, quæ non satis aptè affecta sit atque disposita, sive quod operantis est remissa vis, aut forte impeditur. Sed hæc non eveniunt, nisi raro, & fortuitò, quæ in naturam ipsam transferre velle summæ amentiæ est. Postulat enim ordo naturalis, & ratio, ut propriæ operationes propriæ formæ respondeant, quæ forma, si quando aberrat, dum operatur, id præter naturæ ipsius ordinem accidit, qui est certus, & constans. Quam igitur administratio-
D nem civilem *Bodinus* proponit, si vis integra constat illi naturæ suæ, fieri nullo modo potest, ut operationes à statu formaque sua sint diversæ ac dissimiles: sin autem vel jam corrupta est, vel certe ad corruptionem vergit, quemadmodum evenit in reipublicæ mutatione, non gravatè assentimur, una cum *Aristotele*, operationes quasdam existere à forma diversas, propterea quod innata vis deperit, & paulatim intercidit, quo tandem fit, ut formæ prioris corruptæ vestigia tantum maneant, dum alterius formæ sequentis affectio paulatim inducitur. Licet hoc intelligere cuilibet ex Tacito, qui *libro IV. Annalium*
E Romanæ Reipublicæ non modo à statu suo discedentis, sed jam propè extinctæ exhibet quandam speciem, sive imaginem, in qua tamen multa ad-

1. Leguntur hæc in Donati Jannotii *Dialogo de Republica Venetorum pag.* 124. D. *Edit. Nostræ Novissimæ.*

2. Hæc habentur apud Gasparem Contarenum *Lib. I. de Republica Venetorum pag.* 7. F. *Editionis Nostræ Novissimæ.*

adhuc supereſſent, quæ veterem majeſtatem arguerent, priſtinumque ſtatum, ut quamvis forma eſſet recens superinducta, non tamen vetus illa prior ita foret abolita, quin adumbrare ſaltem aliquid operando poſſet. Quod igitur *Bodinus* aſſumit tanquam certum axioma, hoc eſſe falſiſſimum, & ratio, & res ipſa docet, gubernandi rationem à ſtatu ſuo diverſam eſſe. Siquidem hoc nunquam contigit in republica integra, ſed in illa tantum, quæ jam cœpit mutari & corrumpi, atque a ſtatu diſcedere, ubi profecto mirum videri non debet, ſi diſſident, quæ prius inter ſe planè cohærebant, quod tamen eſt præter naturæ vim inſitam, & *per accidens* evenit. Sed expendamus alterum *Bodini* argumentum: *Ex duabus Reipublicæ adminiſtrationibus, quæ differunt ſpecie, nihil optimum conſlari poſſe, tradit Ariſtoteles: ergo multo minus conſlari poterit ex tribus in ſe confuſis.* Antecedens ex eo probat, quod *Ariſtoteles* Libro II. Politicorum Capite VI. reprehendit illos, qui Rempublicam conſtituunt ex populari ſtatu, atque tyrannide. Nam ſi ex paucioribus fieri non poteſt recta permiſſio, quomodo fiet ex pluribus? Sed vel hic Auctor oſcitanter admodum *Ariſtotelem* legit, aut fraudem malitioſè facit. Cur ex Democratia, & Tyrannide nihil bonum conſtitui queat, *Ariſtoteles* eam rationem non affert, quam *Bodinus* inducit (nam quis neſciat, facilius eſſe duo ſimul permiſcere, ac temperare, quam tria?) ſed quia Democratia, Tyranniſque ejuſmodi ſunt, ut non reponendæ ſint in numero formarum, vel certè longè deterrimæ exiſtant formæ Reipublicæ, propterea ex his duobus generibus nihil optimum confici poſſe, tradit *Ariſtoteles*, nihil autem obſtare, quo minus miſtio fieri poſſit è duobus tantum generibus, ſive formis: quæ Capite VIII. Lib. IV. Politicorum ſcripta ſunt, apertè demonſtrant, *exiſtere quoddam genus civilis adminiſtrationis, quod Politia à pleriſque nominari ſolet, quæ nihil aliud ſit, quam permiſtio quædam Oligarchiæ cum Democratia*: licet enim ejuſmodi binæ ſpecies connumeratæ fuerint ab *Ariſtotele* inter minus integras, hoc eſt, inter vitiatæ & corruptæ Reipublicæ formas: nihilominus docuit, fieri poſſe, ut non ita multum declinent ab inſita probitate, quo fit, ut inter mediocres cenſeri poſſint, quod quidem tyrannidi contingit nunquam, quæ ſemper eſt labes, & vitium, qualis qualis exiſtat, propterea cum aliis miſceri nunquam bene poteſt. Tertium *Bodini* argumentum ejuſmodi eſt: *Tres formæ Rerumpublicarum ſunt inter ſe oppoſitæ, habent ergo diverſos fines, diverſas leges, & diverſos ſtatus, qui ſi confundantur, ſimul perturbatio maxima orietur, ergo nihil ex iis bonum confici poteſt.* Enimvero hic naturalis Philoſophiæ ſe ignarum *Bodinus* prodit, quæ docet, eorum, quæ ſimul permiſcentur, naturam & vim tantum cupereſſe, miſtione peractâ, non autem formas re ipſa, ſive, ut ajunt, *in actu*. Quæ igitur prius erant inter ſe pugnantia & oppoſita, hæc poſtea ſimul conveniunt atque coaleſcunt, ut efficiatur quoddam commune, ſed tamen diverſum à ſingulis formis, quæ ad miſtionem peragendam concurrunt. Singula tamen hæc vim ſuam exerunt & produnt, plus minuſve, pro ratione ipſius temperamenti, quod propius quidem ad unum, quàm ad aliud inclinare poteſt, non tamen ita planè referre & repræſentare, quin diſcrimen percipi queat ab eo, qui aliquid ſapit. *Bodinus* tamen fateri non veretur, *ſe non intelligere, quomodo ex tribus generibus modice temperatis quartum exſurgere poſſit genus Reipublicæ, quod vim quandam naturâ diverſam à cæteris habeat.* Quapropter probare nititur alterutrum;

A vel ex tribus Reipublicæ generibus nil conſlari poſſe; vel ſi conſletur, futurum ut nihil differat à populari ſtatu: ſed omnis conatus hominis prorſus eſt inanis, & rationes ejus leviſſimæ, & ex iis, quæ ſolent in ſcholis proponi exercendi cauſâ acuendique ingenia eorum, qui Philoſophiæ dant operam; itaque piget illas referre, nedum ſerio refellere. Quartum *Bodini* argumentum, quod quidem ducit ille: *Majeſtas per ſe ipſa eſt individuum quoddam, ergo non poteſt ſimul & uni, & paucis & pluribus communicari.* Antecedens firmatur auctoritate Juriſconſultorum, qui jura Majeſtatis eſſe individua affirmare ſolent; & hac

B ratione præterea, quia ſi Majeſtatis jura communicari poſſent, vel tribueretur omnibus ex æquo, vel ſingulis plus minuſve: primum fieri non poteſt, quoniam alter impediret alterum: alterum quoque locum habere nequit, quia quod excederet, paulatim ad ſe traheret cætera, præterquam quod plus & minus recipere non poſſunt formæ ſuâpte naturâ individuæ, qualis eſt Majeſtas. Sed homonymia multiplici *Bodini* hoc argumentum laborat: nam quis neget, formam rei cujuſlibet unam eſſe oportere, proptereaque individuam, quatenus eſt una? ſed forma quævis dupliciter conſiderari poteſt: primò quatenus to-

C tum compoſitum reſpicit, cui *dat eſſe* (hic enim eſt opus in ſcholis uſitatas uſurpare formulas loquendi) & hac ratione forma neceſſario eſt una, quoniam *eſſentia* & natura cujuſlibet rei compoſitæ eſt una: ſecundò forma immo etiam ipſa *eſſentia* ſpectari poteſt ex iis facultatibus, quas plures & diverſas habet, quâ ratione non eſt individua, & una, ſed multiplex. Quidam Philoſophi admittunt etiam in una re plures formas, eo tamen ordine, ut una tantum potior ſit, cæteras autem obſequentes ſubjectaſque habeat, ut ratio conſtare poſſit unitatis. Quapropter in ho-

D mine triplicem illi formam ſtatuunt, vegetativam, ſenſitivam, nec non rationalem, quæ tamen alias in obſequio & imperio contineat, perinde ac Rex aliquis ſubjectos omnes, quibus dominatur. Utraque opinio ſuos habet Auctores, qui eas tuentur: prior tamen plures habet, atque potiores, quo fit, ut magis ſit in ſcholis recepta: ſed hæc an illa ſit verior, ad rem noſtram nil facit, quia cum neceſſario concedendæ ſint, ſi non multiplices formæ in quavis re compoſita, at certè multiplices vires atque facultates, dubitari non poteſt, quin ejuſdem rei natura & forma ita ſit una, ut in plura tamen officia, vel partes ſecerni dividique poſſit: ita etiam Majeſtas ipſa,

E ſit quamvis una, nihilominus complectitur varias poteſtates, vel in ferendis legibus, vel in creandis Magiſtratibus, vel in bello indicendo, vel in pace facienda: ſed omnes enumerando perſequi nihil attinet in præſens, ſatis eſt oſtendere plures, & non unam eſſe, ad errorem *Bodini* coarguendum, qui homonymia deceptus ſtudet alios decipere. Auctoritates vero juriſperitorum nihil ipſum juvant, quoniam loquuntur ipſi de tota Imperii Majeſtate, quæ quatenus eſt ejuſmodi, id eſt abſoluta, & ſumma, nulli tribuenda eſt parti Reipublicæ ſeparatim, ſed toti univerſæ

F Reipublicæ corpori conjunctim, quâ ratione planè eſt una, & individua, ut diximus. Quæ verò ſtabiliendæ ratiocinationi ſubjicit, cuncta, quia nullo nituntur firmo fundamento, corruunt. Non enim tota Majeſtas omnibus tribuitur, nec quatenus eſt, quid unum plus aut minus recipit: plures tamen ejus partes, aut pauciores communicari poſſunt, vel pluribus, vel paucioribus, vel uni etiam tantum, prout exigit ratio, & natura Reipublicæ miſtæ, quæ tota pendet à legibus in ea

ea constitutis, quæ ex ordinum mutuo consensu in dies sanciuntur.

Postquam hæc scripseram, liber pervenit in manus satis longus *Henrici Arnisæi*, in quo *de Republica* agitur. Is licet *Lib. II. Cap. VI.* ubi fuse admodum disputat *de Mistione Reipublicæ* ab opinione *Bodini* omnino dissentiat, ejusque rationes præcipuas infirmare conetur: nihilominus placitum illud firmat, ac tuetur, quod superius à nobis confutatum est, cum probavimus apertis verisque rationibus, à propria forma, quam consequitur, diversam non esse reipublicæ, ni ea propendeat in vitium, administrationem. Affert hic Auctor ejusmodi rationem potissimum: *Si æstimanda esset Reipublicæ forma ex administratione, fore, ut nulla inveniretur simplex Respublica popularis, nullumque regnum, quod esset pura Monarchia: propterea quod multa instituta Aristocratica reperiuntur in quavis populari Republica, multa quoque usurpari solent in omni Monarchia, quando Rex non modo arcana consilia, sed etiam honores & dignitates cum subjectis communicat.* Hic *Romanorum* Imperatorum multa exempla profert, quos ait Aristocratiam mistam Imperio habuisse, quod bonam partem Imperii Senatui indulsissent. Sed excidit docto viro eorum memoria, quæ argumentando objecit *Bodino*, non semel confundi ab eo potestatem propriam, & precariam, si multa Imperatores *Romani* permittebant Senatui. Si modo *Galliæ*, & *Hispaniæ* Reges permittunt suis Ducibus, quos cum imperio præficiunt Provinciis aut Regnis: certè proprio nomine ut administrent, nunquam eis permittunt, alioquin à se abdicarent summam potestatem. Quam igitur conferunt in subjectos, ea precaria est, si spectemus subjectos, quibus ea impertitur; sin autem summos ipsos Principes, hæc ipsorum est propria; cui quidem potestati accidere potest, vel ex decreto certaque voluntate Principum: vel etiam eorum ob indulgentiam nimiam, & facilitatem: vel tandem quod extorqueatur per vim ab invitis, ut pluribus, aut fortè uni ex Primariis ac Ducibus Imperii, plures maximæque partes committantur. Ex his omnibus manifestissimè constat, *Bodinum* falli, formatamque mistionem in rebus publicis negari non posse, quod doctissimis viris summisque Philosophis ex omnium seculorum memoria probatum est.

Reliquum modo est, expendere celebrem sententiam eruditissimi viri, *Casparis Contareni*, qui *temperatam Venetæ Reipublicæ Formam statuit ex Regno, Aristocratia, & Populari statu*, in quam deinde frequentes pedibus iverunt, quicunque de rebus *Venetis* sermonem habuerunt. Adversus hanc sententiam *Bodini* rationes magnam partem in superioribus confutatæ sunt: supersunt aliqua tamen ab eodem objecta; molli, quod ajunt, brachio refellenda. Nam quod probare contendit, & pluribus disserit, *Veneto Principi Imperii summum jus nullum esse, sed Imperii duntaxat speciem quandam apparentem*; huic sententiæ nil officit, immo suffragatur cum longè aliter ac *Bodinus* censet, sit ratiocinandum. Nam si *Venetus* Princeps summam haberet potestatem, simplex gubernationis forma esset *Venetæ* Reipublicæ. Cum vero statuamus ipsam temperatam, nihil est opus, Regiam potestatem integram persistere. Satis est enim, ut quadantenus insit intra certum modum, quemadmodum rebus omnibus evenit, quæ inter se miscentur. Non enim re ipsa, sive *actu*, ut scholæ loquntur, sed vi duntaxat, & facultate formæ mistæ permanent, idque ad temperamentum perfectum, si quid aliud, requiritur. Fieri etiam potest, quinimmo

A id persæpe accidit, ut quodam tempore intendatur unius formæ vis, quæ inter cæteras interim plurimum eminet, principem locum concedat alteri: hæc autem, sed paulatim remittens procedente tempore, ubi suam vicem obierit, elanguescat paulatim, & alia succedat deinceps, & primas obtineat. Quod quidem cernitur in cunctorum animantium genere, sed in hominibus ipsis præcipuè, qui pro variis ætatibus, & fortunæ casibus temperamentum corporis, & mores animi commutant: neque tamen propterea mutatio isthæc efficit, ut plures homines dicantur esse pro variis ætatibus. Non igitur quæcunque
B mutatio intervenit, subito res perit: labefactari penitus debet, antequam intercidat. *Bodinus* tamen censet, diversam rempublicam effici, quotiescunque aliqua mutatio in eadem contigit. Sed hæc hominis oscitantia est, temere potius ex ingenio atque sensu proprio, quam ex ullius Philosophiæ certa regula disputantis, neque ipsi, neque alteri cuipiam probare erit integrum, mutationem tam vehementem, & gravem ullam extitisse, quæ omnino everterit statum *Venetæ* Reipublicæ: nobis autem hoc facile ostendere licebit, quicquid in ratione gerendæ Reipublicæ immutatum est, pro temporum & rerum circum-
C stantium variis conditionibus, id formam Reipublicæ insitam nunquam sustulisse, quæ à suis primordiis ad hæc usque tempora una & eadem persistit; tametsi temperamentum illius eam vicissitudinem subiit, quæ cunctis rebus humanis solet esse communis, ut non semper eodem modo se habeant ea, quæ mistionem perficiunt; sed quandoque incitentur, quandoque remittantur, modò parentis aut concedentis speciem quandam præbeant, modò eminentis permultum, atque dominantis.

Pervulgata sunt ea, quæ scriptores egregii de *Romanæ* Reipublicæ ætatibus prodidêre memo-
D riæ: suas etiam habuit ætates *Veneta* Respublica, quas contemplari licet in priscis Annalibus, Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Juventutem, & Virilem Ætatem, in quibus paucorum, multorum, & unius potestati, nunc plura, nunc pauciora permissa sunt, prout usus atque Reipublicæ tempora ferebant: idem tamen permansit status Reipublicæ, propterea quod, etsi leviter nonnunquam immutatum, nunquam tamen solutum, atque sublatum est penitus id temperamentum, quod ab ortus sui initio primum est sortita ex illo triplici genere, quod superius diximus: sed operæ pretium fuerit ætates distinguere, & sin-
E gulas ponderibus suis probè examinare, ut obstruatur os malignis, atque improbis.

Quod tempus prima continet Incunabula *Venetæ* Reipublicæ, & respondere videtur quodam modo Infantiæ, hoc habet annos LVI. aut paullo plus supra ducentos, qui effluxerunt nimirum ab Urbe condita, usque ad optionem & creationem primi Ducis, quæ contigisse traditur anno à *Christo* nato DCXCVII. sive, ut *Bodinus*, & alii nonnulli malunt, DCCV. cum à nobis fuerit in notis ad *Jannotium* satis superque probatum, fabellas plus quam aniles commenta illa esse, quæ de primis *Venetæ* urbis fundamentis memoriæ sunt
F prodita, decreto publico à Consulibus *Patavinis* jactis: his consequens est, nullam consularem administrationem principio extitisse, sed Tribunis initio regimen commissum, qui Magistratus primus in Republica fuit: & qui contra sentire scribunt, ut aliquam, si possent, *Venetæ* libertati notam inurant, paulo post veritate coacti fatentur, temporibus illis nullam omnino inveniri inter Magistratus, qui civitates regerent, Consu-

Vid. Donati Jannotii *Dialogum de Republica Venetorum, & Crassi Notas ad eund. pag. 24. Edit. Nostræ Novissimæ.*

lum mentionem. *Bodinus* vero exiſtimavit ad hoc uſque tempus, quot inſulæ habitarentur in æſtuariis, tot numero fuiſſe diſtinctas Reſpublicas. Veruntamen neque *Bodinus* ipſe, neque quiſpiam alius ex monumentis hiſtoriarum probare unquam poterit, ſingulis inſulis jura propria Majeſtatis, ſociorum jure atque imperio, fuiſſe diſtincta, hoc eſt, Tribunum quemlibet in ſua inſula de rebus publicis decernendi poteſtatem habuiſſe. Nam certo conſtat, complures inſulas extitiſſe, quæ finitimis attributæ erant clarioris nominis, quas duodecim omnino fuiſſe memorant Annales, quæ tandem redactæ fuerint ad ſeptem, quot perhibentur certis antiſtitum ſedibus inſignitæ. Epiſcopales autem ſedes iſtæ memorantur: *Gradus* Patriarcharum *Aquilejenſium* vetus domicilium, quo relicta metu *Longobardorum* prorſus Aquileja *Paulinus* Patriarcha ſe recepit cum omni ſacra ſupellectile: qui vero ſucceſſerunt eidem *Probinus*, *Heliaſque* non modo ſemper ea in inſula commorati ſunt, ſed etiam petierunt, ac obtinuerunt à ſummo Pontifice, ut deinceps Eccleſia *Gradenſis* eſſet Metropolis omnium. *Caprulæ* vero ab *Joanne*, Epiſcopo *Concordiæ*, occupatæ ſunt; *Torcellumque* cum proximis inſulis ab Epiſcopo *Altinate*; *Metamaucum*, *Philiſtina*, & *Clodia* à *Patavino* Epiſcopo: *Opitergio* quoque capto à *Rothari* Rege cives quidem de nomine *Heraclii* Imperatoris oppidum *Heracleam*; agreſtes autem homines *Equilium* conſtruxerunt, quæ proprios etiam Epiſcopos ſingulæ habuerunt: in *Olivola* tandem inſula, quæ poſtea dicta fuit *Caſtellum*, noviſſimus Epiſcopus conſtitutus eſt, qui tandem abolito nomine Patriarchæ *Gradenſis*, ſucceſſit in Patriarchæ *Venetiarum* nomen. Præcipuis igitur iis inſulis qui præſidebant, hi nominantur Tribuni Majores in Annalibus; qui vero in minoribus inſulis jus dicebant, quæ continebantur finibus & juriſdictione majorum, illi Tribuni Minores appellantur. Utrum vero Tribuni tantum Majores, aut etiam Minores, quotieſcunque de rebus publicis conſultatio fieret, in concilium convenerint *Heracleæ* indici ſolitum, neque negare, neque temere affirmare poſſum: ſed conjectura certiſſima, & ratio nobis perſuadet, non ſolum Tribunis omnibus, uniuſque generis, ſed etiam Tribunitiis Viris, hoc eſt, Magiſtratu eo functis, cæteriſque honeſtioribus civibus aditum ad concilium illud patuiſſe: immò verò hoc ipſum Andreas Dandulus exprimere videtur iis verbis: *Interea Venetiæ maritimalis Regio propter bellicas clades populis aucta, in qualibet inſula Tribunos annuales conſtituit, qui incolis juſtitiam exhiberent, facta vero Communi tangentia, ab omnibus comprovincialibus congregatis determinari conſuetum erat.* Comitiis verò ſolemnibus quinam præſiderent, & quinam jus haberent cogendi Concilii, an Magiſter militum, quem pariter legimus ante Duces creatum, an unus, an plures Tribuni, an per vices, an ſimul, incompertum eſt nobis, temporum injuriâ. Vetuſtiſſima namque Civitatis noſtræ monumenta nihil aliud, quam *Li Tribuni rendevano raſon ciaſchedun nella ſua iſola, nelle coſe del governo doperavano il conſegio di tutti: ma ſe la coſa era d' importantia chiamavano l' adunation di tutte le Iſole*; id eſt, *Tribuni ſinguli in ſuis inſulis jus dicebant, in iis, quæ ad regimen pertinent, communi concilio utebantur; at ſi res eſſet magni momenti, inſularum concilium convocabant.* Quod ſi tota vivendi ratio à legibus pendet, quemadmodum ſapientiſſimorum virorum judicio conſtitutum eſt; cum ex Epiſtola *Caſſiodori* conſtet ad Tribunos maritimorum communiter ſcripta, quicunque incolebant æſtuaria eo tem-

A pore, iiſdem prorſus inſtitutis atque legibus uſos, quæ forent pauperibus ac divitibus juxta communes ex æquo, quin una, eademque Reſpublica tunc fuerit, dubitare non licet, accedente præſertim imperii conjunctione, quam Bodinus ipſe *in Methodo Hiſtoriarum* efficere probat, ut quamvis plures exiſtant civitates, quod tamen contineantur eodem imperio, propterea non plures, ſed eandem conſtituant Rempublicam. Veruntamen ad conflandam rempublicam minimè requiritur, ut unus ille perpetuò præſit ad conventus habendos: ſatis eſt enim, ut plures hoc per vices præſtent. Sed concedamus *Bodino*,

B quod ſicuti nunquam fuit, ita nunquam probare poterit, ſuum fuiſſe proprium imperium cujuſque inſulæ ab aliis diverſum: certè una ex iis *Rivus altus* ſufficiet cumulatè ad Rempublicam unam ſtatuendam: conceſſerunt cæteræ paulatim omnes in ejuſdem jura procedente tempore: quo fit, ut meritò prima origo Urbis reperiatur non à *Grado*, *Heraclea*, *Metamauco*, vel *Torcello* condita; ſed ab ipſa *Rivoalto*, quæ ut antiquitate, ſic etiam majeſtate prælata univerſis inſulis, evaſit domicilium maximi & ſupremi imperii. Unde Tribuni ductum ſit nomen, nihil ad nos pertinet, quamvis non me lateat, non deeſſe, qui

C à tributo ductum obſtinatè contendant, ut *Venetorum* libertati notam aliquam inferant: quaſi vero nullum fuerit in *Romana* Republica Tribunorum nomen poſt exactos Reges; & poſt Orientis atque Occidentis diviſum Imperium, & ex pluribus, quæ ſuperſunt, monumentis non ſit in comperto, Tribunos appellatos, quibus aliquod munus obeundum non modò publicum, ſed privatum tributum eſſet: *Venetos* vero Tribunos, & ab Inſulanis ipſis creatos, atque adeo inſtitutos, ut ſingulis inſulis jus dicerent; & neminem prorſus ſuperiorem cognoviſſe præter Ducem, & Magiſtrum militum, poſtquam creari cœpti

D ſunt, adeo clarum & certum eſt, ut à nemine in dubium vocari poſſit.

Fuêre quidam *Veneto* nomini cumprimis infeſti, qui leviſſimâ conjecturâ, immo nullâ ducti, neſcio quem Magiſtratum commenti ſunt, qui nomine vel Imperatoris, vel cujuſpiam Regis ſtagnis præſideret. Commento huic fidem ex eo facere conantur, quod *Tribunis Maritimorum*, & non *Venetiarum* Epiſtolam quandam ſuam *Caſſiodorus* ſcripſerit, quæ XXIV. eſt *poſtremi Libri Variarum*. Sed quis non videt, & ſi hanc epiſtolam *obiter* percurrat, non advenas, ſed indi-

E genas hos Tribunos exiſtere, & æquo jure viventes cum cæteris incolis? Permulta hoc indicant, ſed hæc ipſa verba præcipuè: *Per hoſpitia quodammodo diſcurritis, qui per patriam navigatis: carinæ veſtræ fluctus aſperos non paveſcunt. Juvat referre, quemadmodum habitationes veſtras ſitas eſſe perſpeximus. Arti veſtræ omnis fluctus addictus eſt.* Cur autem ſcripta fuerit hæc epiſtola *Tribunis Maritimorum* & non *Venetorum*, illud in cauſa fuit, quod alibi monuimus, hoc *Venetiarum* nomen non tantum *Caſſiodori* ætate, ſed multis etiam poſt ſeculis toti *Venetæ* regioni, non autem his æſtuariis proprium extitiſſe. Fruſtra

F ſe torquent plurimi in his *Caſſiodori* verbis: *Venetiæ prædicabiles quondam plenæ nobilibus.* Nam quidam exemerunt vocem illam *quondam*: alii vero fatentur ingenuè, ſe non ſatis aſſequi, quid ſibi velit ejuſmodi *Caſſiodori* verbum, aut Nobiles tunc omnes, derelictis inſulis, ad ſedes quemque ſuas reverſos fuiſſe ſuſpicantur; quod tamen alienum eſt à veritate, propterea quod ex hac ipſa Epiſtola *Caſſiodori* patet, divites æque, ac pauperes ſtagna tunc incoluiſſe. De *Venetæ* igitur

A tur regionis Continente accipienda ſunt verba illa *Caſſiodori*, quæ diximus, cujus duos modo fines, ad Ortum atque Auſtrum, aliis duobus omiſſis, propterea commemorat, quod occuparent illos, qui ad mare confugerant, maritimorum nomine ab ipſo nuncupati. Exhauſerant autem Barbarorum rapinæ & incendia provinciæ *Venetæ* ferè totam Nobilitatem, quæ plura detrimenta ſubiit atque mala, quò promptius obtulit ſe diſcrimini, atque dimicationi: quapropter tot paſſim ſtragibus populorum editis, maximiſque urbibus vel ſolo æquatis, vel direptis, hujus provinciæ, quæ prima occurrit *Italiæ* invadenti
B *Italiam* nobilitas, redacta fuerunt ad internecionem, quæ cauſa ſcribendi *Caſſiodoro* fuit, *Venetias* quondam nobilibus plenas extitiſſe, hoc eſt, *Venetam* Provinciam ſtagnis adjacentem. Nam ſtagna tunc *Venetiarum* nomine inſignita non erant, ex quibus vel inſcitia, vel malitia illorum arguitur, qui ad inſulas, & ſtagna pravè ac perperam trahunt, quæcunque de *Venetiis*, aut *Venetis Caſſiodorus*, & alii memorant. Canonicarius *Venetiarum*, ad quem ille ſcribit, videtur Magiſtratus aliquis fuiſſe, qui canonem exigeret, hoc eſt, vectigal aut tributum. Vox enim *Græ-*
C *ca*, ut regulam ſive normam notat, ita etiam poſtremis imperii temporibus uſurpari cœpit pro certo ac determinato genere tributi, quod à ſingulis, vel provinciis, vel gentibus perſolvendum eſſet. Sed fugit improbos homines ratio, qui mentiti ſunt, in æſtuariis Canonicarium ejuſmodi commorari ſolitum. Nam præterquam quod *Caſſiodori* ætati imperitè adſcribunt, quod multorum ſeculorum poſtea intervallo contigit, homines acutiſſimi minime viderunt, perficiendis mandatis Regis, aut Præfecti Prætorio, paludes has opportunam ſedem minime fuiſſe: niſi forte *Veronenſis* vini copiam comparare, & provinciæ agros à Barbaris vaſtatos inſpicere, ne pro iis ve-
D ctigal ullum exigeretur ab incolis, aliaque ejuſmodi Canonicario *Venetiarum* juſſa *Epiſtola* 4. & 7. *Lib. XII. Variarum*, licebat melius, ac facilius exequi in paludibus, & ſtagnis agenti, quam in continente. Sicuti etiam ineptiſſimè, aut potius, ut fucum faciant, malignè ad inſulas detorquent, quæ de *Venetiæ* ora maritima, & de iis qui maritimam oram incolerent, ſcripſerunt Hiſtorici. Quod autem *Epiſtola XVI.* Caſſiodorus admonet *de tributaria aſſe prompte perſolvendo*, primo quidem ſcripta eſt epiſtola illa tantùm Canonicario, non autem Canonicario *Venetiarum*, ut aliæ: atque ita cujuſnam ſit ille, non ſatis li-
E quet: deinde ad æſtuariorum incolas nequaquam transferri poteſt: ſiquidem juriſconſulti omnes nullum prope agnoſcunt, quod Majeſtatis tam proprium ſit, quam vectigal ſalis, nullum etiam, quod imminuat jura privatorum: quopropter impoſitorum vectigalium à Regibus licet immunitas *Romano* populo data eſſet per legem latam à Tribuno plebis, *Livius* tamen Cenſor obtinuit non invito populo, ut ſalinarium vectigal unum exciperetur, quod *Bodinus* etiam commendavit memoriæ. Si cui tributo igitur Inſulani eo tempore, huic ſalinario certe obnoxii maxime fuiſ-
F ſent, cum præſertim fortunæ tunc eorum cunctæ in ſalinis conſiſterent, *Caſſiodoro* teſte. Atqui ex eodem Auctore manifeſtò conſtat, vectigal tam opportunum, tamque juſtum ab Inſulanis nullum perſolutum fuiſſe: quî fieri ergo potuit, ut alia perſoluta fuerint, quæ perſolvere neque commodum, neque integrum erat?

Siquis tamen urgeat, pro fundis in continente poſſeſſis eorum dominos, quamvis in ſtagna demigraſſent, conſueviſſe tributi nomine aliquid exſolvere; hoc ut inficias temerè non iverim, ita prorſus autumo, nihil officere libertati potuiſſe, quæ in æſtuariis paulatim tunc adoleſcebat. At enim tribunis mandat Præfectus Prætorio, ut triticum, vinum, oleum, atque id genus alia, quæ *Hiſtriæ* populis ab eodem imperata fuerunt, ex ea regione *Ravennam* ſuis navigiis convehant. Sed qui rerum humanarum notitia & peritia valet, magnorum Principum cognoſcit eum morem eſſe, ut minoribus imperent, quaſi pro ſua poteſtate, tametſi neque ipſorum, neque ullius imperio ſubjectis. Plenæ ſunt univerſæ hiſtoriæ ejuſmodi exemplis, quorum ſimilia ætas habet quoque noſtra. Quid igitur novum foret atque mirum, ſi Regis *Gothorum* nomine Præfectus Prætorio mandaſſet, aut præcepiſſet elatius hominibus liberis, ſed quorum opes tenues admodum imbecillæque eſſent? Veruntamen ipſa verba, quæ *Caſſiodorus* uſurpat, nihil elatum ſapiunt, nihil arrogans. Qui vero imperandi verba illa, *Providete*, *Eſtote*, *Reficite*, trahunt ad Dominatum, vel imperitiam ſuam produnt, quod neſciant latinè; vel certè malignitatem, quod rem certam diſſimulent. Quid enim crebrius in omni ſcriptorum genere, quàm jubendi ejuſmodi voces formulæque incurrunt, minoribus æquè ac paribus, majoribuſque uſitatæ, vel in ſalute dicenda, vel dum aliud velint? *Vale*, *Veni*, *Scribe*, *Mitte*, &c.

Sed urgent, Inſulanis *Hiſtros* exæquatos, proptereaque ſubjectorum numero recenſitos, quod Caſſiodorus initio Epiſtolæ ita ſcribat: *Sed vos, qui numeroſa navigia in ejus confinio poſſidetis, pari devotionis gratia providete, ut quod Hiſtria parata eſt tradere, vos ſtudeatis ſub celeritate portare.* Cæterùm quid ſibi velit nomen devotionis, poſtquam corrupta eſt integritas *Latini* ſermonis, ne bajuli quidem modo ignorant, & agaſones: nam *famulos* cujuſlibet *devotiſſimos* cùm in litteris, tum in ſermone quotidiano omnes profitentur, ut in noſtra *Italica* lingua, quæ *Latina* eſt corrupta, nihil aliud ſignificet nomen devotionis, quàm ſtudium illud vehemens in aliquem hominem, cujuſcunque ille ſit generis, aut gradus, quo ſi res ita ferat, caput devovere pro ſalute, vel honore ipſius parati ſumus. Non igitur ſervitutis, vel obſequii ac officii poteſt eſſe index vox devotionis, non modò his noſtris temporibus, quod eſt exploratum, ſed etiam *Caſſiodori*, qui eâ ſcripſit ætate. Nam quo anno *Eutharicus*, Regis *Theodorici* gener, is autem fuit à *Chriſto* nato DXIV. conſulatum inivit, atque inter alia munera, amphitheatralia, venationes etiam diverſi generis ferarum in circo edidit: his de rebus ita ille ſcripſit in ſuo Chronico: *Cujus ſpectaculi voluptates etiam exquiſitas Africa ſub devotione tranſmiſit.* Quis autem affirmare auſit, his temporibus *Africam* Regis *Gothorum* imperio paruiſſe? Sed inclinante *Romano* Imperio in Occidente non tantum in forma publicæ adminiſtrationis, ſed etiam in tota ratione, tum victûs, tum cultûs, quam forma quoque ſermonis diverſa conſecuta eſt, apparet, inſignem admodum mutationem factam, ut domini, ac famuli vocabula, atque alia ſimilia, *Romanis* auribus quondam ingrata, immò intoleranda, tunc immutata conditione temporum paſſim audirentur, & verſarentur in ore cunctorum frequenter, ad ſtudium propenſamque voluntatem teſtandam erga aliquem quamvis æqualem, aut etiam inferiorem dignitate. Quapropter ex ejuſmodi formulis loquendi, quibus etiam hæc noſtra ætas in præſentia utitur, per Barborum convictum in uſum inductis, nullum, vel leve argumentum deſumi poteſt ad libertatem eorum convellendam, quos nullius

Principis jussis unquam obtemperasse, ex antiquitatis monumentis compertum habemus. *Gothorum* totam gentem rectæ fidei infensam, præcipueque *Theodoricum* Regem accepimus fuisse, qui cum infectus esset *Ariana* labe, *Catholicos* Episcopos insequi ac divexare nunquam destitit. *Odoacer* autem Rex *Herulorum*, qui eundem præcessit, à religione *Christiana* fuit omninò alienus, qui postquam *Romani* Imperii nomine in *Italia* deleto, Regnum in ea forma benè satisque confirmasse sibi visus est, tunc exercere tyrannidem apertam aggressus in *Christianos*, præcipuèque in Episcopos grassari cœpit. *Marcellianus* Aquilejæ Antistes, ut ejus Regis impetum declinaret, primus omnium, qui memorantur, in *Gradum* se recepit, anno *Christi* CDLXXXV, *ubi* (referre juvat ipsa verba Annalium) *illæsam fidem & puram cum suis tenuit, populo eum tutante.* Idem fecisse tradunt periculi evitandi causa, si quod à *Gothis*, aut etiam à *Græcis* immineret, qui proximi successerunt *Marcelliano* Episcopo, ut *Gradum* semper se conferrent, *Aquilejâ* relictâ, quoad *Albuino* anno DLXIIX. irrumpente in *Italiam*, *Venetiam*que regionem primam omnium petente, *Paulinus* & Clerici plerique omnes *Aquilejæ* pretiosam supellectilem omnem, & sanctorum reliquias, fugientes in *Gradum* insulam secum asportarunt, quorum exempla secuti proceres, atque cives permulti *Albuino* adventanti cum maximis copiis ferè vacuam incolis reliquerunt urbem, & pagos circumjectos. Primus igitur omnium *Paulinus* in *Grado* sedem *Aquilejensem* certam fixit & locavit, quam deinde duodecimo pòst anno *Pelagius* secundus auctoritate decretoque suo firmavit, ac sanxit, ut metropolis esset *Venetiæ* atque *Histriæ* Gradensis Ecclesia: quamobrem qui tunc erat *Aquilejensis* Antistes *Helias*, deinceps appellatus est Patriarcha *Gradensis*. Veruntamen ad palàm luce clarius comprobandum, *Venetos* qui inhabitarent insulas in æstuario sitas, nullius imperio obnoxios fuisse, præter jam dicta, evidentissimum ac firmissimum occurrit hoc argumentum. Quemadmodum prius obstiterant furentibus *Gothis*, ne *Catholicos* Episcopos, quos insectabantur, internecioni traderent ac de medio tollerent: ita etiam *Justiniani* edicto minimè paruisse, Imperatoris maximi atque potentissimi, cum tamen ille mulctaret exilio & pœnis gravissimis, qui cum eo non sentirent, Antistites quoslibet, & ne *Vigilio* quidem ipsi parceret, *Romano* Pontifici, quem ut captivum diu *Constantinopoli* tenuit. *Immunes*, inquit Baronius, anno DLIII. *à persecutione illi tantum fuerunt, qui non sub istius Justiniani degebant Imperio*; hincque accidit, ut *Venetiæ*, & ei adjacentium regionum Episcopi, cum essent sub *Francorum* dominio, contra quintam Synodum cogerent concilium *Aquilejæ*, cujus meminit *Beda*. Atqui bellum contra *Francos* à *Narsete* susceptum, postquam *Gothorum* vires penitus accendit, initium habuit anno DLIII, quo ipso anno *Vigilius* Pontifex convocato Concilio de tribus capitibus Concilii *Chalcedonensis* Justiniano tandem assensus est: confectum verò & feliciter profligatum bellum idem fuit, à possessione *Italiæ* penitus *Francis* deturbatis anno insequente DLIV, quo etiam celebratum fuit *Aquilejæ* Concilium, quod quidem apertè non solùm Imperatoris edicto, sed etiam Concilio *Constantinopoli* habito adversabatur: negat tamen *Baronius* & quidem meritò negat, initio anni DLVI, ubi de hac re agit, à communione *Catholica* Episcopos illos recessisse, propterea quod tuebantur se *Vigilii* constituto seu decreto, & præterea verebantur, nequid autoritati *Chalcedonensis* œcumenicæ Synodi detraheretur: si tria capita ex illa condemnarentur. Enimvero si dissidium hoc Ecclesiasticum centum ferè annos duravit, ut idem notavit, quî poterat *Gradensis* Antistes, princeps earum partium, adversus *Justiniani* vim *Francorum* ope defendi, qui nihil amplius in *Italia* Imperii habuerunt, postquam à *Narsete* expulsi sunt, & quidem eodem anno. Tametsi verò *Franci* perpaucos annos *Venetæ* Provinciæ quædam oppida tenuerunt, nunquam tamen penetraverunt in ipsa æstuaria, propterea quod navigiorum copiam non habebant, neque rei maritimæ ullam operam dabant. Expulsis verò Francis, *Narses* quidem poterat, nihil tamen aggressus unquam constat, licet *Justiniani* edictum atque imperium urgeret, *Pelagius* verò Pontifex non cessaret adversus *Paulinum* Episcopum illum incitare, quemadmodum apparet ex iis litteris, quas *Sigonius* recitat. Quæ causa *Narseti* fuerit hujus cessationis, an religio aliqua, quâ fuerit deterritus, ut nonnulli volunt, an voluntas propensa in stagnorum incolas, a quibus comiter exceptus, adjutusque fuerat, quando bellum *Gothis* facturus in *Italiam* venerat, cum neutrum certò affirmare possim, in medio relinquo. Hoc sanè apparet certum atque perspicuum, si tunc fuissent in *Justiniani* imperio ac ditione, quæ stagnis continebantur, oppida vel insulæ, aut non ausuras refragari ipsius autoritati; aut facilè incolas ad parendum potuisse redigi per eos, qui nomine Imperatoris ad gubernacula sederent. Sed liberi erant, qui tunc incolebant insulas, quales nunquam non fuerunt, & licet Imperatorum ac Regum qui successerunt, vel amicitiam, vel etiam fidem persanctè colerent, non tamen imperium ac dominationem patiebantur, subjectorum more. Aliud porrò est amicitia, societate, ac fœdere conjungi; aliud imperio contineri. Hi enim subjectorum numero censentur, & re verâ sunt: illi verò sunt liberi, suique juris, quamvis in amicitia, & fœdere non raro contingat, ut qui est inferior, in eo suam fidem obstringat, ut superioris majestatem comiter conservet, quod ex *Modestino* & *Cicerone* notavit Bodinus ipse *Cap. VI. suæ Methodi Historiarum.* Fieri quoque solet, ut qui viribus multùm supereminet, dominationem sibi arroget in socium, aut vicinos, & finitimos, cujus admodum imbecilles atque exiguæ sunt opes: sed utrum verbo seu titulo tantum, an reipsâ id efficiat, hoc permultum referre, quis non intelligit? Non enim falsa ostentatione imperii, atque inani titulo, sed vi dominationis oppressa deperit libertas. Esto igitur (quod nequicquam probare nonnulli student) ut Imperatorum & Regum aliquis, qui sunt rerum in *Italia* potiti, ejus universæ dominationem nomine sibi vendicarit, sicut etiam nonnulli totius *Italiæ* Reges à Scriptoribus vocati sunt, propterea quod tantilla pars tantummodo propriis legibus viveret, nunquam tamen ipsa res apparere potuit. Nam singularis Dei benignitas effecit, ut Insulanos, & loci naturâ tutos, & dum sua retinuerunt, à vi prorsus abstinentes, quinimmò officiis & obsequio Principes maximos prosequentes, dominatione atque imperio premere Princeps nullus cogitaret, cum operæ pretium vix se facturum videret, immò verò amissurum, si vim intentaret, quicquid acciperet à volentibus obsequii & officii. Ita *Gothorum* temporibus *Cassiodoro* petenti, ut ad oleum ac triticum, ex *Histriâ* Ravennam convehendum, mitterent navigia, nihil se difficiles præbuerunt. *Bellisarium* verò, & *Narsetem* Iustiniani Duces non solùm eximiè coluerunt, sed etiam juverunt, propter amici-

micitiam vetustam, & fœdus, quod illis cum Imperatoribus semper intercessit. Ex his igitur omnibus manifestè apparet, Insulanos his primis annis sub nullius Imperium ac dominationem subjectos, non plures quidem Respublicas particulares, sed unius tantum habuisse Reipublicæ formam, eamque adeo mistam, ut in militum Magistro, ac Tribunis singulis, in eorum Consilio, ac denique in omnium ac singulorum Congregatione speciem quodammodo, ac imaginem præ se ferret simplicium formarum, ex quibus coalesceret, & unius, & paucorum, & multorum.

Reliquum modò est, ut de Pueritia quoque nonnulla dicamus. A creatione primi in *Heraclia* Ducis, usque ad Reipublicæ sedem in *Rivoalto* firmatam, circiter centum & decem anni effluxerunt: hoc verò tempus pueritiam mihi Reipublicæ repræsentare quodammodo videtur, cum quasi vacillanti gressu, & nutanti pede, modo Ducibus, modo Equitum Magistris clavum tenentibus, sensim pedetentimque progrederetur, ut ad eam tandem, quam videmus, amplitudinem & majestatem perveniret.

Primus itaque Dux creatus non alieno quidem beneficio, & concessu, ut nonnulli perversè scribunt, sed eadem ratione & auctoritate, cunctis gentibus communi, quâ omnes propè Respublicæ constitutæ sunt, quâque multis ante annis liberi homines, ut Barbarorum injurias effugerent, in æstuaria hæc auspicato congregati, Tribunos & militum Magistros ad benè secureque vivendum sibi præfecerunt. Sicuti vero afferunt prisci Annales, qua de causa Dux ipse creatus; ita quænam ei fuerit tributa facultas, haud obscurè testantur. Etenim post ea verba: *Dum apud insularem Venetiam gentium multitudo copiosa in vico quolibet habitaret, Tribuni, & omnes Proceres, & Plebeji cum Patriarcha, & Episcopis, & cuncto Clero in Heraclea his diebus pariter convenerunt, ut imminentibus damnis & periculis obviarent, & suæ provinciæ decus, & statum prosperum in melius augerent. Cum itaque Tribuni majores insularum de prioritate disceptantes sibi ad invicem deferre vellent, Longobardi absque resistentia eorum fines pluries invaserunt. Qua de re unanimiter decreverunt Ducem sibi præesse.* Statim Ducis auctoritas sequitur ex Ducario jure, & lege, quam in Nota XV. superius attuli; *Qui scilicet, æquo moderamine populum sibi subjectum gubernaret, jus & potestatem haberet in publicis causis, concionem advocandi, tribunos etiam & judices constituendi, qui in privatis causis jura tribuerent, &c.* Quo fit, ut Duce non precario, sed propria vi, atque auctoritate creato, nihil omnino fuerit de pristina libertate imminutum; Ducis verò facultate legibus circumscriptâ, eadem fermè permanserit mista Reipublicæ forma, quæ ab ipsis incunabulis fuit constituta. Illud tantum immutatum, quod Dux cum habitu & incessu Majestatem quandam Regiam præ se ferret, unusque esset, ad quem provocatio concederetur, propius aliquantò, quam olim Tribuni, ad regale fastigium accedere videretur. At cum in publicis rebus nihil eidem ultra tributum fuerit, quàm *Concionem advocare*, non est, cur nonnulli ex hoc regium statum inductum, Reique publicæ formam ab omnibus ad unum conversam, judicent, quod superius etiam in eadem Nota XV satis superque à nobis ostensum est; sed duo præcipuè, quæ iis temporibus acciderunt, clarius demonstrant, quàm solis radii, cum sudum est, esse soleant.

Vid. Donati Iannotii Dialogum de Republ. Venetorum, & Crassi Notas ad eundem pag. 42. Edit. Nostræ Novissimæ.

Alterum evenit anno à *Christo* nato DCCXXV. *Urso* III. Duce: cum enim *Paulus* Italiæ Exarchus *Heracliam* confugiens, *Ursi* Ducis opem adversus *Longobardos* flagitaret, velletque Dux ingenio ferox, bellique artibus instructus illico auxilium ferre, noluit tamen *Veneta* Concio id statuere, quod paulo post, *Gregorio* Pontifice Maximo adhortante, frequentissimi Concilii suffragiis decretum est. Hoc sicuti ex Annalibus nostris cuicunque est in promptu: ita Sigonius *de Regno Italiæ Libro III. anno* 726. etiam memoriæ commendavit his verbis, quæ non pigebit referre.: *Paulus Ravenna pulsus, se ad Venetos Heracliam contulit, atque Ursi Ducis auxilium imploravit. Hoc ubi Gregorius sensit, privatas injurias publicæ causæ posthabendas ratus, statim litteras ad Ursum eundem misit, atque eum, ut Paulum omni ope juvaret, hortatus est.* Litteræ adhuc exstant in hæc verba conscriptæ:

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Urso Duci Venetorum. Quia peccato favente Ravennatium civitas, quæ multarum caput ecclesiarum est, à nefanda gente Longobardorum capta est, & filius noster eximius Dominus Exarchus, apud Venetias, ut cognovimus, moratur, debeat nobilitas tua ei adhærere, & cum eo nostra vice pariter decertare, at ad pristinum statum sanctæ Reipublicæ, imperiali servitio Dominorum filiorumque nostrorum, Leonis & Constantini magnorum Imperatorum, ipsa revocetur Ravennatium civitas, amore sanctæ fidei nostræ.

Lectis litteris Veneti Pontificis auctoritatem secuti, Paulum summa ope juvandum decreverunt, ac ratione rei gerendæ cum eo composita, classem ornarunt, sermone dissipato, se adversus Saracenos rogatu Imperatoris contendere statuisse. His ita constitutis Paulus quasi à Venetis repulsus: aliquot contractis copiis Imola accessit, & quasi eam urbem premere oppugnatione vellet, ibi exercitum quam maximum potuit, comparavit, ac die cum Venetis composita, castris inde Ravennam versus motis, urbem à terra repentè invasit. Pridie vero Veneti, cum simulata in Orientem navigatione evecti è portu essent, nondum orto sole in ancoris steterunt, atque eadem prope, qua Paulus, hora, classe littus appulsa, navales urbi milites admoverunt. Ad tantum tumultum exciti Hildebrandus & Peredeus, omnes qui ferre arma possent, ad mœnia properare, eaque præsentibus animis corporibusque tutari jusserunt. Cum omnes haud aliter, ac jussi erant, impigrè fortiterque fecissent, haud ægrè hostes clara in luce scalis appositis mœnia scandere contendentes sustinuerunt. Dum ad muros pugnatur, Veneti porta, quæ ad mare vergebat, effracta urbem intrarunt. Qua re animadversa Duces cum valido armatorum globo se objecerunt, ac prœlium atrocissimum commiserunt: quod cum per aliquot horarum spatium fortiter sustinuissent, tandem superveniente cum terrestribus copiis Paulo circumventi acie excesserunt. Peredeus fugiens in Pineto occisus; Hildebrandus vivus in manus Venetorum pervenit. Recepta urbe Paulus sedem & præfecturam suam inivit. Veneti, opera egregiè navata, domum redierunt. Ex his præter *Venetorum* vires atque virtutem, apertum & manifestum est non modò, quod diximus, *Venetos ipsos*, non *Ursum* Ducem de *Paulo* summâ ope juvando decretum fecisse: verumetiam id, non uti Imperatori subjectos, quod perversi & malevoli homines pugnare audent, Exarchi jussu; sed uti liberos suique juris *Christi* fideles, Pontificis Maximi suasu, & *amore sanctæ fidei nostræ:* immò cum voces in vulgus spargerent, se contra *Saracenos* navigationem dirigere, id non jussu, *sed rogatu Imperatoris* dixisse. Quam modò vellem præfractam frontem, & os impudentissimum eorum inspicere, qui *Venetam* Rempublicam eo temporis subjectam prædicare ausi sunt.

Al-

Alterum verò, quod evenisse superius diximus; paucis post annis contigit: cum scilicet *Ursus*, ipse Dux, ingenti virtute, justâque gloriâ plenus, atque elatiori animo, quàm moderato Reipublicæ Duci conveniret, *Heracleæque* patriæ plus æquo addictus, inconsulto, immò invito populo bellum adversus *Equilianos* produceret, & militum delectum haberet. Id enim cum legibus adversari, plurimumque libertati officere, haud injuria visum esset, à furenti populo interemptus est, quod in Annalibus memoriæ proditum his verbis: *Ma volendo il Dose col suo Consoglio perseverare nella detta guerra contra la volontà del Popolo essendo in piazza à soldar gente, il popolo si mosse con furia, e l'amazzò: onde li tribuni per fuggire tal furia andorno à Malamocco:* id est, *Cum Dux cum suo concilio bellum invito populo producere vellet, essetque in platea milites conscripturus, populus impetu facto in eum irruit, atque interfecit, quo factum est, ut Tribuni ad impetum fugiendum Metamaucum se reciperent.* Hinc præter libertatis studium *Venetorum* animis innatum, cujus causa fortissimum Ducem, & rebus gestis clarissimum occisione occiderunt, illud etiam animadversione dignum, Tribunos à primis Ducibus in concilium adhiberi solitos Ducisque Concilium appellari; nullam tamen iis tributam facultatem belli inferendi, aut faciendi fœderis aut pacis constituendæ, sed Concioni reservatam. Ducis vero patratâ cæde, cum perpetuus Reipublicæ Præses majores sibi spiritus sumere videretur, quàm par esset, Reique publicæ conduceret, annuum Magistratum creare libuit, qui præsideret, Magistrumque militum appellari: quod sicuti Insulanorum auctoritatem ostendit, præficiendi sibi pro arbitrio, quemcunque Magistratum vellent: ita Reipublicæ formam ex tribus illis simplicibus temperatam nihil immutavit. Id enim Magistro militum permissum, quod Duci concessum fuerat. Nec tamen diu annua potestas præfuit, quatuor post annis ad Ducem iterum creandum ventum est, cumque Duces iterum nimium sibi arrogarent, diminuta eorum facultas à Concione, duoque Tribuni ad causas administrandas adjuncti: nonnullisque Ducibus concessum à populo, ut filios aut fratres sibi socios atque collegas adjungerent. Nihil tamen magni ponderis atque momenti sine Concionis decreto à Ducibus atque à Tribunis statutum est: immo vero cum *Carolo Magno*, adversus *Desiderium*, Longobardorum Regem, pro *Romana* Ecclesia bellum gerenti, auxilium ferre vellent, rem in Tribunorum Concilio diu multumque agitatam, ad populi Concionem denique relatam, & constitutam fuisse, Annales testantur: cumque *Olivolensis* Episcopi creandi jus, pro rebus præclare gestis, à *Romano* Pontifice paulo post impetrassent, *Veneti*, *Clero ac Populo ad concilium convocato*, *Obelerium crearunt*, *qui à Duce*, pro suo Ducali jure, *investitus*, *à Patriarcha consecrationem accepit.* Carolus vero cum *Nicephoro* Orientali Imperatore fœdus percutiens, *Venetorum* libertatem nulla ex parte imminutam voluit, quod *Sigonius* ipse testatum reliquit *de Regno Italiæ* Libro IV. anno 402. quem ob id sæpius auctorem laudo, quod ab iis etiam, qui sunt *Veneto* nomini plurimum infensi, plurimum ei tribui, nec immerito animadverti. *Nicephorus*, inquit, *Imperio inito, rebus pariter conducere suis arbitratus, pacem cum Carolo habere, legatos ad Carolum, ad Solam amnem castra habentem, de feriendo fœdere misit. Eos Carolus non benignè solum excepit, sed etiam fœdere icto cum litteris domum remisit, in eo fœdere illud nominatim expressum, ut Veneti inter utrumque imperium positi, liberi atque immunes, & ab utroque securi viverent, & sine molestia res suas in regno Italico possiderent.* Quod certè deberet malignis ac improbis impurum & ferreum os penitus obstruere, dum Imperatoribus hisce subjectam *Venetam* Rempublicam fuisse contendunt. At *Veneti* post bellum *Gallicum*, de quo in Nota XII. satis dictum est, Imperii sedem *Rivum altum* transtulerunt, *Angelo Patriciaco* Duce: hujus donationem *Joanni* cuidam Abbati Sancti *Servuli* factam vidimus, in quâ *Venetorum* Procerum, & Populi nomen, præter Ducem, & filium Collegam disertè leguntur; nihil enim magni momenti sine populi, seu Concionis assensu fieri, notissimum est lippis, ut ajunt, atque tonsoribus. Quod si, ut Bodinus ipse Libri I. Capite 8. docet, *in eo Principis Majestas elucet, cum populi tribus & ordines humili habitu ad Principem rogationes ferunt, nec ullam imperandi, prohibendive, nec suffragiorum potestatem habent; sed Princeps arbitrio suo, ac voluntate omnia moderatur, & quæcunque decrevit, & jussit, ea legum vim habent:* non video, cur ipse Libri VI. Capite IV. *Venetorum Ducis Principatum ante Sebastianum Zianum puram Monarchiam* vocaverit; cum *Venetus* Populus suffragiorum potestatem semper habuerit, atque imperandi, & prohibendi facultatem, Ducesque Concionem convocare, & ad eam referre deberent; tantumque abfuit, ut omnia suo arbitrio & voluntate moderarentur, ut nihil ferè sine suo Concilio, nihil magni ponderis sine Concione statuerint: leges vero nunquam nisi à Concione sancitæ fuerint: quod sicuti hujus in Reipublicæ pueritia, sic deinceps in adolescentia obtigisse demonstrandum est.

Vid. Donati Jannotii Dialogum de Republica Venetorum, & Crassi Notas ad eundem, pag. 28. Edit. Nostræ Novissimæ.

Adolescentiam vero appellamus intervallum illud CCCLIII annorum, quod inter *Angelum Participatium* Ducem, & *Sebastianum Zianum* interjectum est; quo tempore aliquanto major auctoritas Ducibus tributa, nunquam tamen ejusmodi, ut regiam plane potestatem sibi arrogarent: immo vero si aliquando quicquam sibi assumerent, quod publicæ libertati obesse videretur, & in suspicionem inciderent appetendi regni, aut oculis capti, aut in sacra cœnobia detrusi, aut vitâ privati affectatæ tyrannidis pœnas luere cogebantur. Equidem satis mirari non possum, quid iis in mentem venerit, qui scripserunt Duces *Venetos* ante *Sebastianum Zianum* regalem auctoritatem habuisse. Leges enim his temporibus non à Duce tantum, sed à Proceribus atque Populo constituebantur, quarum unam aut alteram exempli causa referre non pigebit, in quibus etiam prisca *Venetorum* pietas eluceat. Anno à Christo nato DCCCLXIV. *cum mercatores Veneti*, uti verbis utar Annalium, *lucri cupidi à piratis mancipia compararent, & transfretantes de eis commercium facerent, huic manifesto facinori Duces obviam euntes, unà cum Clero & populo Venetiarum piè decreverunt, ne quis de mancipiis commercium faciat, imponentes graves pœnas.* Anno vero XIII Petri Candiani Ducis, qui CMLIX creatus est, *Dux ipse cum Vitale Patriarcha filio suo Marino Episcopo Olivienfi, & cæteris Episcopis, Clero, & populo Venetiæ, zelo fidei Catholicæ, cupientes etiam Imperatoribus Constantinopolitanis gratum facere, qui ad recuperandam terram sanctam operam dare proposuerant, piè statuerunt, ne quis subditus, vel fidelis Venetiæ audeat, vel præsumat mittere, vel differre ad terras seu loca Saracenorum arma, ferrum, lignamina, vel alia, cum quibus possint impugnare Christianos, vel ab eis se defendere, sub pœna centum librarum auri, Duci vel successoribus applicanda: & si contra facientes non habe rent, unde solverent,*

rent, *capitalem subire debeant sententiam.* Quæ vero ad bellum spectabant, si celeritate opus esset, & res dilatæ perniciem afferre viderentur, à Duce tantum atque Tribunis, quos Ducis Concilium appellant, constituebantur: si de bello inferendo, de pace conficienda, aut de feriendo fœdere decernendum esset, Dux re cum Tribunis diligenter excussa, ad Concionem referebat, quæ pro animi arbitrio suffragia ferebat, & quæcunque vellet, statuebat. Quo factum est, ut cum *Narentari*, Petro Tradonico Duce, *Venetorum* finibus ignem & depopulationem inferrent: *Dux*, ut referunt Annales, *cum suo Concilio multas naves instruere & armare decrevit, quibus Joannes filius præfectus fuit, & victoriam habuit:* cum vero Comaclenses à Venetis defecissent, anno à Christo nato DCCCCXXXIII. *Dux cum suo Concilio magnam cymbarum classem armavit, Comaclum citò recepit, ibique arcem ædificandam curavit.* At *Othone Urseolo* Principe, cum *Veneti Popponi* Patriarchæ *Aquilejensi*, ob cladem contra fidem *Grado* illatam, vehementer infensi, urbem eandem repetere decrevissent, *Dux, & Patriarcha eò cum exercitu*, ut tradit Sigonius Lib. VIII. de Regno Italiæ; *non suopte consilio, sed populo ipso jubente profecti urbem invaserunt, eamque primo adventu, dedentibus custodibus, receperunt.* Vitali vero Michaële Duce cum classis maxima adornanda, eique Imperator præficiendus esset, *congregata concione*, ut scriptum est in Annalibus, *in capella Sancti Marci Henricum Contarenum Episcopum, & Joannem Michaëlem Ducis genitum, in Duces exercitus elegerunt, & CC ferè navigiorum parato solo, à portu secedentes in Dalmatiæ fines profecti sunt.* Eadem ratione cum Dominicus Michaël Reipublicæ clavum teneret, *ad Papam Calixtum, & Ducem Venetiæ Antiochenus, & Hierosolymitanus Patriarchæ, & Balduinus II. Rex Hierusalem legatos miserunt petentes, ut sicut necessitas exigebat, eis providerent, & auxilia necessaria ferrent: Calixtus etiam per suos nuntios Ducem ad hoc inducit, fideique vexillum illi tradidit. Dux igitur Christianis compatiens, Concione collecta in capella Beati Marci de subsidio exhibendo Venetos exhortatus est, populi ergo collaudatione crucem assumunt, & CCC circiter galeas, & naves bellicas, & onerarias parare decernit;* tantum verò aberant Duces à Monarchia, quam *Bodinus* & alii nonnulli objiciunt, ut non solum in condendis legibus, paceque, & bello statuendo: sed in iis etiam, quæ ad agros publicos, vectigalia & ærarium pertinerent, cuncta ad Concionis arbitrium agerentur. Etenim cùm *Petro Tribuno* Duce, *Clodiæ* civitati onera imponerentur, ea sanè non Dux unus pro jure suo, *sed ipse cum suo Concilio, & omnes totius Venetiæ Majores, & Minores constituerunt*, qui præter Ducem, & Judices L. tabulis publicis subscripserunt. *Otho* vero *Urseolus* Dux anno à *Christo* nato MIX cum *Novæ Civitati* ex pacto & convento, eadem ferè onera subeunda decernerentur, non ipse imponere ausus fuit, sed *unà cum suis Judicibus Concilio & Populo Venetiæ*; tabulis vero ad L subscripti sunt. At cum *Joannes Maurocenus* Monachus insula, quæ D. *Georgii* appellatur, donatus fuit, *Tribuno Memo* Principe, id his ipsis verbis litteris consignatum est.

In nomine Dei Salvatoris nostri Iesu Christi, anno ab incarnatione ejusdem Redemptoris 982. *mensis Decembris vigesimo, indictione undecima Rivo alti. Quia tu Joannes Mauroceno Monachus, Religioni Christi traditus, locum tibi aptum, & cæteris secutoribus Christi, diu considerans petisti, tibi & posteris Christo servituris monachis dari: hoc est Ecclesiam S. Georgii Martyris, quæ semper fuit capel-*

A *la Beati Marci, titulus, & jus nostri Palatii. Ideo nos Tribunus, Dei gratia Venetiæ Dux, motus tuis precibus, hortantibus & consentientibus nobis D. Vitale egregio Patriarcha, simul cum Episcopis nostris, & cum Primatibus seu Majoribus, & Populo Venetiæ, quorum manus optimorum, ob firmitatis indicia subtus adscriptæ sunt; assensum petitioni tuæ cum successoribus nostris damus, eandem Ecclesiam perpetualiter fieri Monasterium, ad laudem omnipotentis Dei, & nostræ Patriæ tuitionem, ita ut tu omnibus diebus vitæ tuæ monastico more vivas, catervam Christo servituram, juxta discretionem à Deo tibi traditam, ibi potestati tuæ ordinare debeas,*
B *sine nostra, vel successorum nostrorum, aut cujuslibet hominis contrarietate, cum toto ædificio, libris, thesauro & vinea ibi conjuncta, & paludibus, rebusque mobilibus ad eam pertinentibus; quia æquum est, Christo famulari desiderantibus, libera in omnibus illi serviendi tribuatur facultas. Quicquid autem tu ibi dederis de tuis facultatibus, aut si tu eam melioraveris, nullus in vita, vel post transitum tuum inde aliquid requirere præsumat; sed in dominio ejusdem Ecclesiæ, quam deinceps monasterium perpetualiter manendi ordinamus, semper maneat ad succedentium fratrum subsidium: verum ob minas, molestias, aut contrarietates à nobis, aut successoribus*
C *nostris sibi inferendas præfatum monasterium relinquere non debeas; sed eum possidere, tenere, meliorare, & ad cultum divinum providere, juxta regulam Beati Benedicti, debeas sine nostra, aut successorum nostrorum, vel aliorum hominum contrarietate, ut dictum est. Post tuum vero transitum potestatem inde damus cum successoribus nostris Abbati, qui ibi per tempora fuerit, & cæteris fratribus, ut eorum sit monasterium per successionem, & consuetudinem, seu regulam cæterorum monasteriorum Dei. Verum quia Ecclesia fuerat pertinens ad dominium Basilicæ Sancti Marci, quæ est capella nostri Palatii, & libera à servitute sanctæ Matris Ecclesiæ,*
D *volumus, ut in eadem libertate semper consistat*, &c.

Huic vero diplomati Dux ipse cum Episcopis, & aliis ad CXXX subscripti sunt. *Vitalis Michaël* quædam Reipublicæ vectigalia ad annos XI vendidit; supersunt litterarum monumenta in hæc verba conscripta, ex quibus, quanta fuerit Ducis auctoritas, facilè constabit:

In nomine Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto, mensis Junii, indictione XII Rivo-alti. Si propriæ utilitati quicquid amare videmur, quæ ad communem spectant utilitatem, propensiori studio, vehementiori diligentia pertractare atque gubernare de-
E *bemus. Quapropter nos quidem Vitalis Michaël, Dei gratia, Venetiæ, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, cum judicibus, & sapientibus, atque populi Venetiarum collaudatione & confirmatione, cum nostris successoribus concedimus, atque damus vobis quidem Sebastiano Ziano partes duas totius mercati Rivo-alti, & Aurio Mastropetro similiter partes duas, Annano Quirino partem unam, Gratoni Dandulo unam, Tribuno Burozzi unam, Petro Memo unam, Joanni Vaizo unam, Marco Grimano unam, Angelo de Bonaldo unam, item Aurio Aureo, & Leoni Faletro, & Petro Acotanto unam, de qua parte medietas est Auri Aurei; & alia medietas est*
F *inter Leonem Faletro, & Petrum Acotantum. Hunc igitur mercatum Rivo-alti, & omnes reditus nostri communis, quæ in Rivo-alto sunt, vobis concedimus &c. ab istis calendis Maji, usque ad undecim annos completos. Hæc ideo vobis damus, quia de vestro proprio havere nostro communi in maxima necessitate constituto subvenistis, videlicet marcas argenti mille centum quinquaginta inter vos omnes persolvistis*, &c. Subscripsit verò Dux, tres Judices, &

& alii CIX. Quis verò regium ſtatum his Ducibus tribuere poteſt, qui cuncta *cum Judicibus, & Sapientibus*, & quod caput eſt, cum ipſius Populi *collaudatione & confirmatione* faciebant? Neque verò nomen Ducis cæteris præpoſitum Monarchiæ ſignum, immò verò quod minime ſolum, ſed Concilio, Sapientibus, & Populo præpoſitum fuerit, ejus quas diximus miſtionis, certiſſimum indicium eſſe debet. Quid? quod *Vitalis Faletrus* Dux, licet *proprio expendio*, ut Annales loquuntur, *& pretio ædificaſſet à fundamentis caſtrum Laureti*, cum id nonnullis incolendum concederet, non tamen ſine Concilii, Populique auctoritate id auſus eſt efficere. Supereſt monumentum hoc, in quo diſertè; *Vitalis Faletrus, Dei gratia Dux, unà cum Petro Baduario venerabili noſtro Patriarcha Gradenſi, & cunctis noſtris Epiſcopis, & Judicibus, nec non cum Nobilibus principalibus noſtris, & Populo Venetiarum damus caſtrum ad perpetuum retinendum*, &c. atque onera imponit. Subſcripſit verò Dux, Judices, & alii LVI. Neque ſolum in hujuſmodi rebus Concilii aut Concionis auctoritate & decreto opus erat, ſed cum Legati Reipublicæ nomine creandi eſſent, *Dux cum Patriarcha, Epiſcopis, Clero, & Populo Venetiarum* eos eligebat: hi namque omnes *Joannem Contarenum*, & *Joannem Dentem* Diaconum delegerunt ad *Joannem* Papam, & *Othonem* Imperatorem *in Synodo Romæ congregata, ubi viſis & diſcuſſis privilegiis Gradenſis Eccleſiæ definitione Synodi terminatum eſt, dictam Eccleſiam eſſe Patriarchalem, & metropolim totius Venetiæ*; quod fuit *Petro Candiano* Duce. Quod autem magis mireris, in rebus etiam parvi ponderis nihil Duces ſine Concilio ſtatuebant, quod apparet ex iis, quæ de ſupplicatione Deiparæ Virgini decreta, anno à *Chriſto* nato MDXLII. cum *Petrus Polanus* Reipublicæ præſideret, litterarum monumentis commendata ſunt, ut in tabulario Patriarchali videre eſt:

In nomine Domini, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo, menſis Februarii, indictione ſexta Rivoalti, ſi ea quæ antiquitus, præſertim pro noſtræ Patriæ honore & utilitate, à Prædeceſſoribus noſtris proviſa, ac diligenti conſideratione ſtatuta ſunt, in ſua diſpoſitione conſervanda, & manutenenda continentur, inter cætera, quæ inde proveniunt, honor patriæ conſervatur, & augetur, diſſidium omne vitatur, ac nobis ipſis non modica quies confertur, ſiquidem, &c. Cumque nos Petrus Polanus, Dei gratia, Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, & Joannes Polanus, eadem gratia, Caſtellanus Epiſcopus, hujuſmodi diſſidium reſpiceremus, ne deinceps amplius fieret, operam dedimus. Congregatis igitur nobis in noſtro Palatio unà cum noſtris judicibus, & ipſis viris ſapientibus, qui præerant conſilio, quòd hoc in tempore pro honore, & utilitate, ſeu & ſalvatione noſtræ Patriæ habebatur, quorum concilio Venetiæ populus obedire ſacramento eſt aſtrictus; ipſique honorem, & profitum, ac ſalvationem, & quietem noſtræ patriæ diligenter conſiderantes unanimiter dixerunt, & collaudaverunt, & nos prænominatus Petrus Polanus, Dei gratia, Venetiarum Dux, & Joannes Polanus eadem gratia Caſtellanus Epiſcopus, confirmavimus Clero, & Populo Venetiarum collaudantibus quod &c.

Monumentum hoc, ſi quicquam aliud, miſtam Reipublicæ formam non ſolum præ ſe ferre, ſed etiam clamitare videtur; in eo namque Dux, qui Regis perſonam quodam modo ſuſtinet, ſe pro jure ſuo *Concilium coëgiſſe* teſtatur: Concilium vero ex judicibus, & viris ſapientibus conſtare, *quorum concilio Venetiæ populus obedire ſacramento erat aſtrictus*, quid aliud repræſentat, quàm Ariſtocratiæ formam? Quod autem à Concilio deliberatum fuit, id totius Populi firmatum eſſe conſenſu, nonne Popularem ſtatum demonſtrat? Hoc verò, niſi quid me fallit, quam longiſſime à purâ Monarchiâ disjunctum eſt. Unum omittere non poſſum, quod in Annalibus animadverti, antiquos Duces ne in matrimonium quidem peregrinam ducere auſos, ſine Populi aſſenſu. Cum enim Annales *Othonis Urſeoli* Ducis nuptias referunt, hoc utuntur loquendi genere: *Hic Dux cum populi voluntate Græcam uxorem duxit, filiam Gettæ Ungarorum Ducis, & ſororem Stephani Regis, qui pro ſancto habitus eſt.* Eant modo *Veneti* nominis hoſtes, & Regia prorſus poteſtate præditos prædicent eos, qui ne uxorem quidem ex animi ſententiâ alienigenam ducere poſſent. Jus tamen dicebant Duces ipſi, judices pro arbitrio eligebant, à quibus provocare ad Duces cuicunque integrum erat; uno verbo, totam Reipublicæ partem, quæ ad judicia ſpectant, ſoli temporibus illis tractabant.

Sed cum omnia Reipublicæ proſperè proceſſiſſent, multis civitatibus in ejus ditionem & poteſtatem redactis, imperii finibus propagatis, ipsâque Civitate mirum quantum auctâ & amplificatâ, multos creare Magiſtratus neceſſe fuit, de quibus *in notis ad Contarenum & Jannotium* ſatis dictum eſt.

Non deſunt, qui *Venetorum* Duces ante *Sebaſtianum Zianum* non modò regali auctoritate præditos, quod hucuſque refellimus, ſed etiam Imperatoribus ſubjectos prædicent eo nomine, quod ab iis multa, ut vocant privilegia obtinuerint. Sicut enim in fœdere à *Carolo Magno* cum *Leone* Imperatore innovato, *de libertate, immunitate, & quiete Venetorum* cautum fuit, anno à *Chriſto* nato DCCCXII. ut refert Sigonius *Lib. IV. de Regno Italiæ*, ita non modò Carolus Craſſus *fœdus*, ut Sigonii verbis utar, *inter Venetos atque Italicos ſibi ſubjectos in quinquennium renovavit, anno* DCCCLXXI. & *Vido* Imperator poſt decennium *Petro* Venetiarum Duci, atque *Hugo* Rex *Urſo*, anno CMXXVII. vetus privilegium *de tuta juſtaque rerum ſuarum in regno Italico poſſeſſione* firmarunt: ſed etiam *Berengarius* II, anno CML. & *Henricus* IV, quem Germani ſcriptores V. appellant, anno MCXI, & *Lotharius* III. MCXXVI. fœdus inter *Venetos & Italicos* redintegrarunt, ac fines poſuerunt; quod etiam *Henricus* III. fecerat, *qui in Marchiam cum veniſſet, Tarviſii fœdus cum Vitali Faletro Duce Venetorum renovavit, & filiam ejus è ſacro fonte ſuſcepit, & cum corpus ſancti Marci nova condita æde inventum, variis miraculis vicinorum in ſe oculos convertiſſet, & ipſe Venetias adiit, atque Urbem luſtravit, & Reipublicæ deſcriptionem laudavit, & monaſteriis privilegia indulſit.* Ego verò ex his ipſis privilegiis nihil pro regio ſtatu, nihil adverſus priſtinam libertatem concludi poſſe exiſtimo. Nam quod iſti afferunt, *Venetorum* Ducibus, non Reipublicæ aut *Communitati* inſcripta privilegia, id nullo negotio refellit priſca Reipublicæ conſuetudo, quam ad hanc ipſam diem conſtantiſſimè retinuit, omnia tractandi, atque adeo ſcribendi Ducis nomine. Cæterùm quis non videt, ex primo fœdere *Caroli Magni* cum *Nicephoro* non datam, ſed firmatam *Venetorum* libertatem, ut ab utroque Imperatore ſecuri viverent? Quis non intelligit, id præcipuè cautum, ut ſine moleſtia res ſuas, fundos ſcilicet, in *Patavino*, & cæteris *Italici* regni partibus poſſiderent? Nonne teſtantur id ipſa verba? Cum vero *Carolus Craſſus* fœdus iciſſe dicitur inter *Venetos* & *Italicos*

cos sibi subjectos, nonne *Venetos* ab iis, qui subjecti sunt, distinguit, atque minimè subjectos ostendit? Quid tandem alii sibi volunt, qui *de tuta justaque rerum suarum in Italico regno possessione* privilegium confirmant, quàm idem tribuere, quod *Carolus Magnus*, ut scilicet fundos sine molestia in continente possiderent? Multa possem privilegiorum fragmenta in medium proferre, ex Annalibus nostris collecta; sed cum omnia ferè eadem tribuant, satis erit *Henrici IV.* qui à Germanis V. dicitur, privilegium, quod integrum ad manus meas pervenit, transscribere, ut nemini liceat imposterum tam absurda & inepta objicere, quàm ea sunt, quæ nequissimi homines fingunt, & somniant.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. Henricus, Divina favente Clementia, Quintus, Romanorum Imperator Augustus. Quoniam stabilem Christianorum Principum charitatem operari plurima bona, ad multorum utilitatem, evidenter novimus, & virorum sapientes, & discretos Rectores regnorum suorum, notos habere semper & amicos curavimus. Ordelaphum Faletrum Dei donis Christianum, & clarum Ducem Veneticorum, quem luce sapientiæ, & totius honestatis ubertate prædicabiliter pollere, manifestum est, habere notum & amicum ad decus Imperii nostri stabilitate perpetua decrevimus, ad cujus rei perpetuam confirmationem hoc, quod ipse Dux, vir sapiens & honestus, fieri exaudibiliter postulavit à nobis, consilio nostrorum Principum digna postulatione impetravit. Hac igitur ratione tantæ dilectionis uniti, nostram utrinque caritatem rationabiliter observavimus, & in multis magnisque negotiis, publicis ac privatis, ejus sinceram dilectionem, & præclaram sapientiam Imperio nostro & nobis, nostrisque fidelibus utilem existere probavimus, & quia ipsius rei evidentia, & sapientum judicio sapiens ac discretus ipse Dux Venetici Regni rector existit, & egregia voluntas, & puræ dilectionis exhibitio, quam semper erga nos habuit, & nostrum Imperium, eum nobis in omnibus commendabilem exhibuit, dignus ejus, & honestus interventus apud nostram Imperatoriam Majestatem, locum charissimi amici & viri sapientissimi venerabiliter obtinuit. Igitur ob sinceram, & venerabilem ejus dilectionem veræ charitatis vinculis astrictam, quicquid ipse Dux, & Venetici Ducatus Ecclesiæ, & Populus, retro per tringinta annos, Imperii nostri potestate, secundum quod in præcepto nostri patris, & nostrorum prædecessorum, Regum, & Imperatorum continetur, & pacto Othonis Imperatoris legitur, justè, & legaliter habuit, & tenuit, per hanc nostram Imperialem paginam renovamus, atque confirmamus. Hujus autem rei internuntii inter nos & prædictum Ducem, nostrum charissimum amicum, viri nobiles extiterunt, Vitalis Faletrus ejus consobrinus, Morocenus, & Stephanus dilectus ejusdem Ducis Capellanus & Cancellarius, atque Urso Justinianus vir illustris, non quod istorum gratia vel cujuslibet alterius hoc faceremus, sed solummodo dulci charitate Ducis charissimi nostri, cui indissolubiliter uniti sumus, prout dictum est. Hoc egimus ita quidem ut pars parti nil malignum, aut injustum, sed semper quod rectum est, in omnibus rationibus rebusque facere præsumat; & si, quod absit, aliqua malitia vel læsio inter partes commissa fuit, per hujus fœderis decreta tegatur, ac facta satisfactione à rebelli & transgressoria parte ad pactum observandum, hæc series fœderis inviolabiliter semper maneat, per cuncta annorum curricula remota contradictione vel impugnatione tàm nostra, quàm nostrorum successorum omnium; quia injustum videtur, ut aliquis vel suis, vel aliis æquis sanctionibus oppugnare nitatur, & ut maxime ac specialiter no-

A *tentur vicini populi, tàm ex nostro Imperio, quàm ex prædicto Ducatu Venetiæ, à quibus omnimodo hanc pactionis institutionem observandam esse decrevimus. Hi sunt ex nostro scilicet jure, Papienses, Mediolanenses, Cremonenses, Lucenses, Pisani, Genuenses, Placentini, Ferrarienses, Ravennates, Comaclenses, Florentini, Aritminenses, Pisaurienses, Censenatenses, Janenses, Senogalienses, Anconenses, Humanenses, Fermenses, Eporienses, Veronenses, Montesicenses, Gautlenses, Vincentenses, Paduenses, Tarvisienses, Cenetenses, Forojulienses, Histrienses, & cuncti de nostro Italico regno, sive qui modò sunt, sive qui imposterum futuri sunt. Ex prædicto*

B *verò Ducatu Venetiæ sunt Rivoaltus, & Metamaucenses, Clujenses, Palesthinenses, Caputargolenses, Brintellenses, Lauretenses, Babienses, Murianenses, Majorbienses, Torcellienses, Amianenses, Buriaretes, Constantienses, Aquilienses, Caprolenses, Civitatinenses, Finenses, Gradenses, & cuncta generalitas Populi Venetiæ, sive qui modo sunt, sive qui futuri sunt. Confirmamus itaque Venetiorum fines à nemine nostrorum inquietari, invadi, vel minorari debere; sed liberè, & absque ullo impulsu, quæ retro ab annis possedere triginta, deinceps possideant. Proprietates vero, & prædia, quæ habere videntur tàm ipse Dux, quàm suus Patriarcha, nec*

C *non & Episcopi, Abbates, & Ecclesiæ sanctæ Dei, & reliquus Populus Venetiæ sibi subjectus, infra potestatem Imperii nostri, sive in campis, sive in domibus, pratis, silvis, vineis, paludibus, salitis, sationibus, piscationibus, & cæteris possessionibus, quietè possideant, absque cujusquam insultantis machinatione, aut læsione, sive sinistra quapiam tergiversatione: ita ut nemo contrarietatem eis facere præsumat, nec etiam venationem, aut populationem, sine eorum licentia exerceat, neque violentiam ibi residentibus inferat. Neque aliquam navim ipsorum Veneticorum in aliqua nostri Imperii parte periclitantem prædari, seu hominibus naufragium patientibus aliquam contro-*

D *versiam inferre præsumat; quod si qui fecerint, componant centum libras auri purissimi illis, quibus injuriam facere præsumpserint, & res ejus dominio possidentium mancipentur, & quietè liceat possessoribus illas tenere ac frui: quod si excursus inter partes factus fuerit, persona ipsa, quæ in capite fuerit ad eandem malitiam faciendam, infra sexaginta dies tradatur, & omnia, quæ fuerint ablata, in duplum restituantur. Quod si ipsum duplum compositum non fuerit, vel si ipsa persona tradita non fuerit infra dies sexaginta, ut dictum est, tunc per unamquamque personam, quæ ipsam malitiam perpetravit, componantur auri solidi quingenti. Si fur-*

E *tum inter partes factum fuerit, duplum restituatur. Si servi, aut ancillæ inter partes confugerint, cum omnibus rebus, quas secum detulerint, reddantur, & judex, qui ipsos fugitivos reddiderit, accipiat pro unoquoque singulos solidos auri: sic tamen ut si amplius requirit, per sacramentum idoneum dominus illorum satisfactus sit. Si vero judex, vel alius ipsos fugitivos susceperint, & eos reddere negaverint, & exinde fugerint, tunc pro unoquoque fugitivo componat auri solidos septuaginta duos. Quod si dubium fuerit, & denegaverit judex, vel auctor loci illius, in quo ipsi fugitivi requiruntur, tunc præbeant sacramentum duodecim electi, quod ibi nec*

F *suscepti fuerint, nec illos habeant, nec in conscientia illorum sint, nec aliquas res eorum secum habuerint. Si autem hoc distulerint facere, post primam & secundam contestationem, præsentia testium per pactam jussionem judicis sui, liceat ei pignorare hominem de ipso loco, ubi causa requiritur, ita tamen, ut ipsum pignus prius peracta justitia per integrum reddatur, & nullatenus liceat alicui pignus accipere per alia loca, nisi ubi fugitivi, aut causæ requirun-*

tur. Et si pignoratio pervenerit, non præsumat alia pars pro pignore alium pignorare, sed expectet usque ad audiendum causam, ita sanè ut causæ in sex mensium spatio fiant, & sint finitæ, reddens prius quod ex judicio condemnatus fuit, & pignus suum recipiat. Nam si quis de alio loco pignus tollere præsumpserit, aut sine causa tulerit, aut aliquem pro pignore pignorare præsumpserit, in duplum quod tulerit, restituat; si vero equi, vel equæ, aut armenta, aut alia quadrupedia fuerint furata, in duplum restituantur: si ipsa erraverint, modis omnibus reddantur. Quod si post primam & secundam contestationem minimè reddita fuerint, tunc pignoratio fiat de loco, ubi requiritur, usque dum pars parti satisfiat, & post satisfactionem reddantur ipsa pignora. Et hoc statutum est, ut si fugitivus, seu res reddita fuerint, vel si per sacramenta satisfactio adimpleta fuerit, modis omnibus pars parti securitatem faciat. Si quis vero extra memorata capitula pignorare præsumpserit, causam perdat, & quæ tulerit, restituat. Negotia autem inter partes fiant; & liceat dare, & accipere, quicquid inter eos convenerit, sine aliqua violentia vel contrarietate, ita ut æqua conditio utrarumque partium negotiatoribus conservetur. De ripatico autem secundum antiquam consuetudinem, pars parti observet omnem quadragesimam, & licentiam habeant homines ipsius Ducis ambulandi per terram, sive per flumina totius Regni nostri; similiter & nostri per mare, & per flumina usque ad os, & non amplius. De hoc convenit, ut si qua læsio inter partes evenerit, legati non detineantur; si vero detenti fuerint, relaxentur & componantur eis solidi trecenti, & si, quod absit, occisi fuerint, componantur parentibus eorum pro ipsis solidi mille, & ipsa persona tradatur in manibus ipsorum. Si quis inter partes causam habuerit, vadat semel vel bis cum epistola judicis sui: si ei justitia minimè facta fuerit infra dies 14, si ipse homo unde justitia requiritur, infra ipsum locum fuerit, infra dies septem licentiam habeat pignorandi: judex qui ipso tempore ordinatus fuerit infra causam suam, quantum ipsum debitum erit, & ipsum pignus usque ad prænominata notet: quod si ante steterit ipsum pignus, componantur solidi duodecim, causa manente, & pro eo iterum pignoratio fiat, ubi potuerit in finibus, ubi causa requiritur: si tamen ubi judicium ambabus partibus annunciatum fuerit, residentibus duobus de utraque parte, de loco ubi causa requiritur, quod ipsi determinaverint per evangelium, pars parti satisfaciat. Addimus autem, ut si quis homicidium perpetraverit, modis omnibus ipse, & quanti mixti fuerint in homicidio, ligati tradantur. Quod si factum non fuerit, pro unaquaque persona componantur auri solidi 300. Simili pœna decernimus damnandum eum, qui in communibus tumultum populi excitans homicidium perpetraverit: quod si tumultus sine homicidio, aut plaga sedatus fuerit, componat pro excitatione solidos auri 300. Si aliqua pignoratio in sylva fieri debuerit: sine homicidio fiat, & si, quod absit, homicidium factum fuerit, pro libero homine componantur auri solidi 300, & pro servo 50, & si plaga facta fuerit, ut non moriatur, pro libero homine solidi 50, pro servo 30. Statutum est, ut in rebus sacrarum Ecclesiarum Dei nullus pignorationem faciat, excepto si cum sacerdotibus causas habuerit, & ante compellatio fiat semel, vel bis; nam qui aliter præsumpserit, duplum componat, & si nesciens pignoraverit, præbeat sacramentum, & sit solutus, pignusque salvum restituat. Et hoc stetit de capulo, quod Rivoaltenses, Olivolenses, Metamaucenses, Albinenses, Torcellenses, Amianenses fecerunt retro ab annis 30, habeant licentiam faciendi secundum antiquam consuetudinem, sive per flumina, sive per mare. Equilejenses vero capulari debent in ripa sancti Zenonis, usque in fossam Metamauci, & Gentionis, secundum consuetudinem, & omnem arborem vehere cum carro, aut ad collum, quantum sibi placuerit, & habeant licentiam pecudes in ipsis finibus pascere, vel pabulari. De finibus Civitatis Novæ dicimus, ut terminatio, quæ à tempore Liviprandi Regis facta est inter Paulucionem Ducem, & Marcellum magistrum militum, deinceps manere debeat, id est, de Plave majore usque in Plavem siccam, peculium quoque & gregem cum securitate pascere. Capriani vero in sylva Forojuliana, ubi semper capulaverunt, capulare debeant: similiter Gradenses secundum antiquam consuetudinem in sylvis Forojulii capulum faciant. Confirmamus etiam Lauretum, ut quantum aqua salsa continet, ejus subjaceat potestati. Et nullus Princeps, vel pauper aliquem Veneticorum distringere, aut legem facere de aliqua Veneta substantia, aut ad placitum ducere, nisi in præsentia illorum Ducis, aut fotrum tollere de illorum terris, quæ in nostro regno sunt, aut bannum mittere, tàm de habitantibus in Venetia, quam de illorum hominibus ubicunque habitantibus justitiam aliquam accipere præsumat, nisi in præsentia Dominorum suorum. Confirmamus, ut pars parti de causis Ecclesiarum & Monasteriorum omni modo justitiam faciat. Volumus, ut pro una libra denariorum, ab uno homine sacramentum, & si usque duodecim libras denariorum, Veneticorum duodecim electi juratores addantur. Nam si ultra duodecim libras quæstio facta fuerit, juratores ultra duodecim non accedant. Statuimus etiam de pignoribus, quæ inter partes posita fuerunt, illi tribuatur arbitrium jurandi, qui pignus habuerit, soli, sive electio. De auctionibus verò simili modo agatur.

Si quis igitur Dux, vel Marchio, Comes, Vicecomes, aliquave magna persona hujus nostræ Imperialis paginæ violator extiterit, quod minimè futurum credimus, sciat se compositurum libras auri optimi mille, medietatem cameræ nostræ, & medietatem Duci Veneticorum; quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, sigilli nostri impressione hanc paginam manu propria corroborante jussimus insigniri.



Signum D. Henrici V. Rom. Imp. justissimi.

Brucardus Cancellarius, & Monasteriensis Episcopus, vice Alberti Archicancellarii Moguntiæ sedis electi recognovit. Datum XI. Kalend. Junii, indictione quarta, anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo decimo primo, regnante Henrico V, Imperante primo, ordinationis ejus XI. Actum est Veronæ in Christo feliciter. Amen.

Nihil igitur antiquius habuerunt Duces nostri à *Caroli Magni* temporibus usque ad hæc tempora, de quibus agimus, quàm ut *Veneti* res in regno *Italiæ* possessas retinerent, ad quaslibet ripas & littora naves applicare possent, atque in cunctis civitatibus Imperio subjectis gratis atque tutò negotiarentur. Quæ cuncta, & alia multa sicuti non gravatè, immò gratuito ab *Henrico* obti-

obtinuerunt, ita ab aliquo Imperatorum, & Regum, qui *Othonem* præcesserant, non nisi *aureo pallio soluto* consecutos nullus nego. Sed qui ob id libertatem amissam subjectamque Imperatori fuisse Rempublicam scribunt, nihil aliud quàm improbitatem summam, ac summam inscitiam produnt, qui nullas viderint fœderis tabulas, quibus sæpissimè maximi Principes, & nullius alterius potestati subjecti, levioribus etiam de causis, non paribus modo Principibus, sed longè inferioribus ex pacto & convento aliquid solvunt. *Henricus* autem *Veneto* nomini propensus, anno à *Christo* nato MCXVI. mense Martio *Venetias* profectus, atque honorificè habitus, Urbis situ, ædiumque decore, quæ diligenter invisit, mirificè delectatus, votis Sancto *Marco* solutis, & monasteriis, *possessionibus regni* auctis discessit. Etenim non sibi subjicere sed promovere, & ad cœlum ferre curabant Reges, & Imperatores magnanimi, medio mari natam Urbem, ut contra hostium injurias libertatis domicilium æternum esset. Quæ maritimæ rei studio addicta, ingenti totius *Italiæ* commodo, non modo strenuam negotiatione operam daret: sed etiam *Saracenis* semel atque iterum navalibus copiis devictis, ingenti classe in Orientem missa ad *Christi* sepulcrum recuperandum, *Gallis* & *Ungaris* intra æstuaria animosè & fortiter repulsis, *Italicam* virtutem, & gloriam ubique præ se ferret: adeoque cunctis belli & pacis artibus inclaresceret, ut ei jam civitates se sponte subjicerent, & soluto quotannis tributo deditionem facerent.

Sed hæc hactenus adolescentium juventus consecuta est, quæ à *Sebastiano Ziano* ad *Marinum Georgium* Ducem usque provecta CXXXI. annorum spatio comprehenditur. *Bodinus* & alii, qui superiores *Venetorum* Duces regali auctoritate præditos autumant, quod nos superius argumentis firmissimis & evidentissimis redarguimus, Reipublicæ quoque formam hoc tempore immutatam scripserunt, atque ab uno ad omnes conversam, longe tamen opinione falluntur. Quemadmodum enim multa de priorum institutis circa Ducem, multa circa Concilia immutata sunt, pro temporum conditione & Reipublicæ amplitudine; ita nihil omnino innovatum est, quo mista, quam attulimus, Reipublicæ forma dissoluta fuerit. Ducum sanè auctoritas non semel imminuta, & certis legibus circumscripta, ut à finibus regiæ potestatis quam longissimè abesset: eorumque eligendorum ratio, qui olim à populo non sine maxima rerum perturbatione, porrigenda manu, fundendoque clamore creari solebant, variata fuit, eligendique facultas ad paucos translata. Duo sunt, quæ Ducis auctoritati plurimum detraxerunt, Tribuni, sive Consiliari seni, qui ei semper assiderent adjuncti, & multi magistratus instituti, cum Reipublicæ finibus propagatis, & Civitate mirum quantum amplificatâ, Dux ipse & judices cunctis muneribus pares esse non possent. De Consiliariis Annales ita loquuntur: *Hujus Ducis initio ordinatum est, ut sex Consiliarii de novo eligantur, qui cum Duce semper adesse debeant ad regimen exercendum* Magistratus vero multi constituti Justitiarii primò, quibus annonæ & rei cibariæ cura commissa. Advocatores Communis, Judices Petitionum, & alii, ut anno MCCLXVII. in Ducario jure de his omnibus mentio facta fuerit, *Consiliariis, Judicibus Proprii, Petitionum, Forensicorum, Examinatorum, Procuratorum, de Mobili, quatuor Procuratoribus sancti Marcii, Advocatoribus Communis, Consulibus, Superconsulibus, Quinque de pace, Dominis de nocte.* Quod verò caput est, ipsa lex sive Jus Duca-

A rium, quod antè multis Plebiscitis dispersum & incertum erat, in unum coactum, & rectè dispositum, & ordinatum, electis Ducibus proponi cœptum est, qui conceptis verbis ab eo se ne transversum quidem unguem discessuros jurejurando firmarent: & IV. Viri electi, qui Ducis auctoritatem, prout Reipublicæ expedire judicarent, novis rogationibus corrigerent, Ducis autem electio à Concione ad XII. Viros primò deducta est. *Etenim ante Ducis hujus*, Sebastiani scilicet Ziani *creationem, Primarii Civitatis statuerunt ad evitanda scandala, ut per squitinium eligerentur* XXIV. *ex Majoribus Civitatis, qui*
B *remaneant* XII. *his vero detur sacramentem de eligendo Duce optimo, posito amore & odio, qui per octo suffragia prospera eligatur; & hæc deliberatio fuit laudata in publica Concione.* At in creando Aureo Mastropetro à XII. ad XL. Viros ventum est. *Nam Veneti de convalescentia Ducis penitus desperati, electionis processum utilem sibi cognitum subtilius elimantes sanxerunt, ut quatuor viri, providi eligendi quadraginta alios nominarent, per quorum majorem partem electus Dux ab omnibus haberetur, qui omnes quadraginta jurent ad sancta Dei Evangelia, coram omnibus, quod pretio, precibus,*
C *odio, & amore omisso illum eligerent in Ducem, quem ad hanc. dignitatem cognoscerent potiorem,* Verum cum Electores pari suffragiorum numero *Jacobum Theupolum*, & *Marinum Dandulum* Ducem creassent tanta constantia, ut nullis artibus de sententiâ dimoveri possent, quo factum est, ut ex Populi decreto res ad sortem revocata fuerit, sortisque beneficio *Theupolus* Dux renunciatus, ne imposterum aliquid tale accidere posset, *Veneti cives sanxerunt, quod Electores sint* XLI. *& sicuti Dux à majori parte* XL. *Electorum eligebatur, ita nunc per majorem partem* XLI. *eligi debeat, & electus juramentum præstet.* Cum vero
D Electores sine ulla suspicione fraudis creari deberent, neque tanta res sorti omnino committenda videretur, novam quandam atque subtilissimam eorum eligendorum rationem *Veneti* constituerunt, quam adhuc retinent. *Etenim Consiliarii, & Cap. de* XL. *Rectores Venetiarum, cum Majori Concilio & collaudatione Populi, formam electionis futuri Ducis subtilius elimantes sanxerunt, quod defuncto Duce & sepulto, vocetur Majus Concilium, & capta parte de eligendo futurum Ducem, immediatè fiat electio de quinque probis viris, qui diligenter debeant examinare promissionem, & commissionem Domini Ducis, & facta examinatione corrigere, & addere id, quod visum fuerit corrigendum & addendum; & accepta probatione in Majori*
E *Concilio, de eo quod ipsi statuerunt, & correxerunt, deveniant postea ad electionem, & quod minores annorum* XXX. *completorum his consiliis interesse nequirent. Et quod congregato Concilio numeratisque omnibus, tot Ballotæ de cera ponerentur in uno capello, quot essent illi de consilio, & in triginta cedula interclusa esset, in qua scriptus foret Elector; & illico per nomina singulorum per tesseram venientium ad capellum infans unus extrahat unam ballotam, quæ detur uno Consiliario assistenti, & unusquisque, cujus nomine accepta fuerit ballota, cameram introëat, usque ad perfectionem numeri prælibati* XXX. *&*
F *tunc in cappello ponantur* 30. *Ballotæ, & in novem ex ipsis fiat cedula cum inscriptione inclusa; & illi novem, quorum nomine exceptæ erunt Ballotæ cum scriptis, reliquis secedentibus, in camera debeant remanere. Et ipsi per septem ad minus eorum inconcordium eligant* 40. *qui eodem modo sortialiter remanere debeant in* XII. *qui duodecim per novem eorum ad minus inconcordium* 23. *prudentes homines eligant per antedictum modum, qui sortialiter rema-*

 nere

nere debeant in novem, qui novem per septem ad minus eorum inconcordium 45. providos viros, ex quibus postea undecim remanentes, per novem ad minus concordes XLI. notabiles viros eligere debeant; qui XLI. per vigintiquinque eorum ad minus in concordia futurum eligent Ducem: ita tamen quod in aliqua electione non possit esse, nisi unus per prolem, & sic per antedictum modum Dux fuerit procreatus. Et quod Consiliarius junior, antequam procedatur ad electionem, ire debeat in Ecclesiam sancti Marci, & facta oratione primum puerum parvulum, qui ei obviaverit, accipere debeat pro extrahendo Ballotas, & sit Ballottinus futuri Ducis. Igitur Dux *Venetæ* Reipublicæ ut semper fuit non natus, sed electus est (at majori curâ, & artificiosius elegi nihil mutat Reipublicæ formam) quamque semper habuit augustam Principis speciem, eandem adhuc retinet habitu, incessu, sella, & iisdem omnibus, quæ superius attuli, dignitatis insignibus, tantaque dignitate & auctoritate, ut repræsentet quodammodo, non re ipsa obtineat regiam facultatem, & eadem ferè permaneat, quæ ab ipso Urbis initio instituta fuit, mista Reipublicæ forma. Hoc vero sicuti ex iis, quæ Ducem attingunt, certissimum est, ita ex iis, quæ ad Concilia & Concionem pertinent, multo sane exploratius erit.

Vidimus Consiliarios senos Duci adjunctos Tribunorum loco, quos olim eadem auctoritate binos, & postea quaternos creatos superius ostendimus. Hi minoris Concilii nomen, quod olim Tribunis fuerat, retinuerunt, quod ex Ducario jure *Maurini Mauroceni* Ducis perspicuum est: *Si autem sex Consiliarii Minoris Concilii erunt concordes cum majori parte Concilii Majoris*, &c. nunc vero id Concilium Minus *Dominatio* vocatur.

Sapientes olim ad Ducis arbitrium convocabantur, qui pro re nata X. aut XX. proceres in Concilium adhibebant, id vero cùm maximo emolumento rebus publicis esset, factum est, ut in bello, in fœderibus, aut pace tractanda sapientes viri à Majori Concilio eligerentur, qui Duci atque Consiliariis assidentes, rem aliquando probe discussam ad Concilium referrent; aliquando vero pro voluntate & arbitrio terminarent. Hinc sæpe legimus: *Decretum est, ut facta instantis belli per Ducem, & Consiliarios & XX. Sapientes nobiles viros debeat agitari.* Ex iis, prout credo, originem traxere Sapientes illi, qui Magni Concilii continentis, & Ordinum nomine à Senatu creati, Duci atque Consiliariis in Excelso Principis Collegio assidere solent.

Concilium Rogatorum à Ducibus institutum est, qui, cum res magni ponderis atque momenti tractanda esset, seniores & prudentiores Reipublicæ Proceres, ut adessent, atque in commune consulerent, rogabant, quod cùm usu rerum edocti Reipublicæ salutare cognovissent, *Veneti* cives perpetuum constituerunt. Hujus Concilii nomen anno à Christo nato MCCLIII legimus in publicis tabulis: *Capta fuit pars, quod qui à modo in antea iverit Reipublicæ causa, ultra Trontum, vel ultra Alpes, vel ultra Jadram, vel ultra Forum Julium, vel etiam aliqua occasione dictos confines pertransiverit, quocunque modo vadant, sint foris de omni officio, & etiamsi de Concilio Rogatorum essent, sint foris de ipso Concilio:* quod tamen Rogatorum nomen in Annalibus multo ante legisse memini: anno tamen MCCLXXV. decretum est, ut *in Majori Concilio eligeretur eodem modo, & eadem forma, qua eliguntur XL. etsi Concilium contra sit revocatum.* Non tamen erat Concilium hoc ea auctoritate, qua modo fulget, sed cum à Majori Concilio multa Duci, Consiliariis, Rogatorum & XL. Virali Conciliis delegarentur his verbis; *Capta fuit pars, quod illud, quod D. Dux & Consiliarii, cum Conciliis Rogatorum, & XL. fecerunt, & facient super facto D. Patriarchæ, sit firmum, sicut factum esset per Majus Concilium: vel, Capta fuit pars, quod D. Dux, & Consiliarii cum Concilio Rogatorum & XL. possint, & debeant videre super facto Cretæ, & illud quod inter eos capietur, sit firmum & ita debeat observari, sicut factum esset in Majori Concilio.* Cumque id frequentissimè fieri contingeret, placuit tandem, quæ singula mandari solebant, universa committi: Concilium verò, Senatus etiam nomen adeptus, ad hanc ipsam amplitudinem & Majestatem pervenit, ut sapientissimus, & augustissimus totius orbis terrarum senatus & sit, & habeatur. *Bodinus* verò, qui eum *tanta varietate mutabilem* appellat, *ut Veneti ob id ejus splendorem obscurent, & in apertum discrimen Rempublicam conjiciant, dum arcana pervulgantur, ac novis Senatoribus, rerum præteritarum ignaris, summa Reipublicæ gubernacula committuntur*, excusandus videtur, cum nesciat quolibet anno, quanquam itur in suffragia, eosdem tamen Senatores creari; novos autem, in locum eorum, qui vel absunt Reipublicæ causa, vel diem suum obierunt, vel Republica malè administratâ rejiciuntur. Sed cum singula tantæ Reipublicæ mysteria cognoscere, non sit advenæ atque peregrini hominis, saltem prudentis fuisset, quæ nesciebat, non reprehendere.

Quadraginta-virale Concilium perantiquum est, & maximæ olim in Republica auctoritatis, cui ferè cuncta commissa erant, quæ nunc Senatui, vel Decem-Virûm Concilio: à Concione priscis temporibus electum judico, anno vero MCCLXXIV. à Concilio Majori eligi cœpit, ut alia ferè cuncta Reipublicæ munera. Etenim cum lege latâ statutum esset, *ut electio de XL. fiat de cætero in Majori Concilio per Rodulum, sicut fiunt aliæ electiones*; cautio tamen adhibita fuit, *cum ista conditione, quod si invenietur, quod non posset fieri per Concilium, quod debent fieri cum Arengo, si expedierit.*

Reliquum est, ut de Majori Concilio, & de Concione nonnulla dicamus. Majoris Concilii nomen in Reipublicæ infantia eâ de causâ non inveniri existimo, quod Tribuni, sive Consiliarii Duci assidentes, aut nondum erant, aut Minoris Concilii nomen nondum obtinuerant: quapropter sicuti Judices, & Sapientes in pervetustis tabulis Minoris Concilii locum obtinent; ita Proceres, & Majores, Populique collaudatio Majoris Concilii, & Concionis vice legi solent. Prisca tamen Concio, quæ non ex universo populo, (quî namque in Ecclesiâ D. *Marci*, aut D. *Nicolai*, quæ tunc multo minor erat, congregari potuisset ex omnibus Insulis?) sed ut superius diximus, ex tribunitiis viris, & aliis nobilioribus, & sapientioribus constituebatur, tempore procedente à populi tumultuosa Concione, quæ *Arengum* appellari cœpta est, distincta Majoris Concilii nomen adepta est. Qui vero in id Concilium cooptabantur, ab Electoribus in singulos annos eligi solebant; sed iidem ferè, aut certè ex iisdem familiis, quod publicæ tabulæ atque monumenta vetustatis demonstrant: spurii tamen lege latâ nominatim arcentur. Cum vero quotannis per electores Majus Concilium crearetur, neque deessent novi homines, qui vel divitiis, vel partium studio elati tantum sibi sumerent atque arrogarent, ut ad Reipublicæ gubernacula admitti, atque in Majus Concilium cooptari vellent, ab Electoribus autem præteriti iniquissimo animo repulsam ferrent, jam res eò pervenerat, ut nisi prudenti ratione

tione malorum conatibus iretur obviam, periculosum esset, ne tandem privatæ offensiones in apertam seditionem erumperent, & Reipublicæ administratione cunctis ex æquo communicata forma periret insita, atque nova induceretur, quæ cunctorum dominationem contineret. Itaque necessario & saluberrimo consilio, quod antea pervetusta Reipublicæ consuetudine, & Electorum prudentia institutum & firmatum fuerat, latâ lege sancitum est, ut Proceribus, & antiquioribus Civibus Majoris Concilii aditus pateret, cæteris non item: verbis tamen mitigata res est; descripti namque non proprio nomine appellati Nobiliores & Vetustiores; dictumque, ut qui superioribus quatuor annis, vel ipse fuerit, vel patrem, aut majores habuerit ex aliquo *Venetiarum* concilio, is cum posteris perpetuo jus obtineret Majoris Concilii: ita nunquam populo & plebi supremum jus tributum, sed Nobilium conciliis; ut non satis ego mirari queam, quid isti sibi velint, cum Reipublicæ formam ab unius dominatione ad omnes, ab omnibus vero ad paucos conversam scribunt: siquidem nec unus unquam, nec omnes, nec pauci, civitatis imperium atque summum jus obtinuerunt. Sed ut in mistâ formâ accidere solet, & uni, & cunctis, & paucis nonnulla tributa, ut ex his cuilibet manifestum est.

Concioni sive *Arengo*, id est, plebi atque populo, postquam à Majori Concilio segregata est, pauca tributa sunt: jus enim ejus convocandæ ademptum Duci, atque Majori Concilio concessum est; neque convocatam reperio, nisi ut Cancellarium, exercitus Imperatorem, atque Duces collaudaret; semel, ut D. *Marci* Procuratoribus pupillorum tutelam, à Majori Concilio commissam laudaret. De Cancellario anno à Christo nato MCCLXXI *capta fuit pars, quod magister Tintus debeat laudari à populo pro Cancellario: nota quod exeunte Martio in publica concione laudatus & confirmatus fuit.* De Imperatore MCCLXXXIIX. *capta fuit pars, quod die Dominico possit fieri Arengum, pro dare vexillum Capitaneo exercitus*; quod post electum Ducem perpetuum factum esse legimus: quænam vero fuerit Populi auctoritas, contra quam credi vulgò solet in electis Ducibus approbandis, Ducarii juris procemium demonstrat. *Cum non de nostra fortitudine & prudentia, sed sola processerit clementia Creatoris, in cujus arbitrio & voluntate universa sunt posita, quod ad Ducalis culmen pervenerimus dignitatis. Vos hactenus in Ecclesiâ Beati Marci, Evangelistæ Domini gloriosi, qui patronus noster & signifer est in omnibus, aggregati, quantam erga nos habueritis dulcedinem charitatis, manifestius ibi ac perfectius demonstrastis, cum ad prolationem eligentium nos vice nostra & nomine, in cœlum manibus elevatis, Deum unanimiter glorificastis, in voce laudis magnifica & exultationis; quoniam per intercessionem gloriosissimi Evangelistæ sui Marci, Nos in Ducem vobis dederat & Rectorem; unde super his gratias, quas possumus omnimodas persolventes Altissimo, cujus magnitudinis non est finis; & Evangelistæ suo, gubernatori nostro; & vobis quoque super lætitia magna, quam de promotione nostra geritis & habetis, grates referentes uberes, notum vobis, &c.* Quod igitur modò fieri videmus, ut novus Dux populo in Ecclesia D. *Marci* ostendatur, atque ingenti plausu, erectisque manibus à

A multitudine excipiatur; id olim quoque factum esse cognoscimus; præterea nihil.

Mista igitur Reipublicæ forma, quam in infantia, cæterisque ætatibus ostendimus, ea in Juventute permansit: nihilque omnino iis temporibus accidit, quod perpetuæ *Venetorum* libertati notam inurere posset: quod sicuti apud omnes in confesso est, ita dementiam hominis satis ridere non possum, qui *Constantiensis*, ut vulgò dicunt, pacis tabulas ad *Venetam* libertatem oppugnandam perperam atque pravè detorsit. Cum enim *societas Lombardiæ* à Friderico Imperotore *pacem peteret, promisit Imperatori præbere fodrum, &* B *paratum, cum tenderet Romam coronæ causa, transitum, & commeatum idoneum.* Ex quo Venetias quoque ad id præstandum, fœdere icto teneri scripsit. At cautionem in fœdere adhibitam prætermisit, fœderatas civitates omnes promittere, *quæ antecessores sine molestia fecerunt*; quo fit, ut cum *Veneti* elapsis temporibus nihil fecerint, nihil quoque imposterum præstare debeant. Id vero ipsis tabulis multo clarius statutum est: *Nobis intrantibus Lombardiam, qui solent & debent, quando solent & debent, præstabunt, & vias, & pontes bona fide reficient, in eundo, & redeundo commeatum idoneum, & nobis, & nostris præbebunt.* C Cum vero nominatim recenseat Imperator omnes subjectas urbes, quibus gratiam facit, de *Venetiis* nulla prorsus mentio facta, quod cuicunque debebat silentium imponere; sed hæc satis.

Juventuti successit Constans & Firma Ætas, quæ non ferocitate, ut adolescentia & juventus, sed gravitate quadam & prudentia commendatur. Hæc anno à *Christo* nato MCCCIII auspicato exorta, ad hunc usque diem felicissime progressa, æternum diis bene juvantibus permansura videtur.

Decem-Virûm Concilium atrocioribus puniendis sceleribus institutum, eidemque maxima D tributa auctoritas, quæ semel, atque iterum salubri temperamento circumscripta fuit; multique Magistratus, aut instituti, aut extincti, sicuti Reipublicæ statum atque insitam formam delere non possunt; ita nonnulla immutaverunt; quo factum est, ut sicuti Reipublicæ infantia, unius Dominationi, adolescentia vero, & juventus omnium; ita virilis ætas paucorum imperio propensior videri possit: eâ tamen ratione, ut multa populariter, multa regiè constituta, nemo inficias iverit: cunctique possint in Duce Regis exemplar, in X-Viris, & XL-Viris Aristocratiæ speciem; in Majori Concilio, quod MCC numerum superat, Democratiæ imaginem E quandam intueri. Rectissime vero, & doctissime *Contarenus* ex tribus Reipublicæ speciebus temperatam *Venetæ* Reipublicæ formam affirmavit: quod licet *Bodinus* obstinate, vel contra *Aristotelem* posse fieri neget, fateri tamen, (tanta vis est veritatis) neque sciens, neque prudens coactus est. Dum enim *Rempublicam* scribit *statum popularem sapere*, & de Ragusio inquit, *certè quidem hæc Respublica omnium, quas accepimus purissimam, & ab omni populari temperatione remotissimam Aristocratiam colit*, formarum mistionem, velit, nolit, in aliis admittit, quæ si un- F quam alibi, certe in Republica nostra egregio, & admirabili temperamento inter se miscentur.

FINIS.

IN-


INDEX
NOMINUM, RERUM ET VERBORUM.

Equi-

F I N I S.






BLONDUS FLAVIUS,
Historicus Celeberrimus.

BLONDI FLAVII,

Forliviensis, Historici Celebris, & multorum Pontificum Romanorum Secretarii,

DE

ORIGINE ET GESTIS VENETORUM

LIBER,

Ubi,

Quæ a Venetis ab eorum Urbis initio usque sub Auctoris tempora vel mari, vel terra, vel pace, vel bello, fieri contigit memorabiliora, breviter ac succincte enarrantur.

Editio Novissima, nitidior & auctior.





LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

Amplissimum rerum maximarum campum, angustissimis verborum cancellis circumscriptum, Tibi, Benevole Lector, *hic exhibemus. Ea enim est Auctoris, cujus nunc evolvis opus, felicissima dexteritas, ut paucissimis dicere possit quam plurima. Fuit iste, apud Orbem literarium, & genuinæ in primis Historiæ Cultores; summæ Vir auctoritatis, quam profundissima eruditione refertis pluribus operibus promeritus obtinet*, Blondus Flavius, *Forliviensis, cujus opera quanti Eruditis habeantur, inter alia ejus ex* P. Jovio, Gerardo Joanne Vossio, *&* P. Frehero *a nobis hic addita Elogia docebunt. Tantum scilicet præconem Originis* Venetorum, *& Rerum ab ipsis gestarum requirebat dignitas, quantum hoc breviario se Noster probat, ubi, quæ a* Venetis *vel mari, vel terra, vel pace, vel bello, fieri contigit, recensens, ab alio ad aliud brevissimis quidem transit, at stupenda, quæ ea Respublica fecit incrementa, reddit eo clariora atque magis admiranda. Inde, licet hic Liber cum aliis Auctoris Operibus non solum Anno* 1531. Basileæ *ex officina* Frobeniana *prodierit, sed & Anno* 1559. *ipsius iterata fuerit impressio, ejus tamen nunc perrara occurrebat copia. Secuti itaque consilia & monita summi Nominis Virorum, Librum denuo prelo subjecimus, typisque nitidissimis in charta purissima exhiberi curavimus. Nomina propria, quæ in lectione præcipue Historiarum, quo facilius patent, eo magis adjuvant lectionem, diversis a contextu impressa sunt literis. Paginæ Editionis veteris hic ad marginem sunt notatæ,* ut

ut ex illa ab aliis Scriptoribus allegata in nova hac Editione reperiri queant eo felicius. Præter Elogia, de quibus jam diximus, Auctoris nostri, ejus & Effigie ex P. Jovio, *ac Tumulo ex Sigifr. Rybischii* Monumentis Illustrium Virorum, *Editionem hanc reddidimus auctiorem. Indicem Rerum notabiliorum, quæ hic continentur, quoque addidimus. His, quæ in Tui gratiam,* Benevole Lector, *a nobis sunt tentata, utere felix. Vale, nobisque fave.*

ELOGIA AUCTORIS.

Ex PAULI JOVII *Elogiis Virorum literis Illustrium, pag.* 19.



FOROLIVII, viæ *Æmiliæ* nota urbe, *Flavius Blondus* prodiit, rudi adhuc veteris elegantiæ seculo. Is magno ausu, singularique industria, nec infelici eventu, multorum annorum intermorientes res gestas è tenebris excitare orsus, *Decadas* conscripsit, quibus ab inclinante *Romano* Imperio funesta tempora, ac ideo veritatis lumine orbata, in lucem proferuntur. De vetustate quoque collapsæ Urbis, ac ejus demum resurgentis dignitate, erudito operosoque volumine publicato, quantam nec ambitiosè quæsitam exoptarit, in literis authoritatem adeptus est: unde ei honestæ opes favore Pontificum accessere. Liberis operam dare, quàm sacris initiari maluit: suscepitque *Gasparem* filium, quem uxor *Margania* Romani sanguinis, nobilitasse visa est: sed posteri, quamquam adauctis fortunis, conditori familiæ minimè responderunt. Fato functus est septuagenarius, tumulatusque in *Capitolio* extra limen templi Deiparæ Virginis (id enim *Jovis Tonantis* olim fuisse putamus) quod non secus ac antiquitus, authore *Tacito*, centum gradibus adeatur.

JANI VITALIS.

Eruis è tenebris Romam dum, Blonde, sepultam,
Es novus ingenio Romulus atque Remus:
Illi urbem struxere rudem, celeberrima surgit
Hæc eadem studiis ingeniosè tuis:
Barbarus illam hostis ruituram evertit, at isti
Nulla unquam poterunt tempore obesse tua.
Jure triumphalis Tibi facta est Roma sepulchrum,
Illi ut Tu vivas, vivat ut illa Tibi.

LATOMI.

Dum stetit augusto Romanum limite regnum,
Termine, Diis magnus æquiparandus eras.
Cedebant illi venturo ex arce Tonanti:
Custodi imperii mansit, ut ante, locus.
Cur nunc mortali cedis, dic Termine Blondo?
Pondus habet meriti num Jovis, atque tui?

Ex GERARDI JOANNIS VOSSII *de Historicis Latinis Lib. III. pag.* 182.



BLONDUS FLAVIUS *Forojuliensis*, Eugenii IV. *pluriumque Pontificum* Romanorum *Secretarius, Scripsit* Romæ Triumphantis Libros X; *quod opus dedicavit* Pio II. *Pontifici: ad hæc* Romæ Instauratæ Libros III, *quos inscripsit* Eugenio IV. *item* Italiæ Illustratæ Lib. VIII. *Tum autem* Historiarum Decades tres ab inclinato Romanorum Imperio *hoc*

hoc est anno cccc, *usque ad annum Chr.* cIɔ cccc xl: *non autem* cIɔ cccc, *ut est apud* Davidem Chytræum, Genebrardum, & Bellarminum. *Agit enim postremo Libro de schismate* Felicis Antipapæ *contra* Eugenium, *quod incidit in annum* cIɔ cccc xxx ix. *Aliquot annis pòst demum Commentarios suos edidisse, arguit, quod meminit mortis* Callisti III, *qui anno obiit* cIɔ cccc lv, *MSus exstat* Cantabrigiæ *in Collegio S. Benedicti.* Oxonii *in bibliotheca Balliolensi est MSus* Blundius de Cosmographia Italiæ. *Blondus, an alius, signetur, melius dicent, qui videre. Ad honorem* Blondi *non parum pertinet, quod scripta illius in epitomen contrahere dignatus sit* Pius *Pontifex. Dictione est non admodum culta: ut etiam* Volaterranus *agnoscit: sed de antiquitate tamen, utcumque interdum aliquid humani patiatur, sanè pro ætate, qua vixit, optimè meretur. De eo sic Jo. Gobellinus Commentariorum* Pii II. *Pont. Max. Lib. XI.* Pridie nonas Junias hujus anni (*signat autem* cIɔ ccccLviii) Blondus Flavius obiit, historiarum scriptor egregius, natione Foroliviensis; qui diu apud Pium II. P P. Secretarium Apostolicum gessit, & Eugenio IV. Pont. Max. acceptissimus fuit. Ab Arcadio Honorioque Cæsaribus (quo tempore inclinasse Romanum Imperium memorant) usque ad ætatem suam, universalem scripsit Historiam, opus certè laboriosum, & utile; verùm expolitore, emendatoreque dignum. Procul Blondus ab eloquentia prisca fuit: neque satis diligenter, quæ scripsit, examinavit: non quàm vera, sed quàm multa scriberet, curam habuit. Siquis aliquando vir doctus, scribendi peritus, opera ejus emendare atque ornare decreverit, haud parum utilitatis posteris adferet, & seipsum clarum efficiet, multarum ætatum gestis, quæ propemodum sepulta sunt, in lucem redditis. Extant & alia Blondi opera non parvæ utilitatis, quamvis cautè legenda sunt, ne falsa pro veris accipias: in pluribus enim errasse deprehenditur. Scripsit Italiam Illustratam, Romam Instauratam, & eandem Triumphantem: quam paullò ante obitum absolvit. Mortuus est Romæ pauper, ut philosophum decuit. Patrimonium, quod habuit tenue, dotium caussâ inter fœminas divisit: masculis, præter doctrinam, bonosque mores, nihil reliquit, id morienti sat fuit, ejus ætatis filios dimisisse, qui sibi ipsis consulere possent. *Reprehenditur à Georgio Merula Lib. X. Historiæ Vicecomitum.* Hac in parte, *inquit*, nescio indiligentiæ ne Blondum, an magis invidiæ arguam. *De eodem ita Floridus Sabinus apologia adversus L. L. calumniatores:* Blondi Flavii Foroliviensis hoc in negotio summum studium amplectimur, quamvis in scribendo non admodum elegans habeatur: nec desunt, qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant, alioqui non paucis etiam lutulentus fluere visus est. *Romæ obiit*, Jovio *teste, jam septuagenarius, (imo ultra, ut mox patebit) inque* Capitolio *juxta Deiparæ templum sepultus est. Nempe in ara cœli ante introitum templi, ubi tale ejus epitaphium, ut est in Fabricii Roma:*

BLONDO FLAVIO FOROLIVIENSI
HISTORICO CELEBRI MVLTORVM
PONTIF: ROM: SECRETARIO
FIDELISSIMO BLONDI V. FILII PATRI
BENEMERENTI VNANIMES POSVERE.

VIXIT ANNIS LXXI.
OBIIT PRID. NON. IVNII
A. SALVT. CHRISTIANAE
M. CCCC. LXIII. PIO. PONT. MAX.
SIBI NATISQ. FAVENTE.

Quos reliquit quinque filios, omnes, ut Leander *testatur, egregie fuere literis eruditi.*

Ex D. PAULI FREHERI
Theatro Virorum Eruditione Clarorum, Tom. poster. pag. 1426.

FLAVIUS BLONDUS *Forolivii, Æmiliæ* viæ urbe celebri, circa A. C. 1392. natus in virum evasit multæ eruditionis & summi judicii. Propterea *Romam* veniens, statim omnibus innotuit. Ut verò sæculo illo scientiæ raræ erant, barbarie occupante omnes ferè Christiani Orbis Academias, quoties ex illo ignorantiæ barathro aliquis emergebat cognitione bonarum disciplinarum clarior, statim excipiebatur cum plausu & admiratione omnium: idem accidit *Blondo*, qui postquàm *Romam* venit, favore aliquot Cardinalium apud S. Pontificem gratiâ & authoritate pollentium commendatus est *Eugenio IV.* Pont. Max. in cujus aulam receptus Epistolarum Magister factus est.

Uxorem *Romæ* duxit *Marganiam* ex nobili familiâ, ex quâ suscepit 5. filios, & inter hos *Casparum*, qui omnes paternæ doctrinæ & virtutum sicut & facultatum hæredes facti sunt: sed posteri quamvis fortunis adaucti conditori familiæ minimè responderunt. Pater licet gravibus assiduisque negotiis in aulâ Pontificiâ occuparetur, non tamen desiit multa scribere, quæ in lucem emissa sunt magno Reip. literariæ emolumento: singulari enim industriâ nec infelici eventu, dictione licet non admodum cultâ fuerit usus, multorum annorum intermorientes res gestas è tenebris excitare studuit.

Ideò *Bernardus Justinianus*, Historiæ *Venetæ* Scriptor eximius, *Blondum* hunc Scriptorem admodum diligentem vocavit. Scripsit enim *Historiam Inclinationis Romani Imperii ab A. C.* 410. *quo Roma à Gothis capta fuit, ad Ann.* 1459. *Romæ* tandem mortuus est septuagenarius, sepultusque in Capitolio, in superiori parte graduum Aræ Cœli, eo loco, ubi visitur *Lucæ Gaurici* monument. Marmori inscriptum legitur hoc Epitaphium: (*quod paulo ante ex Vossio exhibitum.*)

Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii, & ex Vitis 50. Viror. doctrinâ præstantium Joh. Jac. Boissardi.

Scripsit:

De gestis Romanorum Decades III. De Româ, Triumphante Libr. X. De Româ Instauratâ Libr. III. De Italiâ Illustratâ Libr. VIII.

BLONDI FLAVII,
Forliviensis,
ad
FRANCISCUM FOSCARI
Ducem,
Inclytum Senatum, Cæterosque Reipublicæ Venetæ Patricios,
PRÆFATIO.

AGNUM *Francisce Foscari* Princeps Serenissime, Vosque Amplissimi Senatores, ac Viri Patricii negotium ac omnium majus, quæ excogitari possint, *Venetæ* Reipubl. nunc incumbit: utrum ne gestum diu in *Turcos* bellum continuare, an potius præsidii ab universo orbe *Christiano* afferendi desperatione pacem cum illis constituere debeat consultatio anxium animisque suspensum tenet. Quid vero supremi orbis *Christiani* Principes ad communem sibi vobisque hanc causam consilii, quid opis afferant, nec satis scio, qui os in cœlum non ponere, nec, si conjectura assequar, dicere ausim. Sed est alia ratio, ut ex pluribus ista sit non improbabilis, quæ me impulit ad scribendum. Ego enim nomine & professione, & utinam ne sola *Christianus*, ego *Italicus* orbi *Christiano* & ipsi *Italiæ*, si quid sum, & imprimis si quid est in me ingenii, debeo: ut non improbe videar facere, si ea, quæ mihi sunt calami & rerum gestarum peritiæ, arma ad rei *Christianæ* & *Italiæ* defensionem confero. Ego vester civis *Venetus* eam ab optimo quocunque vestrum in me benevolentiam recognosco, ut si rebus nequeo, cogitatione tantum & scripto difficillimis horum temporum rebus possibilem reipubl. opem & operam tenear impartiri. Gesta itaque à *Venetis*, tum aliter à vestra urbe condita, tum maxime in barbaros adeo brevibus commentariis coarctabo, ut memineritis ac attente consideretis, vos majorum vestrorum proposita ostensaque incedentes via, nusquam Dei & hominum favoribus, nusquam securitate, nusquam parti imperii conservatione ac amplitudine carituros. Nullam mihi quispiam historiæ ac rerum gestarum peritia celeberrimus urbem dabit, quæ admirabilem obstupendamque sicut urbs *Veneta* habuit originem. Qui enim urbem *Romam* con-
Venetiæ. Roma. didit *Romulus*, pastores convenas ex vicina regione perfugas nactus est, quibus in tutum confugientibus Asylum cœptum non voluntarie magis, quam avide urbs & pro viribus aucta, & ab impetentibus est viriliter defensa. *Thebas* Cadmus dum conderet bonitate loci, & sua illectos suavi eloquen-
Thebæ. tia populos faciliter congregavit. *Brenus Indutiomarus* Gallique *Mediolanum*, *Veronam*, *Vincentiam*, *Tridentum*que condentes populis repleverunt, quos vini avidos sitientes, cupientissimosque ea ra-
Mediolanum. tione sola traxerunt in Italiam. *Venetam* vero urbem non voluntas, sed timor: non propositum, sed
Verona. occasio: non consilium, sed necessitas his condidit in locis, quæ nulla mentis sanè hominum pruden-
Vincentia Tridentum. tia elegisset. Fuit tamen causa loco tantæ urbis conditæ ineptissimo longe horridior condendæ admirabiliorque. *Attila* namque *Hunnorum* Rege potentissimo, quem sexcentorum armatorum millia
Attila. Aquileja. sequebantur, *Aquilejam* urbem premente, *Altinum*, *Concordia*, *Patavium*, *Montissilicis* urbes solo æquatæ sunt, pariterque capta & funditus diruta *Aquileja*, *Vincentinis*, *Veronensibus*, *Mantuanis*, *Brixianis*, *Mediolanensibus*que & *Papiensibus* contigisse constat. quarum tot urbium populi, ne ordinem nunc sequamur in historia diffuse servatum, in hæc palustria harena & calamis cœnoque contecta confugerunt loca, in quibus conditam nunc urbem *Venetam* orbis aspiciens obstupescit. Nec factus est à tantis populis ad has paludes urbis ædificandæ animo & intentione concursus; sed barbaros efferatissimos homines viri nobiles & viribus potentatuque in singulis locis præstantiores, natos secum & uxores miserabili colluvione trahentes, id quærebant, id solum in votis habebant, ut salvis in cœno paludibus & arena corporibus quæque subirent sustinerentque incommoda, dummodo eam barbarorum sævitiem, & à filiis uxoribusque pejorem morte abigerent servitutem. Fato autem & Dei nutu ac providentia conditio illa urbi *Venetæ* debebatur, ut ea loca à barbaris complerentur diversarum
Barbari. *Italiæ* urbium viris, quibus perpetua foret cura barbaras gentes populosque feroces & immanes à *Christianorum* cervicibus repellendi. Si quis enim invidia & odio carens ea viderit & attente legerit, quæ in *Romani* Imperii Inclinationis Historiis triginta jam & duobus Libris scripta sunt à nobis, faciliter intelliget, *Venetis* solis æque ac cæteris omnibus *Christianis* simul acceptum deberi, *Saracenos* hactenus *Italia* & *Ægæi Ionii* superique marium insulis pulsos esse, quanquam scriptæ à nobis Historiæ levem & mutilatam habeant gestorum à *Venetis* mentionem, cum in tanta, quam complexi fuimus, historia *Romani* olim totius imperii non licuerit seriose ac diffuse à *Venetis* gesta attingere, quibus ordine & copiose explicandis separatam & quidem amplam conficere possemus historiam. quod quidem facile indicabunt ea, quæ ad hujus temporis propositum, & mutilata, ut diximus in nostris historiis, mentione, in hoc breve opusculum identidem restringemus. At jam sensim manum apponere incipiamus.




BLONDO FLAVIO FOROLIVIENSI
HISTORICO CELEBRI, MULTORUM
PONTIF. ROM. SECRETARIO
FIDELISSIMO, BLONDI QUINQ; FILII PATRI
BENEMERENTI UNANIMES POSUÈRE.




VIXIT AN. LXXV.
OBIIT PRID. NON. JUN.
ANNO SALUTIS CHRISTI
M.CCCC.LXIII. PIO PONTIF. MAX.
SIBI NATISQUE FAVENTE.

Blondi Flavii Monumentum.







274



BLONDI FLAVII,

Forliviensis,

DE

ORIGINE ET GESTIS VENETORUM.

Venetiarum initium.

ENETAM urbem ad annum salutis sextum quinquagesimum & quadringentesimum condi cœpisse, ita certe docuimus in historiis, ut labi à vero ac errare constet eos, quicunque aliter ausi fuerint affirmare: nemo enim eorum, qui *Venetæ* urbis conditæ materiam attigerunt, negat continuata urbis *Aquilejæ* obsidione, quam tribus annis durasse constat, primum cœpisse in paludes & stagna confluere populos: à quibus, diruta *Aquileja*, & brevi post mortuo *Attila*, hujus novæ urbis fundamenta fuerunt inchoata. Et *Attilam* docet *Eusebii Cæsariensis* temporum supputatio ad anni finem excidii *Aquilejæ*, post urbes, de quibus est dictum, usque ad *Papiam* excisas cum *Italia* excederet, fluxu sanguinis interiisse. Erantque tunc *Martianus* Constantinopoli Imperator, *Gensericus* Vandalorum in Aphrica, *Meroveus* Francorum in Galliis Reges. *Leo Primus* Romæ Pontifex, & *Valentinianus junior*, undetrigesimum in *Romano* occidentali Imperio agebat annum, quem qui perquiret, sextum, ut diximus, quinquagesimum, & quadringentesimum salutis esse comperiet. Unde si me vestra exaudierit sapientia, quos millesimo conditæ urbis *Romæ* anno, *Philippus*, Romanorum Principum primus *Christiano* insignitus charactere, aliarum pridem conditarum urbium exemplo fecerit ludos seculares, vos quoque III. ab hinc anno facere disponetis solenni pompa, quam processionem appellamus primo, post aliis lætitiæ & jubilationis apparatibus ita ostensis, ut actis Deo nostro gratiis tantam urbem ad millesimum annum tanta cum rerum gestarum gloria, tanta cum opulentia perductam esse lætari, &, ut decet, exultari significetis. Sed ad rem: *Venetæ* urbis conditæ primum omnis *Italia* maximum cepit fructum in favoribus *Narseti Cartulario*, Justiniani Imperatoris cubiculario & copiarum ductori, præstitis, quando adversus *Totilam*, Ostrogothorum Regem urbis *Romæ* eversorem, cum exercitu veniebat. Erat is annus conditæ urbis *Venetæ* LX. ad quem jam mirabile acceperat incrementum, utpote quam viri nobiles atque ditissimi, non pastores & latrunculi inchoassent. Cum itaque *Narses* permenso mari *Ravennam* à *Constantinopoli* peditatu, ipse cum equitatu *Italiam* ingressus esset, *Totila* hostis ejus apud *Tarvisium* patriam urbemque suam, apudque alia *Italiæ Transpadanæ* loca sibi subdita, ne ulterius progrederetur, armis resistere contendebat: fecissetque nisi imperatorium *Veneti* equitatum, & ejus Ducem *Narsetem* navibus transportatos in *Ravennatem* agrum, ubi nunc est *Ferraria*, exposuissent. Cujus beneficii memor *Narses*, quamprimum *Ravennæ* fuit, opifices *Venetias* misit, à quibus *Sancti Theodori* sacellum, ubi ecclesia nunc est *Sancti Marci*, & *Sanctorum Menæ* & *Geminiani* ecclesia, in capite *Brolii* ædificata est. Sicque

Obsidio Aquilejæ. Attilæ mors.

Narses. Totila.

Narses in Italiam.

A *Venetorum* auxilio non quidem levi *Ostrogothi* Italia deturbati sunt. Ad annum inde circiter quadragesimum *Clefis* secundus *Longobardorum* Rex omnium crudelissimus, quos ad eam diem pertulisset *Italia*, populos ejus regionis, quam nunc dicimus *Lombardiam*, inauditis cædium rapinarumque cladibus afflixit: multique tunc ac penè omnes, qui prolabi potuerunt, *Venetias* confugerunt, ut à multis eam tunc alteram *Venetæ* urbis ædificationem fuisse tradatur. Quinimmo ex eo tunc facto inolevit proverbium: *Alias urbes pueros lactantesque alere, Venetam vero adolescentes ac planè viros sibi in populum procreare.* Per hæc ipsa autem *Longobardorum* tempora *Italiæ* B infelicissima *Romanum* orientale Imperium aliam habuit infelicitatem, quæ pariter in *Italiam* redundavit. Ad quadragesimum enim annum *Longobardorum* in *Italiam* ingressus, *Saraceni* Asiam penè omnem ac brevi post *Aphricam* occuparunt, quam historiam nostro proposito minime necessariam hic omittimus. Sed quod ad rem nostram facit: cum *Saraceni* multa ac maxima alibi facinora perpetrassent, quinquagesimo tandem regni eorum anno, qui fuit conditæ urbis *Venetæ* sextus & ducentesimus, ab *Alexandria* solventes *Rhodum*, insulam *Romani* Imperii, pervenerunt: eaque C capta *Colossum* fama celeberrimum, à quo civitas insulæ primaria nomen habuit, demoliti sunt: ex cujus *Colossi* ære noningentos camelos fuisse oneratos invenimus. *Rhodo* vastata *Saraceni* in *Ægæum* delati pelagus multas ex *Cycladibus* afflixerunt. Inde in *Siciliam* navigarunt, quam maritimis in locis spoliatam incendiis, etiam per mediterranea editis vastaverunt. Anno item conditæ urbis *Venetæ* quinto vigesimo & trecentesimo *Justiniani Secundi* Imperatoris *Constantinopolitani* temporibus, *Gregorio Tertio* Pontifice *Romano*, & *Pipino Primo* Francorum Rege, *Turci* primum *Asiam* invaserunt, *Alanos*que primo, post *Col-* D *chos* & *Armenios*: inde *Minoris Asiæ* populos, & ad extremum *Persas* Saraceni agrorum direptionibus & mortalium in agris repertorum ac congredi ausorum cædibus infestarunt. Fueruntque ipsi *Turci* Scythæ ex his, quos *Alexandrum Macedonem* inter *Hyperboreos* montes ferreis clausisse repagulis cum alii tradunt scriptores, tum *Beatus Hieronymus* affirmat. Has vero *Saracenorum Turcorum*que originis digressiones hoc loco facere placuit, quia cum his maxime barbaris *Veneto* populo & magna sæpe fuit, & major gloriosiorque videtur futura contentio. Quamdiu autem apud *Constantinopolim* Romanum Imperium fuit inte- E grum, *Veneti* illud integre constanterque reveriti exercendæ mari terraque mercaturæ, & recipiendis in urbem suam viris quibusque non magis *Italiæ* quàm aliarum provinciarum profugis, pacique, ubi possent, inter discordias missis propria impensa oratoribus constituendæ intentissimi fuerunt. Qui quidem status nulla usquam labefactatus injuria per annos quinquaginta trecentosque

Clefis Rex.

Lombardia.

Saraceni.

Colossus Rhodi.

Cyclades.

Sicilia.

Turci.

275

Turcorum origo.

Alexander Macedo.

Constantinopolis.

Venetiis ab externis motibus quietiſſimus fuit: cum tamen ipſi inter ſe *Veneti* diffidia interim non parva habuerint, propriam ad declarationem hiſtoriam expoſcentia, & tamen per id temporis majora ſunt opinione omnium jacta Reipublicæ *Venetæ* fundamenta. Cum enim ad annum ſalutis ſextum octingenteſimum facta Imperii *Romani* diviſione, *Carolus Magnus* occidentale accepiſſet Imperium, *Veneti* ex vetuſta conſuetudine *Conſtantinopolitano* magis parentes in difficultates maximas inciderunt, quarum finem bonum eorum innocentia bonitaſque tunc eſt nacta. Concedente enim *Carolo* Principe juſto & magnanimo permiſſi ſunt *Veneti* legibus propriis ita vivere, ut pariter utrique Imperio obedirent. Cui fœderum conditioni *Leo III.* Pont. *Rom.* adſtipulatus eſt. Sed tertio abinde anno *Fortunatus* Patriarcha *Gradenſis*, quem conjuratio attigerat in *Joannem* & *Mauritium* Duces *Venetos* intentata, ſibi timens in *Franciam* ſe recepit, & *Carolo* Imperatori *Venetos* detulit, quod illi à fœderibus ictis diſcedentes, *Conſtantinopolitano* magis quàm *Romano* Imperio adhæſiſſent: adeo quod tantum apud Imperatorem ejus Patriarchæ verba valuerunt, ut *Pipino* filio *Italiæ* Regi ſcribens *Venetos* bello agitari opprimique juſſerit. Ducens itaque in *Venetos* Pipinus *Eracliam* terreſtrem unicam illorum civitatem, cujus locum nunc *Civitatem novam* appellatis, & *Equilium* ejus civitatis oppidum invaſit. Sed cives, qui ea loca frequentiſſime inhabitabant, campeſtribus locis ſuis munitioribus diffiſi patriam deſerentes cum liberis & uxoribus *Venetias* commigrarunt: nec alia fuerunt loca, unde major numerus familiarum *Venetorum*, qui nunc extent, originem traxerit: quandoquidem ad centum familias, eorum præſertim, qui nunc patricii ſunt, *Eracliam Equiliumque* deſeruiſſe *Aquilejenſis* eccleſiæ aſſerunt monumenta. Brevi tamen poſt *Ubolerius* & *Beatus* Venetorum Duces, *Joanni* & *Mauritio* ſuffecti *Teodovium* delati, *Carolumque* Imperatorem allocuti cum eo fœdera amicitiamque junxerunt. Sed *Niceta* Patricius à *Niceforo* Imperatore *Conſtantinopolitano*, cum ingenti claſſe in *Adriaticum* miſſus, *Dalmatas* primo, poſt *Venetos*, abjectis cum *Carolo* Imperatore fœderibus recedere compulit: qui *Venetias* veniens, paucos ibi menſes moratus inducias cum *Pipino* in paucos menſes conſtituit. Quibus vix dum finitis *Pipinus* majore quam antea apparatu terra marique movit: geſtumque eſt bellum illud memorabile, in quo illata Regi clades *Canali Orfano* nomen dedit: ſed majori indigeret hæc hiſtoria volumine. Capita itaque illius ſatis fuerit commemorare. *Paulus* gente *Ciuranus* obſeſſæ urbi cum claſſe ſubvenit, paxque inter *Niceforum* Imperatorem & *Pipinum* Regem conſtituta eſt: in cujus fœdere *Venetis* conceſſit Rex *Italicus*, ut immunitatem, qua à *Carolo* genitore donati fuerant, retinentes, *Nicefori* partium bello paceque cenſerentur. Eaque conſtituta pace *Veneti* publico omnium inſularum conſilio ſedem à *Methamauco* translatam in *Rivoalto* manere, & quod *Rivusaltus* eſſet civitatis nomen, conſtituerunt, palatiumque quod noſtra ætate ſuperbis eſt ædificiis auctum, apud *Theodori* ſacellum tunc primum fundare cœperunt. Pariterque eodem anno quia in *Olivolenſi* inſula littori proxima caſtellum fuerat, Epiſcopi ſedem ibi conſtitutam appellant cum tota diœceſi *Caſtellanam*. Tria paulo poſt in orbe terrarum maxima ſunt audita. Primum dictu leve malos poſtea ſucceſſus habuit. *Saraceni* enim primam omnium *Italiæ* urbium *Centumcellas* urbi *Romæ* proximas ſpoliarunt. *Carolus* deinde Imperator vir excellentiſſimus obiit. Tertio loco *Saraceni* quatuor tunc primum tyrannos admiratos nomine habere cœperunt, quorum unus *Ægyptum* & *Aphricam* occupavit, duo *Hiſpanias* inter ſe partiti ſunt, & quartus *Paleſtinam* ac *Syriæ* loca cepit. Iſque per *Gregorii IV.* Pontificis *Romani* edictum, qui fuerat tituli *Sancti Marci* Cardinalis, ſacroſancta *Paleſtinæ* loca obſcœne fœdata à nemine *Chriſtiano* adiri permiſit. *Maurique* in *Siciliam* claſſe delati late incendia commiſerunt. Nec ſcivit potuitque *Michaël* Imperator *Conſtantinopolitanus*, tantis malis aliter providere, quam quod *Venetis*, ne mercimonia occidentis in *Aſiam* perferrent, inhibuit, & aliquot onerariarum navium triremiumque præſidia *Siculis* à *Venetis* afferri curavit: eratque per id temporis *Venetiarum* Dux *Iuſtinianus Particius*, anno cujus ſecundo Ducatus *Beati Marci* Evangeliſtæ corpus *Venetias* eſt translatum. Et eo, qui ſecutus eſt, anno conditæ urbis *Venetæ* primo ſeptuageſimo & quadringenteſimo, eccleſia, quæ nunc extat, *Sancti Marci* Venetiis ædificari cœpta. *Iuſtinianus* enim Dux ea auctus gloria Sancti Evangeliſtæ Ducatus ſui temporibus in urbem adducti à populo *Veneto* impetravit, *Ioannem* fratrem ſuum, qui apud *Conſtantinopolim* exulabat, in patriam revocari, & ſibi in conſortem Ducatus dari. *Michaëlque* Imperator audiens *Saracenos* Siciliam invaſiſſe, per *Ioannem* in patriam reducem, & Ducem creatum à *Venetis* petiit, ut claſſe *Siculis* opem ferrent. Dumque claſſis à *Venetis* conceſſa armatur, dum navigat, dum *Siculis* laborantibus ſe oſtentat, *Sancti Marci* eccleſia à *Ioanne* Duce populi gratiam eo in negotio aucupante perfecta eſt. Anno, qui ſecutus eſt, *Saracenis* Siciliam iterum *Tarentumque* Duce *Sabba* Regis *Maurorum* præfecto, obſidione prementibus, *Theodoſius* Imperatoris *Conſtantinopolitani* claſſis præfectus copiis, quas e *Græcia* adduxerat, diffiſus ad *Venetos* ſe contulit. Et *Petro Toverdenico* ac *Ioanne* ejus filio *Venetiarum* Ducibus, *Spatarii* dignitate, quæ tunc erat omnium illius Imperii maxima, ornatis ab ea republ. impetravit ſexaginta triremium claſſem à *Venetis* armari: auctuſque tanta claſſe *Theodoſius* non prius inchoata in portu *Venetiarum* velificatione deſtitit, quàm Sinum attigit *Tarentinum*. *Sabbas* vero *Saracenus* quamprimum eam omnem *Chriſtianorum* claſſem *Adriatico* emenſo in Sinum *Tarentinum* flectere intellexit, ſive quia timuerit, ſive quia timoris ſimulationem rebus ſuis conducere ſit arbitratus, obſidionem ſolvit, & ad *Crithonitarum* littora repente navigans, *Chriſtianis*, quid facturus eſſet, dubium fecit. Sed ea in magnarum claſſium propinquitate cum levia per occaſiones committerentur certamina, ad prælium vel invitis utriuſque exercitus præfectis eſt ventum, quod quæ partium inchoaſſet, utriuſque claſſis Duces ignorare viſi ſunt: fractis eo in prælio & fugatis *Chriſtianorum* copiis, in *Venetos* pugnæ intentiores magna ejus cladis calamitas ceſſit. Nam omnes eorum naves vel merſæ vel captæ ſunt: militum vero paucis in barbarorum poteſtatem factis, reliqui aut enecti, aut ad internecionem fuerunt occiſi. *Theodoſius* autem Præfectus parte navium, quas è *Conſtantinopoli* duxerat, amiſſa, ſaluti ſuæ fuga conſuluit. Ea elati victoria *Saraceni* in *Dalmatiam* ducentes *Auſtrenſe* oppidum vi captum ſpoliarunt. Forte tunc *Venetorum* naves mercimoniis onuſtæ à *Syria* reduces viſa *Saracenorum* claſſe in Sinum ſeceſſerant *Tergeſtinum*: quas caſu inventas & fugam molientes barbari interceperunt, odioque uſi, quo *Venetum* perſequebantur nomen, mortales in illis repertos ad unum trucidarunt. Exinde ad oram *Italiæ* flectentes *Anconam* vi captam ſpoliatamque incenderunt. Ad annos inde plus minus viginti *Saraceni* Alexandriam incolentes, *Cretam* inſulam aggreſſi, ea omni ditione potiti ſunt, quorum pars maxima in

Carolus Magnus. — Veneti ſuis legibus vivunt. — Mauritius Dux. — Pipinus Rex Italiæ. Eraclia. — Equilium. — Niceta Patricius. Dalmatæ. — Canalis Orfanus. — Rivusaltus. Palatium Venetorum. Olivolenſis inſula. — Gregor. IV Pontifex. — 276 Mauri. — Iuſtinianus Particius Dux. — Ioannes Dux creatur. — Theodoſius Imperator. — Sabbas Saracenus. — Calamitas Venetorum. — Sinus Tergeſtinus. — Creta inſula.

in *Italiam* navigans, omnes urbes in Sinum *Adriaticum* ad *Ancone* Hydruntum vergentes, vel occupatas tenuerunt, vel fugientibus habitatoribus desertas incenderunt. Nec fuit, qui tantæ *Italorum* calamitati aliquam tulerit opem, præter *Venetos*, qui Duce *Urso Particiaco* illos exposita Sinui *Tarentino* vastantes classe adorsi fuderunt, & *Italia* expulerunt. Eo denique anno alii *Cretenses Saraceni* in *Dalmatiam* sunt delati, & non solum exposita mari loca, sed facta plerisque in locis exscensione

Gradus.

mediterranea vexaverunt. Qui *Gradum* usque delati oppugnaverunt diu, urbe ideo non sunt potiti, quia *Veneti* vicinæ urbis periculo exterriti

Saraceni fugati.

laborantibus præsidium attulerunt, & fugatos inde *Saracenos* mari quoque supero expulerunt:

Basilius Imperator Constantinopolitanus. Protospatarius.

in cujus fortissimi facinoris gratificationem *Basilius* Imperator *Constantinopolitanus* apochrysarius *Dalmatiam* administrans *Ursum Particiacum* Ducem *Venetum*, Protospatarium declaravit. Isque Dux accepti muneris gratias relaturus campanas duodecim magni ponderis *Basilio* Imperatori dono misit, easque campanas constat primas fuisse,

Primæ campanæ, quas habuit Græcia.

quas *Græcia* alicubi habuerit. Sed & alia barbaries per *Tertii Sergii* Pont. *Rom.* tempora *Italiam* est aggressa. Namque *Ungari* per viam *Forjulii*, quam malo nostro ab initio mundi Deus patefactam barbaris reliquit, *Italiam* ingressi sunt. Opposuit vero sese illis *Berengarius* Imperator *Romanus* ad ipsum *Forjulii* limitem cum quindecim millibus armatorum, & manu conserta fractum fugatumque

277 amisit exercitum: tum furentes *Ungari* cæde, incendiis & rapinis cuncta vastantes *Tarvisium* pervenere, eaque expugnata urbe ultra progressi omniaque vastantes, per quæ facerent iter, *Mediolanum* invadere constituerant. tum exciti opulentiæ urbis *Venetiarum* fama jam tunc ingenti signa convertentes in eam duxerunt: & lembis tumultuarie fabricatis, quorum asseres pellibus conglutinarentur,

Civitas nova ab Ungaris capta. Clugia depopulata.

Civitas nova capta ad primum impetum est incensa. Exinde *Ungari* per littorales insulas debacchati *Equilium*, & ad alteram partem Caput aggeris *Clugiam*que populati sunt. Fuit vero animus *Rivumaltum* & *Methamaucum* primarias ejus urbis insulas invadere. Sed alia erat tunc

Petrus Tribunus Dux.

ejus urbis forma, alia munitio: namque *Petrus* cognomento *Tribunus* Dux quamprimum eam gentem *Pannonia* movisse audiverat, urbem *Venetiarum* à rivo *Castelli* ad ædem *Sanctæ Mariæ in jubanico* appellatam muro cinxerat: *Canalem* vero,

Catena.

quem *magnum* dicunt, ferrea clauserat catena, cujus capita unum in *Sancti Georgii*, alterum in *Sanctæ Mariæ* prædictæ ædibus firmabantur. Cum itaque *Ungari* à *Clugia* moventes littus, quod contra *Methamaucum* est, cepissent, ut inde *Methamauco Rivo*que *alto* per *Albiolam* potirentur, Veneti *Petro Tribuno* Duce per arma illis resistere perrexerunt, pugnatumque est variis in locis, per quæ barbari multitudine freti irrumpere conabantur: & cum eo in certamine vano aliquot diebus laboratum esset, tandem ipso natalis *Petri* & *Pauli* Apostolorum die, *Ungari* victoriam desperantes re infecta profecti sunt. Sensit per id temporis clades *Italia* inauditas. Dum enim *Ungari* Venetos infestant, Saraceni *Montem* occupavere *Garganum*,

Mons Garganus à Saracenis occupatus.

quem multis annis undique tenuerunt: & *Ungari* à *Venetis* in *Hetruscos* delati, eam commissis regionem summa & alias inaudita impietate cædibus, incendiis, & rapinis prope destitutam desertamque reddidere. Omnes enim mortales fœminas æque ac mares, qui cædibus superfuerant, aut fuga prolabi nequiverant, in *Ungariam** adduxere. quin etiam anno, qui secutus est, conditæ urbis *Venetæ* LXXV. & quadringentesimo Saraceni *Aphricam Genuam*que urbem ceperunt, in quam maxima usi sunt sævitia. Urbe enim spoliata, & his, qui arma ad defensionem in-

** Forte: abduxere.*

Genua capta à Saracenis.

A

duerant, primo impetu cæsis, omnes pariter puberes latebris eductos trucidarunt: redituriquein *Aphricam* mulieres omnis ætatis & impuberes masculos cum facta præda navibus impositos asportarunt. Sed jam sensim ad aliena prolapsus sum, ad res *Venetas* redeamus.

Agapitus Pontifex. Albertus Imp.

Per *Agapiti* Pont. *Rom.* tempora *Albertus* Berengarii Imperatoris filius, apud *Ravennam* constitutus *Venetos* mercatores multis affecit incommodis. *Comaclensium* enim navigio, quod illi haud quaquam tenue habebant, fretus mare vestrum latrociniis tenebat infestum.

Comaclum.

Id cum *Veneti* diutius pati nec possent

B

nec vellent, in *Comaclum* delati oppidum primo impetu captum, & naves simul *Comaclensium* incenderunt.

Petrus Candianus Dux.

Forte paulo post *Petrus* cognomento *Candianus*, Venetiarum Dux, *Petro* filio, ut sui Ducatus consors omnia secum administraret impetravit. Isque *Petrus* genitori ingratus cum in eum conspirasset, in exilium est actus. Qui adolescens acris ingenii ad *Berengarium Albertum*que accessit: & cum forte XII. onerariæ naves vi tempestatis in primarium *Padi* ostium actæ essent, eas *Petrus* Alberti consilio præsidioque fretus intercepit. Et patre paulo post vita functo in patriam à *Venetis* reductus Dux est factus. Omit-

C

to nunc multas *Italiæ* calamitates, ut ea, quæ vestra sunt propria, enumerare possim potius quàm describere. Ad annum vestræ urbis conditæ secundum quinquagesimum & quingentesimum

Saraceni Italiam ingressi.

Saraceni bipartito exercitu *Italiam* ingressi, hinc *Capuam* ceperunt, inde *Barrum* terra marique obsederunt: cui *Petrus Urseolus* vester Dux annona importata subvenit, nec tamen solverunt obsidionem *Saraceni*. Quare cum essent *Constantinopoli* nunciata ea, quæ Dux *Venetiarum* fecerat, *Gregorius* imperialis Catipanus, id magistratus est nomen, cum classe in *Adriaticum* venit: qua *Venetæ* conjuncta itum est in *Saracenos*,

D

de quibus superatis, cæsis & expulsis Dux vester triumphavit.

Adria civitas.

Eo qui secutus est anno, *Adriæ* civitatis, à cujus vicinitate superum mare nomen accepit, incolæ major tunc populus quàm urbis vetustas tunc tolerasse videatur, *Venetorum* fines vastarunt:

Otto Urseolus Dux.

quibus *Otto Urseolus* Venetiarum Dux, *Petri* defuncti filius, apud *Lauretum* Pado & Athesi vicinum occurrens conflixit, & superati *Adrienses* brevi pervenerunt ad eam opum tenuitatem, in qua eos obsorduisse videmus.

Robertus Guiscardus.

Nono postea & XX. ac sexcentesimo vestræ urbis anno *Robertus Guiscardus* vir celeberrimus, ductu cujus regnum primo est constitutum, quod appellamus *Siciliæ*

E

citra Farum, Dyrachium urbem terra marique premebat.

Nicephorus Imperator.

*Nicephorus*que Imperator *Græcus*, quod per se ipsum nequisset, *Venetos*, ut pressæ urbi

278 præsidium afferrent, oravit: qui *Dominico Sylvio* Duci suo, ut triremium onerariarumque navium classe educta Imperatori satisfaceret, publico consilio permiserunt: Duxitque in *Guiscardum* Sylvius classem, quam finis ostendit ingentem paratissimamque fuisse. Namque *Normannæ* congressa classi victoriam sed cruentissimam obtinuit, & mare *Dyrachinis* redditum est apertum. Post aliquot inde annos *Robertus Guiscardus* imperium ambiens *Constantinopolitanum*, quod

F

Alexius imperator pessimus invaserat, classem superiore majorem eduxit.

Alexius Imp.

Veneti non magis ut roganti *Alexio* satisfacerent, quàm quod *Roberti* potentiam, si augeretur, libertati suæ ducerent formidabilem, classem pararunt spe *Alexii* ampliorem, quæ item *Sylvio* Duce alto mari *Guiscardo* congressa est: & fractis fugatisque *Venetis Alexianis*que, qui advenerant, *Guiscardus* Dyrachium, *Dominicus* Dux *Venetias* de fuga se contulit, quem inde Patres in carcerem conjecerunt:

Vitalis Falero.

*Vitalis*que *Falero* illi suffectus reparatam illico classem ad *Alexium* duxit. Qui Imperator *Guiscardo* ad *Sa-*

sium congressus fractusque & fugatus imperium amisisset, nisi *Robertus* brevi post febre & caumate per mensem Julium correptus apud *Casiopam* insulam interiisset. *Casiopa insul.* Inchoata est paulo post gloriosissima omnium expeditio, quam beatus Pontifex Romanus *Urbanus Secundus* in *Claromontensi* concilio decrevit, ad quam *Veneti* classem ducentarum omnis generis navium Præfecto *Michaële*, Vitalis Michaëlis vestri Ducis filio, transmiserunt: eaque classis non magis vestra militia quàm cruce signatorum ex omni orbe *Christiano* ad vos confluentium plena fuit. *Cruce signati.* *Dalmatas*que constat eam navibus militibusque adauxisse. *Dalmatæ.* *Pisani* tunc *Venetis* infensi cum triremibus quinquaginta mediterraneum infestabant, id in primis quærentes, ut naves *Venetas* casu obvias interciperent. *Pisanorum perfidia.* Sive igitur classem *Venetorum Dalmatarum*que sua majorem esse ignorarunt, sive ea fuerunt audacia, ad portum *Rhodiensem* tanto navigio concurrerunt, superatique triremes duo de viginti, & in his milites quatuor millia amiserunt. Sed *Veneti* ob crucis, quod deferebant, signi reverentiam triginta *Pisanis* primoribus in obsides retentis cæteros incolumes cum redditis triremibus liberarunt. *Magnificentia Venetorum.* Subinde *Lassimiram* vel, ut credo, *Smirnam* Asiæ urbem, quæ sex à mari millibus distans tunc recens à *Turcis* diruta fuerat, ea classis cepit: & magni *Nicolai* corpus ibi repertum *Venetias* misit: *Smirna civitas Asiæ.* Ea classis vestra cum *Boglioni Gothifredi* temporibus cæteræ *Christianorum* expeditioni auxilio accessisset, illo ad primi anni captæ *Hierosolymæ* finem mortuo ejus fratri *Balduino*, qui primus Rex fuit, primum usui esse cœpit. *Gothifredus Boglioni.* *Hierusalem.* Cum enim *Ptolomaidam*, quæ & *Accon*, & corrupte *Accia* à nostris est dicta, obsideret, vocata classis *Genuensis* primo, post *Veneta* accesserunt, quas simul fuisse tunc rostratas naves & triremes LXXX. refertur: & pressa mari ac terra *Accon* vigesimo obsidionis die facta est in Regis *Hierosolymæ* potestatem, liberisque duobus his de *Italia* populis privilegia Rex in ea urbe concessit amplissima. *Genuenses.* De quibus, quod ad *Venetos* spectat, infra diffuse dicemus. Ad annum namque *Venetæ* urbis conditæ sexagesimum quartum sexcentesimumque *Balduinus* ejus nominis *Secundus* Hierosolymæ Rex, *Primo* suffectus *Balduino*, de quo proxime supra est dictum, *Saracenis* & *Turcis* resistendi spe destitutus *Venetorum* auxilia poposcit, societatem eis in capiendis de terra barbara provinciis urbibusque pollicitus: extareque vidimus, & vos scire non dubito fœderum hujusmodi formulam cum *Dominico Michaële* vestro Duce, solenniter conceptam. *Balduinus Secundus Rex.* Sed priusquam classem *Veneti* parare potuerint, *Balduinus* iste *Balach* Parthorum Regi *Hierosolymam* impetenti temere congressus cum magna procerum militumque *Christianorum* parte captus *Chairum* in carcerem est perductus. Id cum *Secundus Calixtus* Pontifex *Romanus* intellexisset, & forte tunc *Lateranense* Concilium celebrabat, *Venetos* oravit & sua impulit auctoritate, ut difficillimis *Christianæ* expeditionis rebus in *Asia* subvenirent. *Concilium Lateranense.* Erat per id temporis *Hierosolymis* Patriarcha *Varinundus*, vir non magis doctrina & religione quàm animis & prudentia conspicuus, cui *Balduino* capto *Hierosolymæ* & regni administratio à *Christianis* fuerat demandata. Qui & ipse sicut Pontifex *Romanus* ad *Venetos* mittens fœdera cum *Balduino* icta illis confirmavit. *Dominicus* itaque *Michaël* classem adducens potentissimam ad annum salutis secundum & vigesimum supra centesimum & millesimum in *Asiam* navigavit. *Jacobus*que Theologus *Genuensis*, qui paulo post *Hierosolymis* diu vixit, & à quo hæc sumpsimus, LXX. onerarias naves eam classem habuisse scribit. In qua similius est vero triremes inter & ceteas ac alias minores quàm ve-

A stra habent monumenta naves fuisse CC. Interea 279
Varinundus Patriarcha, quo die certior est factus *Dominicum* Venetiis solvisse, omnes copias, quotquot *Hierosolymis* educere potuit, ad *Joppen* duxerat: quam *Hierosolymæ* proximiorem cæteris maritimam urbem *Babylonica* septingentarum navium classis arcta & periculosissima obsidione premebat. *Joppe civitas.* Impetum, quem *Venetus* Dux in barbaram classem fecit, improvisum fuisse crediderim, quod *Genuensis* scriptor æque ac *Venetus* auctores sunt, barbaros illico profligatos fugatosque magna ex parte captos fuisse. *Joppe* liberata jussit Patriarcha omnibus *Christianorum* copiis terra mari-
B que in *Tyrum* iri, quam urbem omnium præter *Hierosolymam* & *Antiochiam* Asiæ potentissimam *Christiani* ad id temporis expugnare nequiverant. *Tyrus.* Ea tamen summis barbarorum conatibus aliquamdiu defensata, tandem multo, ut *Genuensis* verba imitemur, *Venetorum* sanguine capta & *Hierosolymæ* regno addita est. Concessum vero *Venetis* à *Varinundo* Patriarcha, & postea à *Balduino* Rege pecunia redempto confirmatum, quod vidimus ipsi privilegium, minora habuit quàm quæ concedentibus in tanti beneficii præmium fuerint onerosa. Namque *Balduinus* hic *Secundus* ea primo confirmat, quæ *Primus* alter *Balduinus*
C Rex *Venetis* in acceptorum principio expeditionis beneficiorum præmium in hanc maxime formam in ecclesia *Sanctæ Crucis* apud *Achonem* altero concesserat privilegio: Haberent *Veneti* omnibus in urbibus *Hierosolymæ* & primatus *Antiochiæ* propriam fori jurisdictionem: vicum & plateam particularem, ubi furnum, stateram, cauponas, mensurasque proprias & cætera mercimonia nullis gravati vectigalibus exercerent. *Privilegium Venetorum.* Si quis *Venetus* naufragium fecisset, si decessisset intestatus, bona cederent *Veneto* Magistratui. Tum in beatorum Apostolorum *Petri* & *Pauli* festo celebri regius minister ex *Hierosolymæ* ærario tre-
D centos *Bizantios Saracenos* persolveret: hisque à primo *Secundus* addidit *Balduinus*, ut *Tyri Ascalonis*que urbium, quandocunque in *Christianorum* fierent potestatem, *Venetus* tertiam partem dominio possideret. *Tyro* capta & *Balduino* Hierosolymam reverso periculum palam est factum, quod *Christianæ* expeditioni maximum imminebat, si ea à *Venetis* auxilia non venissent. Namque suffectus Calojohanni *Emanuel* tunc *Constantinopolis* Imperator, qui tantam *Christianis Latinis* victoriam sicut & sui prædecessores invideret, *Joppe* obsessa aperta in *Venetos* cœperat machinari, quos à ferenda *Christianis* ope cupiebat avertere.
E Ejus itaque Imperatoris per eam ætatem potentissimi motibus, qui continuabant, territi *Venetæ* Reipublicæ magistratus *Dominicum Michaëlem* Ducem suum revocare coacti sunt. Isque probus vir *Rhodum* primo, post *Chium*, Græci Imperatoris insulas spoliavit, gloriosum nactus in Chio *Theodori* Martyris corpus, quod in *Sancti Marci* basilicam delatum in capella insigni servatur, quam *Narsetem Cartularium* ædificasse docuimus. *Rhodus. Chium. Corpus sancti Theodori.* Ductis inde apud *Chium* hibernis *Dominicus* Dux, *Samum*, *Mytilenas*, *Andrum* & alias de *Emanuelis* imperio insulas spoliavit: occupatoque *Mothonico* *Samus. Mitylenæ. Andrus.*
F & præda ibi facta inter suos divisa urbem communivit: eademque classis in patriam reditura, *Spalatum* & *Tragurium* Regis *Ungarorum* urbes, quod & ipse *Veneto* inimicaretur nomini, vi cepit, quas urbes *Veneti* hucusque possident. *Spalatum. Tragurium.* *Dominicus* vero Dux celeberrimus tantis rebus intra trigesimum quàm profectus erat mensem felicissime gestis in patriam est reversus. Immorati diu sumus in recensendis ordine gestis à *Dominico Michaële* rebus quidem maximis: sed eo plurimi à vobis & vestra Republica faciendis, quod jacta sunt tunc vestræ amplitudini fundamenta. Nam tunc

tunc primum extra portum & littora vestro Ducatu comprehensa aliquid dominii urbs *Veneta* habere cœpit. Idque, ut docuimus, maximo gravissimoque Pontificis *Romanorum* & *Hierosolymæ* Regis consensu, ac totius orbis *Christiani* applausu factum esse gloriosissimum vobis, ac felicissimum ducere ac existimare debetis. Nec parvo postmodum Reipublicæ decori fuit *Tertii Alexandri* Pontificis *Romanorum* ad vestram civitatem accessus. Eum enim primo vigesimo & septingentesimo *Venetæ* urbis conditæ anno venisse constat, ut promissam ex fœdere pacem cum *Federico Primo Barbarossa* Imperatore *Romano* vestris auspiciis, vestro concluderet interventu. *Sebastianus*que *Zianus* Dux vester cum binos orbis *Christiani* Principes ea pace solenniter constituta, *Federicum* primo *Ravennam* usque, & post *Alexandrum* Pontificem longiore aliquantisper navigatione prosecutus fuisset, eodem anno tanta auctus gloria est defunctus. Cumque paucos post annos *Tertius Clemens* Papa *Federicum* antedictum Imperatorem, *Philippum* Regem Francorum, *Ricardum* Regem Angliæ, *Oddonem* Burgundiæ Ducem, ut laborantibus in Asia *Christianorum* rebus subvenirent, impulit: admoniti ab eodem Pontifice *Veneti* per *Henrici Danduli* Ducatus tempora classem, cui *Ravennas* Archiepiscopus Pontificis legatus præfuit, paravere. Primos vero & omnium pro tempore utilissimos ea expeditio ex Italia *Venetos* habuit, &, qui se eis addiderant, *Pisanos*. Nam *Clementis* Papæ edicto palam facto, *Bela* Ungariæ Rex *Veneti*que ut terræ sanctæ opitulari possent, pacem utrinque diu denegatam pari facilitate invicem concesserunt, & conjunctas in Adriatico *Venetam Pisanam*que classes magna vis *Italiæ* nobilium militumque est ingressa, quibus *Tyrum* delatis & in urbem expositis perterriti prius ac pene desperantes in illa *Christiani* respirare cœperunt. Perseverarunt hæ classes triennio rebus *Asiaticis* intentissimæ. Cumque navium reparatione & militum Regumque supplementis permaxime indigerent, sicut simul iverant eodem tempore, sed nequaquam simul aut eadem, cum qua iverant, amicitia littoribus *Asiæ* sunt profectæ: quin bellum utrinque mutuum in patriam est relatum, quod malo *Pisanorum* successu prius terminatum penè quàm gestum est. *Pisana* enim classis *Polam* delata *Lesinam* urbem *Venetis* tributa pendentem cepit, apudque eam hiberna egit. Et *Henricus* Dux *Venetus* hanc classem in patriam reducem exarmavit: inde novam triremium decem, navium sex cetearum raptim armatam emisit. Qua *Polam* ducta & urbs vi capta, & *Pisanorum* pars classis reliqua incensa est: partem enim classis maximam *Pisani* revocarunt præsidio occursuram sex eorum navibus onerariis, quæ mercimonia à *Tanai* fluvio & mari *Pontico* advehebant. *Veneti*que Polæ muro ita aperto dirutoque, ut in eam ultra *Pisanis* receptus esse nequiverit, *Mothonum* urbem suam in *Peloponneso* se contulerant, apud quam *Pisanis* aperto venientibus pelago congressa classis *Veneta*, & præsidium repulit male habitum, & duas ex ipsis sex mercimoniis plenas intercepit: paxque brevi maximo cum *Pisanorum* damno composita est. Sequitur in primis gloriosa *Venetis* expeditio. Anno conditæ urbis quarto quadragesimo septingentesimo *Bonifacius* Marchio Montisferati, *Balduinus* Comes Flandriæ, *Henricus* Comes Sancti Pauli, *Ludovicus* Comes Sabaudiæ *Venetias* advenerunt nulla alia ratione, quàm ut via ad *Constantinopolim* per varios pridem in *Germania* & nuper in *Constantinopoli* exortos motus interclusa, à *Venetis* opem peterent transmittendis in *Asiam* copiis, quas *Christianorum* subsidio ducturi erant: pactique erant cum *Henrico Dandulo* Duce, quales quotque na-

Alexander Pontifex. *Federicus Barbarossa.* *Sebastianus Zianus Dux.* *Clemens Pontifex. Philippus Rex Franciæ.* 280 *Ricardus Rex Angliæ. Oddo Burgundiæ Dux. Henricus Dandulo.* *Classis Veneta & Pisana.*

A ves habere, quantum pro naulo dissolvere deberent, quingentos & quatuor millia equites & octo millia pedites & commeatus necessarios traducturi. Militibus vero suis ad edictum tardiusculе convenientibus protracta est diutius opinione sua *Venetiis* mora, ut æstate jam in autumnum vergente pecunias hi proceres expectando consumptas à *Venetis* mutuas capere sint compulsi. Forte per id tempus *Iadera* quintum à *Venetis* ad *Ungaros* defecit, cujus recipiendæ cura Ducem *Henricum* & *Venetos* adeo urebat, ut navigium importuno tempore pœnituerit proceribus promisisse, quam ut revocarent promissionem nullo abduci incommodo patiebantur: cum melior in re ardua ac

B difficili consultantibus occurrit sententia, dandas scilicet esse dono petitas majoresque proceribus pecunias, si inita societate illis in recipiendis *Dalmatiæ* urbibus oppidisque rebellibus Reipublicæ opem afferre animum induxissent. Ictaque sunt in annum fœdera educendas esse à *Venetis* in expeditionem triremes LX. & præter *Dalmatiam* quicquid urbium, oppidorum, insularumque, & omnifariam prædæ caperetur, æquis inter utrosque portionibus dividendum. *Henricus* itaque *Dandulus* Venetorum Dux cum expedita triremium classe primus omnium idibus Octobris solvit, cæteri postridie sunt secuti. Quam classem

C præter armatas jam Ducibus dandas *Urserios*que quibus equi deferuntur viginti centum, ac onerarias naves LXX. habuisse constat: primumque *Tergestini* & *Mulgenses* mare latrociniis infestantes domiti, & *Venetis* tributarii sunt effecti. *Iaderam* vero delati diutius ad eam sua opinione sederunt, quam sæpe oppugnatam multis laboribus & multo sanguine fuso receperunt. Et quia ejus, quæ ter jam quaterque rebellaverat, respectu liberari voluerunt, *Veneti* muros urbis in mare versos aperuerunt. Actumque est inter socios, ut hyemem plane inchoatam & crebris jam sævientem

D tempestatibus ibi agerent: quare *Iaderenses* quique ditiores & urbis Primores *Venetorum* clementiam desperantes sponte migrarunt. Interim *Alexius* puer *Isaac* Constantinopolitani Imperatoris filius, *Alexii* patrui sui fratricidæ manibus elapsus *Iaderam* se contulit, consilio fretus nonnullorum Procerum paternæ amicitiæ, à quibus *Venetias* ducebatur: petentem vero afflictis rebus opem & multa pollicentem *Alexium* socii bello exaudiendum duxerunt: suntque in hac maxime forma fœdera constituta. Restitutus in patriam *Alexius*, Imperatorque aut solus aut cum patre, si superstes in carcere inveniretur, constitutus *Græcanicam* ecclesiam & religionem *Romanæ* ecclesiæ ac

E ritui Catholico subjiceret: pro damnis insuper, quæ tam *Venetis* quàm *Francis* ubique constitutis *Emanuel* Imperator pridem intulerat, triginta millia auri marchas dissolveret: Principibus vero expeditionis nauli impensæ satisfacerent, qua erant *Venetis* obligati. Solveruntque à *Iadera* ad veris initia bello socii perpetuo cursu *Constantinopolim* petituri. Et *Iaderenses* patria profugi piraticam ubique in *Liburnis* patria sua *Histris*que finitimis infestissimam exercuerunt, in quos nova à *Venetis* educta classis, & præsidium *Iaderæ* imminenti insulæ impositum est: Cui *Malconseglio*

F indicta est appellatio: quod quidem præsidium *Iaderenses* patria extorres opibus *Ungariæ* Regis freti triremibus decem apud *Cajetam* armatis diruerunt. Quamobrem novam atque ingentem *Veneti* classem parare cœperunt. Id cum *Iaderenses* rescissent pacem à *Venetis* suppliciter petitam impetrarunt, ut datis obsidibus primatum filiis in patriam reverterentur. Classem interim bello sociam *Bosphorum* ingressam ad *Margaria* locum *Galathis* è regione oppositum haud longe à *Constantinopoli* distantem remorata est catena,

Iadera defecit à Venetis. *Dalmatiæ urbes.* *Triremes sexaginta.* *Iadera capitur.* *Alexius filius Imperatoris.* 281 *Emanuel Imperator.* *Iaderenses piraticam exercent.* *Malconseglio insula.* *Iaderenses à Venetis pacem impetrant.*

quam *Alexius* fratricida densissimam præsidiis ad A utrumque latus tetenderat communitam: ad quam dum tentus esset exercitus, *Cretenses* duabus vecti triremibus publico consilio insulam *Alexio* puero dediderunt, qua ille *Bonifacium* Montisferati Marchionem paterna sibi avitaque affinitate conjunctum donavit: catenaque interim non prius perrumpi potuit, quàm aquilone navis cetea vento impulsa validissimo est immissa: forsexque simul immensus illam eodem juvante impetu succidit. Ea superata peregrini: nam eo se nomine totus exercitus appellabat: urbi appropinquant, proceresque terrestres copias ducentes primi exscensione facta ad urbis mœnia portasque ferri cœperant, B cum *Theodorus Lascara* adulterini Imperatoris gener, & copiarum ductor eruptione facta impetum fecit: & prælium utrobique cruentum & atrox commissum est. Tandemque *Græcus* intra mœnia est repulsus. Eodemque tempore classis *Veneta* ad portum urbis circumacta est, quam & catena item altera retardavit. Eam enim inclusæ triremes viginti pro viribus defensabant. Continuato tamen perpetuo duorum dierum prælio, & scissa est forfice catena, & in portu triremes vacuæ: nam *Græci* in terram profugerant: sunt inventæ. Portu capto peregrini partitis C muneribus illi terra portas, hi de navibus mœnia perpetuis agitare oppugnationibus constituerunt. *Veneti*que vineas ad promurale in portum vergens quàm proximas adegerunt: binis insuper navium malis superne ad caveas colligatis pontes impositi sunt, de quibus muros altitudine superantibus oppidani sagittis catapultisque & fustibalis feriebantur: quin etiam ignis de pontibus caveisque navium in proxima continuantiaque mœnibus urbis ædificia sæpenumero jactus est: qui tandem amplissima corripiens ædificia latissimum commisit incendium, ut eo territi metu, crebris insuper icti vulneribus murorum defensores eos linquere sint coacti, quos scalis innixa juventus *Veneta* occupavit. Ad eumque tumultum in urbe concitum D *Alexius* fratricida territus nocte concubia fugiens ingentem thesaurum, qui postea rescitus est, apud *Hirenam* filiam virginem in monasterio defossum liquit. Ea perditi viri fuga per urbem vulgata *Isaac* cæcus carcere eductus & puer *Alexius* maximo populi favore patentibus portis in urbem est reductus. Exinde factis utrique Imperatori de more acclamationibus *Isaac* pacta à filio cum peregrinis fœdera sponsionesque & pecuniarum obligationem præsente & consentiente populo approbavit: quorum exsecutioni cum probus Imperator *Isaac* gratissime intenderet, morbo ab aëris, ut creditum est, insolentia contracto E interiit. Nec segnior illo erat in ostendenda gratitudine puer *Alexius*, quem & satis debito facturum & ingentia etiam peregrinis in *Asiam* trajecturis allaturum apparebat, nisi ingrata & seditionibus per eam tempestatem nutrita civitas omnia ejus consilia subvertisset: tumultus enim in populo incertis auctoribus est exortus, & incursu ad imperiale facto convitia in Imperatorem jactata sunt, quod puer ignarus rerum pecuniis avaræ & semper antea inimicæ genti *Latinæ* dandis urbem expilare, ac omnino intenderet exhaurire. F Et puer *Alexius* sibi timens prudenti supra ætatem consilio alta inclamavit voce, sese in eorum
282 potestate dirigendis hujusmodi aliisque rebus de cætero permansurum: hæc noctu de prima vigilia fiebant. Mane Imperator consilio paucis communicato ad *Bonifacium* misit *Monteferatensem*: admonuitque atque oravit, ut de tertia vigilia cum armatis cohortibus ad portam, quæ clanculum pateret, delatus in palatium advolaret. Fuit ejus consilii constitutique facinoris conscius quidam & ipse *Alexius* cognomine *Murtilus*, quem

Cretenses.

Veneti occupant urbem.

A *Isaac* Imperator ex infima plebe in Patricium Protonotariumque, primariam aulicorum dignitatem, extulerat: is malo vir ingenio ad tyrannidem anhelabat. Quare primarios factionum & in plebe audentiores allocutus, tumultum ad primam vigiliam priori similem concitare curavit: quo tumultu vix tunc exorto *Alexium* puerum titubantem, ut in penitiora sordidioraque palatii delitesceret, admonuit, curavitque perductum ad locum à suis satellitibus custodiri: exinde in publicam delatus est aream: & multa concionabundus dixit ostendens præsentem urbis conditionem, imminens ab externa, avara, ambitiosa, B & semper hactenus inimica gente periculum, viro non puero indigere: effecitque quod in primis anhelans satagebat, ut inconditis vocibus eum populi pars Gubernatorem, pars Ducem, pars Imperatorem acclamaverit. Secundum quas acclamationes magna stipatus caterva in palatium se proripuit, & puerum *Alexium*, quem datum bis venenum non occiderat, eliso gutture manu propria necavit. Tumultu exinde sedato copias contraxit, quantascunque urbs tunc populo frequentissima dare potuit: & suis jam urgentibus fatis hinc defuncti Imperatoris pueri amicos tollere, inde peregrinos pellere animum adjecit: C primum tamen in peregrinos ducendæ acies sunt instructæ: & accersiti sacerdotes pompam producentes, Iconamque portantes gloriosæ Virginis Dei genetricis, quæ in sacrario servabatur, divina ituris in prælium armatis peregerunt. Secundum quæ rite facta eadem Icona in vexillum & pugnæ signum præmissa est. Forte impetus primus factus est in *Balduini* Flandrensis Comitis stationes, quæ ad suæ legionis tabernacula servabantur. Isque Dux non magis corpore quàm animo præsens cum paucis occurrens furentis *Græci* impetum tam diu moratus est, quoad omnis legio arma rapuit. Quæ in prælium tota cum irruisset, D pseudo Imperator in portam usque repulsus est, Iconaque casu à peregrinis capta parum abfuit, quin tyrannus cum multitudine suorum promurali exclusa fuerit interceptus. Iconem peregrini apud se mansisse in eam acceperunt partem, ut victoriam sibi de perfido hoste maligno homine à Deo sponderi in spem maximam sint adducti. Quare in consultationem est positum, quid plurimi quique majores natu, melioresque censerent à peregrinorum exercitu faciendum: vicitque sententia, tollendum esse & dejiciendum tyrannide perditissimum hominem, qui tam multa in se tam horrenda in puerum *Alexium* com- E misisset. Fœderaque primum omnium inter eos hac formula renovata sunt, ut urbis captæ atque imperii *Romaniæ* urbium ac locorum, quæ in potestate fierent, dimidia proceribus peregrinis, altera pars *Venetis* possidenda daretur: urbsque ab his mari, ab illis terra, variatis per duos de septuaginta dies oppugnata est. Et licet magna *Græci* à peregrinis terra pugnantibus incommoda acceperint, muro tamen *Veneti* in portum verso superne de navium malis caveisque sicut alias expugnato priores urbe potiti sunt. Tyrannusque noctis umbra tectus cum pellicibus, uxore & thesauro F fugiens evasit. Cives vero hinc ad capti ab hoste muri voces, inde ad tyranni fugam uno atque eodem tempore sunt exterriti. Sed dante ingenium necessitate convocatos in solennem pompam sacerdotes secuti sunt inermes, & crucibus Iconisque ad fidem comparandam præmissis, tenentes murum armatos veniam supplices oraverunt, qua facillime impetrata, portis undique patentibus *Latini* nominis multitudo undique est ingressa. Quiete urbi data proceres in consilio decreverunt quindecim viros ex omni exercitu deligendos, quibus creandi Imperatoris deligendique Patriarchæ

Alexii mors.

Virginis Dei genetricis Icona.

Balduinus.

De eligendo Imperatore & Patriarcha.

chæ poteſtas eſſet irrefragabilis attributa. Quod cum placuiſſet, id *Veneti* petitum impetrarunt, niſi Imperator eſſet *Venetus*, Patriarcham ipſi poſſent ex arbitrio declarare à *Romano* Pontifice confirmandum. Partitio electorum in hunc maxime modum æquata eſt, ut quinque viros externi Principes *Flandrenſis* & *Sancti Pauli* Comites, totidem *Montisferatenſis Sabaudienſisque*, reliquos *Veneti* deputarent. *Balduinusque* Flandrenſis ſumma concordia ſublimatus, & *Thomas Maurocenus* in ſacris agens in Patriarcham *Conſtantinopolitanum* à *Venetis* declaratus eſt: qui novo Imperatori ex more inuncto diadema impoſuit; & brevi poſt pro confirmatione obtinenda *Romam* ad *Tertium Innocentium* Pontificem ſe contulit. Uſi vero ſunt expeditionis hujuſce Principes magna in novum Imperatorem liberalitate. Nam ut onera Imperii commodius tolerare poſſet, dimidia illum partis eos ex fœdere tangentis tam urbis quam provinciarum vectigaliumque & portoriorum Imperii donaverunt. Inde ad nonam captæ urbis diem *Veneti* claſſe, cæteri omnes terra recipiendis *Balduini* Imperatoris nomine, provinciis, urbibus, & inſulis eduxerunt. Primusque omnium *Bonifacius* Montisferatenſis, & *Henricus* Imperatoris germanus frater, omni *Thracia*, quæ *Adrianopolim & Conſtantinopolim* dierum trium itinere, quaqua verſum interjacet, mirabili victoriæ curſu potiti ſunt, & omnia ut Imperatoris poteſtate firmarentur, caſtra duces ad *Adrianopolim* ſunt metati. Quam in urbem *Græci* Nobiles & Primores quique *Latinorum* exoſi imperium copias contrahebant. Manſerat apud Imperatorem Conſtantinopoli *Henricus Dandulus* veſter Dux, quo partem quartam Imperii ſe tangentem certioribus diſcretam terminis, ac locorum nominationibus innoteſceret. Et quia *Ægæi* pelagi (*Archipelagum* nunc appellant) inſularum pars maxima, & adjacentes *Creta* & *Aulis*, *Eubœa* nunc *Nigropontus* in ea adnumerabantur quarta parte, claſſem ſuam illis primum recipiendis intendere curavit. Sed cum ad *Cretam* eſt perventum, omnis ea inſula in *Bonifacii* Montisferatenſis poteſtate pacifica eſt reperta. Quamobrem Imperator *Balduinus* concordiam in expeditione & fœderum publice ictorum juſtitiam conſervandi cupidus, *Bonifacium* in *Theſſaliæ* Regem declaratum, ut *Cretam* Venetis dimitteret, eſt hortatus: miſſique ſunt ad caſtra in *Adrianopolim* firmata cum Imperatoris decreto *Marcus Sanutus* Patricius *Venetus*, & *Rabanus de Carceribus* Veronenſis, *Veneti* Ducis oratores, qui *Bonifacium* imperialis decreti, quod exhibuerunt, auctoritate Regem *Theſſaliæ* appellatum, ut accepta à *Venetis* pecunia quamquam modica jus illis ex *Alexii* pueri extorriſque donatione quæſitum cederet, facile in ſententiam adduxerunt. *Thomas* interim *Maurocenus* Romæ fuerat, quem *Tertius Innocentius* Pontifex libentiore quàm petitum fuerat animo in Patriarcham *Conſtantinopolitanum* confirmaverat, quod ea eccleſia tunc vero *Romano* Pontifici ſubjecta erat. Iſque Patriarcha, cum *Venetiis* parvo fuiſſet tempore, *Conſtantinopolim* ad ſuam reverti voluit eccleſiam. Cui navigaturo Senatus *Venetus* triremes quatuor Duci *Dandulo* & ejus claſſi addendas tradidit. Qua fretus armatarum triremium occaſione Patriarcha, *Raguſium* urbem, quæ à *Venetæ* Reipublicæ fœderibus deſciverat, recipit, & *Dyrachio*, quam *Græci* Imperatores deſertam liquerant, inſtaurato præſidia impoſuit. Exceptus vero eſt *Conſtantinopoli* Patriarcha ſummo applauſu, quod Pontifex *Innocentius* Balduinum Imperatorem à Patriarcha confirmato juſſerat auctoritate Apoſtolica coronari. Eaque dies celeberrimo totius penè *Græciæ* non magis *Latinorum* quàm *Græcorum*

Bald. Imp. — 283 — *Bonifacius Montisferrati & Henricus Imp. frater.* — *Adrianopolis civitas.* — *Henricus Dandulus Dux.* — *Archipelagus. Creta. Aulis. Eubœa.* — *M. Sanutus. Rabanus Veronensis.* — *Ragusium. Dyrachium.* — *Balduinus coronatur.*

A conventu lætiſſima fuit. Per annum, qui ab urbe *Conſtantinopoli* capta tunc finitus erat, quicquid *Iſaac* & *Alexius* fratricida poſſederant terra & mari, unica *Adrianopoli* excepta, in *Latini* Imperatoris *Latinorumque* Procerum poteſtatem factum erat. Sed perturbavit tantos *Latinorum* ſucceſſus hinc *Balduini* Imperatoris, inde *Henrici Danduli* Ducis veſtri, mors brevi ſubſecuta, & tamen res proſpere ſucceſſerunt. Sed jam hoc loco fidem promiſſi veſtræ magnitudini ſupergreſſus ſum, qui penè hiſtoriam non breviarium hac una in parte deſcripſi, quod ab ea expeditione magna amplitudinis veſtræ, quam nunc etiam

B obtinetis, pars originem habuit. Nec erant tunc veſtrorum imo publicorum *Chriſtiani* nominis hoſtium *Saracenorum* vires imminutæ, quin potius ſolito potentiores toto orbe effecti erant, excepta *Italia*, cui unicæ à veſtro potentatu, & Regum *Siciliæ* tunc etiam potentium & bene *Chriſtianorum* metu manum injicere formidabant. Ad annum enim *Tertii Innocentii* Pontificis prædicti tertium *Ilmamolinus* Saracenorum *Aphricam* incolentium Imperator, quem *Tunici* Regem *Soldanumque* appellarunt, ingentes in *Europam* trajecit copias, primaque ad *Toletum* fixit caſtra, *Toletum.* & inaudito victoriæ curſu utramque *Hiſpaniam* *Hiſpania.*

C pervagatus latiſſimis omnia incendiis populationibusque fœdavit, adeo ut hinc *Arelatum*, inde *Avinionum* Gallicas urbes illud idem afflaverit incendium. *Avinionum.* *Henrico* interim Imperatore defuncto fratri *Balduino* apud *Conſtantinopolim*, & *Petro Ziano* Veneto in Ducem ſuffecto, creſcebat in *Latinorum* manibus Imperium *Romaniæ*. Imperator enim *Adrianopolim* agitabat, cujus & *Græciæ* Imperii nomen *Vatari* occupaverat: & Dux *Venetus* liberum fuis fecerat, ut præter majora Reipublicæ reſervata ea, quæ cives *Veneti* caperent, ſibi ipſis propria retinerent. Primique omnium *Marcus Dandulus* & *Iacobus Viaderus* *Petrus Zianus Dux.*

D Gallipolim ceperunt. *Marcusque Sanutus* & con- 284 fœderati ſecum aliquot cives, *Naxo*, *Paro*, *Mela*, *Herinea*: eodemque tempore *Marcus Dandulus* Andro & aliquot *Ægæi* pelagi inſulis ſunt potiti. *Rabanus* vero *de Carceribus* Veronenſis & nepotes Euripium: *Andreas* & *Henricus Gliſii* Tinas, Micholas, Schyron, Scopulum & Schyatam: *Philocalus* navigoſus *Stalimenum* ſibi dominio ſubegerunt: per quod item tempus claſſis *Venetorum* unius & triginta triremium perſequendis piraticis miſſa *Corcyram*, nunc *Corphu* dictam, & eodem victoriæ curſu *Mothonum* & *Coronum* Reipublicæ rebelles ſubegit. *Dominicusque de*

E *la Roſa* Campanus ex *Gallia* reliquiis *Athenarum* & omni *Achaia* potitus eſt, nec tamen deerant *Græci* in latrocinia coëuntes. *Henricus* namque cognomento *Piſcator*, Maleæ Comes, *Genuenſium* claſſe fretus, *Cretam* inſulam ut caperet, eſt adnixus. *Veneti* autem claſſe viginti quatuor triremium immiſſa & ſuam tutati ſunt inſulam, & quatuor *Genuenſium* triremes interceperunt. Eaque *Latinorum* apud *Conſtantinopolim* victoria, animos *Chriſtianorum* in *Aſia* degentium erexit. Annus advenerat conditæ urbis veſtræ ſeptimus quinquageſimus ſeptingenteſimuſque cum gubernandæ *Cretæ* rebelles animos oſtendenti, & *Mo-*

F *thono* ac *Corono* gubernatores dediſtis, qui magiſtratus freti ſex navibus ceteis & totidem triremibus patria eductis & *Cretam* ſervarunt, & *Genuenſium* rebellibus faventium tres naves interceperunt. Quin etiam *Rabanus de Carceribus* nepoteſque cum *Nigropontis* inſula ſeſe vobis feudatarios ſubegerunt. Pariter *Gofredus de Villa* Gallicus, qui in *Achaiæ* principatu *Dominico de la Roſa* ſucceſſerat. Et *Michaël Cominos* Græcus Nobilis, cum *Peloponneſo*, nunc *Morea* dicta, par feudum *Venetæ* Reip. obedientiamque ſpoponderunt. *Michaël Cominos. Peloponneſus, nunc Morea.*

Creta colonia Venetorum. runt. Anno autem, qui secutus est, *Veneti* motus *Cretensium* rebellionis compescere cupientes equites ex suis & plebejos pedites eo in coloniam deduxerunt, prædiaque insulæ majora melioraque tum equestri ordini, tum plebejis divisa, primusque pro Republica *Veneta* Dux *Candiæ* fuit *Iacobus Teupulus*, qui paulo ante, cum præturam in *Constantinopoli* gereret, inducias cum *Vatari Comino* Græcorum Imperatore *Adrianopolim* obtinente in quinquennium constituerat. Quæ quidem induciæ ab *Henrico* Imperatore pariter fuerant constitutæ. Suffectus *Henrico* mortuo *Petrus Altisiodorensis* ad urbem *Romam* veniens ab *Honorio III.* Pontifice *Romano* in *Sancti Laurentii* ecclesia, quæ est extra urbis muros, cum *Iole* uxore coronatus est. Isque Pontifex rebus *Romaniæ* & subsequenter *Hierosolymæ* opem laturus multos excivit cruce signatos, qui cum eo Imperatore *Constantinopolim* se conferrent. *Ioannes* quoque *Columna*, Portuensis Episcopus Cardinalis, in ejus expeditionis Legatum Sedis Apostolicæ declaratus est, qui ad nonum coronati Imperatoris diem urbe profectus *Brundusium* se contulit, quo Imperator Imperatrixque accesserunt, omnesque simul *Venetorum* navigio sunt excepti. *Ioannes* nunc Imperator *Venetis* promiserat, si ab eis, qui à *Constantinopoli* detulerunt, cum habito à Pontifice exercitu *Constantinopolim* reportaretur, *Dyrachium* eis recuperare, quam urbem *Theodorus Epirotes* furto dolisque surripuerat. Debellaturus autem *Dyrachium* Imperator, hinc *Iolem* uxorem, inde Cardinalem *Columnam*, Constantinopolim jussit accedere, inchoataque est obsidio & oppugnationes per dies pene singulos intentatæ, Sed urbem veteri muro, quem *Venetus* instaurasset, munitam *Theodorus* milite abundans ex *Epirus.* *Epiro* fideli facile defensabat, adeo ut Imperator potiri desperans sibi constituerit abeundum. Et *Macedonia.* quia mediterraneas *Macedoniæ* urbes invisendi desiderio teneretur, petitam inter solvendum obsidionem à *Theodoro* fidei publicæ securitatem accepit. Secundum quam scripto sibi datam ad arctæ amnis portum exscensionem in *Macedoniæ* littora primam fecit. Inde ad nemorosa tempe delatus cum ad montium saltus pervenisset silvis tectorum, structas à *Theodoro* Duce insidias incidit, & abductus in teterrimum carcerem est con- *Andreas Ungariæ Rex.* jectus. *Andreas* per id temporis *Ungariæ* Rex, ab *Honorio* Pontifice in prædictam expeditionem *Dalmatia.* accersitus, jus omne, quod in *Dalmatia* suum ad id temporis regnum habuerat, *Venetis* ideo concessit, quia eum usque ad *Damiatam* cum exercitu amplo navibus detulerunt. Esset hoc in loco dicendum, quo pacto *Constantinopolitanum* ad ruinam tendere cœpit Imperium, quia Imperator conciliatam sibi cum Rege *Exagonarum* à *Venetis* amicitiam noluerit, accepta in uxorem ejus filia, conservare. Sed major est res, quam quæ breviario comprehendi possit. In *Italia* vero per *Federicus II. Imperator.* id temporis *Federicus Secundus* Imperator *Germanus*, non minus quàm si *Turcus* fuisset aut Saracenus, *Romanæ* Ecclesiæ & *Italiæ* ac *Romano* Pontifici infestus erat. Is repugnare & prælio resi- *Petrus Teupulus.* stere ausos *Mediolanenses* aggressus. *Petrum Teupulum* Venetiarum Ducis filium cepit, & in *Apuliam* missum in carcere occidi jussit. Quamobrem
285 *Gregorium Nonum* Pontificem *Romanum*, quem *Gregorius Nonus Pontif.* ipse persequeretur Imperator, *Iacobus Teupulus* solito attentius exaudivit. Pacemque eo rogan- *Iacobus Teupulus.* te cum *Genuensibus* constituit annis novem his *Pax Genuensium.* conditionibus duraturam, ut bella uterque populus susciperet, gereretque communia. Nec posset alter sine altero cum *Vatari* Græco Imperatore aliquid attentare, ut utriusque populi navigia amborum simul deferrent insignia. Obtestatusque est Pontifex, quod decreto sancitum pro-

A mulgari fecit, partem, quæ hujusmodi constitutæ paci contraria primum faceret, excommunicationem, cujus sententia tunc est lata, interdictumque à sacrificiis incursuram. Ea pax alioquin laudabilis vel ea maxime ratione fuit necessaria, ut hi præpotentes *Italiæ* populi, hinc *Federico*, inde *Græcorum* Imperatori *Latinos* apud *Constantinopolim* opprimenti, resistere possent. *Ioannes* enim *Brennus* Imperator ad eos obierat dies, & *Balduinus* ex decreto acceperat Imperium. *Ioannes* item *Vatari* apud *Adrianopolim* Orientalis appellatus, & alter apud Mare *Ponticum* Exagonarum *Græcorum* Occidentalium Impe-
B ratores, partim divisis copiis, partim conjunctis, *Latinos* è *Græcia* ejicere adnitebantur: & *Vatari* continuatum ab *Adrianopoli* usque ad *Sataliam* obtinebat Imperium. Cui suberant aderantque in bellis assidui *Marcus Sanutus* Ægæi pelagi, & *Leo* *M. Sanutus.* *Ganala* Rhodum insulas tyrannide obtinentes. *Leo Ganala.* Fregerunt tamen *Veneti* aliquot ante constitutam pacem annis utriusque *Græci* Imperatoris audaciam. *Cretenses* in rebellione pendentes comprimere cupiens Dux eam insulam pro *Venetis* gubernans *Marcum Sanutum* mercede conductum auxilio advocaverat. Cum accersitus à rebellibus *Vatari* tres & triginta in expeditionem addu-
C xit triremes, & quem solum reperit cum triremibus octo resistentem *Sanutum* in patriam prodito *Veneto* redire curavit. Obtinuitque tunc de insula *Creta* Vatari *Rhetinium*, *Mylopotamum*, & *Rhetinium.* *Castrum novum.* Sed cum ulterius progredi *Græcus* Imperator obsistente *Veneto* nequiret, relicta *Mylopotamum.* oppida cum imposito præsidio amisit, tresque de *Castrum novum.* sua classe triremes apud *Cythereum* insulam perie- *Cytherea.* re naufragio. Tunc educta *Venetiis* ingens classis *Ragusinos*, qui suasione pollicitationibusque *Vatari* seducti desciverant, data venia in solitam fœderationem amicitiamque recepit. Neque vero potuerunt *Latinorum* debilitatem *Veneti* adju-
D vare, quin *Constantinopolis* tanta belli acerbitate sit pressa, ut *Balduinus* Imperator *Philippum* filium infantem accepti æris alieni pignus tradide- *Philippus.* rit mercatoribus. Detractum quoque ædium publicarum & basilicarum culminibus plumbum veniit: nec erat alicunde auxilium præter opem, quæ multa à *Venetis* suo ipsorum impendio adveniebat. Tandem *Græci* Imperatores rebus elati prospere in *Latinos* patratis *Constantinopolim* terra marique cinxerunt arctissima obsidione, unde in salutis desperationem Imperator adductus *Balduinus* Venetos suis gravatos periculis magna evicit precum instantia, classem ab illis triremium vi-
E ginti quinque armandam, cui pro dimidia communis utriusque fieret impensa. Et ne fraudem in solutione periculumve amissi forte Imperii *Venetus* timens impendium recusaret, Imperator dedit pignora omnium pretiosissima lanceam *Lancea & spongia Christi.* spongiamque, quibus Dominus & Salvator noster hinc potatus, inde vulneratus, & crucis ligni, in quo eam pertulit partem maximam. Immissæque illico *Venetorum* decretæ XXV. triremes expectantem in portu & ipsa urbis mœnia infestantem insolentissimum hostem *Græcum* prælio superarunt, & quatuor & viginti de inimica
F classe interceptis triremibus *Constantinopolis* obsi- *Constantinopolis liberata per Venetos.* dione liberata est. Quando etiam *Leo Ganala* Dux, qui *Græcorum* dictæ obsidionis classi præfuerat, eodem die *Rhodum* insulam & seipsum per *Leo Ganala.* fœdera subjecit. Et hæc quidem *Constantinopolitanæ* urbis liberatio eodem facta erat anno, in quo pacem *Genuensi* cum *Venetis* Pontifex *IX. Gregorius* esse voluit. Quare Pontifex ipse majora indies adversus *Secundum Federicum* hostem suum tentare dispositus anno vestræ urbis condi- *Fœdus Pontificis cum Venetis.* tæ septingentesimo octuagesimo tertio fœdera cum *Venetis* iniit, per quæ classis triremium item

item XXV. communi ac pari impendio est armata, quam adhiberi voluit Pontifex *Federico* Sicilia expellendo: ob quam injuriam *Federicus* ridiculum *Venetis* bellum intulit. *Civitas S. Hilarii.* Namque cum exercitu paratissimo *Sancti Hilarii* terram, quæ unica populo *Veneto* Italiæ solo erat, aggressus est, terra quæ *Veneto* subdita *Paduano* agro contigua vix sustinuit operientem sese *Romani* Imperatoris exercitum, *Beba turris.* in *Bebas*que turrim exiguam, cum non esset terra accessus, convicia sunt jactata. Superveniens interim à *Venetis* cimbarum sagittariis plenarum multitudo, quæ aquas æque ac illi terram compleret, *Federicum* pariter conviciis laceravit. Incubuerunt tunc totis viribus Pontifex *Romanus* & *Veneti* deturbando *Padua Ferraria*que *Eccelino de Romano*,
286 Tyranno omnium immanissimo, subditas, qui *Eccelinus Tyrannus.* omnem quoque *Transpadanam* occupavit *Italiam*. *Iacobus*que *Teupulus* Dux, ad *Gregorium Montelongum* Sedis Apostolicæ Legatum, *Ferrariam* cum classe delatus, eam urbem deturbato per arma *Salinguerra* Eccelini *Romanæ* Ecclesiæ acquisivit, *Azo Estensis.* quam idem Legatus *Azoni* Estensi attribuit gubernandam. *Pisani faventes Federico.* Favebant eo tempore *Pisani* Federico, classemque supra centum, ut fertur, triremium in *Genuenses* armaverant ducendam. Quare petitus ex fœdere *Venetus* suppetias *Genuensi* afferre curavit, classisque triremium sexaginta, Præfecto *Andrea Teupulo* Ducis filio, subito est educta: quæ prima velificatione *Polam* delata, *Pola vastata.* eam civitatem, quæ in suam triremem jussa non dederat imperatam pecuniam, & muro alicubi aperto punivit. Continuata exinde navigatione Teupulus *Diracium* est delatus: ubi à nuntio in id misso certior est factus, *Federici* & *Pisanorum* classem à *Genuensi* apud *Corsicam* fuisse fugatam. Quare *Andreas* Præfectus classe in *Polam* conversa, quam intellexerat iterum defecisse, eam vi receptam spoliatamque igne ferroque vastavit: per quod tempus *Lodovicus* Francorum Rex, curante *Balduino* Imperatore, pignera redemit pretiosissima *Venetis*, sicut ostendimus, concessa, lanceam spongiamque & partem ligni crucis dominicæ passionis. Esset hoc in loco dicendum, quid classis *Veneta* expeditioni profuit in *Damiatam* *Damiata.* ducta. Sed nec mutilari potest tot Regum, totque Principum, & varii successus historia, & propositum promissumque breviarii modum excedere diu incepimus: ad ea itaque revertemur, quæ sunt de *Eccelino* superius inchoata. Ad annum *Venetæ* urbis conditæ quartum *Alexand. Pontifex.* octingentesimum, *Quartus Alexander* Pontifex *Romanus*, constituit laborantibus in *Lombardia* Transpadanis à tyrannide *Eccelini* ecclesiæ partium studiosis opem ferre, præsertim cum *Venetos* haberet ad id cupientissimos, qui recipienda urbe *Padua* celeberrima navigium sibi & copias pollicebantur: creatusque *Philippus* ex nobili *Fontanensium* familia, Archiepiscopus *Ravennas*, Sedis Apostolicæ Legatus se contulit *Venetias*: qua in urbe armis primum usus ecclesiasticis vitæ æternæ præmia repromisit cruce signandis, qui in bello adversus *Eccelinum* barbaris truculentiorem signa Pontificis & ecclesiæ sequerentur. Et ne singula prosequantur hic, nimia *Venetorum* ope & opera *Eccelinus* Paduam primo, post cætera, facilius amisit, quæ plura tenuit cæteris omnibus tyrannis & Principibus, qui ad hæc tempora in *Transpadanis* fuerunt dominati. Nec vero minores fuerunt motus, qui Pontificis quoque *Alexandri IV.* temporibus hinc *Constantinopolim*, inde *Christianas Asiæ* urbes & insulas agitavere. Cupiverat *Alexander* ipse ad prima assumptionis suæ tempora *Christianis Asiæ* rebus subvenire, quod ut intentaret, nedum perficere posset, à *Man-*

A *fredi* Regem se appellantis agitationibus est prohibitus. Erant enim *Ptolomaida*, *Acon Tyrus*que urbes opum amplitudine populorumque frequentia adauctæ, utpote apud quas *Veneti*, *Genuenses*, & *Pisani* per annos jam quatuor & LX. quibus à *Christianis* fuerant possessæ, omnem orientis occidentisque contractaverant mercaturam: qui tres de *Italia* populi separatas quisque arcas & vicos domibus continuatos, separata habebant prætoria, in quibus judicia in suos tam civilia quam criminalia exercebant: nihilque erat duobus eorum populis in eadem urbe præter ecclesiam commune. De qua tantum apud *Ptolomaidam* *Ptolomaida.* B Veneti Genuensesque & altercationibus sæpenumero contenderunt, quod *Veneti* tertia ejus urbis parte in vim fœderum pridem cum *Balduino* Rege *Hierosolymæ* ictorum donati, monasterium *Sancti Sabbæ* ejus urbis primarium sibi proprium tenere quæsiverunt. Hisque auditis contentionibus *Quartus Alexander* Pont. *Rom.* censuit, jussitque monasterii illius collationis jus & omnem dispositionem utrique populo fore commune: cujus concessionis apostolicas literas *Philippo Monteforti* Gallico, *Ptolomaidæ* urbi tunc de more expeditionis *Christianæ* Præfecto, ostendit, *Philippus Montefortis Gallicus.* & ejus amicitia fretus monasterium in arcem C castellumve communitum sibi, excluso *Veneto*, retinere constituit. Suborta exinde contentio tumentes prius non invidia magis quam illatis hinc inde injuriis & damnis duorum præpotentum populorum exacerbavit animos, quos tanto ab æstu demulcere ac mitigare quæsiverit *Philippus*, qui *Venetos* populariter abire jussit. Eam injuriam, id dedecus, id damnum indigne tulit *Venetus*, & *Tyri*, quo se receperat, *Pisanos* allocutus facile in sententiam duxit, ut spreto fœdere, quod cum *Genuensi* paulo ante icerant, societatem ipsi novam in communem utrique hostem inirent. Dum eis *Veneti* favoribus compa- D randis intenti sunt, *Placentia* Cypri Regina, Dux- *Placentia Regina Cypri.* que *Antiochenus*, & templi *Hierosolymæ* Magister, ac *Ioannes* ibidem Comes, quibus esset assidua *Ptolomaidæ Tyri*que conversatio, *Montem fortem* insolentiæ, temeritatisque & injustitiæ increpaverunt, fore dicentes, ut, nisi re in integrum restituta *Venetos* conciliet, rem in *Asia* Christianam, id erratum, id scelus suum everteret. 287 Cumque elatum, & quod constat, semiamentem hominem in pervicacia perstare *Veneti* rescissent, triremes tredecim, quæ sibi tunc *Tyri* erant, raptim educunt, *Ptolomaidam* advolant, catenam, qua portus claudebatur, refringunt, illicoque naves *Genuensium* tres & viginti triremesque binæ ibi exarmatæ incendio E absumptæ & *Sancti Sabbæ* castellum monasterio impositum est destructum. *Naves Genuensium incendio absumptæ.* *Genuenses* vero interea apud *Tyrum* & ipsi duas & viginti triremes armaverant, quæ adauctæ indies *Venetorum* classi sæpenumero concurrerunt. Secessit enim paulisper *Veneta* classis in Mare *Ponticum*, delataque *Mesembriam* urbem de *Saraceno* expugnatam diripuit. His, quæ apud *Ptolomaidam* gesta erant, *Genuæ* nuntiatis, classem ea Respublica ingentem armavit, triremes quadraginta, naves ceteas decem, quæ *Tyrum* sunt missæ: & F pariter *Rainerius Zenus* Dux triremes *Venetiis* *Ramerius Zenus Dux.* quindecim, taradas decem, & qui ex *Venetis* Ptolomaidæ agebant, unde quadraginta vachetas, naves ceteas decem paravere: paresque potentatu & armis in *Asia* Venetis *Genuenses* hoc uno erant inferiores, quod *Tyrum* uterque populus communem habebat urbem: in qua, quantum claudebat portus, hostilia à *Latini* nominis magistratu invicem facere prohibebantur. *Ptolomaida* vero *Genuensis* cum suo *Monteforti* erat exclusus, unde *Veneto* commoda præsidiaque accedebant.

B. Flavius. B

debant. *Alexander* interim Pontifex *Romanus* his, quæ apud *Ptolomaidam* male inchoata, pejores apud *Genuam Venetias*que progressus habebant, auditis, oratores ab utraque Republica & pariter à *Pisana* ad se mitti curaverat, pacemque inter eos componere erat connixus, quæ jam pro conclusa habebatur. Cum ad annum conditæ urbis *Venetæ* quartum octingentesimum ex *Asia* est allatum, ingentes, & nisi *Pisano* Venetus accessisset, pares eas classes *Ptolomaidam* inter & *Tyrum* acre prælium depugnasse, cujus victoria duobus conjunctis populis contigisset. & hinc *Genuensis*, quinque & viginti de suo amissis, navigio in *Tyri* portum confugit: inde victrix *Veneta Pisana*que classis *Ptolomaidam* est reducta. Abususque est victoria *Venetus*, qui publica tunc primum & privata *Genuensis* populi in *Ptolomaide* ædificia demolitus est: Turrim ingentem cum prætorio, cui erat apposita, & horrea mercatorumque apothecas, quin etiam viatores & apparitores, qui de *Genuensi* ad eam diem manserunt, *Ptolomaida* sunt expulsi. Cum itaque *Genuensis* Respublica suos à *Romana* curia revocasset ad pacem tractandam missos oratores, id à *Venetis* Pontifex impetravit, ut captos in prælio dimitterent *Genuenses*. Erant item ea tempestate res apud *Constantinopolim* in pessimum adductæ locum, adeo ut *Balduinum* Imperatorem cæterosque *Latini* nominis in *Romania* agentes retinendi ea, quæ erant reliqua, desperatio invasisset. Quibus & vires & animos restituit ducta in *Ægæum* primo, post in *Ponticum* Mare *Veneta* classis, quam ex victoria in *Ptolomaidæ* portum reductam docuimus. Et forte tunc accidit *Theodorum* Vatari *Græcorum*, ut appellabant, Imperatorem mori, duobus filiis, quibus pueris *Michaëlem Palæologum* sibi affinitate conjunctum, testamento tutorem dederat. Qua, ut apparuit, securitate per Imperatoris *Græci* mortem *Latinorum* rebus addita, classem *Veneti* à *Pontico* revocarunt. Sed *Michaël Palæologus* vir ingentis spiritus, multa in *Latinos* est aggressus, quæ *Vatari* penè decrepitus dimiserat intentata. Primumque omnium *Guilielmo Francigenæ* Achajam & proximas *Græciæ* regiones obtinenti prælio congressus eum superavit, captivumque *Adrianopolim* perduxit. Inde, versam in Mare *Ponticum* regionem ut reciperet, misso exercitu curare cœperat. Cum *Balduinus* Imperator copias, quæ sibi erant, omnes navibus imposuisset, quas præfecto classi *Constantinopolitano* gente *Veneta* ad ipsius *Ponticæ* oræ defensionem voluit circumduci, interea, qui erant *Constantinopoli* vetusta origine *Græci*, odiosum pridem, ut est gentis natura, *Latinum* nomen inde constituerunt ejicere. Initaque conjuratione *Palæologus* de urbe recipienda per idoneos est admonitus. Classe igitur imperatoria, quæ omnes asportaverat *Latinorum* nervos, in *Pontico* jam agente, adveniens cum exercitu *Palæologus* refracta à conjuratis porta nocte concubia est admissus. *Balduinus* vero Imperator & *Pantaleo Iustinianus* Patriarcha navigio derepente cum suis omnibus & rapta supellectile ad Euripum sese profugi receperunt. Potitus urbe *Palæologus* ea jecit rebus suis impietatis scelerisque fundamenta, quibus postea respondit omnis sua successorumque ex ea cognatione Imperatorum vita: qui tantum imperium, qui tantam *Romani* olim, post *Græci Latini*que nominis dignitatem, suis levissimis perditissimisque moribus in *Turcorum* manus dedere potius, quam pervenire aut prolabi permiserunt. Is enim tutor crudelissimus pueros fidei suæ ab affini homine, ab eo, qui eum extulerat, commendatos cum interfe-
288 cisset, imperium assumpsit: finisque fuit *Latinorum* in *Constantinopolim* imperio per annos

Turris magna in Ptolomaida.

Michaël Palæologus.

Guilielmus Francigena.

Conjuratio.

A

duo de sexaginta continuato. Erat is annus *Quarti Urbani* Pont. *Rom.* primus, conditæ urbis *Venetæ* quintus octingentesimus. In quo *Veneti* Palæologum bello agitare perseverabant, quem vi & armis tyrannide deturbassent, nisi illum *Genuenses* summis conatibus protexissent. Namque belli societate secum inita, classem eo perduxerunt omnem, quam post acceptam prælio cladem apud *Tyrum*, majorem prima instructioremque habebant. *Guilielmus* ille *Gallicus* Achajæ & Bithyniæ Princeps, quem à *Palæologo* se tutorem gerente superatum captumque fuisse

B

ostendimus, castrum *Malvasiæ* munitissimum obtinebat, quod cum *Palæologo* permisisset, carcere liberatus est. Isque *Venetis* fœderatus bellum acre in *Constantinopolim* subditasque *Palæologo* provincias gerebat, ut *Creta*, *Nigroponto*, *Motonio*, *Corono*que & *Nauplio*, sive ut dicitur *Neapoli* Romaniæ *Venetorum* locis, *Guilielmi* principatus regioni bello conjunctis, tanto *Palæologus* indignatus præsidio, quantum invexerat *Ianuensis*. Venetæ enim classi, quæ in *Ponto* fuerat, ad primos nuntiatæ *Palæologi* tyrannidis motus septem & triginta triremes *Rainerius Zenus* Dux ex *Venetiis* addiderat, quæ dum *Ionio* mari navigat, LX. *Genuensium Græcorum*que triremibus

C

ad *Thessalonicensem* sinum obviavit. Illisque nihil moventibus, *Veneta* classis minor majorem impetere non est ausa. Sed hac nova classe *Nigropontum* appulsa, tres aliæ *Venetorum* triremes *Constantinopolim* prædatum iverunt. Dumque factam ingentem asportant prædam navigio, quod apud Thessalonicam *Genuensem Græcum*que habuisse diximus, in *Bosphoro* obviæ fuerunt captæ, & partem virorum, qui inerant, *Genuensis* interfecit: partem aliam omnem *Constantinopolim* ductam *Palæologus* excæcavit. Eademque *Genuensis* & *Græca* classis paulo post egressa *Bosphoro* ad *Veneti*

D

damna circumacta est. Cui duæ & triginta *Venetorum* triremes forte apud Montem *Patras* insulam sunt congressæ, præliumque potentissimæ classes magnis utrinque animis decertarunt. & *Venetus* superior quatuor ex hostili classe captas abduxit. cæteræ connixæ remis velisque in portum *Malvasiæ* confugium habuere. In *Asia* vero interim *Ptolomaidam* urbem incolentes Hospitalis *Rhodi* Magister, cæterique nominis *Latini* Proceres ita *Venetis* favebant, ut ipsorum ea urbs juris potius quàm omnium *Latini* nominis populorum esse videretur. Contra *Tyrum* incolentes *Genuensi* favores pro viribus supraque præ-

E

stabant. Anno inde urbis vestræ septimo octingentesimo *Rainerius Zenus* Dux quinque & quinquaginta triremes ad *Siciliæ* oram misit, quæ classis, *Genuensi*, ut sperabat, non inventa, in *Asiam* navigavit, casuque apud *Tyrum* obvia *Genuensium* navis cetea est expugnata. Portum deinde *Venetus* eadem, qua navim ceperat, lætitia ingressus, *Tyro* ut potiretur, adnixus est, auxiliis ad expugnationem terrestribus *Ptolomaida* Accone accersitis. cessit tamen conatus inanis. Tertio ab inde anno classis *Veneta* quatuor & viginti triremium tribus *Genuensium* triremibus apud *Lilybæum* fortuitu obvia eas cepit. Quod

F

cum *Genuam* perlatum est, educta advolavit duodetriginta triremium classis, quæ perquisitam accuratissime *Venetam* ad *Drepani* portum reperit. Conflictusque habitus est acerrimus: in quo maximum *Genuensis* Respublica accepit incommodum. Nam tribus ex suis triremibus in prælio crematis, cæteræ omnes in prælio superatæ utrinque crudelissimo fuerunt captæ. Quæ clades à *Genuensi* accepta effecit, ut *Michaël Palæologus*, illius societate spreta, inducias cum *Venetis* constituerit quinquennales. Eodemque anno triremes *Genuensium* XXV. *Venetis* XXX. apud *Mothonum* con-

Finis Latinorum in Constantinopolim imperii per annos LVIII.

Castrum Malvasia.

Creta.

Mare Ionium.

Sinus Thessalonicensis.

Bosphorus.

Mons Patras.

Magister Hospitalis Rhodi.

Lilybæum.

Drepanus portus.

Induciæ quinquennales.

concursuræ cum viderentur, retrocessit *Genuensis*: & navi oneraria mercibus *Venetorum* magni valoris plena apud *Euripum* expugnata *Genuenses* potiti sunt. Eademque *Genuensium* classis oram *Cretæ* circumvecta *Caveam*, illius insulæ oppidum, cepit spoliatumque penitus diruit. Urebat *Venetos* acceptæ in navi oneraria & *Caveæ* ruina cladis aliqua ulciscendæ cura. Miserunt itaque *Ptolomaidam* tres & viginti triremes occasionem ibi aliquam gerendæ rei expectaturas. Quæ casu *Ptolomaidam* inter & *Tyrum* duo de triginta *Genuensium* triremibus obviæ conflixerunt. Fecitque locorum cuique suorum propinquitas animos, & in rerum discrimine utrinque audentius depugnatum est. Inferior tamen *Genuensis* quinque triremes amisit. *Clemens Quartus* Pontifex *Romanus*, utrumque populum per nuntios & epistolas monuit, ut belli induciis constitutis oratores ad se acturos de pace *Viterbium* mitterent. Id ipsum etiam dictos orarunt populos Reges *Franciæ* & *Siciliæ*, suam uterque operam opemque in pacis, quæ fieret, conservationem stabilimentumque polliciti. Veneruntque *Viterbium* oratores, & re aliquot mensibus tractata nihil est conclu-
289 sum. Fames ea tempestate valida *Venetias* affligebat. frumentumque ex *Apulia* & *Sicilia*, ut consueverat, absque classis præsidio importandi facultas *Genuensi* bello adimebatur. Orator tunc magna precum instantia *Tarvisinos*, *Patavinos*, & *Ferrarienses*, ut annona juvarent, *Laurentius Teupulus* Dux, *Rainerio Zeno* defuncto suffectus, pecunia etiam excessive promissa emollire nequivit. Nova itaque Mari *Adriatico* navigantibus tunc primum vectigalia, &, ut certiore dicam vocabulo, frena imposuit. Lex enim tunc super inde lata in hanc diem servata est, ut intra Ostium *Fanaticum* ad *Polam* promontorium & *Ravennatium* plagam navigantes ad vectigal solvendum mercesque & onera, si magistratibus collibuisset, deponendum *Venetias* se conferrent. Creatusque magistratus cum barchis attributis, ne legi fiat fraus, die noctuque utriusque litoris plagas portusque perlustrat. Quæ ratio præter *Genuense* bellum *Venetos* impulit, ut cum Pisanis *Carolo* Regi ex Andegavis *Primo* apertis hostibus fœdera in quinquennium renovarent. Eodemque anno vestræ urbis conditæ quinto decimo octingentesimo *Bononienses* magnam *Romandiolæ* partem dominio prementes clausam à *Veneto* Romandiolis per *Adriaticum* Mare navigationem vi adaperire conati sunt. Parato enim variis modis simulationibusque exercitu cum *Veneto* per oratores egerunt, ut abrogata lege custodibusque amotis pristinam sibi *Romandiolis*que navigandi *Adriatico* redderent libertatem. movitque pariter cum oratore exercitus. Diversi vero hic *Ravennam*: ille *Venetias* petiere. Senserat dolum *Teupulus* Dux, parique fuerat versutia usus. Novem enim ejus triremes proximum *Ravennæ* Primarium *Padi* ostium ingressæ *Bononiensem* exercitum mare inter & *Padum* locum occupare accelerare viderunt. Et subito præsidia duo, unum *Bononiensis* ad *Primarium*, *Venetus* alterum ad *Sanctum Albertum* summis conatibus excitavere. In *Bononiensium* exercitu XL. millium copiæ militabant. Tandem superati prælio *Bononienses* pacem ea aceperunt conditione, ut suo exciso ad *Primarii* ostium castello libera sibi quarundam rerum eductio, custodia *Padi* ostiorum *Veneto* linqueretur. *Anconitani* autem cum *Bononiensium* exemplo *Venetis* bellum inferre non possent, ad *Gregorium Decimum* Pontificem mittentes querelas detulerunt: quibus Pontifex motus mare à *Venetis* liberum linqui jussit. *Veneti*que tunc minime paruerunt, ea nuntiis prætensa ad contumaciam excusatione, quod *Anconitani* maledictis mendaciis-

Clemens IV. — *Viterbium C.* — *Fames valida in Civitate Venet.* — *Laurentius Teupulus Dux.* — *Lex facta.* — *Fanaticum Ostium.* — *Carolus Rex.* — *Bononienses. Romandiola.* — *S. Albertus.* — *Bononienses superati à Venetis.* — *Anconitani.* — *Mare Venetis.*

A que & falsa suggestione usi Pontificem seduxissent. Acta vero est paulo post in *Lugdunensi* Concilio, cui idem præfuit *Gregorius*, Anconitanorum cum *Venetis* causa, Abbasque *Nervosiæ*, cui Pontifex eam commisit, *Anconitanos* nil satis solide probantes rejecit, permissa Pontificis auctoritate *Venetis* cura eam, de qua diximus, maris *Adriatici* oram à *Saracenis* piratisque simul cum vectigalium portoriorumque suorum jure viribus defensandi. Quo item tempore Pontificis *Gregorii* cura induciæ *Venetos* inter & *Genuenses* Cremonæ paulo prius constitutæ in biennium prorogatæ sunt. Anno postea urbis conditæ un-
B devigesimo octingentesimo *Venetos* inter & *Genuenses* bellum propè innovatum est. *Iacobo* enim *Contareno* in Ducem creato, duæ *Genuensium* triremes *Tandari* unam mercimoniis plenam de *Venetis* apud *Messanam* ceperunt, cujus rupti fœderis fama *Michaël Palæologus* Imperator *Græcus*, suum & ipse fœdus, ut apparuit, violaturus, ad *Artam* usque *Acarnaniam* cum classe pervenit. *Veneti* vero XXV. triremium classe intra dies XV. armata, Oratorem *Genuam* ad res repetendas miserunt. Quæ si non essent redditæ, bellum indici jussum: satisque fecit *Genuensis*, & Orator in reditu fœdus cum *Pisano* in quinquennium renovavit. *Adria-*
C *no* paulo post *Quinto* in *Romanum* Pontificem assumpto, *Veneti* Anconitanos bello mari acerrimoque persecuti, quod ad oram *Istriæ* & *Romandiolæ* navibus clandestine cum mercimoniis penetrantes latæ *Venetiis* legi & vectigalibus portoriisque fraudem facere præsumpsissent. Delectoque ad id bellum Præfecto sex & viginti triremes Dux *Contarenus* attribuit. & machinæ ad urbis oppugnationem onerariis navibus comportatæ. Dum autem portus magno oppugnatur conatu, tempestas derepente coorta navigium in altum pelagus transversum egit. Sexque triremes impactæ litoribus *Senegaliæ* perierunt.
D Immiserunt paulo post *Veneti* supplemento naves tardas & triremes, quibus aperte navigantibus mare *Anconitanus* perbelle struxit insidias. Omnibus enim, quæ sibi essent, navibus & triremibus *Venetorum* & Præfecti classis insignia sunt aptata, ad quas applausu nautico occurrentes cum duæ declinassent *Venetorum* naves, captæ & *Anconam* magno gaudio sunt perductæ. Cujus cladis acceptæ bifariam indignatio Senatum perpulit *Venetum*, ut revocatus cum classe prima Præfectus in carcerem sit conjectus, & nova instructior 290
expeditio in *Anconam* ducenda paulo post *Venetiis* est educta. Eodem quoque tempore Templarii *Tyrum* urbem pro expeditione *Christiana* admi-
E nistrantes solitam ante bellum *Genuense* jurisdictionem & portoriorum exemptionem *Venetis* in ea urbe reintegrarunt. *Tertius* interea *Nicolaus* gente oriundus *Ursina*, in *Romanum* Pontificem & quidem præstantissimum est creatus. Venerunt ad ejus creationis novitatem in more *Veneti* Oratores, qui diu spreti cum ad salutationem reverentiamque sicut & alii non admitterentur, à *Contareno* Duce suo revocati urbe *Roma* profecti sunt. Sed eos de itinere accersitos Pontifex admisit, multisque & durissimis verbis de *Anconitanæ* urbis *Romanæ* Ecclesiæ juris oppressione redargutos, & respondere prohibitos rejecit. Sive autem interea
F paraverant eduxerantque *Veneti*, sive postquam ea intellexerunt, quæ suis apud Pontificem Oratoribus, certum est, octo eorum triremes, quo die Oratores *Venetias* attigerunt, ad cæteram classem *Anconam* obsidentem pervenisse. Miserunt per id tempus *Anconitani* Venetias legatos de pace acturos, quæ propemodum constituta erat, cum est allatum, duas *Anconitanorum* triremes tardam de *Venetiis* secus *Siciliæ* litora prædatam esse. Quamobrem & dimissi sunt re infecta oratores, &

Abbas Nervosiæ. — *Datur Venetis imperium maris Adriati.* — *Acarnania colfo. XXV. triremes armatæ XV. diebus.* — *Senegalia.* — *Fraus Anconitanorum.* — *Nicolaus Ursinus Pontifex. Veneti Oratores.* — *Oratores revocantur à Duce.*

& triremes quatuordecim *Venetiis* eductæ in *Anconitana* castra expeditionemque advolarunt, quarum duas paulo post incaute ab aliis separatas *Anconitanus* silentio inter custodias delapsas cepit, in portumque perduxit. & pax paulo post æquis conditionibus est constituta. Ad annum postea secundum trigesimum octingentesimum urbis conditæ, *Quarti Nicolai* Pontificis anno secundo, *Tripolis* urbs insignis obsidione ac viribus facta est in Soldani *Babyloniæ* potestatem. quam quidem urbem ditissimam post commissam in mortalibus cædem maximam, postque abactam asportatamque omnifariam rerum prædam igne primum, postea ferro, absumi diruique curavit. Progressusque eodem furoris impetu barbarus *Tyrum* quoque, *Sidonem* & *Barutum*, ac earum urbium oppida inter tertium *Nicolai* Pontificis annum cepit, ac sicut *Tripolim* incensam diruit. Isque Princeps astu & prudentia æque ac viribus & potentatu pollens, ne ea clades accepta nominis *Christiani* Principes Occidentis in *Asiam* conciret, induciarum fœdera in duos annos *Ptolomaidæ* habitatoribus *Christianis* concessit. *Nicolaus* tamen Pontifex de more assumenda Cruce edicto proposita, statuit afflictis *Christianorum Asiæ* rebus subveniendum. Jussaque ejus exinde majoris fuerunt efficaciæ, quod mille quingentos ipse equites ex publico Ecclesiæ fisco curavit primo omnium *Ptolomaidam* comportari, quem & multi in magnum exercitum sine certo præstantique, ut oportuit, aliquo duce secuti sunt, qui quo plures, eo fuerunt perniciosiores. *Ptolomaida* urbs populis tunc frequentata innumeris, quantos nunc non temere alat aliqua urbs *Italiæ*, à septem diversis sibique invicem contrariis premebatur potiusque lacerabatur, quàm gubernabatur, magistratuum gentiumque generibus. Patriarcha enim titulo *Hierosolymitanus* sibi temporalem æque ac spiritualem vendicare quærebat gubernationem: eandem hinc Templarii, inde Hospitalarii & pariter Theutonici ab armorum tractatione & sanguinis, ut dicebatur, effusione repetebant: suam & ad se solum spectantem Rex *Cypri* vel ea ratione volebat, quod tertio ante anno regni *Hierosolymæ* titulos in Comitis *Attrebatensis* contentionem sponte sua & paucis adstipulantibus assumpserat. Rex quoque *Carolus Secundus* Neapolim ex carcere reversus, nihil duxit antiquius, quam *Ptolomaidam* mittere, qui de *Hierosolymæ* regni titulis cum *Cyprio* Rege contendentes paterna avitaque & proavita in illa urbe jura vel armis & viribus conservarent. Qua in re usque adeo exarsit animis, ut Templariorum Hospitalariorumque, quos *Cyprio* Regi magis cupere audivisset, prædia in regno sita *Neapolitano* direpta vastaverit. Consulem quoque ibi habuere *Pisani*, qui majore usus est ambitione, qua ibi quoque *Genuensis* & *Venetus* utebatur. Milites itaque novos *Quarti Nicolai* Pontificis justum in exercitum sine Duce & Rectore, ejus, quæ requirebatur, auctoritatis, missos nullus, qui continere posset & sciret, nullus erat, qui à flagitiis & sceleribus prohiberet. Eaque militum multitudo in *Christianorum* cædibus & rapinis, adulteriis, violationibus, & incendiis aliquamdiu debacchata in agrum Soldani noctu aliquando, post parum interdiu per furta & latrocinia penetravit, atque eo usque progressa est, ut prædas jumentorum mortaliumque & rerum omnium tanquam justo bello propalam abigeret. Tulit tamen patienter injuriam, dissimulavitque diutius omnium spe Soldanus, resque per nuntios & abactam prædam ter quaterque repetiit. Et quando tandem non sunt redditæ, annum præfixit, intra quem, nisi fieret satis, sese comminatus est *Ptolomaidæ* excidio postergatis, quas

Pax constituitur.

Crux datur.

Hospitalarii. Theutonici.

Carolus Rex Secundus.

291

A ipsi violassent, induciis accessurum. Annoque exacto centum quinquaginta millia armatorum in *Ptolomaidam* duce filio suo immisit. Dumque is adolescens duobus jam mensibus urbem premit, defuncto genitore Soldanus ab exercitu est suffectus, quo elatus successu urbis *Ptolomaidæ* prædam per edicta præconumque vociferationes, quæ à *Christianis* intra munitiones exauditæ sunt, exercitui donavit. Tunc discordes in civitate nostros desperatio cepit. Multique nulla usi timoris simulatione partim captatis abeundi causis, partim clandestina per noctem fuga desertores effecti sunt: ad eamque paulo post animorum consternationem est ventum, ut publico omnes consilio mulieres primum, parvulos & debiles cum supellectile emiserint. Deinde constituerunt duodecim millia armatos in urbe retinendos, qui defensioni sufficere viderentur, cæteris emigrandum. Manseruntque ex primoribus, Rex *Cypri*, Patriarcha, & Hospitalis Templariorumque Magistri; Rexque *Cypri* ignavia, quæ certiori vocabulo appellari posset, usus illico perfugam multitudinem est secutus. Fuitque exemplo ejus, ut omnes, quibus navigio facultas non defuit, *Ptolomaida* emigrarent. Postremi omnium *Hierosolymæ* Patriarcha Magistrique non prius urbem deseruere, quam Soldanum viderunt sive à casu, sive quod fugæ à *Christianis* commissæ certior esset factus, oppugnationem solito majore impetu ostentare. Hique Dromone in id servato porta delapsi secunda primum navigatione sunt usi. Sed vento post parum in validam tempestatem mutato, sub ipsam *Cypri* plagam periere naufragio. Soldanusque eadem die & hora *Ptolomaidam* à paucis, quos navigii carentia detinuerat, *Christianis* male defensatam cepit: & mortalibus in ea repertis ad unum trucidatis, prædam quidem militi suo promissam iterato concessit edicto. Sed tanto tenebatur illius excidendæ urbis desiderio, ut parumper suppositus, ubique eo præsente atque incitante, ignis maximam prædæ ipsius partem absumpserit. Mœnibus inde & urbis parietibus passim solo æquatis, duriore *Saracenus* miles Soldani imperio est oneratus, quod fundamenta ubique ita confodi dissiparique jussit, ut nullum urbis, nullum post hæc ædificii vestigium appareret. Annus erat is vestræ urbis conditæ quartus trigesimus octingentesimus, in quo tandem reliquias amisimus victoriæ illius celeberrimæ, quam anno ante quarto de ducentesimo, *Urbani Secundi* Pontificis *Romani* auspiciis, & virtute *Christianorum* expeditio inchoaverat. Fui de industria prolixior recensendis rebus maximis, quas apud *Ptolomaidam* geri contigit, ut, quod feci, ostendere possem, propè ducentos annos pugnatum esse in *Saracenos*, per quod tempus ferè omnia cepit vestra Respublica, quæ aut mari contigua, aut insulis possideretis. Expectabunt, credo, à me, qui hucusque legerint, quid post amissas à Christianis *Constantinopolim* & *Asiæ* civitates à vestris progenitoribus fuit gestum. Sed multa maximaque fuerunt & majori digna cognitione, quàm hoc epitomate possimus velimusque describere. *Palæologus* enim & *Genuenses* cum posse vobis resistere diffiderent, *Turcos* tunc primum in *Europam* traduxere. a quibus tandem præsenti anno quinto ferè sexagesimo & centesimo meritas tanti sceleris & admissi flagitii pœnas punitionemque acceperunt. Gesserunt inde paulo post res maximas *Veneti*. Tum in bello, quod cum ipsis *Genuensibus* diuturnum, varium, periculosum, & tandem per victoriam gloriosissimum fuit. Tum in tuenda urbe *Tarvisina*, quam per ea tempora primam omnium in solo *Italiæ* continente possidere cœpistis: *Mastinus*que *Scaliger*, Tyrannus omnium ejus ætatis poten-

Desperatio Ptolomaidanorum.

B

C

D *Ruina Ptolomaidæ à Soldano.*

E

F *Genuenses Turcos in Europam traduxere.*

Tarvisina civitas.

Mastinus Scaliger.

Florentini. potentissimus, à *Veneta* Republica sociisque bello *Florentinis* & *Bononiam* pro *Romana* Ecclesia gubernantibus, *Italiæ Transpadanæ* & *Lucæ* & *Parmæ* urbium dominio deturbatus est: & *Turci* interea à vobis cladibus & quidem ingentibus prostrati, cæsi afflictique fuerunt. *Turci.* Bella exinde sequerentur, in quibus capienda *Padua* excellentissima urbe, post *Verona*, deinde subigenda *Forumjulii* Patria, & demum *Brixia* ac *Bergomo*, nuperque *Crema* Reipublicæ imperio adjungendis maximis laboribus ac impensis, sed pari gloria depugnatum est. *Padua. Verona. Brixia. Bergomum. Crema.* Notoria sunt hoc tempore supradicta, sed certe promerentia eleganti ornataque Historia posteris ita tradi, ut aliquot, qui Te præcesserunt Ducum & tuum in primis, Serenissime Dux, nomen, & vestræ Reipublicæ gloria, & multorum ac propè infinitorum ex vobis patria, ordinis decus gerendis tot bellis, tot obeundis laboribus quæsitum ad posteros transeat illustratum. Idque ego minimus sicut nunc epitomate & breviario assumendum non censui: sic ample fusa & copiosissima tractare ac absolvere historia, cum vos cupere intellexero, paratissimus essem: profectoque efficerem, ne aliquid memoratu dignum ex his, quæ a condita urbe *Veneta* in hanc diem, vel mari, vel bello, vel pace fieri contigit, aut nunc, aut futuris temporibus desideretur. 292 Sed ad propositæ à principio intentionis nostræ finem conclusionemque veniendum

A est. Satis multis pro tempore, sed paucioribus fortasse quàm multi fieri oportuisse sunt opinati, ostensum est, urbem *Venetam* divina potius quàm humana ope ideo condi cœpisse, ut babaris *Christianæ* fidei & religionis hostibus adversaretur, ut profugis ab *Hunnorum*, *Ostrogothorum*, *Longobardorum*, *Ungarorum*, *Saracenorum*, & demum *Turcorum*, ac etiam à *Christiano* abutentium nomine tyrannorum facie ac persecutionibus confugium apud vos portus, asilum, & quietis, refrigeriique & salutis arx & domicilium sine muro, sine portis die noctuque pateret: *Venetiarum maxima laus.* ut irrumpentes discurrentes & impetere parantes barbaros efferatos populos *Christi* Dei & suorum populorum hostes B Respublica repararet, abigeret ac conficeret: ut hortantibus, jubentibus *Romanis* Pontificibus, Dei ipsius nostri Vicariis, ut implorantibus ubique *Christianis* opem protectionemque afferret. Quæ quidem opera meriti apud Optimum Maximum Deum nostrum & laudis ac gloriæ apud seculi tam præsentis quam futurorum omnes plurimum promerentia, dum vestri præstiterunt majores, intra ducentos, de quibus diximus, annos, mari & post breviore temporis spatio terra amplam hanc præpotentem gloriosamque peperere Rempublicam, tam diu duraturam, & ipso Deo auctore nostro maximam & ingentem accepturam amplitudinem, quamdiu ea vitæ & gubernationis forma, C qua est parta, illam regere & administrare pergetis.

FINIS.

INDEX NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

A.



Ec-

Me-

F I N I S.



PETRI BEMBI,

Patricii Veneti, Cardinalis,

HISTORIÆ VENETÆ,

LIBRI XII.

Editio Noviſſima, cum optimis Exemplaribus collata, accuratiſſimè caſtigata, atque Indice copioſiſſimo adaucta.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ & Typographi Academiæ atque Civitatis.

P R Æ F A T I O
Hujus Novæ Editionis.
BENEVOLE LECTOR.

Licet Liber hic, ob ſingularem in conſcribendis hiſtoriis Auctoris promptitudinem, in lucem ſæpe ſit editus, & per totum quaſi terrarum orbem diſtributus. Attamen labori huic ſuperſedere nolui, quin iterum cum aliis operibus Hiſtorias Antiquitatesque *Italiæ* continentibus promulgarem, non dubitans, quin liber hic, ſi in poteſtatem cujuſdam venerit, & cum aliis Editionibus hanc comparaverit, benevolentiam lectoris ob nitorem, commoditatem, & puritatem ſit capturus. Nam præter ſingulorum librorum Epitomen, & Tabulam locorum priſca & nova nomina explicantem, Corollaria ſive Gloſſas breves, memoriæ cauſa marginibus paginarum adſcriptas, quæ in nonnullis Editionibus deſunt; acceſſit Rerum Vocumque memorabilium Index etiam copioſiſſimus. Hæc te mi Lector admonere volui, ut tibi curam & diligentiam meam in edendis libris manifeſtarem. His utere & Vale.

Ad Illuſtriſſimum ac Sapientiſſimum
VENETIARUM PRINCIPEM
FRANCISCUM DONATUM,
In Hiſtorias PETRI BEMBI Præfatio.

Multæ ſunt artes, Illuſtriſſime Princeps, quod tu minimè ignoras, cùm ad vitam ſuſtentandam inventæ, tum ad cultum, aut etiam ad jucunditatem voluptatemque ab hominibus excogitatæ: quarum in ſingulis qui excellenti quadam ſcientia aliquando præter cæteros præſtiterunt, magno apud omnes gentes in honore habiti ſunt. Nec verò injuria id quidem: nihil eſt enim præſtantius, nihil omninò homini laudabilius, quàm de hominum genere bene, quoquo modo poſſis, mereri: eamque cognationem, quam à natura habemus, noſtra quoque opera, hoc eſt, dandis beneficiis, arctius etiam aſtringere. Quod ſi harum commoditatum utilitatumque effectoribus tantus honos habendus eſt ſingulis, quibuſnam tandem aut literarum, aut operum monumentis ejus gloriam dignè illuſtrabimus, ſi cujus ars ac diſciplina tanta ſit, ut univerſa illa contineat ac complectatur? aut ſi quis harum omnium artium moderator, & tanquam architectus, quatenus quemque quoquo modo progredi deceat, judicet, atque præſcribat? eſt enim difficilis illa quidem & ardua in præclaris nonnullorum hominum ingeniis, cæterarum omnium princeps ac magiſtra, minimè tibi quidem incognita facultas quædam, quæ civitatum procurationem ſibi vindicet, & Reipublicæ regendæ muneri prepoſi-

ta sit. atque eam artem civilem rationem, eandemque prudentiam licet appellare: cujus quidem disciplinæ qui compotes sunt, non una modò aut altera re separatim hominibus commodare ac prodesse, sed universam eorum gubernationem suscipere volunt: nec illud efficere solùm conantur illi, privatim ut liberè, ut tutò, ut jucundè; sed ut benè etiam beateque publicè vivant. Quamobrem tanti ac tam præclari operis artifices, non ut reliquarum artium magistri laudibus solum extollendi sunt, sed etiam (si modo dictu fas est) in Deorum immortalium numero, quibuscum humanarum rerum procurationem propemodum communem habeant, venerandi atque colendi. Atque horum artificum vestro in Senatu maxima omnino facultas est, semperque fuit, id quod res ipsa declarat: nec enim tanta, tamque opulenta ac beata civitas vel constitui initio potuit, vel deinceps tantopere augeri & crescere: nec verò uno eodemque statu, & tanquam habitu, tot secula, id quod nullis gentibus, ut totius vetustatis memoriam quam longissimè repetamus, usu evenit, manere, sine eximia quadam prudentia, sineque admirabili ac divino cum patrum vestrorum, tum vestro, qui nunc eam talem tantamque tuemini ac regitis, consilio. Ac video equidem pluribus quam vos gentibus aliquot annos, domi natam olim esse civitatem unam aut alteram: veruntamen (liberè enim dicam quod sentio) imperium bello partum sæpe feritatem, sæpe violentiam atque injustitiam, fortunæ quidem certè temeritatem semper habet: at bene domi constituta res, sineque ullo civitatis motu tot seculorum diuturnitate firmata, una eademque Reipublicæ ratio moderata & concors, ea verò tota virtutis est, ac prudentiæ. Itaque in bello illæ atque inter arma cum stetissent, in pace atque in otio conciderunt, quippe quæ non ratione, sed viribus nixæ erant: nec enim quietis, hoc est, parendi vicissim atque imperandi, artes didicerant: vos pacis, id est, juris atque æquitatis studia, quæ vincula sunt civitatis, cum domi coleretis, nihilominus foris belli gloria floruistis. Etenim cum civilis illa, quæ modo à me appellata ratio est, duabus contineatur partibus, bellicarum atque urbanarum rerum scientia & tractatione: illi, cum bellicam laudem nimio adamassent opere, alteram Reipublicæ partem incultam propemodum reliquerunt: vos utramque quidem, sed præcipuam, ut par fuit, maximè adepti complexique estis. Ergo ex omni Italia, *tanquam è turbulento ac formidoloso mari aliquo, tanta hominum vis ad vos confluit, vestramque in urbem sese, quasi in portum, refert, vix ut jam capere tantam multitudinem suis illa tectis possit: qui cum è suis civitatibus in vestram migrant, protectiores ab injuriis fore domi sese vestræ advenas, quam suæ cives, certè confidunt. Maxima igitur laus vestræ Reipublicæ vobisque magnis clarisque in ea civibus debetur, quæ in eo munere, quod de humanis omnino muneribus longè præstantissimum sit, una excellat plurimum. Præstent enim alii aliis virtutibus populi, vobis autem id unum proprium perenneque est, rem tueri publicam, hoc est, humanum genus animi ratione, non felicitate aliqua, quæ casum habeat necesse est, & varietatem fortunæ propriam, conservare: hæc enim & stabilis ipsa est, & diuturnitatem atque adeo, quoad res humanæ ferre possunt, perpetuitatem, quod vestra est Respublica consecuta, parere consuevit. Fortunati igitur cives tui. Te verò equidem semper beatum, semper gloriatione dignum existimavi, cùm propter multas magnasque virtutes tuas, animi magnitudinem, continentiam, suavissimos, eosdemque castitatis, religionis, pietatis plenissimos mores, dulcem illam tuam uberemque dicendi copiam, tum verò propter divinam istam animi tranquillitatem atque æquitatem. Cùm enim tot annos in hac post hominum memoriam clarissima Republica summa cum gloria versatus sis, cumque dignitatis præstantia quamplurimis semper anteieris, communis juris æquabilitatem transisti nunquam, ac ne cogitasti quidem. Quin etiam (memini enim de hoc ipso* Bembo *sæpe audire) cùm tua te virtus multos jam abhinc annos ad summam amplitudinem perduceret, tuaque præclarissima patria ad istum honoris gradum, quem unum altissimum habet, ipsa te tollere cuperet atque adniteretur, deque tua gloria solicita esset, liberasti tu eam omni cura, atque*

aliis

aliis quibusdam, in istum locum magna quadam properatione festinantibus, cum antevertere posses, ultrò cessisti. Magnifica verò laus, honorem tantum, præsertim cujus cupiditate cæteri inflammentur, tam modicè concupiscere. Sed eadem tamen ipsa Respublica, simul ac data facultas est, jamdudum tibi debitam, tibique reservatam dignitatem istam, ad te scilicet eundem cupidissimè detulit: neque tamen, ne sic quidem, æquabilitatem animi tui tu illam veterem amisisti: atque hoc ipso in honore maximo gerendo, cùm gravitatem ac dignitatem sic adhibeas, quasi Reipublicæ humanitatem facilitatemque ut tuam retineas, ita nec civitatis maximæ clarissimæque majestas desideranda est, nec optimi præstantissimique civis humanitas requirenda. Quid, quod duarum maximè insignium virtutum integritatis ac prudentiæ tuæ, duos esse certissimos testes videmus, paupertatem alterius, summam alterius tuam apud omnes gratiam atquæ autoritatem? quo quidem ex testimonio intelligere omnes necesse est, ita te in Republica administranda ad octuagesimum usque annum ætatem contrivisse, ut publicas res sic procurares, ut tuas: sic autem ab iis manus abstineres, ut ab alienis: ita factum esse ut cum tu sic animum induxisses tuum, ut bono civi gratis Reipublicæ serviendum esse statueris, illa contra egregiæ tuæ erga se voluntatis tibi præmium, quod habuerit præclarissimum, laudis & gloriæ, tribuere cupierit. Ac mihi quidem in te intuenti verum omnino videri illud solet, quod à sapientibus traditum est: ajunt enim, homines ferreis alios, alios æreis, quosdam argenteis animis gigni: esse etiam, paucos illos quidem, sed tamen nonnullos, quibus aurea animorum natura data sit, iisque seorsum regendarum civitatum munus à Deo assignatum: illos alios, quò sua quemque aut duritia aut vilitas impellat, ferri: at vos ex illo aureo genere natura, ipsos per vos locupletes atque honoratos, ad salutem civium, populorumque incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam ortos, nec honores concupiscere, & divitias contemnere, & generosarum volucrum ritu cælum modò spectare, ubi vobis civitatum rectoribus ac conservatoribus certum locum ac diffinitum esse teneatis. Quæ cum ita sese habeant, tam præclari hominum maximorum cœtus atque concilii instituta, tam diuturnæ Reipublicæ moderationem, tam eximiæ cicivitatis magistratuum descriptionem, opes, & copias, tam res vestras domi bellique gestas à populis gentibusque aliis audiri, manareque ad posteros, non jam ad vestram modo gloriam pertinet, sed etiam ad eandem ipsam, in qua versamini atque exercemini, hominum salutis curam: habebunt enim exteræ nationes non modò, quod magnopere laudent, quodque admirentur plurimum, sed etiam quod imitari cupiant, undeque exemplum petere possint, qualem esse, optimam firmissimamque Rempublicam, ac statum civitatis maximè diuturnum maximeque expetendum, oporteat. Quare rerum vestrarum historia hæc, quam P. Bembus *Cardinalis, vir idem clarissimus, idem scriptor unus omnium politissimus, scripsit, meritò & flagitata jampridem à multis est, & expectata semper ab omnibus. quid enim aut ad delectationem jucundius, aut ad disciplinam (est enim historia vita magistra) gravius, constantiusve esse possit, quam civitatis omnium prudentissimæ leges, mores, instituta, consilia, magnarum variarumque rerum casus atque eventa, de omnium dulcissimo elegantissimoque autore audire, eoque ipso nec in mendacio gratiam quærente: nec in veritate simultatem extimescente? fuit enim* Bembi *non stylus modò purus & elegans, sed animus etiam sincerus inprimis ac simplex: qui cum summa jam senectute, patriæ vestræ rogatu, vel jussu potius, res vestras gestas scribere aggrederetur, neque ad hanc ætatem memoriamque nostram pervenire sese scribendo posse confideret, sæpe mecum locutus est, & quidem crebrò te appellans, cùm permolestè ferret excludi sese tempore à tuarum laudum, tuique similium commemoratione: qua nos re commoti, faciendum nobis esse duximus, ut ejus historiam ad te potissimum mitteremus; optimi scilicet senis virique clarissimi atque hominis disertissimi, plenas gravitatis, plenas autoritatis, plenas dignitatis lucubrationes, ad sanctissimum itidem, è germanoque illo* Platonis *auro se-*

ſenem, in clariſſima poſt homines natos Republica Principem, civemque unum omnium facundiſſimum. Accipies igitur tu illam, non à nobis quidem, ſed à Bembo *per nos tibi miſſam: patriæque tuæ utrunque gratulabere: eadem enim, res maximè ſcriptione ac memoria dignas ad hiſtoriam ſuppeditavit, eadem, graviſſimum luculentiſſimumque ſuarum rerum geſtarum ſcriptorem ac teſtem peperit.*

RICHARDUS DESTRESIUS, LECTORI.

Si claras Venetûm te res terraque marique
Scire juvat, Bembum, candide lector, habes.
Si Latii te delectant ſermonis amœnæ
Deliciæ, Bembum, candide lector, habes.
Si cariem cedro metuente poemata digna
Sectaris, Bembum, candide lector, habes.
Annales tibi vel ſit epiſtola docta paranda:
Non alius Bembo dux imitandus erit.
Facundos genuit tellus Oenotria multos:
Vix alium palmam Bembus habere ſinat.
Aeterna nobis igitur ſit laude colendus,
Plura ſed à grata poſteritate feret.

INDEX LOCORUM BEMBI HISTORIÆ,

in quo novis ac pervulgatis, priſca Latinaque & viciſſim priſcis nova nomina, quoad fieri potuit, appoſita ſunt.

Belinzona, *Bilitium sive Brennorum aut Viliconis castrum vel Zona.*
Bellunium, *Belluno, oppidum in Carnis.*
Benacus lacus, *Lago di Garda.*
Bergomascium, *castellum in Insubria.*
Bergomum, *Bara Orobiorum oppidum olim.*
Berytus, *Julia felix, Baruti, urbs Assyriæ.*
Beurenses, *Beysser in Norico, inter Lycum & Oenum, fortè olim Breuni.*
Besinus vicus, *Pisino.*
Bibiena, *oppidum in Clusentinis.*
Bissinianum, *olim Beletra, Bisignano.*
Bozolum, *oppidum in Cenomanis.*
Bovolentia, *in Euganeis, Bovolenta.*
Bonæ spei promontorium, *Africæ ad austrum extremum. Capo di Buona Speranza.*
Burianum, *insula in Veneto portu, Burano.*
Butistanium, *vallis & castellum in finibus Italiæ ac Germaniæ prope Noricum.* Bostagno.
Butrium, *Butri, castellum, in Æmilia.*
Bretinorum vicus, *Bertinoro, in Æmilia.*
Bretola, *castellum, in Gallia Cisalpina.*
Brisigelia, *Anemonis vallis oppidum, in Æmilia.*
Brixia, *Brescia, urbs in Cenomanis.*
Brundusium, *Brindisi, urbs.*
Brutii, *in Calabria sunt, nisi fortè Brutios vocet eam regionem, quæ hodie Abruzzi dicitur, hoc est, Marsos & Præcutinos.*
Byzantium, *hodie Constantinopolis.*

C.

CAdoræ, *fluvius & vallis, Varanus fl. & Calerius.*
Cajeta, *Cajeta urbs, in Latio.*
Calabria, *nomen retinet.*
Calce, *Calci castellum, in Hetruria.*
Callianus vicus, *Galliano, in Hetruria.*
Camaldulense fanum, *Camaldoli, in Hetruriæ montibus.*
Cameracum, *Samarobriga, Cambray in Morinis.*
Camertes, *Camerino, urbs in Picæno.*
Camisanus vicus, *prope Vicetiam.*
Campi Martiniani, *Campagna di Verona in Cenomanis.*
Candia oppidum, *olim Cytheum in Creta.*
Cania, *Cretæ oppidum, Cidon olim.*
Canibales, *populi novarum regionum.*
Cantabri, *Biscaglia.*
Canusium, *Canosa, urbs in Apulia.*
Capraria, *Padi ostium, hodie magna vaca.*
Capua, *Osca olim Hetruscorum colonia, in Campania Felice.*
Capuana arx, *Neapoli.*
Caravagium, *Carraca, olim oppidum.*
Carbonaria, *Padi ostium, hodie le fornaci.*
Carretium, *Caretto, oppidum in Liguria.*
Cariatum, *Cariati, oppidum in Liguria.*
Carni, *in Forojulii hodie, Carniola, regio.*
Carpos municipium, *Acerra, vel Campi Nacri.*
Carystus, *Caresto, in Græcia.*
Casaboldum, *in Brixiano agro, castellum.*
Casale, *vicus ad Padum prope Mantuam.*
Cassianum, *S. Cassano, Castellum in Gallia Transpadana.*
Cassia via, *qua Roma per eam regionem quæ hodie Patrimonium vocatur in Hetruriam itur, id est per Viterbum & Mediterranea.*
Cassina, *prope Pisas, castellum in Hetruria.*
Cassinum, *Casinum Casilinum, castellum.*
Cassinus saltus, *Monte Cassino, ubi olim fuit Apollinis templum in Hirpinis.*
Castellatium, *in Liguria prope Genuam, castellum.*
Castellum francum, *fortè olim Acedum, castellum in Euganeis.*
Castellum ovi, *Neapoli, Meager sive Meagrum antiquis.*
Castellum ubi alumen conficitur, *in Hetruria Tolfa nova, olim Forum Claudii.*
Catholica vicus, *ad Athesim, in Cenomanis.*
Centum Cellarum portus, *Civita vechia, aliquibus Pyrgi & Castrum novum, postea vetus appellatum.*
Cephala *regio Africæ, auro scatens, vulgò Sofala.*
Cephalenes insula, *Cefalonia.*
Cere oppidum, *Ceri, olim Alsium, in Hetruria.*
Cesena, *Flaminiæ civitas.*
Cesenatium vicus, *parvorum navigiorum statio ad mare, Cesenatico.*
Ceva, *oppidum in Liguria.*
Chrysopolis, *civitas Græciæ.*
Citadella, *oppidum in Euganeis.*
Cividale in Carnis, *Forijulii civitas, Cividal di Frioli.*
Cividale Bellunianum, *Cividal di Belluno.*
Clastidium, *Chiesteggio, oppidum.*
Clissa, *in Illyrico, vel Sclissa, olim Lopsica.*
Clusa, *in Rhetis, Chiusadi Trento, oppidum.*
Clusentini saltus, *Casentino, olim Terra passumena.*
Collisaltus, *Colalto Castellum in Carnis.*
Colocuetæ oppidum, *Calicut olim Cottiara.*
Colonia vicus, *in Euganeis Cologna.*
Comum, *Novocomum, urbs Galliæ Cisalpinæ.*
Concordia oppidum, *in Forojulii unum, & alterum in Gallia Cisalpina, illud castellum, hæc urbs est.*
Corcyra, *Corfu, urbs & insula in Epiro.*
Coregium, *Rhegiates populi, oppidum.*
Cormonsa, *in Carnis, oppidum in Carnis.*
Corneliana villa, *Cunejan, Congienses populi.*
Corone, *Coron, urbs in Epiro.*
Corytum, *Cornuetum, Innuum, hodie Corneto, oppidum.*
Covolum, *specus est in Vicetino agro & pagus prope specum.*
Crema, *Diuguntinorum forum, urbs, in Gallia Cisalpina.*
Cremona, *Clymena olim, urbs in Gallia Transpadana.*
Crespa insula Illyrici, *Crexa Plinio, aliis Crepsa, hodie Cherso.*
Creta, *Candia insula.*
Crevacorium, *vicus, in Gallia Cisalpina.*
Crispinum, *vicus in Æmilia ad Padum.*
Crotone, *in Calabria, hodie Cotrone, urbs.*
Crucula, *vicus prope Lemniacum in Cenomanis.*
Cuba, *Athlantici maris insula.*
Cubaga, *ejusdem maris insula.*
Cumana insula, *in eodem mari.*
Curcenses, *Curci, urbs in Pannonia.*
Cyclades insulæ, *Isole del Archipelago.*
Cymaclium, *Comachio, oppidum, in Æmilia.*
Cyprus insula, *Cerigo.*

D.

DAunii, *Apulia plana.*
Dertoma, *Tortoma, urbs in Insubria.*
Dioryctus ad Leucadiam, *fretum inter Leucadiam & Acarnaniam, spatio trium stadiorum, hominum opera factum.*
Dium oppidum, *Dio, Barax olim.*
Drinus fluvius, *Drilon, Lodrino.*
Divinum, *prope Tergeste, oppidum.*

E.

ELous fluvius, *idem qui Lous & Laus, hodie Vdjusa.*
Epirus, *Romania, regio.*

Mu-

FINIS.



PETRI BEMBI CARDINALIS
quæ in eum ad
L A U D E M
ſunt ſcripta.

Ex JULII CÆSARIS CAPACII
Illuſtrium Virorum Elogiis & Judiciis.


Etro Bembo Venetiæ *clariores redditæ ſunt, quàm vel naturæ miraculo, quòd omnium admiratione in aquarum lacunis conditæ ſunt; vel quòd feliciſſimæ Reipublicæ ſplendoribus inter* Italas *urbes*, Italiæ *totius præſidium, elucent.* Latini *ſermonis obſervator is eſt;* Itali, *reſtaurator. At religionem appellas obſervantiam? En tu innocentem accuſas. Quæ nam religio in candidè ſcribendi cupido, qui verecundè extrà* Romanæ *linguæ fines egredi plerunque voluit, ut (quod à* Joanne Franciſco Pico *acceperat) plures ad benè dicendum imitaretur? An religioſum benè appellas eum, qui omni puritate conceptus parit?* Hyperidæ, *&* Lyſiæ Atticam *fortaſſe ſubtilitatem expoſcis? An idcircò religioſus, quòd horridioribus verbis mutatis, additis numeris, aptiorem facit orationem? Ex antiquitate eligere, rejicere, ingenui ſcriptoris eſt, in quo tunc demum gravitas apparet, cùm interlucet nitor. Si epiſtolarum* Bembi *volumina legeris* , Paulo III. *Pontifici dicata, à quo Cardinalis electus eſt, ſumma jucunditate res maximas, & eventu graviſſimas, quæ* Leonis X. *Pontificatu florentiſſimo acciderant, facillimè animadvertes explicatas. Habuit in iis delicatos cenſores, qui aliquot ad ſummos proceres conſcriptas, jejuniores dixere; aliquot verò ad artifices, humileſque homines , pleniores quàm par eſſet Summi Pontificis auctoritati. Si ejuſdem hiſtoriam ſuæ ipſius Reipublicæ precibus in ſenectute editam percurres, quàm eleganter ſcriptam judicabis? quàm ſincerè expoſitam, in qua nec mendacio gratiam aucupatus eſt, nec odium veritate extimuit? Si* Latina *carmina perleges quid dulcius, quid purius, quid magis* Maroniano *ſapori proximum deguſtabis? Quid verò in* Italico *idiomate,* Bembi *diſciplina accuratius eſt? Quid vitio tribuunt turgidi ſcriptores, quod à* Franciſco Petrarcha *non diſcedendum ſtatuit? A candore, & puritate, non diſcedendum ſanxit optimus judex; quam ſanè deſerere coguntur, qui ſalebroſa, & hiulca verborum curioſitate redundanter excurrunt, quique dùm jucundiora interjicere ſtudent, pondus, gravitatemque ſententiarum aſpernantur. An fortaſſe ſatis illud* Bembo *non eſſe debuerat, ut ſe magiſtrum præbuerit, cujus præceptis doctorum virorum ſcripta pertulerint emendationem? Non neſcimus* Ludovicum Arioſtum *multos verſus obeliſco notaſſe &* Sannazarium *parere recuſantem, in aliquot errores incidiſſe. Nec veremur, tanti fuiſſe quæ* Bembi *calamo vivunt, ut ſint cum ſæculo perduratura. A* Conſtantino Laſcare *literas* Græcas *edidicit. Studioſorum amantiſſimus tùm ambitioſius ab iis laudari cupiebat, quod hujuſmodi* Franciſco Maurolico *declaravit, ut cum Dialogos de ordine, & numero elementorum, & de Sphæræ circulis & Planetarum motibus ipſi dicaturum ſcripſiſſet;* Se illud pervelle, *reſpondit,* nec uberiorem eſſe donationis inter vivos ſtipulationem, quàm ea, quæ noſtri nominis memoriam in omnem poſteritatem ſit propagatura.

INCERTI.

Adria Bembe tibi patria eſt, tibi Roma ſepulcrum,
Imperat hæc terris, imperat illa mari.
Egregiè es Tuſca lingua, Latiaque loquutus,
Non hac, non illa dulcius ulla ſonat.

Sunt teſtes Muſæ Tuſcæ, Muſæque Latinæ,
Magnanimum Venetum teſtis & hiſtoria.
Nobiliore loco haud poteras naſci, nec obire,
Nec magis ornatè, nec magè dulcè loqui.

P. Bembus. *** Ex JO-

ELOGIA DE PETRO BEMBO.

Ex JOANNIS IMPERIALIS Musæo Historico.

ENETI fulgor, ornatusque cœli *Petrus Bembus*, meritò perstringat acies intuentium venerabili frontis serenitate, orisque configuratione protensa valdè, sed ingenua placiditate spectabili, ut barba etiam procera, & ad pectus usque graviter expansa. Extat enim marmorea ejus effigies in *Patavino D. Antonii* templo cum elogio *Hieronymi Quirini* opera subjuncto, quæ ab *Italica* juventute celeberrimi alumna Gymnasii quotidie salutatur. Plurimas huic homini natura opifex insevit ingenii dotes, quibus cùm ejus sæculi vivens acclamationem, tum defunctus posteritatis stuporem est adeptus: unica profectò ex iis, quemlibet orbi redderet illustrem, quæ in ipso excellenti summoque gradu collectæ inveniuntur: vorsæ ac prosæ orationis nitor insignis, tàm *Italicæ*, quàm *Romanæ*: antiquorum, ac recentium scriptorum egregia æmulatio: in tractandorum serie facilitas, in explicando puritas, in imitando industria singularis, ut *Latinæ*, ac *Tuscæ* parentem locutionis agnoscas, dum *Venetum* ad utramque tàm esse habilem admiraris. Hinc optimæ se efferant vires institutionis: quando is *Florentiæ* altus cum patre Legatum Reipublicæ *Venetæ* nomine tunc agente, imbibere medullitùs ejus nationis idioma sic potuit, ut ferè nativum aboleret omninò. Patet in libello, quem *Asolanorum* vocavit, & *in Historiis Venetis*, & alibi quàm se naviter *Florentinum* scriptorem ementiatur, quod immortali cedat nostratium gloriæ, quam impensè pariter *Speronus Speronius Patavinus* vir anteacti sæculi eloquentissimus amplificavit. Hunc igitur dignitate nominis ubique clarum, *Feltria* domus *Urbini* olim solemne illud literatorum concilium agitans, ad se pluries pertrahere nixa, pluries etiam, & orantem audivit, & scribentem excepit: inter cæteros *Julianus Mediceus* extorris inibi degens cum *Joanne* Cardinali, *Leonis* posteà *decimi* nomine Pontificatum emerito, summis benevolentiæ officiis *Bembum* complexus, subinde ipsi ad *Leonis* aulam stravit aditum, injuncto secretorum (ut vocant) Brevium perscribendorum munere, ætatis suæ anno quadragesimo tertio, unà cum *Jacobo Sadoleto Mutinensi* optimarum literarum laude florenti. Ea in aula tanquam in specula, virtutis suo specimen toti orbi pulcherrimum præbuit, ac ex munifico Pontificis genio, satis amplos aucupatus redituum titulos, purpurei etiam pilei decus fortè captasset, nisi gravi, ac diuturno morbo præpeditus, *Romano* solo cedere, ideòque *Patavium* antiquam *Æsculapii* officinam petere coactus esset, ubi postmodum perenni annorum curriculo insidens, incolumitatis suæ, ceu Musarum in gremio fructum, prædulci ex otio, exoptatissimum retulit: ejus namque domus perpetuis magnorum hominum conventibus frequens, novum quasi reserare *Peripati* ostium, sive alterius æmulum *Mœcenatis* diversorium magnificè spectabatur. Hac vitæ norma ad septuagesimum pertingens annum, à *Paulo III. Farnesio* amico perveteri vix designato Pontifice, renunciatus est Cardinalis, famosa illa usque adeò multorum electione, ut flores ingeniorum ex omni terrarum ambitu collecti, purpureoque sacri nitoris stemmate insigniti, fragrantissimum exinde sapientiæ, religionis, virtutumque maximarum odorem orbi afflaverint universo. *Protractum aliquantisper ajunt* Bembo *hujùsce dignitatis decus, quòd nobilem concubinam* Romæ *perductam, laxiore sensus intemperamento coluerit; susceptis nimirùm ex ea tribus fœminis, ac vel ad frigidum senium arcta ipsius consuetudine propagata. Ita ex* Platonis *sententia summa ingenia, summa etiam plerumque vitia consequuntur.* Cæterùm fidissimo pietatis cultu, præaltaque disciplinarum existimatione, cùm in tanta *Romanæ* urbis luce verendus, & conspicuus emineret, ad hortum fortè suum vectus equo secedens, in superum aditus limen impingens, exitialem excepit ictum, à quo summo *Italiæ* squalore biduò est ereptus.

Cynthii Gyraldi.

Thusca tuo debes Petrarchæ, Musa, parenti
Multum, Bembeæ sed magis una lyræ.
Namque is te genuit: Bembus revocavit ab Orco,
Illud mortale est: hoc reor esse Dei.

Jo. Ambrosii Personæ.

Dum nitet eloquio, rubro dum splendet amictu,
Purpuream Petrum, quis neget esse rosam?
Est rosa, dum loquitur, redolet sic namque disertus.
Est rosa purpureus, sic rosa namque rubet.

J. Cæsaris Scaligeri.

Si probitas, pietas, gravitas, animusque quietus
Cedunt iis numeris, qui Ciceronis erant:
Sic palmam ex Cicerone feram; sin gloria major
Ex illis, palmam de Cicerone feram.

Ex Augustino Beatiano Bembi tumulus.

Bembe jaces, tecumque jacet, quæ prima canendi est
Gloria ad extremos non reticenda dies.
Bembe jaces, tecumque jacent cælestibus apti
Mores, quos posthac sæcula nulla ferant.
Bembe jaces, tecumque jacet sincera voluntas,
Et, qui nos prohibet dicere falsa, pudor.
Bembe jaces, animique jacet laudabile tecum
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Incerti.

Delitiæ Bembus Musarum ad sidera cantus
Traxit Apollineos, Ausoniamque lyram.
Carmine sat gemino mortales imbuit aures,
Nunc immortales conciliare juvat.

In templo D. Antonii Patavii.

PETRI BEMBI IMAGINEM, HIERONYMVS QVIRINVS ISMERII FIL: PVBLICE EXPONENDAM CVRAVIT. VT CVIVS INGENII MONVMENTA ÆTERNA SINT, CORPORIS QVOQVE MEMORIA, NE A POSTERITATE DESIDERETVR.
VIXIT AN. LXXVI. MENS. VII. DIES XXIX. OBIIT AN. MDXLVII.

Ex FREHERI, Virorum eruditione singulari clarorum Theatro

Morte subitâ extinctus, non sine toxici clàm dati suspicione, vitâ excessit *Romæ* 18. Jan. Ann. C. 1547. ætatis 76. Sepultus in Templo Minervæ.

In Sepulchro ejus hoc legitur Epitaphium:

D. O. M.


PETRO BEMBO, PATRITIO VENETO, OB EIVS SINGVLARES VIRTVTES A PAVLO III. PONTIFICE MAXIMO, IN SACRVM COLLEGIVM COOPTATO TORQVATVS BEMBVS POS. OBIIT XV. CAL. FEBR. MDXLVII. ÆTAT. LXXVI.

Hic Bembus jacet Aonidum laus maxima, Phœbi
Cum Sole & Lunâ vix periturus honos.
Hic & fama jacet spes & suprema galeri,
Quam non ulla queat restituisse dies.
Hic jacet exemplar vitæ omni labe carentis,
Summa jacet summâ hic cum pietate fides.

Scripsit & edidit

Historiæ Venetæ Lib. XII.
De Guidone Ubaldo Feltrio, & Elisabetha Gonzaga Urbini Ducibus librum.
De Imitatione Sermonis M. Tullii, contra Johannem Franciscum Picum.
Epistolarum Leonis X. nomine scriptarum lib. VI.
Epistolarum Familiarium Lib. VI.
Libellum Carminum.
Libellum, quem Asolanorum vocavit.
Benacum, Poëma venustum Heroicum.
Dialogum de Ætna, de Culice Virgilii, & Terentii fab.

PETRI




PETRVS BEMBVS
Cardinalis.


SEVILLA



VENETI
DOMINII,
Novissimâ atque accuratissima
Geographica delineatio.
LUGD. BAT.
excudit PETRUS VANDER AA.
Scala di Miglia Venti.
PARTE DEL CONTADO
PARTE DI TIROLO
PARTE DE GRISONI
VAL TELINA
TRENTINO
PARTE DI CARNIOLA
CARSO
PARTE DI LIBURNIA
GOLFO DI VENETIA
Golfo de Trieste
DUCATO DI MANTOUA
STATO DI MILANO
PARTE DEL MODENESE
STATO FERRARESE
VALLI DI COMACCHIO
PARTE DI ROMAGNA
PIACENSA
PARMA
Venetia
Trento
Verona
Vicenza
Brescia
Mantoua
Cremona
Milano
Pavia
Padoua
Treviso
Udine
Trieste
Ferrara
Modena
Reggio
Ravenna
Mirandola
Lago di Garda









PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI PRIMI

EPITOME.

*B*Elli Rhetici *causæ, initium & progressus.* Rovereti *expugnatio.* Georgii Sonnenbergii *cum* Antonio Maria Severinate *singulare certamen. Germanorum* Rovereto *discessus. Eorundem cum* Venetis *pugna, &* Roberti Severinatis *interitus. Ejusdem belli finis, & pacis leges. Sumptuariæ leges* Venetiis. *& item ad viarum angustias ac pontes spectantes latæ.* Joannis Bentivoli, *atque* Daciæ *reginæ* Venetias *adventus.* Hieronymi Rhearii *&* Galeoti Manfredi *interitus.* Cyprium *regnum inprovinciam redigitur, & Regina se ad urbem confert. Vectigal navibus imponitur. Magistratus in* Africam Tremezeni *regis postulatu à Senatu mittuntur. Lex de suffragiis, & alia de* Græcis *equitibus lata.* Roxolanorum *regis ad Senatum legatio. Induciæ Senatus opera inter* Federicum *Cæsarem &* Matthiam Pannoniæ *regem dictæ. Cæsaris in* Italiam *adventus. Lex pro infantibus vulgo quæsitis, & pleræque aliæ leges latæ.* Paros *insula à* Venetis *contra* Turcas *defenditur.* Georgii Cernochii *cum* Antonii Erici *filia connubium. Lex in fures domesticos lata.* Guidimariæ Rubei *obitus. Scloporum descriptio, eorundemque usus à Senatu in imperium suum introductus. Ingens in* Italia *frigus.* Hermolaus Barbarus *patriarchatum* Aquileiensem *adipiscitur, & quæ inde sint sequuta, ac ejusdem obitus.* Venetus *magistratus* Bizantio *pellitur. Cives qui pro patria mortem oppetierunt, ornantur. Quadragintavirale judicium tertium additum. Suffragiorum ferendorum ratio. Quorundam malorum civium ambitus reprimitur.* Laurentii Medices *&* Innocentii *Pontificis obitus, atque* Alexandri Borgiæ *creatio. Inter Pontificem* Mediolanensium *ducem &* Venetos *fœdus.* Giemis *Sultani apud Pontificem captivitas.* Leonoræ, Herculis Atestini *conjugis, cum duabus filiabus* Venetias *adventus.*

LIBER PRIMUS.



URbis *Venetæ* res annorum quatuor & quadraginta scribere aggredior, non judicio, aut quod ita mihi libuerit, sed quodam quasi fato, vel certè casu. Nam cùm *Andrea Naugerio*, cui hæc publicè cura tradita fuerat, in legatione *Gallica* vita functo, *Decemviri* à me collegii decreto petiissent, ut, quando is moriens sua scripta comburi jussit, ipse ea in re atque munere patriæ meam opem requirenti ne deessem: pudore verecundiaque recusandi ad variam atque multiplicem, quodque verè possum dicere, multò maximè operosam scriptionem me contuli annos natus sexaginta, ut, nisi Reipublicæ extaret postulatio, meritò me homines reprehendant id ætatis ausum tantum onus sustinere. bella enim plurima propéque continentia atque maxima cùm ab *Italiæ*, *Germaniæ*, *Galliæ*, *Hispaniæ* populis & regibus, tum à *Turcarum* Imperatoribus excitata, vel terra vel mari gesta, sunt scribenda, quorum quodque justum potius historiæ volumen atque separatum posse conficere, quàm uno omnia comprehendi atque contineri, nemo non dixerit. Multa præterea domi vel senatusconsulta, vel leges, vel novi magistratus, multi hospitio reges liberaliter accepti, multi honores diis immortalibus habiti, multæ prodigiorum domi forisque prædictiones, tempestatum ac siderum miræ vicissitudines, hujus temporis memoriam exemplis innumerabilibus referserunt, quæ colligere & mandare literis, nec amantis otium animi est, nec minimæ industriæ. Sed nihil est profectò tam arduum, quin id patriæ charitas exsuperet, apud eos viros præsertim, qui præclara in urbe geniti, atque optima in repubublica educati, suæ civitatis temperationem institutaque adamaverunt. Ita qui rebus tot atque tantis complectendis nunquam sponte curam & cogitationem adhibuissem: mihi enim post *Romanos* labores bonæ tandem valetudini, quam penitus amiseram, restituto, paterna in villa fundi *Patavini* majorem anni partem requiescenti, satis erat pascere levioribus tractandis artibus animum: voluntate meorum civium perspectâ facilè adducor, ut nihil mihi refugiendum putem, dum eorum studiis satisfaciam. Ab illorum igitur commentariorum fine, quos *Marcus Antonius* conscripsit, exorsus, quo ab fine *Decemviris* placuit, ut initium scribendi facerem, continuato rerum filo, historiam ad hoc diei, si vita suppetet, perducam: tot enim, quot suprà dixi, anni inter illius scripta atque hoc tempus intercesserunt.

Ac eo sane tempore quo in statu esset, quam haberet faciem respublica, satis est ab illo demonstratum: quæ bello *Ferrariensi* confecto, fœderibusque initis, plus biennium soluta oneribus civitate, & pacato imperio est usa. Idem autem post hæc & publicæ quietis, & *Sabellici* librorum finis fuit: pacemque illam & tranquillitatem reipublicæ bellum statim *Rheticum* excepit: neque ei profuit, quòd suo se in otii capto jam portu magna perseverantia continuisset. Ejus belli levissima de causa initium hoc fuit. *Rheticum bellum ejusque causæ.*

Erat nonnullarum cùm *Rhetorum* & *Noricorum*, tum earum terræ *Germaniæ* gentium, quæ sunt his finitimæ, Dux atque princeps *Sigismundus Federici Romanorum* Imperatoris frater, homo non malus, sed qui facile malis hominibus crederet. Ei cum senatu *Veneto* jam inde à majoribus orta necessitudo intercedebat: itaque vetusta consuetudine homines mercaturæ dediti omnibus ex reipublicæ municipiorum vicinitatibus ejus ad oppida liberè commeabant, mercatumque in primis celebrem apud *Beurenses* quotannis fieri solitum, stato tempore petebant. Id cùm anno post urbem conditam millesimo sexagesimosexto fecissent, *Sigismundi* jussu ipso in mercatu, ad quem fide publica venerant, comprehensi suis cum rebus, custodiæque sunt traditi. Et jam antea *Sigismundi* operæ nostros homines, qui argentifodinas in *Alpibus* exercebant, fugatos, conductis jure gentium secturis & cuniculis deturbaverant: eosque cuniculos, quòd essent ipsorum *Ann. 1066. à Venetiis conditis.*

rum vicis & municipiis vicini, vi atque armis parvo negotio possidebant. Ejus rei causam quærentibus dictitabant *Sigismundi* clientelas, quæ in imperio *Veneto* essent in *Benaci* lacus ripa, suis è finibus expelli: de qua tamen controversia jactari pridem cœpta per interpretes ab utrisque amicè disceptabatur. Itaque cùm eos, qui ex Reipublicæ municipiis ad ipsorum mercatum vere initio venerant, in vincula conjecissent, omnibus ex eorum oppidis atque agris, tum ex *Lepontiis* & *Helvetiis* coacto jam milite apud *Tridentum Germani* hominum numero ad decem millia, id enim agere constituerant, *Gaudentio Amasiano* duce in *Veronensium* fines impetum faciunt. *Germanos* autem illos diximus, quando nunc quidem omnes eæ ab *Alpibus* nationes, complurésque aliæ, uno nomine *Germani* appellantur. Flumen est *Athesis*, ex *Arbona* monte profluens, quod duobus auctum fluminibus *Tridentum* fertur, *Alpesque* reliquas dirimens, vallem plerumque angustam efficit *Veronam* usque, quam etiam intersecat: ejus fluminis lævam ingressi ripam *Germani*, ac quindecim millibus passuum confectis, oppidi *Rovereti* in *Alpium* angustiis laxiore paulò atque apertiore loco positi, suburbanis ædificiis direptis, pugnâ etiam cum præsidiariis militibus commissa, defenso municipio ad prædam & populationem sese convertunt: eaque facta, in vicinos oppido pagos tumultuosè militem recipiunt.

Germani.

Athesis flumen.

Venetorum apparatus belli.

Hac re nunciata Senatus decrevit, ut & veterani milites, qui in *Carnis* & *Taurisanis*, quique in *Gallia* hiemaverant, omnes illico *Veronam* convenirent, & delectu statim habito novi milites conscriberentur: creatis ad id confestim legatis *Petro Diedo Veronæ* præfecto, *Hieronymo Marcello* dat negotium, ut ex usu reipublicæ bellum administrent. *Julium* etiam *Cæsarem*, qui regnum in *Camertibus* obtinebat, copiarum reipublicæ imperatorem, accersitum ex *Umbria* eodem contendere magnis itineribus jubet. Interea *Germani* ad oppugnationem *Rovereti*, iis quæ bello essent usui, celerrimè comparatis, & castris ad oppidum positis, tormentorum vi, quibus maximè abundat ea natio, muros quatere atque dejicere instituunt. Id cum plures dies labore non intermisso fecissent, ac magnam murorum partem aperuissent, neque *Venetus* imperator, qui jam eò venerat, propter *Germanorum* magnum numerum repellere hostem posset, sæpè oppugnare omni missilium telorum genere scalisque ad murum positis adorti, sæpè cum clade repulsi, postremò oppidum capiunt. Eis in oppugnationibus unum eorum teli genus maximè oppidanos terruit, de quo propter novitatem prætereundum non videtur. Pilas ferreas non magnopere cohærentes, picis atque bituminis plenas, igne incluso tormentis muralibus impellebant: eæ pilæ muro impactæ infringebantur, ac plures in partes dispergebantur, quibus ex singulis ignis prosiliebat acri cum flamma, sic, ut quæque earum pars, quantumvis parva, hominem corriperet: pice autem illisa retinebantur, ne excuti, neve rejici possent: ita fiebat, ut neque in muro consistendi, neque quæ opus essent administrandi, neque se defendendi militibus facultas daretur. Quod ubi semel atque iterum est animadversum, culcitras centonesque quos habere poterant, aquis immergebant, eosque pinnis & fenestris, ex quibus propugnarent, interponebant, iis neque pix adhærescere, neque ignis nocere propter humorem poterat. Ita se tandem, compluribus suorum ante absumptis, præmunire ac tueri didicerunt. Sed capto oppido, ut diximus, *Nicolaus Priolus* Prætor & milites, qui ad defendendum

Πυρόβολα Germanorum.

A municipium per *Alpium* crepidines missi hostem circumfusum & sedentem fefellerant, suaque virtute ac fortitudine eorum impetum ad eam diem sustinuerant, in arcem se recipiunt.

Veneti, qui omnino in se longè majus, quàm initio crediderant, excitatum bellum viderent, neque in *Camerte*, quantum oportebat, industriæ virtutisque agnoscerent, à *Roberto Severinate* petunt, ut imperium totius belli unà cum *Camerte* administrandi, magna opinione civitatis sibi delatum, læto animo accipiat, & quo celerius fieri potest, suis cum militibus, & liberis, claris bello adolescentibus, viæ se det, atque in *Rheticum* B *Alpesque* contendat. *Robertus*, qui, posteaquam *Innocentius* Pontifex maximus eum missum fecit, in agrum *Patavinum* se contulerat, atque ibi apud oppidum *Citadellam*, quod ei unà cum urbanis ædibus, cúmque amœnissimo ac peramplo apud *Veronam* fundo & villa in *Ferrariensis* belli exitu Senatus dono dedit, sine stipendio complures menses commoratus, ægre se suosque milites aluerat, illam ipsam sibi occasionem suæ vel amplificandæ, vel omnino retinendæ dignitatis dari votis omnibus cupiebat, itaque accepto peropportunè imperio, ad bellum proficiscitur. Eò cum venit, modò in spe, modò in metu *Veneti* C sæpe fuerunt: sæpe marte ambiguo levibus præliis est certatum: ponte etiam navibus imposito, ut & copiæ transmitti, & commeatus ex altera fluminis regione supportari facilè possent, utramque ripam conjunxit.

Robertus Severinates belli dux.

Eodem quoque tempore *Germanorum* militum centuriæ aliquot in *Vicetinos* & *Feltrinos* saltus, atque in *Carnorum* fines repentè immissæ, plus terroris quàm periculi intulerunt, propterea quòd *Hieronymus Saornianus*, summo in *Forojuliensibus* natus loco, cujus proavus *Federicus* ob singulare atque præclarum in rempublicam studium, & civitate ab ea, & jure comitiorum donatus fuerat, cum suis clientibus, & agrestium D manu, quàm celeriter coëgerat, atque armaverat, superatis *Alpium*, quæ adiri non consueverant, jugis, illos omnia vastantes ac depopulantes à tergo aggressus ita fregit atque concîdit, ut nonnulli timore incitati è montium, in quibus erant, cacuminibus rupibusque fugientes se præcipitaverint, qua de re gratiæ illi à Senatu actæ, militesque tercentum attributi, quos *Hieronymus Jacobo* fratri habendos permisit, cùm ipse pacatæ ac civili sese vitæ, quàm militari, mallet tradere.

Germanorum irruptio & clades.

Sed dum reliqua sic, ut dixi, agerentur, *Rovereti* arce muralibus tormentis propè diruta, E Prætor, quique cum eo erant milites, deditionem faciunt. Et jam summa æstas prætererat, cum veteris exempli res utrumque exercitum spectaculo haud magnopere cruento tenuit.

Rovereti expugnatio.

Erat *Germanorum* numero juvenis acer & fortis *Georgius Sonnenbergius*, claro loco natus, qui turmæ equitum præerat: ad hunc cum esset allatum, *Antonium Mariam Severinatem*, imperatoris filium, inter suos jactavisse, si ex hostium copia egregius vir quispiam equestri pugna congredi velit, se cum illo decertaturum, proque sua parte ostensurum quantum belli gloria *Itali Germanos* antecellant: mittit ad *Venetos* tubici- F nem, qui *Antonio* denunciet, se paratum esse certaminis fortunam experiri. Remissus ad *Georgium* tubicen refert, expectari cupidè illud ab *Antonio*: itaque die dictâ clausum in campum, atque ad id comparatum, æquo inter bina castra spatio diversa ex parte uterque armatus atque adornatus sese intulit: & parva interjecta mora, citatis equis concurrunt. *Antonius* hastam in *Germani* pectus infringit: thorax ægrè hastæ impetum

Georgii Sonnenbergii Germani monomachia cum *Antonio Maria Severinate Italo.*

tum sustinet: tum verò equus *Antonii* jam incitatior, neque sat habilis contineri, in trabales campi munitiones ita impegit, ut iis perfractis atque disjectis, ipso humi prolapso *Antonius* se ejiceret. Itaque pedes ex equite factus ubi hostem in equo jam conversum districto in se gladio venientem videt, post tignum trabibus repagulisque sustinendis solo fixum sese continet: ita *Germanum* assultantem, atque ictus de superiore loco adigentem, districto item gladio repellebat, quaque ipsum poterat, appetebat: nam equum lege prius dictâ ferire *Antonius* non poterat. Sed dum crebris ictibus acriter uterque rem gerit, neque quantum vult proficit, propterea quòd galea, thorace, cæterisque ferreis indumentis totum penè corpus protegebatur: *Antonius* iracundiæ plenus, quòd iniquam subire dimicationem cogeretur, seque ipse tacitè incendens, hosti cupidius ferienti impetu facto gladium aufert: ille ab ephippiis ferrea, quam gerebat, abrepta clava pro gladio utitur. Tum verò clara ad *Germanum* voce: Quid tu autem, inquit *Antonius*, me cogis unum cum duobus depugnare, quorum alteri lex, alteri aliena arma sunt præsidio? si vir es, æquo marte manum consere. Ita *Germanus* existimationem hominum veritus, & magno præterea animo, equo & ipse desilit: comprehensique statim inter sese, atque arctè diu luctati, ambo concidunt. Erant utrisque magna & procera corpora, & vires corporibus pares. *Germano* tamen cadenti paulùm superincubuit *Antonius*: sed ejus dextrum brachium à sinistro *Germani* humero, atque adeo armorum corporisque pondere sic premebatur, ut eo uti non posset: tum *Germanus* impedito atque implicito *Antonio*, ipse manu dextra liber, abrepta sica, quæ femori *Antonii* erat alligata, nates ei convulnerat: ea tantùm corporis parte sua illum tegumenta non muniebant. Vulnere *Antonius* accepto, cum omnino nullam defendendi sese viam sibi reliquam, & facultatem videret, sicæque aciem *Germanus* ictu altero atque tertio adegisset, Vince, inquiens, quando ita voluit fortuna, casu enim, non virtute vincis, gloriam certaminis hosti dedit: quem quidem victor magno apud se honore plures dies ad exercitum habuit, curatoque vulnere, donis etiam additis, ad patrem remisit.

Germanus duelli victor.

Post hæc paucis interjectis diebus cum *Germani* insolentius atque laxius vagarentur, *Venetique* eos adoriri ex insidiis statuissent, re ab hostibus per exploratores cognitâ, ipsi in hostium insidias inciderunt: ita excepti à pluribus pauciores, conglobati virtute atque armis se tuebantur, fortiterque præliabantur: ex quibus *Robertus* modò voce imperatoris curam, modò manu militis operam præstabat: verùm crescente hostium multitudine circumseptus jamjamque tenebatur, cum *Antonius* filius id conspicatus (non enim longè aberat) in confertissimam hostium aciem se injecit, fortissiméque pugnans, aciemque submovens, patri se recipiendi facultatem præbuit: ipse in hostium potestatem venit, reliqui fugati, paucis captis atque interfectis, se in castra receperunt.

Filii in patrem pietas.

Neque multo post *Camers* in febriculam incidit, eoque *Veronam* delato, rerum & totius belli administratio in *Robertum* incubuit. *Germani* autem cum inopia commeatus adducti, qui segniter subministrabatur, tum stipendii fide non servatâ, indignabundi palam ad seditionem incitabantur: cujus rei periculum eorum præfecti veriti, inducias ab imperatore *Veneto* petierunt. Sæpius re jactatâ, non impetratis induciis, nocte intempesta *Rovereti* arcem incendunt, & prima luce conclamatis vasis omni cum exercitu abeunt. Mirum id *Venetis* videri, neque satis credere hostem abeundi consilio discessisse: itaque timere insidias, quas etiam essent experti: sed ubi illos longius profectos ab exploratoribus cognoverunt, *Rovereti* oppidum recipiunt.

Germanorum discessus.

Interim *Robertus* certior factus omnes hostium copias domum discessisse: auxerat enim eam rem atque affinxerat multa rumor: sibi autem miles ex *Ravennate* & *Piceno* & *Umbria* per eos dies accersitus animum addiderat: statuit ulterius progredi, *Tridentumque* ipsum, si res processerit, obsidere, ut qui ultrò ac sine causa bellum *Venetis* intulissent, scirent atque cognoscerent, bellum gerere in eorum finibus & posse *Venetos*, & audere. Eo consilio cum Legatis communicato, *Lucas Pisanus* ætate jam gravior, quem Senatus *Petro Diedo* summiserat, atque illum ad præfecturam *Veronensem* reverti jusserat, existimare sese inquit, è republica non esse tantam rem eo tempore aggredi. Primùm, quòd credibile non esset *Germanum* exercitum, quem ipsi florentissimum paulò antè vidissent, ita jam in ultimas *Germaniæ* terræ latebras se abdidisse, ut non modò revocari atque restitui, sed etiam adaugeri paucis diebus non possit in tam promptis ad arma capienda populis, tantoque in periculo municipium ad gentes *Italas* continendas opportunissimum amittendi. Deinde, quòd si tum reipublicæ ad hostem repellendum copiarum satis fuit: quanquam quis eum repulit? sua ipse sponte se recepit. Sed sit omnino repulsus, ad inferendum tamen bellum, atque in hostium fines irrumpendum, obsidionesque ducendas, id ipsum non suffecturum, præsertim cùm existimandum sit omnem *Germaniam*, ne tantum dedecus admittatur, eò conventuram, viresque suas in communem utilitatem explicaturam. Postremò, quòd si offensum in aliquo sit, non esset receptui locus circumventis ab hoste undique mediis in *Alpium* jugis: tum itinerum angustias esse pertimescendas, quas evadere vix pacati possent. Præstare autem reipublicæ bellum quoquo modo confecisse, dum oneribus extraordinariis finis imponatur, quàm spe melioris victoriæ ipsam periclitari, civesque conflictari tributorum conferendorum quotidie causa. Defessam civitatem bello *Ferrariensi* otium inglorium laboribus paulò etiam honestioribus, certoque cum fructu præponere, nedum ambiguis & periculosis præferat. Hæc mea quidem, inquit, est sententia, qui fortasse vel meo vitio, vel etiam senectutis, omnia timeo: vos consulite, &, quod optimum factu est, id sequamur.

Lucæ Pisani consilium de Germanis lacessendis.

* Tum *Marcellus* facto à collega silentio, in hunc est modum loquutus: Nihil sibi dubitationis dari, si ea ita essent, quemadmodum *Pisanus* dixisset, quin sit ab invadendis hostium finibus, *Tridentique* oppugnatione abstinendum. quæ enim ejus regionis pars, quod municipium tanti esset, ut cum ejusmodi conflatione belli, totiusque *Germaniæ* irritatione, consensuque compararetur? Verùm habere se rem, suo quidem judicio, longè secus. Nam neque *Germanorum* copias sua se sponte dissipavisse: sed cùm rei frumentariæ inopia coactas, tum stipendio non persoluto egentes, desperantesque, domum quemque suam revertisse: neque qui collectam jam manum, prosperéque agentem commeatu supportando alere, stipendiisque repræsentandis retinere, ne diffugeret, non potuerit, eum novo conficiendo exercitui stipem alimentaque subministraturum: multò enim facilius contineri stantia, quàm lapsa prostrataque sublevari. Neque verò esse verendum, conventuram contra *Venetos Germaniam*, quos amicos semper habuerit, ut *Sigismundi* rebus auxilio sit, qui nullo reliquorum principum con-

Marcelli de oppugnando Tridento rationes.

consilio, nulla ipse lacessitus injuria, bellum reipublicæ intulerit: præsertim cum *Federicus* Imperator ejus frater, neque pecuniâ, neque milite, neque ullâ eum re omnino juverit, præ seque potius tulerit, id se nunquam bellum probavisse. Qui à suis negligatur, eum ab alienis exterisque hominibus auxilia impetraturum credere, cujus tandem esset timoris? Quòd si dicatur, non jam quidem *Sigismundi*, aut alicujus privatim causa *Germanos* principes ad arma capienda conspiraturos, sed planè sua, non *Tridento* capto, *Venetis* aditus pateat ad sese: responderi posse, complura esse in *Alpibus* reipublicæ oppida, diversis acquisita adjectaque imperio tempestatibus, quibus ex oppidis *Germaniæ* populi adeantur: ab his ipsis non longinquam locis *Feltriam*, *Belunium*, quamque in *Carnis Cividalem* appellant: complura præterea itinera vicis & castellis munita, cùm hoc in *Alpium* ad orientem solem tractu, tum verò etiam in *Brixianorum* finibus ad *Moërnam* atque *Licates*: in *Bergomatium Sebini* lacus fauces, vallemque universam *Triumpilinorum*, quique ad *Lepontios*, *Lariumque* lacum saltus, atque angustiæ pertinent. Neque tamen ullo tempore *Germanos* principes conspiravisse eis ab oppidis atque finibus repellendi *Venetos* causa: neque nunc, si *Tridentum* capiatur, conspiraturos: fassuros potius atque affirmaturos, jure id, meritóque *Sigismundo* accidisse, qui amicæ civitati bellum temerè intulerit. Nam quod ad viarum angustias attinet, quantulum esset iter *Tridentum* usque? id tamen ipsum patefieri antè oportere, quæque sint castella *Germanorum* ipsa in via, ea esse capienda, ne quid hostile post tergum relinquatur. Extremum autem quod fuerit in collegæ rationibus, defessam civitatem belli oneribus malle quiescere: ad id respicere ipsos non oportere. *Tridento* enim capto, non eam modò pecuniam, quam hanc in belli partem, paucorumque dierum moram erogari oportuerit, sed illam etiam quæ toto in bello per tot menses esset insumpta, cumulatè sarcitum iri, vel magno potius cum fœnore, magnisque utilitatibus repensum & restitutum: vindicatum præterea injurias ab iniquo acceptas hoste: auctum imperii fines: auctum etiam gloriam, nomenque reipublicæ clarius factum. quæ quidem omnia nisi tanti esse, quanti æstimanda jure sunt, majores nostri duxissent, nunquam ipsos tot labores atque tantos perlaturos: nunquam ullum bellum suscepturos fuisse, ut suam & reipublicæ gloriam unà cum imperii finibus protenderent. Postremò, occasionis esse rem, ut *Tridentum* capiatur, vel militibus suâ celeritate atque virtute in oppidum non præmunitum irrumpentibus, vel quod repentino nostri exercitus adventu oppidani perterriti, ne diripiantur, deditionem faciant. Itaque ad eos casus eventusque tentandos, in iis, quas haberent ipsi, copiis satis virium atque præsidii fore. Id si rectè cesserit, ipsum illum suum collegam in primis imperatorem summis laudibus laturum, qui ejus rei consilium inierit: sin se oppidum tuebitur, vastatis finibus, incensis ejus regionis castellis vicisque, incusso magno terrore hostibus, exercitum ultorem reduci oportere. Id autem procliviore omnium hominum veniâ posse tum fieri, quàm si jam nunc inulti domum redeant. Porrò non horis omnibus rei benè gerendæ facultatem exercitibus dari: quare cùm datur, ab iis qui præsunt, ea esse magnopere utendum, ne lapsæ temerè atque præteritæ recordatione pœnitentiaque diu atque incassum torqueantur.

Hac habita oratione à *Marcello*, *Pisanus* in collegæ sententiam se traduci facilè passus est:

A itaque ambo imperatori permiserunt, uti de eo, quemadmodum sibi agendum videretur, ita statueret. Ille dimissis legatis, ad rem explicandam maturandamque se dedit. Sed quod erat in ipsa læva fluminis ripa, quà *Tridentum*, quâque *Roveretum* est, inter utrumque oppidum, ter mille ab *Rovereto* passus, castellum *Petra* loco alto atque edito, viæ imminens sic, ut *Petrensibus* invitis eà commeari tutò non posset, *Petram* in potestatem suam redigere, & itineris & commeatus causa, & quòd ita *Marcellus* censuerat, ne quid inimicum post se relinquerent, primùm omnium decrevit. Iis constitutis rebus propterea
B quòd à *Rovereto* venientibus ob præcipitem montis & crepidinum declivitatem aditus ad *Petram* omnino nullus erat, ab altera ejus montis parte, qua adiri facilè poterat, castellum oppugnare instituit. Transmisso itaque *Athesim* per eum pontem, quem initio fecerat, exercitu, atque adverso flumine sesquihoræ itinere confecto, ad *Callianum* vicum, quod ultra *Petram* est passus circiter mille, ponte altero navibus imposito iterum *Athesim* exercitum transducit, atque in planitie sexcentorum fermè passuum, quæ à montis radicibus ad flumen pertinet, consedit, præmissis equitibus levis armaturæ, qui præcurrerent,
C atque an manus aliqua hostium cogeretur, cognoscerent sibique renuntiarent. Equites spretis imperiis prædæ spe vagari, & populationem facere cœperunt. Interim cùm *Tridentini* pontem esse factum cognovissent, non *Petrensibus* modò, sed sibi etiam suisque rebus veriti, soluto exercitu, oppido non communito, imparati ab rebus omnibus à *Georgio Petræplanæ* principe, quod est castellum ultra *Tridentum*, impetrant, uti cum iis, qui eò se receperant, militibus, coacta celeriter agrestium & montanorum hominum manu, ire obviam properet, hostemque, si potest, moretur, dum à *Sigismundo* auxilia conveniant.
D Ille collectis, quos ei casus obtulit, militibus, & tum suorum, tum eorum qui *Besinum* vicum in summis *Alpium*, *Calliano* imminentium, culminibus incolebant, rapto agmine ad mille hominum numerum, magno cum tympanorum & cornuum strepitu eo de monte se demittere incipit: atque, ut se jugum implicabat, agmenque partim se ostendebat, partim latebat, magnæ ad speciem esse copiæ iis equitibus, qui prædatum ierant, videbantur: magnæ succedere, & priores consequi existimabantur: itaque cùm propius, majoreque cum strepitu, descenderet, illi in fugam vertuntur, atque in alios incurrentes, eos in fu-
E gam vertunt: jamque permixti passim equites peditesque tumultuosè revertebantur. Id cùm fieret adessentque *Germani*, fuga magis hostium, quàm sua virtute incitati manus *Venetæ*, quas ea planitiei pars exceperat, retrocedere, ac fugere contendunt, atque in aciem imperatoris, qui acceptis de suorum fuga nunciis eò properabat, implicantur: tum imperator, quantum temporis exiguitas patiebatur, suos perterritos fœdéque fugientes increpitare atque convertere, hostem sustinere ac reprimere, adnixus, fortiterque diu pugnans, ingenti cæde utrinque facta, urgentibus *Germanis* cum suorum globo in flumen
F dejicitur, ibique periit: reliqua multitudo magis magisque perterrita pontem fuga petere contendit. Id conspicatus *Andreas Burgius* præfectus militum, sperans, si pons rescindatur, fore ut milites equitesque ablatâ fluminis transeundi facultate continerentur, seque in hostes necessariò converterent, accurrens solutis retinaculis pontem propulit: quæ res in contrarium, atque ipse existimaverat, vertit, propterea quòd timor consilium plerumque non recipit, qui enim semel

Petra castellum.

Germanorum cum Venetis pugna.

Roberti Severinatis interitus, ac Venetorum clades.

mel fugæ se mandaverant, eâ spe, ut si flumen transire possent, in tuto sese crederent futuros, ubi pontem sublatum viderunt, plerique omnes se in flumen præcipitaverunt, & armis equisque depressi atque impliciti perierunt: pauci ripam tenere potuerunt, quòd flumine maximo, rapido, & vorticoso impediebantur: ut essent omnes, qui ab hostibus pugnantes interfecti sunt, quique vi fluminis rapiente interierunt, circiter mille. Unus *Guidus Maria Rubeus* cum sua equitum turma pugnæ initio per medios hostium cuneos viam sibi armis & virtute cùm fecisset, atque in campum evasisset, *Germanos* exultantes in se convertit: quibuscum dimicans, quid in bello animus constantiaque possent, palàm fecit: eorum enim partem cæcidit, reliquos disjecit, fugavit, atque ita clariorem sibi victoriam ex hostibus victoribus, quod raró fieri assolet, comparavit. Reliqui centuriones, equitumque præfecti, cæterique qui fugâ se abstinuerant, per montium invia, superatis jugis, nonnulli naviculis excepti ad *Roveretum* redierunt, ex quibus fuit *Rubeus*, qui se atque suos magno labore noctu flumen trajecit. Interfecti ex *Germanis* permulti, non incruentam suis eam *Venetorum* cladem fecerunt.

Guidus Maria Rubeus fortiter dimicans.

Veneti complures dies reintegrandis copiis consumpserunt: neque interea *Germani* iis in locis quicquam moverunt, quando clade non multo leviore acceptâ quàm illatâ, exercitu & ipsis reparando opus fuit. In *Vicetinis* tamen & *Feltrinis Alpium* jugis, atque in *Benaci* lacus regione, ea manu quam conficere per occasiones poterant, utrique sæpe congressi, cæde facta, castellisque aliquot vel captis vel incensis, sese invicem inferendis cladibus intentos paratosque tenuerunt. *Arcum* autem municipium, quod quidem abest tria millia passuum à *Benaci* littore, magnis & obsessum antea & expugnatum viribus, cum propterea, quòd ei bello causam dederat, initâ de finibus altercatione cum vicinis sibi in ora lacus populis, *Sigismundoque* ad arma capienda incitato, tum quod ejus oppidi principes *Veneti* hostes nominis existimabantur, senatus incendendum & diruendum censuit.

Arcum municipium.

Burgius interea proditionis apud *Decemviros* accusatus, quòd pontem ad *Callianum*, ut exercitum in fraudem conjiceret, dolo malo propulisset, atque in vincula conjectus, *Marci Beatiani* senatus scribæ, qui ei bello cum legatis interfuerat, testimonio absolutus est, ordinibusque redditus.

Andreas Burgius proditionis accusatus, & absolutus.

Miserat ante eos dies ad *Sigismundum Innocentius Româ Paridem* Episcopum *Auximi*, qui eum hortaretur, uti bello finem imponeret: non esse tempus, imminente regno *Italiæ* & *Romanis* rebus *Turca*, ut duo potentissimi ad illum repellendum populi levissimis de causis armis inter se decertarent, odiisque mutuis contererentur: ipso arbitro suarum cum Senatu *Veneto* discordiarum, si vellet, uteretur: se ei pro rerum æquitate non defuturum. Is apud illum Legatus dies aliquot tractandis pacis conditionibus fuit. *Venetias* deinde cum mandatis est profectus: quibus à Senatu non probatis, re infectâ *Romam* rediit de mense Septembri, cùm ante Idus Sextiles *Severinas* imperator interiisset. Egerat illud idem etiam cum Senatu *Veneto* Pontifex per suum apud ipsos Internuncium *Nicolaum Francum* Episcopum *Taurisanorum*, qui civitatem & hortari & monere non destiterat: sed nihilo minus irritus omnis ejus conatus fuit, quoad fessus belli dispendio *Sigismundus* (alere enim exercitum non poterat) missis sæpe inter eos legatis fœdus cum *Venetis* percussit Idibus Novembris. Fœderis conditiones fuerunt uti bello ablata, quæ antiquitus eorum, qui amisissent, fuerint, restituerentur: & negotiatoribus *Venetis* damna illata sarcirentur: quæ superessent inter eos res, quibus de rebus non convenerat, de iis *Innocentii* judicium esset. Is finis bello *Rhetico* fuit. Milites deinde in hiberna sunt deducti, dimissusque ob rempublicam segniter gestam *Julius Camers*. *Roberti* verò duo liberi, *Caspar* atque *Antonius*, in reipublicæ militiam conscripti, sexcentis equitibus præficiuntur: centurionesque aliquot, qui egregiam operam navaverant, donis militaribus aucti: quorum uni etiam dos filiæ numerata auri ternæ libræ. Erantque jam *Sebastianus Baduarius*, *Bernardus Bembus* pater meus legati ad *Innocentium* profecti cùm aliis de causis, tum ut apud illum de castellis *Nomio* & *Juano* captis à *Veneto* exercitu, de quibus erat lis, disceptarent.

Pontificis legatus de pace concilianda missus ad Sigismundum.

Fœderis conditiones & pacis leges.

His ita constitutis rebus, quòd exhilarata pacis nomine civitas jam etiam ante hoc bellum in omnem luxum domesticum sese effuderat, insequentis anni initio leges sumptuariæ revocantur. Itaque cænis pavones, phasianæ aves, lautioresque epulæ, cubiculis stragulæ vestes ex auro, argento, purpura interdicuntur: omnis ornatus muliebris decem auri libras excedere non permittitur: ampla delatoribus præmia, servis insuper libertas decreta. quanquam caverunt etiam Patres in *Rhetici* fervore belli, ne alea, néve ullo alio præter ludum latrunculorum cùm in urbe, tum per XXV. millia passuum extra urbis fines in pecunia luderetur, exceptis nuptiarum celebritatibus, & cauponis, & ea fori parte, quæ ad columnas est, atque ipsa fori porticu: edictumque, ne iis in locis lusio auri unciæ partem quintam excederet. Viarum etiam urbanarum angustiis prospectum est, sublatis tabernarum pluteis, qui in vias prominebant: pontesque lignei, quibus universæ propè urbis insulæ aquis interfluentibus discretæ conjungebantur, ex lateribus & lapide *Istrico* publicè tota urbe fieri cœpti.

Leges sumptuariæ restitutæ.

Alea prohibita.

Viæ ac pontes refecti.

Atque inter hæc *Joannes Bentivolus Bononiensis*, ejus oppidi princeps, visendæ urbis & salutandorum patrum causa *Venetias* venit: atque à Senatu liberaliter acceptus, cum plures dies ea in re atque studio consumpsisset, donatus civitate, ac jure comitiorum, domum rediit. Quo quidem tempore infans biceps *Patavii* natus est, vixitque horas aliquot. Eum nos pueri ad urbem vidimus, cùm pro miraculo circumferretur. Eorum duorum capitum utrumque suo cum collo atque cervicibus à summo ita pectore suspendebatur, ut toti corpori esse par atque proprium posset: utrique ori eadem species inerat. Post eos dies regina *Daciæ Roma* domum rediens, *Venetias* & ipsa se contulit: acceptaque regio apparatu, urbe inspectâ, suburbiisque perlustratis, viæ se reddidit. Eo tempore *Hieronimus Rhearius*, qui *Sixti* Pontificis Maximi beneficio duorum in *Flaminia* oppidorum, *Fori Livii*, & *Fori Cornelii*, regnum obtinebat, suo in cubiculo à suis civibus trucidatus, atque in forum de fenestra projectus, fœdum spectaculum populo præbuit, implicuitque intestinis exterisque bellis atque incendiis civitatem: quæ quidem incendia vix ægréque nobilitatis interitus, & multorum hominum consecutæ cædes restinxerunt. Neque multò pòst *Galeotus Manfredus*, *Faventiam* item obtinens, admissis noctu ab uxore sicariis, suo & ipse in lectulo confossus, oppidum tumultu & seditionibus implevit. Hæc senatui nunciata, eum à rei maritimæ cura non averterunt.

Infans biceps.

Reginæ Daciæ adventus.

Hieronimus Rhearius occisus.

Galeotus Manfredus trucidatus.

Erat jam antea sanè rumor, classem ingentem à *Bajasete Turcarum* Rege comparatam, in mare *Ægeum* vela facturum, itaque *Francisco Priolo* classis

classis præfecto designato mandarunt Patres, maturaret proficisci: & quoniam existimabant *Bajasetem* eo maximè tempore mentem atque animum ad *Cyprum* insulam adjecisse, eò quo celerius posset contendere jusserunt. Is mense Aprili conscendens, *Corcyram*, deinde unà cum *Cosimo Pascalico* legato *Methonem* adnavigavit: quem subsecutus *Nicolaus Capellus* item legatus, auxit earum, quæ *Methone* erant, longarum navium numerum: quibus cum navibus præfectus (erant autem triremes vigintiquinque, minora navigia longa plus minus decem) die quinto *Cyprum* attigit. Eâ intellectâ re, *Turcarum* classis omnis generis longarum navium, cùm à *Cypro* non longè abesset, mare *Issicum* prætervecta, sine ullo usu in *Hellespontum* rediit.

Venetorum navalis apparatus.

Auxerat *Cypriam* Patribus curam, quòd intelligebant *Ferdinandum* Regem *Neapolis* in *Federici* filii sui nuptias reginâ pellectâ, occupandæ insulæ occasionem quærere. Ea erat *Catharina Venetiis* oriunda è gente *Corneliorum* clara atque illustri, quam *Marcus Cornelius* Pater *Jacobo Lusiniano* Regi *Cyprio* in matrimonium collocaverat, numeratâ Regi pecuniâ dotis nomine auri ad libras mille. Eam rex brevi tempore profluvio ventris sublatus prægnantem reliquit, scriptis tabulis, quibus illam regni hæredem nascitura cum sobole instituerat sub *Veneti* Senatus tutela: quo à Senatu *Corneliam*, tanquam reipublicæ filiam, publicâ interpositâ fide acceptam, uxorem duxerat. Itaque post mortem patris natus filius anno vertente natali suo diem cùm obiisset, novasque res nonnulli eo in regno principes molirentur, classâ ad insulam celeriter missæ cum legatis, & *Cornelio* patre, qui reginæ assiderent, eos Senatus facilè tumultus compressit. Tranquillitate insulæ restitutâ, mulier vidua autoritate reipublicæ quindecim jam annos post viri mortem pacatè regnum obtinuerat, cùm per Internuncios *Ritium Marinum Neapolitanum*, qui Regi *Cyprio* persamiliaris fuerat, & *Tristanum Cibeletum Cyprium*, cui erat soror è reginæ famulis, *Ferdinandus* rex clàm eas, quas dixi, nuptias procurabat. Ii cùm à Rege missi in insulam descendissent, à præfecto classis capti, atque in vincula conjecti sunt, *Venetiasque* transmissi: tametsi *Tristanus*, qui propterea quod post Regis *Cyprii* mortem tumultu excitato *Andream Cornelium* reginæ patruum interfecerat, exulque factus fuerat, sui pœnas sceleris se persoluturum sciebat, Adamante, quem in annulo gestabat, per os in stomachum recepto, aqua insuper, quæ metalla dividit, epota, dum portaretur, interiit.

Regina *Cypriæ*.

Tristanus se ipsum necat adamante.

Iis permoti rebus *Decemviri* (quanquam quidem non *Ferdinandi* modò artes, sed *Turcarum* quoque insidias, incœptaque timuerant: neque nihil etiam ab Rege *Syriæ* propter vicinitatem metuebant) *Georgio Cornelio* reginæ fratri dant negotium, uti se ad sororem conferat, eique persuadeat, ut relictâ regni procuratione reipublicæ ad urbem revertatur, atque in patria malit, interque suos, quod reliquum est vitæ, securè atque tranquillè degere, quàm in remota suspectaque insula alienigenis hominibus sese vitamque suam credere. *Cornelius* parvulo navigio, ut celerius iter faceret, parte itineris confectâ, brumalibus diebus in *Cyprum* transmisit, & sorori, quam ob causam venisset, exposuit. Novitate rei permota, recusare illa, neque sibi persuaderi velle, uti regnum opulentum relinqueret, mulier regio victu, regiis honoribus assueta, quæque sciret, quam nullo præcipuo jure, quamque parcè in republica viveretur: satis esse dicere, si se mortua, ea insula in reipublicæ potestatem redigatur. Contrà *Cornelius* niti, rogareque,

Georgii Cornelii reginæ *Cypriæ* fratris oratio flexanima.

A ne pluris terram *Cypriam*, quam natale solum, quamque rempublicam faceret: casus humanarum rerum esse incertos: fieri momento horæ posse, ut regno expellatur, tam potentibus regibus quasi obsessa atque præcincta, ejus insulæ dominationem affectantibus, quamplurimis etiam *Cypriis* principibus à fœmina sese regi non obscurè indignantibus. His eam casibus & periculis una modò re atque consilio pulcherrimè ire obviam posse, suum si regnum, quoniam liberis careat, reipublicæ fidei jam nunc vivens florensque commiserit. Dum insidiarum & suspicionum tempora non plenissima fuerunt, eam regno suo B frui, non permisisse solum rempublicam, sed etiam uti frueretur adjuvisse: idque ipsi jucundissimum accidisse. Nunc autem, cùm nihil à quoquam tuti sit, cum omnibus à vicinis regibus, atque etiam à longinquis & magno sejunctis atque separatis mari omnes artes adhibeantur, & tanquam retia ei insulæ tendantur, quibus capi & teneri possit: Senatum ad id descendisse, quod unum sibi visum esset omnium impendentium malorum & periculorum remedium: quorum si reliqua ipsa nihil timeret, num illud non perhorresceret, quòd, nisi præsidio celerrimè comparato insulam Senatus firmavisset, æstate illam proxima C *Turcarum* classis occupavisset, atque ipsam vel fugæ sese dare coegisset, vel captam *Byzantium* duxisset? quod eam casus aut offensio aliqua compellere, turpiter uti faciat, potest: præstare, id incredibili reipublicæ gratia suique facti summa cum gloria celebritateque antevertisse. Occasionem esse variam, multiplicem, subitam: non singula hostium consilia provideri semper posse: non semper homines in tempore adesse: intimum Adriatici maris sinum, *Cypriaque* littora multum terrarum, multa maria interesse, hæc illi cogitanda, hæc in primis pensitanda esse. Quòd si nulla necessitas urgeat, quid esse tandem aptius D atque commodius ad ejus famam nominis sempiternam, quàm suæ illam patriæ regnum nobilissimum tradere, ut in annalibus referatur, *Venetam* rempublicam à sua cive *Cypri* insulæ opulentissimæ imperio auctam, atque condecoratam fuisse? omni eam in regione nomen regium obtenturam. Si optio ipsius sit, cum tot annos apud *Cyprios* vixerit, debere eam cupere suis etiam à civibus aliquando, suaque in patria se salutari atque conspici: splendorem suum fratri, sororibus, propinquis, familiæ, demum ei urbi, in qua nata alitaque sit, communicare. Nullius unquam fœminæ, neque etiam viri, tam gratum adventum E reipublicæ fuisse, quàm ipsius futurum. Quod si *Venetiæ* abjectum aliquod oppidulum esset, locoque aspero atque ignobili situm, esse tamen ejus pietatis, atque humani planè animi, qua in terra nascens cœlum hauserit, revisere eam velle, seseque suis omnibus tanto pòst tempore ostendere: at cùm ea omnino urbs omnes alias urbes, quas sol aspicit, propè excellere omnium hominum consensu prædicetur, atque ipsa in *Italia* omnium sit ejus terræ urbium oportunissima, quidnam esse causæ posse, quamobrem à Senatu atque à republica tanto pòst tempore invitata, non se eò libentissimè conferat? Quod regina sit, quòd mulF tos annos securè atque feliciter regnarit, gratiam esse Senatui, à quo id acceperit, referendam: eam gratiam pessimè relatum iri, si Senatum, se vocantem, omnibusque honoribus prosequi cupientem, despexerit. Postremò, cum ipse ei frater sit, atque is frater, cui multum illa semper tribuerit: si hoc non impetret, non tam eam adduci non potuisse, ut reipublicæ satisfaceret, quàm se noluisse, omnes homines existimaturos: eoque se nomine magnam totius civitatis invi-

Veneta respublica à quibus aucta & condecorata.

invidiam subiturum, liberisque relicturum. Itaque flecti se sineret, & cùm sibi ipsa in præsentia consuleret, tum in posterum respiceret ad suos. Nihil esse laudabilius, quàm secundâ fortunâ moderatè uti, neque in summo semper gradu velle consistere. Deos etiam immortales consuevisse, quibus se diu benevolos præstiterunt, eos aliqua non jucunda re interdum probare, an se homines esse natos reminiscantur: nullas eam preces posse illis gratiores adhibere, nullam potiorem victimam cædere, quàm eorum voluntati atqui numini sese præstò esse profiteri. Deorum autem voluntatem eam esse existimare nos oportere, quæ patriæ sit, optiméque constitutæ reipublicæ.

Hæc *Cornelius* cum dixisset, homo apprimè eloquens, non doctrinâ ille quidem, aut sapientiæ studiis, sed naturæ quadam vi liberali atque munere, regina obortis jam lachrymis, ubi primum fari potuit, si tibi hoc ita frater videtur, & mihi (inquit) videtur: aut, ut videatur, meo animo imperabo: sed magis à te patria regnum meum acceperit, quàm à me. His dictis, constitutoque quid facto opus esset, anno insequento jam inito, classis præfectus legatique re divinâ factâ, in *Famagustæ* oppidi foro, regina inspectante atque jubente, reipublicæ vexilla erexerunt, *Cypriumque* regnum in provinciam est redactum. Regina post hæc supellectili regia imposita, *Cornelio* cum fratre naves longas conscendit, atque ad portus *Veneti* angustias æstate mediâ appulit: exceptaque ab *Augustino Barbadico* civitatis principe, & Patribus, qui ei obviam ierant, ad *Nicolai* fanum, quod est in portus littore, magna omnium ordinum, atque adeo omnium hominum, in cymbis impositorum, prosequentiumque lætitia, ipsa vecta *Bucentauro* navi, media inter Patres, matronasque nobilissimas civitatis, urbem est ingressa, quod ante id tempus Venetarum fœminarum contigerat nulli: lætissimusque is profectò dies civitati fuit. *Asulum* subinde oppidum in *Taurisanis* collibus ei à *Decemviris* dono datum, atque auri quinquaginta libræ in annos singulos constitutæ pensionis nomine: tum muneris in præsentia decem libræ.

Cyprium regnum in Provinciam redactum.

Regina *Cypriæ* splendidè excepta à Venetianis.

Superiore anno autem (ut ad eas res, quibus de rebus antè dicendum fuerat, revertamur) ne civitatem onerariarum navium numerus, proventusque deficeret, Senatusconsultum factum est, quæ in navibus exterarum nationum mercaturæ causa imponerentur, ea fisco deberi, vino *Cretico* excepto: pro quo tamen portorii nomine *Venetis* magistratibus pares amphorarum numero auri semuncias mercatores solverent. tum quicumque navem magnam onerariam fabricandam institueret, uti ei quæstores de triginta auri libris commodarent, eodem Senatusconsulto continebatur.

Vectigal navibus impositum.

Posthac cum *Tremezeni* Rex, quod est oppidum *Africæ*, non longissimè à freti angustiis contra *Hispaniam* situm, à Senatu per legatos petiisset, uti civem *Venetum* eò mitteret, qui suis in oppidis tribus jus reipublicæ hominibus diceret, Senatus censuit, quò regiæ postulationi satisfieret, uti magistratus crearetur, eóque mitteretur, ad quem centesima mercium omnium, quæ merces eis in oppidis venderentur, perveniret: estque ad ea oppida omnium primus *Aloisius Pizamanus* missus. Eodem tempore Senatus jussu in *Idri* lacus ripa, loco alto atque edito, quo in loco *Anfo Brixiani* agri vicus est, magni arx operis, crebræque munitiones institutæ, ac tertio confectæ anno, omnem illam oram tutiorem, ac celebratiorem reddiderunt. Eodem quoque anno *Decemviri* legem tulerunt, ne apertè suffragia inirentur:

Tremezeni rex magistratum postulat à *Venetis*.

Arx in *Idri* lacus ripa condita.

Lex de suffragiis.

A qui secus fecisset, suffragiorum jure, magistratibusque annos duos careret. De *Græcis* item equitibus, qui reipublicæ militiam faciebant, lex est lata: qui eorum coloniæ nomine ad insulam *Zacynthum* ire vellent, uti iis agri publicè darentur, in primisque *Theodoro Palæologo*, si eò mittere aliquem suorum vellet, propter ejus summum in rempublicam studium, summam fidem, singularemque constantiam.

Lex de *Græcis* equitibus.

Regis etiam *Roxolanorum* legatio cum pretiosarum pellium muneribus ad Senatum venit, petiitque, ut ad ipsorum littora reipublicæ onerariæ naves longæ ad mercaturam exercendam mitterentur. Ea de re, propter longinquitatem itineris, navigationisque tædium atque pericula, quòd *Mœotis* erat palus emetienda, nihil est impetratum. Legati, qui duo erant fratres, honorificè accepti, veste uterque aureâ, & auri libra publicè donati, *Romam* profecti sunt.

Legatio regis *Roxolanorum*.

B

Insequente verò anno, de quo paulò antè dicere incepimus, *Franciscus Gonzaga*, qui *Mantuæ* regnum à majoribus traditum obtinebat, in reipublicæ militiam conscriptus est: eique Senatusconsultum est missum, quo ex Senatusconsulto equitibus cataphractis trecentis, sagittariis qui equo uterentur, quadringentis, militibus ducentis & quinquaginta præesset. Cùm autem *Matthias Pannoniæ* rex, homo rei militaris scientia atque gloria clarus, bellum *Federico* Imperatori duobus exercitibus intulisset, uno in *Carnos*, altero in *Liburnorum* fines immisso: Senatus vicinitate belli adductus, per *Antonium Bolduum*, *Dominicum Bolanum* legatos, illum ad *Federicum*, hunc ad *Matthiam* missos; eorum regum animos jam exulceratos leniit: itaque induciæ inter eos dictæ. Earum induciarum tempore, solutus belli occupationibus *Federicus Tridentum* venit, omnem illum *Italiæ* tractum, qui à lacu *Benaco* ad *Aquileiam* secundum *Alpes* est, si per *Venetos* liceat, animi causa perlustraturus. Eâ intellectâ re Senatus *Hieronymum Barbarum*, *Dominicum Grimanum*, qui postea Cardinalis fuit, *Paulum Trivisanum*, *Hieronymum Leonem* legatos ad eum misit, qui ei venienti obviam *Roveretum* profecti sunt, reique publicæ nomine illum salutatum exceperunt: eaque postea legatio, quoad is in *Italia* fuit, ei præstò omnibus in reipublicæ locis fuit, atque uti pro copia locorum quammaximi ei honores haberentur, studium & diligentiam adhibuit. *Federicus Benacum* primum invisens, omniaque littora biremi circumvectus, ejus præsertim oræ, quæ ad meridiem vergit, aspectu atque fragrantia, quod est pomi Medici plena, mirificè exhilaratus, tum aquæ perlucidissimæ amœnitate oblectatus, piscationibusque delectatus est. Capitur eo in lacu propè medio, quaque altissima est aqua, piscis clarus *Carpio* ab incolis dictus, pedis plerunque longitudine: qui omnino piscis alibi non capitur: eum piscem capere atque cognoscere *Federico* voluptati fuit. *Veronam* deinde, tum *Vicentiam*, *Bassianum*, *Taurisum*, *Cornelianum*, *Forum Julii*, *Aquileiam* portumque *Naonis*, qui locus in ipsius ditione est, lento itinere pervenit. E *Naonis* verò portu tres legatos ad Senatum misit actum gratias, quòd per ejus loca tam liberaliter, tantisque honòribus susceptus fuisset, tamque benevolam in sese civitatis voluntatem cognovisset. Ab *Aquileiæ* finibus suum in regnum concessit.

Franciscus Gonzaga.

C

Bellum inter *Matthiam Pannoniæ* regem & *Federicum* Imperatorem.

Federici Imperatoris in *Italiam* profectio.

D

Benacus lacus.

E

Carpio in lacu *Benaco.*

F

Eodem tempore ut infantibus vulgò quæsitis, qui publicè alebantur, quorumque magnopere numerus excreverat, largius uberiusque esset, in Senatu lex est perlata, ut navalium urbanorum magistratus in annos singulos tritici molita sestaria, quæ appellant, ducenta, vini amphoras duo-

Lex pro infantibus vulgo quæsitis.

duodecim eorum curatoribus darent: iiſque rebus ex reipublicæ horreis ſylvæ cæſæ ad ignem domeſticum carros ducentos eorum præfecti adderent. Terruit non multò pòſt civitatem, quòd ad diem tertium Iduum Sextilis duæ turres omnium, quæ in urbe eſſent, maximæ atque altiſſimæ noctu de cœlo tactæ conflagraverunt, culminibus incendio latè ſpectabili abſumptis: una, quæ in foro eſt, cujus erat culmen inauratum, altera quæ eſt media in urbe ad *Franciſci*. Senatus poſt hæc legibus aliquot promulgandis operam dedit, quæ leges ad portoria urbis conſervanda pertinerent. Etiam in *Mariæ* clarum miraculis, unde ei nomen eſt, fanum exædificatum jam eo luculentiore opere, quo ipſum anguſtius eſt, ut ejus artificii elegantia & ſumptus aliorum templorum magnitudinem exæquarent, extremo anni die virgines inductæ ſunt. Anno inſequente, quod in urbe ſævire peſtilentia cœperat, *Triumviros* ſananda civitate Senatus creavit: iſque poſtea magiſtratus nunquam eſt creari deſitus.

Turres fulmine tactæ.

Lex de portoriis conſervandis.

Eo anno cùm increbuiſſet rumor, *Bajaſetis* regis claſſem non multarum navium in *Ægæum* provehi, ut *Nicolaum Sumaripam* è *Paro* inſula, quam obtinebat, expelleret, eaque potiretur: *Nicolaus Capellus* legatus cum triremibus quatuor *Zacynthum* contendit, ei præſidio, ſi opus eſſet, futurus. *Sumaripa* ubi adeſſe legatum cognovit, inſigne *Venetum* ſuſtulit, ſeſeque reipublicæ addixit. Neque multò poſt *Joannes Cernoichius*, cujus erat magnum in *Illyrico* nomen, magnaque autoritas, legatos ad Senatum miſit, cupere ſeſe, ut *Georgius* filius ſuus *Antonii Erici* ſenatoris filiam in matrimonium duceret: petere ut ſibi id facere Senatus voluntate liceret. Ea de re conſultus Senatus cenſuit, uti nuptiæ fierent. Erat eo tempore *Antonius* reipublicæ nomine *Ferrariæ* magiſtratus, qui *Prodominus* appellabatur: itaque factâ poteſtate ad urbem venit, *Georgio* filiam ſpondet. Ea dum per legatos in *Illyricum* traducitur, pater moriens filio regnum tradit: ita nuptiæ inter lachrymas & gratulationem concelebratæ, clariorem exitum habuerunt. *Guidus Maria Rubeus* paulò pòſt *Venetiis* moritur magno totius civitatis dolore: funus ei publicè atque magnificè factum, laudatusque à *Sabellico* eſt. Ejus ſtipendium, equitumque numerus duobus ejus liberis æquis partibus diſtributus. Eodem anno tametſi pacata, neque ullo bello implicata eſſet civitas, rei militaris tamen ſtudium non neglexit. Invaluerat jam in bellis conſuetudo, invento Germanorum nobis tradita, ut milites fiſtulis ferreis uterentur: quibus fiſtulis glandes plumbeas magna vi ignis impetu mitterent, atque hoſtem è longinquo vulnerarent. Eæ erant fiſtulæ ad formam atque imaginem eorum tormentorum, quibus muri oppidorum dejiciuntur, niſi quòd illa ex ære fuſili fiunt, maximique ſæpe ſunt ponderis, ut carris ſolidiſſimis ferratiſque ac magno jumentorum numero egeant, quibus ſuſtineri atque regi poſſint. Fiſtulæ è ferro ſunt, geſtanturque ſingulis ab militibus ſingulæ ligneis alligatæ armamentis, per quæ capiuntur, & pulvere ad ignem celeriter comprehendendum idoneo infarciuntur, & glande immiſſa humeris ſublatæ in hoſtem convertuntur. Eo telo qui uti ſcirent, ut reipublicæ ſuppeterent, peritiſſimos ejus rei homines undique conquiſitos accerſitosque, *Decemviri* ſuas ad urbes miſerunt, qui juventutem inſtituerent: atque ut agreſtes maximè homines id armorum genus docerentur, ſingulis in vicis pagiſque uti duo puberes ei artificio aſſuefierent, edixerunt: atque iis omnium onerum immunitatem conceſſerunt, quò ſtudioſiores & diligentiores unum ad id munus obeundum reli-

Paros inſula à *Venetis* defenſa.

Guidi Mariæ Rubei obitus.

Sclopetorum uſus *Venetis* cognitus.

A quis liberati oneribus ac tributis fierent: eosque puberes die dicta ad ſuum quoſque oppidum quotannis ſigno glande feriendo convenire voluerunt: qui viciſſet, ejus toti pago aut caſtello vacationem eſſe munerum annuam, eo excepto munere, quo ad *Medoaci* fluminis derivationem tenebantur, imperaverunt. Inter hæc cum antea fures domeſtici lege antiquitus inſtituta pœna multo leviore plecterentur, quàm ii, qui eandem domum non incolerent: qua ex re fiebat, uti aucta ſervorum & inquilinorum audacia, omnibus penè in domibus furta exercerentur, majoribus in comitiis menſe Sextili lex eſt perlata, qua lege eadem eſ-
B ſet in ſervos reliquosque fures contubernales pœna conſtituta, idem jus, qua pœna, quoque jure in alienos exterosque fures animadvertere civitatis magiſtratus conſueverant.

Lex in fures domeſticos.

At ea, quæ ſubſecuta eſt, hieme tantus tamque perpetuus nivium rigor fuit, ut omnia urbis æſtuaria congelaverint: neque pedibus modò, ſed in equis etiam homines ex agris ad extremum urbis marginem commeatibus importandis ſine periculo ventitarint: magiſtratusque *Meſtrinus* ad *Secundi* fanum, quod eſt in mediis ad urbem vadis, curru pervenerit. quibus quidem diebus etiam in media latiſſimaque urbis via, per
C quam unam naves onerariæ magnæ permeant, conſtricto glacie mari, niveque ſuperaddita, admiſſis per ludi ſpeciem equis, *Græci* haſtati equites concurrerunt. Vini, ficus, oleæ annis aliquot intra *Alpes*, *Atheſimque* atque *Padum* flumina exuſtis ſuper terram arboribus, proventum anguſtiorem habuerunt.

Frigus ingens.

Vere inſequente *Innocentius* Pontifex Maximus per ſuos internuncios ejuſmodi ſententiam *Tridenti* pronunciavit: Quod *Veneti* à *Sigiſmundo* laceſſiti bello *Rhetico* ſe defendiſſent, impenſaſque magnas eo in bello feciſſent, *Nomium* & *Ivanum* caſtella jure ab iis capta atque retenta ſibi videri.
D à Senatu tamen petiit, vellet ea ipſa *Sigiſmundo* ultrò reddere: id ſe propterea cupere oſtendens, ne pax inter ipſos inita ea de cauſa violaretur. Cujus autoritate moti Patres, præſidiis abductis, *Nomium* & *Ivanum Sigiſmundo* reſtituerunt.

Innocentii Pontificis ſententia de bello *Rhetico* lata.

Obiit per eos dies mortem *Romæ Marcus Barbus Pauli* Secundi Pontificis Maximi fratris filius è Cardinalium collegio, vir & doctrina, & probitate, & ſanctitate vitæ, & *Romanorum* civium gratia egregiè inſignis: quique comitiis Pontificalibus *Sixti* morte habitis, parum abfuit quin à collegio ſummum locum adipiſceretur. Eo mortuo *Innocentius* Patriarchatum (ſic enim
E appellant) *Aquilejenſium*, quem is multos annos obtinuerat, *Hermolao Barbaro* legato apud ſe *Veneto* attribuit. quod ubi civitas intellexit, tametſi *Hermolaus* ad Senatum ſcripſerat, coactum ſe à Pontifice veſtem ſenatoriam mutaviſſe: quoniam tamen ſacerdotiis cooptari cives *Veneti*, qui legati *Romæ* eſſent, lege prohibebantur, graviter tulit auſum illum contra leges patrias facere. Auxit ejus rei magnopere invidiam, quòd antea ex *Hermolai* literis, quas ad Senatum de *Barbi* morte dederat, more inſtitutoque majorum comitiis ſenatoriis præjudicium Patres fecerant,
F cujus ipſi civis nomen ad id adipiſcendum ſacerdotium *Innocentio* commendarent: itaque deceptos in eo ſeſe ac propè deluſos querebantur. Erat omnino *Hermolai*, propter ejus ſummam in literarum atque optimarum artium ſtudiis præſtantiam magnum apud exteras nationes nomen, apud ſuos quidem certè maximum: nam ad doctrinæ ſingularem opinionem, etiam vitæ perpetuam innocentiam adjunxerat: ſimul is multùm patris opibus & gratia, qui ſummo proximum in civitate magiſtratum gerebat, multum clientelis, ne-

Marcus Barbus Cardinalis.

Lex *Veneta* de veſte Senatoria non facile mutanda.

necessitudinibus propinquitatibusque pollebat: quibus tamen in rebus omnibus satis sibi præsidii non habuit, cum pluris à Patribus una legum charitas majestasque, quàm ullorum civium omnibus aucta nominibus dignitas atque claritas, fieret. *Decemviri* enim literas ad eum severè scriptas dederunt, morâ omni excusationeque sublatâ, sacerdotium repudiaret: id si non faceret, patrem magistratu remoturos, & bona ejus publicaturos, præ se tulerunt. At pater, perspectâ civitatis voluntate, omnibus tentatis rebus, cum jam eam flecti & leniri posse diffideret, ægritudine animi est mortuus. Filius nôn multò post *Romæ*, editis *Plinianis* castigationibus, immensi propè laboris opere, privatus plebeio morbo periit. eum vitæ finem *Hermolaus* habuit, omnium ex sua civitate, qui ante illum nati essent, *Latinorum* & *Græcorum* literis planè doctissimus.

Hermolai obitus.

Eo tempore ab *Hieronymo Marcello* literæ *Byzantio* venerunt: erat is *Venetus* eo in oppido vetere consuetudine magistratus: quibus literis *Marcellus* Senatum certiorem faciebat, sibi ab rege imperatum statim *Byzantio* discederet: ejus rei causam fuisse, quòd rex diceret *Marcellum* suis de rebus & consiliis ad Senatum scripsisse: velle se, atque decrevisse, post hac suo in oppido ei magistratui locum non esse: fœdere tamen, quod cum *Venetis* haberet, uti antea tenebatur, sese teneri. His de causis Senatus ad regem *Dominicum Trivisanum* legavit, qui primâ ad navigandum idoneâ tempestate proficisceretur: neque multò pòst, anno insequente vix inito, regis legatus ad Senatum venit, exposuitque Patribus, quas ob causas *Bajasetes* magistratum eorum *Byzantio* removisset: erant autem ferè illæ ipsæ, de quibus ad Senatum *Marcellus* perscripserat: adjunxitque illud, idem etiam omnibus aliarum nationum magistratibus fuisse denunciatum, quod rex *Marcello* imperavisset.

Venetus magistratus Byzantio pellitur.

Iisdem diebus antequam mensis Januarius desineret, ornandi eos cives causâ, qui pro patria mortem oppetissent, Senatus decrevit, uti *Damiani Mauri* ejus classis præfecti, quæ prior bello *Ferrariensi Padum* flumen est ingressa, hostium castellis aliquot in ripa fluminis vi captis, bellicis ex laboribus mortui, duabus filiis dotis nomine quadraginta auri libræ ex publica pecunia darentur: sacerdotii autem nomine, si ei vitæ se dederent, senæ libræ.

Civium pro patria morientum præmia.

Post dies paucos, cum esset nunciatum *Bajasetem* regem classem & exercitum parare, Senatusconsultum est factum, uti sexdecim triremes naves, alteraque navis oneraria magna reipublicæ, quæ ad anchoras erat deligata, confestim ornarentur: altera quæ aquam non tetigerat, deduceretur, atque instrueretur. Sed eo tamen anno eis navibus respublica non est usa, classis exercitusque comparatione à *Bajasete* penitus intermissa. Neque multò pòst majorum comitiorum lege, quam *Lucas Pisanus* consiliarius tulit, quadragintavirale judicium tertium duobus prioribus est additum. nam sunt in urbe magistratus duo, quos appellare in civilibus actionibus licet: unum ab judicibus urbanis, alterum ab iis, qui publicè in oppida atque provincias ad jus dicendum mittuntur. Ii tamen ipsi per se magistratus nihil statuunt, nisi de minimis quibusdam rebus; sed ante eum diem ad alterum tantummodo eorum duorum judiciorum quadragintaviralium, quæ antiquitùs sunt instituta, res ab aliis judicatas deducebant: illi sententias ferebant, quibus aut probarent, quæ deducebantur, aut rescinderent: eas ratas haberi oportebat. Alterum judicium vitæ necisque habet potestatem, aliusque ad eos judices magistratus causas defert. Illud igitur judicium quadraginta virûm ex duobus; apud quos ex provocationibus, quæ ad duos illos magistratus fiebant, disceptabatur; cùm actionum & causarum multitudini non sufficeret, tertium simile ita est institutum, ut veteri illi alteri ab urbanis judicibus, huic recenti & novo ab exteris interpositæ judicibus appellationes proponerentur. ea re provocantium querelis aditus, & juris persecutio duplo facilior & explicatior est facta.

Classis Veneta apparatus.

Quadragintavirale judicium.

Aliam etiam magnopere utilem civitati legem majoribus comitiis *Antonius Tronus* consiliarius paucis pòst mensibus tulit: qua lege ferendorum suffragiorum nimiam creandis magistratibus licentiam, quæ ferri jam non poterat, facilè sustulit. Porrò ante id tempus suffragiorum ferendorum ratio erat ejusmodi. Loculi lignei tornatiles pedis altitudine bini civibus per subsellia consedentibus, alter prasinus, albus alter afferebantur. Eorum locorum superiore parte detecta, patulaque, uti manus inferri posset, media in angustum atque arctum pars contrahebatur eo usque, ut uni modò suffragio viam interius daret, extrinsecus ad circumferendum captu multo esset etiam habilior. Infima erat pars plurimorum suffragiorum capax: eaque detrahi, atque reponi poterat. detrahebatur autem numerandorum suffragiorum causa. In eorum loculorum utrum quisque vellet suffragium inferebat. Id erat glandula parvi pomi cerasi magnitudine, ex tela facta, non quidem solidè compacta atque firmiter, sed consulta leviter, quòd in quem cecidisset loculum glans, sentiri posse nolebant. Itaque pugno etiam clauso manum lege in utrumque loculum demittebant, ut ea quoque re cognosci non posset, quo in loculo suffragium esset relictum. Nam quæ album in loculum glandulæ cecidissent, eæ candidato favebant: quæ in prasinum essent conjectæ, iis glandulis candidati repellebantur. Hæc cum ita essent antiquitus constituta, ambitio, cui planè locus omnibus in rebus publicis semper fuit, eò licentiæ creverat, ut qui suorum aliquem creari magistratum volebat, & ipse summis prehensam digitis glandulam album in loculum palàm projiceret, & qui ei proximi erant, idem uti facerent, postularet, illi candidatorum veriti invidiam, non suo plerumque judicio, sed ad gratiam suffragium apertè ferebant: eâ re fiebat, ut indigni sæpe homines, propterea quòd plus aut opibus, aut propinquitatibus, aut omnino clientelis valuissent, benè de republica meritis optimisque civibus anteferrentur, magistratusque adipiscerentur, boni rejecti ac repulsi jacerent. Eam ad perniciem atque malum cum plures latæ leges nihil profuissent, uti è civitate tolleretur, una omnino *Antonii* legislatio saluti atque decori civibus fuit. Nam qui bini ad eam diem loculi patuli atque aperti, binos erant per ministros publicè circumferri soliti, eos & à superiore tectos parte, & unà conjunctos, inter seque continentes fieri statuit oportere: iisque ambobus sic connexis & conglutinatis unum tantummodo in superiori parte laterorsum os dedit, eique ori tubum prominentem circumduxit semipalmæ spatio, ad interiores loculorum aditus obtegendos: quem per tubum rectum utrumque ad loculorum manus inferri aptè posset. rursus eorum loculorum prior, tuboque proximus is collocabatur, cujus loculi glandulæ candidatos rejiciebant. Id ea causa excogitaverat *Antonius*, ut si quis aliter atque ipsi libêret, suffragio ferendo cuipiam favere cogeretur, is, dum manum per tubi os ad posteriorem loculum protenderet, quòd is esset loculus, cujus suffragia magistratum crearent, apertis clam digitis in anteriore

Lex de suffragiis ferendis.

Suffragia quomodo ferebantur.

teriore ſineret loculo glandulam decidere. Ita cives unum ſimulando, alterum diſſimulando, illud re, quod cuique eſſet prius, audacter efficerent, neque deprehendi aut cognoſci poſſet quid feciſſent. Eà lege poſt id tempus civitas majoribus in comitiis, atque in ſenatu, & *Decemvirûm* collegio creandis magiſtratibus ſemper eſt uſa: liberumque illi judicium à gratia atque invidia ſemper fuit. tametſi capitalibus, cæteriſque omnibus in judiciis, uti, ſi cui non liqueret, is eò deferri poſſet, tertium etiam loculum dhibuerunt, eumque ſejunctum à duobus atque ſeparatum eſſe voluerunt.

Ambitus civium quorundam malorum repreſſus.

Neque verò minus *Decemviri* ante anni exitum alia ex parte ſurgentem malorum civium ambitum ſevero judicio repreſſerunt. Erat in quadraginta viris, rerum capitalium judicibus, qui omnes in Senatu adhibentur, *Gabriel Bonus*, eorumque magiſtrum gerebat. creantur autem ſemel à collegio magiſtri numero omnes duodecim. Eorum magiſtrorum tres bimeſtre tempus apud Principem omnibus rebus præſunt: habentque cùm in ſenatu, tum verò etiam majoribus in comitiis ferendi leges poteſtatem. Poſt eos tres, item alii ex eodem numero, tres eodem loci tantundem temporis præficiuntur, uſque eò, quoad octo menſes abeunt, quod eſt ejus collegii temporis univerſum ſpatium. Eo cùm eſſet in magiſtratu *Gabriel Franciſco Falerio* autore, Principi & reliquis ex ejus collegio Patribus legem à ſe ſcriptam propoſuit, qua lege civibus omnibus, qui re familiari anguſta uterentur, quadraginta annos natis, auri libra ſingulatim ex publica pecunia quotannis daretur, qua ſe ſtipe honeſtius, liberoſque ſuos alerent: qui intra eos annos nati eſſent, annum autem vigeſimum quintum excederent, ii ſemilibram eodem nomine acciperent. Eam ipſe legem ferre ad Senatum majoraque comitia ſtatuerat: itaque ut conſultis Patribus ferretur (id enim fieri aliter non poterat) eis tradiderat legendam. Patres ubi legem inſpexerunt, quæ morem improbi exempli in rempublicam induceret, ut unus temerè civis tantum pecuniæ publicæ cæteris civibus elargiretur: idque nulla alia de cauſa eum & *Falerium* eſſe aggreſſos animadverterent, niſi uti civium gratiam ad magiſtratus adipiſcendos aucuparentur: Principi negotium dederunt, ut utroque ad ſe vocato, eos moneret, ne quod amplius ea de lege verbum facerent. Illi cùm dies aliquot ſiluiſſent, multorum autem civium, quorum vitæ lex erat opportuniſſima, vocibus increparentur, ſuam ipſorum dignitatem ab eis negligi: legem ferrent, ſeſe quos vellent magiſtratus adepturos principeſque civitatis è veſtigio futuros: ut ſi quid ejus facere poſſent, experirentur, curam & ſtudium adhibuerunt. Eâ re ad collegium delatâ, *Decemviri Gabrielem Bonum, & Franciſcum Falerium* ſtatim comprehenſos, atque in vincula conjectos, in *Cyprum* inſulam deportandos curaverunt, pœnâ capitis adjectâ, ab oppido *Nicoſienſium* ullo tempore ſi emigraviſſent. Binos autem ſcribas fiſci reipublicæ, quibus illi uſi fuerant ejus legis conſultoribus, & tanquam adminiſtris, in *Cretam* inſulam exulatum miſerunt, eadem eis pœna propoſita ab *Rhytymna Cretæ* oppido diffugientibus. Atque hoc omnino *Decemviri* gravioris animadverſionis eſſe judicium voluerunt, non tam quidem ut de iis ſupplicium ſumerent, qui legem, tametſi pernicioſam, neque dum tamen ad Senatum tulerant, poterantque per ſe ab ea re deſiſtere, quàm ut reliqui etiam cives ab ejuſmodi quicquam in poſterum cogitandi conſilio, ſimilis timore pœnæ duorum civium exemplo abſterrerentur.

Lex de ſtipe ex ærario civibus quadragenariis danda, abrogatur.

Laurentii Medicis obitus.

Ejuſdem anni vere *Laurentius Medices Florentinus*, excellenti vir ingenio, qui principatum in ſua civitate obtinebat, vita functus eſt. æſtate media *Innocentius*. Ille tres reliquit liberos, qui omnes brevi tempore & principatu & civitate ejecti, exulatum abierunt. Hujus locum *Alexander Borgia Valentinus* opibus & largitione nixus tenuit: atque hoc planè temporè civitas propè quievit.

Alexander Borgia.

Inſequenti autem jam in ver progreſſo anno, ut firmatis inter ſe trium maximarum *Italiæ* civitatum rebus tempora etiam pacatiora fierent, ab *Alexandro* Pontifice Maximo & *Venetis*, & *Joanne Galeatio* adoleſcente, regnum in *Mediolanenſibus* obtinente, autore *Ludovico* patruo, qui civitati ejus nomine præerat, fœdus in XXV. annos percuſſum, atque uno eodemque die ab ſingulis concelebratum eſt: quo quiſque fœdere ad reliquorum ſociorum ditiones defendendas, hoſteſque propulſandos teneretur. Et quòd erat ea tempeſtate *Romæ Giemes Sultanus*, *Bajaſetis* regis frater, homo magni inter ſuos nominis, qui ab eo armis regno pulſus *Rhodum* confugerat: *Rhodii*, ne bellum in ſe converterent, eum ad regem *Galliæ*, rex ad *Innocentium* rogatu ejus miſerat: itaque is ab *Alexandro* adhibitis cuſtodibus aſſervabatur, cùm ne fratri revocare bellum poſſet: cujus rei cauſa quadringentæ ab eo auri libræ quotannis Pontifici dependebantur, *Romamque* mittebantur: tum ut eo nomine *Bajaſetem* à bello *Chriſtianis* inferendo abſterreret. Eſt in fœdere additum, ut ſi *Veneti* armis à *Bajaſcte* laceſſerentur, *Alexander* eis *Giemem* traderet, cujus autoritate atque gratia contra illum uti poſſent. Ei fœderi *Hercules Ateſtinus* Dux princepſque *Ferrarienſium*, *Ludovico* ſuadente, paucis pòſt diebus ſe adjunxit.

Fœdus Venetorum cum duce Mediolanenſium.

Giemes Sultanus Romæ cuſtoditur.

His confectis rebus, cùm propè omnia ſpectare ad quietem viderentur, *Leonora Ferdinandi* regis *Neapolitani* filia, *Herculis Ateſtini* uxor cum duabus filiis, altera *Franciſci Gonzagæ* uxore atque *Alfonſo* cum filio, & ejus uxore *Anna Joannis Galeatii* ſorore, conſcenſis ad *Padi* ripam navibus ſecundo flumine in æſtuaria, *Venetiaſque* ſe contulit, ut urbem læto illo tempore inviſerent: quibus quidem fœminis uti quàm ampliſſimi honores haberentur, Senatus decrevit: itaque & obviam eis publicè itum in *Bucentauro* navi, qua in navi à magna Senatus parte, atque à matronis centum triginta, tota penè civitate circumfuſa, atque adnavigante, ſunt exceptæ, & per eos dies, quos in urbe confecerunt, nullum eis genus publicæ voluptatis aut liberalitatis defuit: nam & choreæ electiſſimarum fœminarum à principum liberis in comitio celebratæ ſunt, & bellaria magni & operoſi ſumptus data, & ludi tota urbe, certaminaque multifariàm edita, quibus ex omnibus unum novum civitati fuit, ut complures cymbæ, quibus in ſingulis quatuor fœminæ remigarent, curſu propoſitis præmiis contenderent. quo in certamine propè mira res accidit: quæ à civitate animadverſa, diei ſpectaculique lætitiam & hilaritatem conduplicavit: ut quemadmodum *Leonora* duabus cum filiis & nuru aderat, quarum cauſa ea fiebant, ita cymba, qua in cymba mater cum duabus filiis ac nuru remos impellebat, vicerit.

Leonora regis Neapolitani filia.

Bucentaurus Venetorum.

Navale certamen fœminarum.

PETRI

PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI SECUNDI

EPITOME.

Neapolitani belli, à *Carolo* VIII. *Galliæ* rege gesti, initium & caussæ. Aquarum maxima in *Gallia* citeriore inundatio. Judicia quædam *Venetis* facta. *Caroli* ad *Venetos* legatio. *Naxi* in reipublicæ *Venetæ* fidem accepti. *Ferdinandi* Senioris *Neapolitani* regis obitus. Inter *Alphonsum Neapolitanum* regem & *Alexandrum* Pontificem colloquium & fœdus. Classis contra regem *Thracium* apparatus. *Florentinorum* ad Senatum pro consilio petendo legatio. *Scardona* & *Clissa* se sponte *Venetis* subjiciunt. *Caroli* regis in *Italiam* adventus. *Joannis Galeatii Mediolanensium* ducis obitus. *Petrus Medices Florentia* pellitur. *Caroli* regis in *Italia* res gestæ. *Bajasetis* Legatus à *Senogalliæ* principe violatur. *Venetorum* longæ naves in *Britanniam* missæ fluctibus absorbentur. *Alphonsi* regis *Neapolitani* discessus, ejusdemque obitus, cui *Ferdinandi* filius in regno succedit. *Giemis Sultani* obitus. *Ferdinandi* regis *Neapolitani* fuga: & *Caroli* ingressus. *Turcarum* ex *Galliæ* regis victoria metus. *Hispaniæ* regum ad *Venetos* legatio & classis in *Siciliam* missa. *Federici Cæsaris* obitus. *Maximiliani* regis ad Senatum legatio. Fœdus inter *Venetos*, Pontificem, *Hispaniæ* reges, *Ludovicum Sfortiam*, & *Maximilianum* contra *Carolum* regem initum. *Novaria* ab *Aloisio Gennabensi* capitur. *Caroli* regis ex regno *Neapolitano* discessus. *Venetorum* atque sociorum contra *Carolum* apparatus. Pugna ad *Tarum*. Res in *Liguria* cum *Gallis* gestæ. Eorum qui fortiter pugnarant ratio à Senatu habita. *Veneti*, *Mediolanenses*, & *Ligures* è *Caroli* imperio exules fiunt. *Novariæ* per socios obsidio. Pax inter *Ludovicum Sfortiam* & *Carolum* regem facta, ejusque leges. *Contareni* de *Ludovico Sfortia* interficiendo consilium. *Caroli* in *Galliam* reditus.

LIBER SECUNDUS.

Legatio Regis Galliæ.

VIX eæ mulieres domum redierant, cum ab *Carolo* rege *Galliæ*, ejus nominis octavo, certus homo ad Senatum venit, cujus oratio ejusmodi fuit: Quoniam *Carolus* in *Italiam* cum exercitu sit venturus ad regnum *Neapolitanum*, quòd ad se jure hæreditario spectaret, in suam potestatem redigendum: scire eum cupere, quo in se animo civitas esset futura: velletne, qua in amicitia & necessitudine adhuc quidem egregia & constanti secum fuisset, in ea etiam in posterum manere? Civitas nova intellecta re, quæque magnam rebus *Italis* commutationem esse allatura videretur, consulto Senatu, ne regis in se invidiam prima omnium excitaret, præsertim cùm fieri posset, uti is vel per sese, ut sunt plerumque hominum mobiles ad omnem fermè impetum animi, ab incœpto desisteret: vel difficultate atque magnitudine belli gerendi, adolescens, neque rei militaris gnarus, absterreretur: vel aliquâ interpositâ morâ, atque à cæteris regibus impedimento explicare se non posset: respondit, se quidem omni tempore pacem bello prætulisse; optareque ut & ipse quiesceret, & reges principesque *Italos* quiescere permitteret: sed si veniat, ea de causa nihil moturam, neque ab ejus amicitia recessuram. *Pero* (id enim erat ei nomen) accepta civitatis voluntate *Romam* abiit: eumque alii postea regis interpretes duo, paucorum mensium spatio cum eisdem ferè mandatis separatim sunt subsecuti: quibus interpretibus idem est responsum datum, quod *Pero* ante acceperat. Sed omnino ad eam belli ab rege capessendi causam, quæ ab illis prædicabatur, quòd ei regnum *Neapolitanum* hæreditatis nomine deberetur, etiam aliæ causæ accedebant: ex quibus una hæc fuit.

Causæ belli Neapolitani.

Galeatio Sfortia, qui *Mediolani* regnum obtinebat, complures ante annos per insidias interfecto, *Ludovicus* frater, uxore *Galeatii* è regni procuratione (quam illa, ut *Joanni Galeatio* filio suo admodum parvulo, in fide atque officio civitatem contineret, post viri mortem susceperat) reliquisque administris paulatim dejectis, ipse se ei rei præposuerat, annosque tredecim præfuerat: fratris autem filium, cui se regnum procurare præ se ferebat, ita porrò aluerat, iisque moribus instituerat, ut omnem curam videretur adhibuisse, ne puer ullam ad frugem perveniret: non rei militaris, non litterarum studia, non denique artem ullam & disciplinam regiam edoceri illum voluerat, adhibitis etiam ad puerile ingenium depravandum corruptoribus, quorum ille convictu in omnem luxum atque inertiam assuefieret. Ei nondum planè puberi *Alfonsus Ferdinandi* regis filius *Isabellam* filiam in matrimonium collocaverat, ex eaque is etiam liberos procreaverat, ad regni tamen sui gubernaculum à patruo nullam in partem admittebatur. Id cùm graviter ferret non *Alfonsus* modò socer, assiduis propè filiæ literis lachrymisque permotus, sed multò etiam magis avus *Isabellæ Ferdinandus*, primo petere à *Ludovico* cœperunt, vellet pro sua fide atque justitia fratris sui filio non adulto modò atque firmo, sed etiam planè jam viro, atque adeo duorum filiorum patri, aliquando tandem regnum tradere, suique illum imperii, suarum rerum compotem facere. Ea postulatio cùm sæpius interposita nihil profuisset, gravioribus apud illum expostulationibus & querelis non semel egerunt: postremò eò rem deduxerunt, ut dicerent, sese illum bello persecuturos, ni *Joanni Galeatio*, quo cum affinitatem, uti cum rege, contraxissent, regiam potestatem remitteret. Horum ille regum minas atque potentiam veritus, ne tam amplæ civitatis principatum atque imperium ulli tradere cogeretur, quod suum unius efficere in animo magnopere habebat, filiisque suis relinquere, cùm intelligeret *Galliæ* regibus in regnum *Neapolitanum* jus esse, celatis ea de re *Alexandro Venetisque*, quibus cum paulò antè fœdus percusserat, ad speciem salutandi regis, legationem maximè celebrem ad *Carolum* misit

misit hortatum, ut id bellum susciperet, suasque illi opes, copiasque pollicetur: facillimum factu esse, modo *Alpes* trajiceret, atque in *Italia* se ostenderet, eo regno potiri. Ea tanti hominis hortatio apud *Carolum* momenti plurimum habuit. Altera fuit ejus rei causa in *Antonio*, qui *Salernum* à majoribus suis traditum obtinuerat. Is cum ob *Ferdinandi* regis inimicum in sese animum sedibus patriis excessisset, seque in *Galliam* ad *Carolum* contulisset, propè quotidianis eum sermonibus admonebat, ut tam propriam regni opulentissimi capiendi oblatam sibi à diis immortalibus facultatem ne prætermitteret. *Ferdinandum* hominem esse avarum, crudelem, nullâ fide, nullâ justitiâ: omnes ejus regni principes, omnes populos illum odisse: nullius esse negotii rem, eum regno expellere, præsertim *Galliæ* regibus, quorum nomen atque autoritas illis in regionibus maximè omnium tum vigeret, fueritque semper plurimi. *Alexander* etiam Pontifex Maximus molestè ferens *Virginium Ursinum*, ejus familiæ principem, ausum esse à *Francisco Cibo Innocentii* Pontificis ante se Maximi filio oppidum *Anguillariam* in *Sabatini* lacus ripa, quod erat in Pontificum Maximorum ditione, abestque ab Urbe XVI. millia passuum, nullâ factâ sibi ab ipso ejus rei potestate, coëmisse: quoniam *Virginius* à *Ferdinando* fovebatur, ne quid facere invitus cogeretur. *Carolum* & ipse ad id suscipiendum bellum hortabatur, vindicandi sese de adverso suis rebus suæque dignitati rege causâ. quas ad res omnes etiam illud adjungebatur, quod ex *Gallis* principibus iis, qui apud *Carolum* autoritate gratiaque pollebant, nonnulli rerum *Italicarum Romanique* Pontificis, quà erat iter faciendum, occasione amplissimis sacerdotii dignitatibus sese iri auctum & honestatum confidebant: alios exercituum, & regendorum populorum, quos essent subjecturi, spes & cupiditas incendebat. multi etiam suâ levitate & novarum rerum studiis movebantur, ut regem ad profectionem impellerent.

Inundationes in *Galliæ* regno.

Interim autumni mensibus tota ferè citeriore *Gallia* ejusmodi tempestatis, jamque continentes pluviæ fuerunt, ut in *Bergomatium* finibus aqua denos quinos pedes præter consuetudinem excreverit, ædificiisque quam plurimis dirutis, ac pontibus lapideis abreptis, magnum puerorum & mulierum, magnum etiam virorum numerum repentino impetu oppresserit. Neque in *Brixianorum* finibus flumina non ingentem stragem ediderunt. *Athesis* quidem cùm *Veronæ* urbis magnam partem pervasisset, & complures domorum parietes subruisset, etiam pontem firmissimum medio in oppido dejecit. *Medoacus* & ipse ripas non uno loco transgressus, optimam *Patavini* agri partem illuvie vastitateque fœdavit. *Padus* omnino utriusque ripæ vicinitates ita est depopulatus, ut omnia luctu & mœroribus impleverit. atque hanc quidem esse quasi deorum immortalium significationem, quæ *Gallorum* in *Italiam* adventum portenderet, omnes penè homines interpretabantur, & prodigii loco ducebant: erantque permulti, qui maximè ad *Venetos*, quòd eorum regionibus & oppidis aquæ magnum detrimentum intulissent, eam rem, atque id prodigium existimabant pertinere.

Athesis fluvii violentia. *Medoacus* fluvius. *Padus.*

Ordo rerum me admonet, ut duo civitatis judicia hoc ipso facta tempore silentio ne obruam. Erat in civium nobilitate *Joannes Georgius*, homo ferox, nullaque pietate, qui ab *Antonio Bernardo*, *Taurisanorum* prætore, ob maledicta in deos, aliaque scelera exul ejus oppidi factus fuerat, damnatusque, ut si eò rediret, lingua ei amputaretur, manusque altera præcideretur. Is

Joannis Georgii Blasphemiæ pœna.

A *Taurisum* alio prætore cùm revertisset, virginemque vi adhibitâ violavisset, *Decemviri* missis illò suis rerum capitalium ministris atque vindicibus, *Georgium* comprehendi, deque eo *Antonianum* supplicium medio in foro sumi jusserunt: eo sumpto, *Venetias* adductum in *Cretam* deportari mandaverunt. Neque multò pòst *Antonius Bolduus* Triumvir ex advocatis reipublicæ, *Dominicum Bolanum Candiani* filium collegam suum accusatum acceptæ eo in magistratu ab reis & litigatoribus pecuniæ, ad Senatum detulit. Cùm Senatus eum comprehendi, atque ex vinculis causam dicere jussisset, ille autem fuga se B judicio eripuisset, absens damnatus est, ut intra mensem se carceri dederet, *Caniam Cretæ* oppidum exulatum deportandum: quod si non faceret, comprehenso cervices abscinderentur, bonaque publicarentur, magnis propositis præmiis iis, qui eum aut vivum magistratibus tradidissent, aut ipsi occidissent.

Post hæc de adventu *Gallorum* fama percrebrescente, ac *Ferdinando* rege exercitum & classem ad hostes repellendos comparante, atque omnibus Alexandrum Pontificem Maximum pollicitationibus, ut suarum partium esset, sollicitante, *Ludovicus* veritus, ne si inter eos convenisC set, *Ferdinandus*, præmissis in *Galliam* suis & *Alexandri* celeriter copiis, è regni eum procuratione atque fastigio ante *Caroli* adventum expelleret, ereptamque filii sui genero dignitatem atque imperium restitueret: à Senatu petiit, ut quos haberet milites equitesque, ad *Ollii* fluminis ripam, quod est in *Brixianorum* finibus, juberet proficisci, uti regem ab eo ineundo consilio abduceret: aut, si id non posset, ipsi flumen transirent, seseque tuerentur. Ea re à Senatu non impetrata, quòd diceret sibi id necesse ejus tam firmis rebus non videri, iterum ad *Carolum* legatos misit rogatum, ut maturaret *Alpes* transD mittere, sese ei de pecunia commodaturum, suasque copias cum illo conjuncturum, ubi primum terram *Italiæ* attigisset. *Carolus*, qui plures jam menses in ea modò prædicatione consumpsisset, velle se *Neapolim* armis suam facere, atque iis, qui apud illum plurimùm poterant, partim bellum suadentibus, partim dissuadentibus, nihil etiam nunc constituisset, quod pro firmo atque certo haberetur: acceptis *Ludovici* tum hortationibus diligentioribus, tum pollicitis, fœdus cum *Ferdinando* & *Elisabetha Hispaniæ* regibus percussit, nonnullis eis oppidis in *Pyrenæo* saltu gratis restitutis, quæ pridem oppida *Aloisius* rex ejus E pater à *Ferdinandi* parte pignoris nomine acceperat. deinde ad diem nonum Calendarum Januarii, adhibitis totius *Galliæ* principibus, statuit omnibus aliis omissis rebus proficisci. De eo cùm esset amicorum litteris celeriter *Ferdinandus* certior factus, primis anni diebus è venatu lectulum petens, acri urgente pituita, intra biduum est mortuus: cujus *Alfonsum* majorem natu filium *Federicus* natu minor, reliquique *Neapolitani* principes regem salutaverunt. *Alfonsus* regno patris inito, per legatum *Venetum*, qui paulò antè ad *Ferdinandum* venerat, in solitisque ab eo & obviam itionibus, & aliis honorum generibus exceptus F fuerat, à Senatu petiit, ut cum *Ludovico* ageret, ne is *Carolum* ad profectionem incitaret, prædemque se apud illum constitueret: nihil ipsum ullo tempore moturum, quo minus is regni *Mediolanensis* procuratione, quoad vellet, uteretur. Senatus ea de re cùm apud *Ludovicum Alfonsi* verbis egisset, eumque esset magnopere hortatus, ne *Gallis* in *Italiam* veniendi autor adjutorque esset, ille autem nihil ejusmodi respondisset, quo se ab eo consilio remoturus videretur: ne frustrà operam

Belli *Neapolitani* initium.

Ferdinandi senioris regis *Neapolitani* obitus.

Alfonsus rex *Neapolis.*

ram insumeret, destitit, neque amplius eam cogitationem est aggressus. Miserat ante eos dies ad Senatum *Carolus Philippum Argentonium* legatum: si se respublica in belli *Neapolitani* societatem cum ipso conjungeret, quam vellet ejus regni partem sibi deposceret, nihil illum recusaturum: id si non vellet, quòd pollicita esset se ab ejus amicitia non discessuram, in eo perseveraret: jussum se esse apud Patres moram trahere, omniaque regis consilia cum ipsis communicare. Ad hæc civitas ita respondit: Tantas esse *Caroli* regis ad id gerendum bellum facultates, tam præsentem omnium rerum copiam, ut sui auxilii nihil indigeat: itaque se more exemploque majorum, qui bella nisi lacessiti non fecissent, quieturam: nec partem sibi ejus regni postulaturam, cujus nullum ipsa jus habeat: cæterùm, quod aliis regis nunciis dixisset, pollicitaque esset, ab eo non recedere, regisque benevolentiam sese plurimi semper facturam: ipsum quidem eo nomine & nunc libenter vidisse, &, si maneat, eo libentius visuram, quo erit etiam urbana mora & quotidianis collocutionibus familiarior: quæque regis interessent, pro sua vetere in partem ejus atque ipsum necessitudine, ea indices, ut ipsi nota sint, curaturam.

Venetorum Responsum *Caroli* regis Legato datum.

Iisdem propè diebus Senatus *Bartholomæo Collioni Bergomati* imperatori suo, quòd multa bella singulari virtute, fide incomparabili gessisset, remque militarem superiorum imperatorum negligentia collapsam restituisset, quodque de republicâ optimè meritus, auri libras decies centies ei moriens testamento legavisset, statuam equestrem æream inauratam in *Joannis* & *Pauli* area ponendam censuit.

Statua equestris *Bartholomæo Collioni* erecta.

Ea tempestate vita functus est apud *Naxios Joannes Crispus*, qui eam ex *Cycladibus* insulam tresque alias obtinebat, *Rhenem*, *Scyrum*, *Melum*, duobus liberis parvulis ex pellice relictis. Is propterea quòd avarè atque crudeliter regnaverat, civitas concilio coacto statuit reges ulterius non perpeti. Erat tum fortefortuna in insulæ oppidique portu *Nicolaus Capellus* legatus, eò cum sex longis navibus ad piratas insequendos profectus: itaque nacti occasionem cives, plebsque omnis, ipsis cum natu majoribus, matribusque familiâs infantes in ulnis gestantibus, cúmque virginibus & pueris, Legatum adierunt, orantesque uti se reciperet: mori enim malle omnes, quàm amplius sub tyrannis esse: miro se studio reipublicæ dediderunt. *Nicolaus* principibus eorum liberaliter appellatis, reliquam turbam solatus, civitatem in reipublicæ fidem recepit, civemque *Venetum*, qui præesset, jusque diceret, attribuit. *Naxii* paucis pòst diebus legationem ad Senatum miserunt, quæ apud Patres sacramentum diceret, se in ejus fide perpetuò futuros. Ea legatione adhibita Senatusconsultum factum est, uti *Naxii*, qui spontè in deditionem venerant, reciperentur: recepti autem non essent nisi prius *Crispi* liberis, & eorum matri alimenta præberentur. Itaque omnis insularum earum proventus illis, quoad viverent, dono datus est eo nomine.

Naxii in Reipublicæ *Venetæ* fidem recepti.

Interea cum inter *Alexandrum*, quem quidem multis de causis magnopere pœnituerat *Carolum* regem ad id bellum incitavisse, atque inter *Alfonsum*, qui ambo ad *Vari* vicum venerant, ut ipsi inter se colloquerentur, iis conditionibus esset fœdus amicitiaque inita, ut Pontifex regem in *Romanæ* reipublicæ fidem reciperet, omnique illum ab hoste, quà posset, tueretur: ille autem Pontifici ob tributi veteris reliqua, auri libras mille se repræsentaturum, in annos verò singulos quadringentas persoluturum polliceretur:

Fœdus inter *Alexandrum* Pontificem & *Alfonsum* regem *Neapolitanum*.

A desponsa etiam filia *Giufredo Alexandri* filio, ut societas eo pignore firmaretur: utrique se ad bellum communire modis omnibus, explicareque cœperunt. Fuerat ea in re *Alexander*, ut sunt hominum mutabilia sæpe ingenia & voluntates, *Virginio* ipso usus interprete, qui etiam illum & *Alfonsum* lautissimè splendidissiméque sua in domo tunc suscepit. Erat enim *Virginii* oppidum *Vari*, de quo diximus, vicus. Jamque *Alfonsus* classe longarum navium amplius triginta, onerariarum maximarum duodeviginti, ad *Ligustici* maris oram infestandam, navesque hostium, quæ *Genuæ* instruebantur, impediendas comparata, equitatu B peditatuque cogendo, éque Brutiis educendo, atque in Galliam mittendo distinebatur: cùm ob *Bajasetis* regis novos motus, qui & classem & exercitum comparabat, respublica & ipsa parare classem instituit. Itaque primis comitiis *Antonio Grimano* classis præfecto declarato, naves longas, quas confectas habebat, deduci atque instrui jubet: quibus cum navibus *Antonius* mense Quintili solvens in *Illyricum* trajecit.

Classis contra regem *Thracum*.

Eo tempore *Florentinorum* legatio ad Senatum venit petens, propterea quòd *Carolus* rex à civitate postulaverat, ut per eorum fines exercitum ducere sibi liceret, uti Senatus consuleret, quid C ipsis esset ad regis postulata respondendum: tum hac tota in causa atque adventu regio quid cavere, quid præstare ipsos opus esset, pro sua fide atque consilio existimaret: magnopere enim se ejus prudentiæ tribuere, confidereque optimum factu id futurum, quod senatus censuisset. Senatus unum modò existimans fore, ut quicquid *Florentinis* consuluisset, neque *Carolum* neque *Alfonsum* latêret, Legatis respondit, nescire omnino se tam ardua in re, tamque casibus & eventui proposita, quid præstaret: quòd si se plures in unam sententiam conjecturæ, quàm in alia omnia traherent, non tamen id audere ipsis di- D cere, propterea quòd fortuna plerumque in bellis dominatur, temeréque facta sæpe melius quàm ratione atque consilio suscepta ceciderunt: itaque auxilium à Diis immortalibus implorandum: eos unos scire, quid quaque in re quemque aut sequi aut fugere oporteat.

Legatio *Florentinorum*.

Responsio *Venetorum*.

Antonius Venetiis profectus cum esset in *Illyrico*, legati ad eum ab *Scardona*, atque ab *Clissa* venerunt, qui dicerent, cupere sua municipia sub reipublicæ imperio esse, orare ut ab eo reciperentur. *Antonius* legatos cohortatus, ut reipublicæ voluntatem expectarent, literas ea de re ad Senatum dedit, *Corcyramque* contendit. At E *Alfonsi* classis, cui *Federicum* fratrem præposuerat, mare *Ligusticum* invecta, Objecto *Flisco Genuensi* non minimæ inter suos autoritatis, militibusque ad *Veneris* portum expositis, atque ab hostibus repulsis, infecta re *Triturritam* rediit.

Scardona & *Clissa Venetis* se subjiciunt.

Confecerat autem per eos dies *Genuæ Carolus* itemque *Ludovicus* classem satis idoneam ad hostem repellendum: itaque & adverso prælio suorum, & classis hostium timore perterritus *Federicus*, neque amplius tentandam iis in locis fortunam belli ratus, sese recepit. Ea spe lapsus *Alfonsus* suas cum *Alexandri* copiis conjunctas copias in *Flaminiam* properè misit, quòd intellige- F bat *Caroli* exercitus præmissam jam partem *Padum* flumen trajecisse. Eæ cum *Ariminensium* finibus copiæ appropinquarent, *Pandulfi* eorum principis rogatu, qui erat in reipublicæ militia, suisque rebus veritus tam suspecto atque ambiguo tempore, opem à Senatu postulaverat. *Georgius Emus* est eò missus, qui autoritate reipublicæ oppidum finesque tueretur. per quos dum ii pacatè iter facerent, *Alexander Joannis Galeatii* frater nothus, qui erat in *Ludovici* partibus, *Parma* fugiens

Caroli regis exercitus *Italiam* petit.

giens ad eos se contulit, ut contra patruum esset. Erant in eorum exercitu *Ferdinandus Alfonsi* filius, magnæ spei adolescens: *Nicolaus Ursinus*, qui *Petilianum* oppidum in *Hetruria* obtinebat, belli rebus atque artibus clarus: *Virginius* item *Ursinus*, de quo superius diximus, *Romanæ* factionis princeps: *Joannes Jacobus Triultius Mediolanensis*, homo magnâ inter suos gratiâ. hos est paulò pòst *Guidus Ubaldus Urbinas* dux, princepsque *Metaurensium* ad *Cesenam* consecutus, atque ii omnes equitum cataphractorum duûm millium quingentorum, militum octo millium numerum habebant. Ad eos cùm præmissæ *Caroli* atque *Ludovici* copiæ appropinquavissent, universi congredi non sunt ausi: itaque aut oppidi planè firmi, aut fluminis interjectu munitis castris complures se dies continuerunt: per occasiones tamen parvulis minutisque præliis, quid utrique possent, aliquoties periculum fecerunt. At *Carolus*, qui *Aloisium* propinquum suum, principatum in *Genabensibus* obtinentem, & *Julianum* Cardinalem *Sixti* Pontificis Maximi fratris filium, & *Antonium Salernitanum*, de quo suprà dictum est, *Genuam* cum pedestri exercitu miserat, ut naves jam paratas conscenderent, suique itineris ratione habitâ, se subsequi jusserat, ut ingressum in regnum *Neapolitanum* suum mari etiam aperiret, cum reliquo exercitu bene magno planéque paratissimo, primis Septembris diebus *Alpes* trajecit, atque *Astam* venit: ibi illum *Ludovicus* cum muliebri uxoris *Beatricis* comitatu, & *Joannes Galeatius* fratris filius, *Herculesque Atestinus* socer obviam progressi venientem exceperunt: quicum de rebus utriusque *Ludovicus* collocutus, cum eisdem illis, quos adduxerat, *Ticinum* rediit. Ea itio atque reditio itinerum omnium postrema *Joanni Galeatio* fuit: profluvio enim ventris, ut videbatur, lectulo impositus, ut verò creditum est, veneni à patruo dati haustu, insequente mense periit. tantum in animis mentibusque hominum mala regnandi cupiditas atque ambitio potest. *Carolus* inter hæc *Astæ* cùm esset, *Aloisium Genua* mutato consilio accersivit, ibique jussit esse. Erat autem *Aloisii* oppidum *Asta*, quod quidem ejus avia dotis nomine à patre *Mediolani* rege acceperat. Ipse pustulis correptus est, eoque in oppido commoratus dum convalesceret, itineri deinde se dedit, atque ad diem duodecimum Calendarum Novembris *Placentiam* pervenit. Processerat eò unà cum illo *Ludovicus*, qui postridie ejus diei de fratris filii morte nuncio accepto *Mediolanum* rediit, urbemque in veste regia perambulans, salutari regem se non modò passus est, sed maximè omnium voluit: neque enim minus id deliberatum propterea fuit, quòd *Joannes Galeatius* moriens duos liberos *Franciscum* & *Mariam* superstites reliquisset. *Carolus*, qui, antequam è *Gallia* proficisceretur, tametsi *Florentinis* ostendisset se per eorum fines iter *Neapolim* esse facturum, per *Flaminiam* tamen ire constituerat, ob eamque rem exercitus sui partem eò miserat, cùm *Laurentii Medices Florentini* civis suasu, qui cum *Petro Medice* propinquo suo, cujus erat in potestate civitas, magnas atque acerbas simultates exercebat, tum *Ludovici*, qui eundem *Petrum*, quòd is uxore ex *Ursina* gente ducta, in eorum atque *Alfonsi* partes se traduxerat, ingenti odio prosequebatur, ire *Florentiam* decrevit. Ea res *Florentiam* perlata, civitatem ad novum atque subitum capiendum consilium perpulit. Rex post hæc *Placentiâ* profectus, dextrâ se per *Tari* fluminis vallem flectens ad *Apuanos*, in *Apennini* radicibus municipium, Legatos Florentinorum obvios habuit, quos ad regem civitas, ut cum eo agerent, ne inimico ad sese animo accederet, misit. Ejus legationis *Petrus Medices* princeps fuit. Is cùm regem à se alienatum *Laurentii* & *Ludovici* maledictis calumniisque comperisset, omnibus illum conditionibus lenire, benevolumque sibi reddere est aggressus: itaque tria civitatis oppida in *Apennini* jugis, quæ *Genuensium* antea fuerant, tum *Pisas* & *Triturritam* in præsentia regi tradere, certasque quotannis, quoad is in *Italia* esset, pecunias tributi nomine, atque equitatum pollicitus, cum illo in amicitiam rediit. Quibus intellectis rebus civitas incitata, illum & *Joannem* & *Julianum* ejus fratres urbe finibusque suis expulit, domo eorum opulentissima direpta, bonisque fisco addictis: quorum duo se *Venetias* contulerunt. *Joannes Petro* natu minor Bononiæ primùm, deinde in *Tifernatibus* apud propinquos suos complures se menses continuit: erat tamen è Cardinalium collegio. Rex *Apennini* superato jugo *Lucam*, inde *Pisas* venit: idque oppidum à *Florentiæ* imperio, ditioneque removit, & sui juris liberumque jussit esse: quod quidem civitas, plebesque omnis cupidissimè arripuit. *Florentiam* paucis pòst diebus est profectus, librisque auri duodecies centies imperatis, in reipublicæ formam civitatem redegit. *Pisis* libertati restitutis, senatores, reliquique cives concilio coacto, magistratus qui *Florentia* venerant, ex oppido suisque vicis & castellis expulerunt: ex sese, quos visum est, magistratus creaverunt. Leones marmoreos depictosque, quod est insigne *Florentinorum*, è foro, locisque omnibus sustulerunt. In exilium qui essent à *Florentinis* magistratibus missi, ii ut in oppidum atque in suos quisque lares remigrarent, edixerunt. Iisdem diebus ea *Gallici* pars exercitus, quæ in *Flaminiam* præcesserat, tribus in agro *Forocornelienſium* & *Forolivensium* tum vi, tum deditione captis castellis, *Faventiaque* in suas partes traducta, è *Bretinoro* vico, qui eos recipere noluerat, & indignantes oppugnareque aggressos sustinuerat, *Apenninum* trajicere, atque ut cum rege se conjungeret, iter facere cœpit. *Ferdinandus* cùm omnino *Gallos* intercludere, morarique non posset, suis cum ducibus, quo itinere venerat, *Romam* rediit. At *Veneti*, ubi *Carolum* magna cum manu *Padum* flumen trajecisse nunciatum est, legatos ad eum mittere decreverunt, qui ei honoris gratiâ præstò essent: seque ad omnes casus præmunire constituerunt. Missi legati *Dominicus Trivisanus*, *Antonius Lauredanus*, regem *Florentiæ* convenerunt, eumque postea sunt subsecuti.

Illis ipsis diebus *Joannes Senogalliam* obtinens, *Juliani* Cardinalis frater, *Bajasetis* regis legatum, qui *Anconæ* navi expositus Romam proficiscebatur, *Alexandro* pensionem annuam librarum auri quadringentarum *Giemis* nomine dependi solitum afferens, intercepit, ablataque pecunia dimisit. *Carolo Senas* urbem transgresso, *Alexander Virginium* & *Nicolaum Alfonsi* exercitus duces, & *Ferdinandum* regis filium, qui *Romæ* appropinquaverant, intra mœnia recepit, ut & loca tuta hostibus præripere, & adversarios cohibere atque reprimere, & urbem ad *Gallos* repellendos velle communire magnopere videretur. Verumtamen paucis pòst diebus *Carolo Romam* rectâ veniente, *Ferdinandum* reliquosque duces est hortatus, uti *Roma* proficiscerentur, neque *Gallos*, quibus quidem jam nihil esset impeditum, expectarent. illi, quos omnia planè deficerent, Pontifici paruerunt, *Tiburque* cum ea, quam habebant manu, se contulerunt. *Alexander*, qui quidem *Gallos* veritus de capienda fuga non semel cogitaverat, demum in *Adriani* molem commeatu & tormentis communitam se recepit. *Carolus* omni cum exercitu

Marginal notes (left column): *Joannis Galeatii Mediolanensium* ducis interitus. — *Asta* oppidum. — *Florentinorum*

Marginal notes (right column): Legati ad *Carolum* regem missi. — *Petrus Medices* cum fratribus *Florentiâ* pulsus. — Rex *Carolus* quid in *Italia* peregerit. — Leones *Florentinorum* insigne sublatum. — Legati *Venetorum* ad *Carolum*. — *Bajasetis* Legatus violatus.

citu pridie Calendarum Januarii *Romam* venit, pauloque pòst, cùm inter ipsum atque *Alexandrum* *Ascanio* interprete de pace sermones haberentur, *Ascanius* autem duras nimium & severas conditiones *Alexandro* imponeret, *Alexander* eam hominis audaciam compescendam ratus, Cardinalium concilio, ad speciem quærendarum ab eis sententiarum, coacto, illum, qui ad concilium venerat, retinuit, nec nisi pace cum rege facta dimisit. *Romæ Carolus* complures dies commoratus, *Alexandrum*, qui cum fœdus certis conditionibus percusserat, separatim primò, deinde publico in concilio salutavit, ejus ad pedes advolutus, solennibusque sacris ministrante illo interfuit. Post hæc Pontifex Episcopum *Maclovienſium*, cujus unius magnopere consiliis rex omnibus in rebus nitebatur, petente rege Cardinalem creavit: navesque onerariæ viginti, commeatum è *Gallia* provincia regis exercitui supportantes, ad *Centumcellarum* portum appelluntur.

Carolus rex *Romæ*.

Iisdem propè diebus ex tribus *Venetorum* longis navibus, quæ publicè in *Britanniam* ad mercaturam exercendam mittebantur, duæ in *Oceano* tempestatis vi absorptæ sunt fluctibus: quibus in navibus complures ex ipsa nobilitate cives, reliqui amplius quingenti perierunt. mercium ad quater mille auri libras summa deperdita. quod quidem antea nunquam acciderat, ut ejusmodi naves, terrâ non tactâ, mari atque undis absumerentur: tametsi anno ab urbe condita millesimo decimo sexto duæ item naves longæ onustæ mercibus eo ipsò in mari ventorum contumelia impactæ littoribus sunt amissæ.

Venetorum naves fluctibus absorptæ.

Dum ea *Romæ* apud *Carolum* geruntur, *Alfonsus* suis rebus planè diffidens, *Ferdinando* filio *Neapolim* accersito regnum tradit, *Federico* fratre adhibito: eumque uti Deos immortales vereatur, monet. Ea oratione apud filium habita, in arcem, quæ est in oppidi littore, & mari undique alluitur, quæ castellum *Ovi* appellatur, noctu se contulit, ut naves longas conscenderet, quod tum facere Austro magno coorto vento prohibitus, paucis pòst diebus nactus idoneam tempestatem in *Siciliam* transmisit, eoque anno in *Panormitano* agro privatus moritur. *Ferdinandus*, profecto patre, regni principibus quatuor, qui erant in custodia, primùm omnium dimissis, oppidum in veste regiâ unà cum *Federico* patruo perequitavit: salutatusque rex cùm se ad carceris parietem contulisset, reclusis patefactisque foribus rebelles aliquot damnatosque complures & libertati & municipio restituit: privatas publicasque injurias omnes remisit, pollicitusque est se proscriptos quosque revocaturum. Militibus deinde appellatis, eo stipendio donavit, atque oppida novis præsidiis firmavit.

Ovi castellum.

Alfonsi regis mors.

Ferdinandus *Neapolis* rex creatus.

Carolo ad diem quintum Calendarum Februarii *Româ* profecto, *Velitrasque* progresso, *Cæsar Borgia* Cardinalis, *Alexandri* filius, quem quidem pater Legati nomine *Carolo* dederat, ut obsidis loco apud illum esset, noctu aufugit: néve patris voluntate videretur id fecisse, non *Romam*, sed *Spoletum* se contulit. Eodem tempore missi à rege milites, qui ex fœdere *Hostienſem* & *Centumcellarum*, *Anxurisque* arces, quoad is in *Italia* esset, custodirent, repulsi sunt ab *Alexandri* custodibus: arcem enim *Hostienſem*, quam *Julianus* Cardinalis exædificaverat, præsidiis firmaverat, cum is *Alexandri* Pontificatus initio nihil illi fidens speculatoria biremi se ex ea sustulisset, conscendensque *Fabritio Columnæ*, amico sibi homini, & magni ac erecti animi viro, illam commendavisset, *Genuamque* ac deinde in *Galliam* esset profectus, *Alexander*, *Nicolao Ursino Petilianorum* principe cum exercitu eò misso, acri obsidione cinctam expugnaverat, suique juris fecerat. Rex *Velitris* profectus *Fortini* montis oppidum munitissimum, quod quidem capi posse nisi longa obsidione non videbatur, paucarum horarum spatio cepit, itemque *Ferentinum*, quæ utraque in *Ferdinandi* erant partibus. Eâ re confectâ, suum hominem ad Pontificem misit: ni pactis, quæ sunt in ipsorum fœdere, steterit, sese primùm omnium sua in illum arma conversurum: quo accepto nuncio Pontifex regis militibus arces tradidit. Ferociore regis milites impetu primùm in *Alfonsi* ditione castellum in *Casſinate* saltu, & militibus & commeatu communitum, vi captum diripuerunt, propugnatoribus incolisque omnibus ad unum interfectis, quòd præmissi ad oppidanos de deditione nuncii ab iis malè accepti fuerant. Id castellum *sancti Joannis mons* ab incolis appellatur: tenebaturque ab *Aterni* regulo, quo uno nemo erat *Ferdinando* regi charior. Itaque hoc successu rerum suarum *Carolus* cum exercitu equitum militumque numero triginta millium, in regnum *Neapolitanum* ingressus, ad *Casſinum* venit: quo in oppido *Ferdinandus* cum esset, haberet autem milites numero ad quatuor mille, equites alteros totidem, oppidanos cohortatus, ne se diripi sinerent, sed fortunæ cederent, seque in aliud tempus reservarent, oppido profectus, *Capuam* suis cum copiis contendit. *Casſinates* eo profecto sese *Carolo* dediderunt. Ad quem non intermissis itineribus *Capuæ* appropinquantem, *Cajetæ* civitas legatos misit, ei se oppidum tradituram, imperataque facturam. *Cajeta* in deditionem recepta, *Capuani* & ipsi regi oppidum tradiderunt. *Capuam* ubi rex venit, *Giemes*, quem *Roma* secum abduxerat, in morbum incidit, cujus sustinere vim non potuit.

Carolus rex quas arces & oppida ceperit.

Ferdinandi regis *Neapolitani* fuga.

Giemes Sultanus moritur.

At *Ferdinandus*, cùm *Neapolim* petiisset, ejus exercitu intra mœnia non admisso, ipse cum suo comitatu equitibusque paucis est receptus: qui voluntate civitatis intellectâ, quæ *Gallos* exspectare ne diriperetur, nolebat, combustis duabus navibus magnis ex tribus, quas in portu habebat, ne in manus hostium pervenirent, tertia *Objecto Flisco* tradita, equos propè trecentos egregiæ sobolis suis civibus amicisque distribuit, deinde *Neapolitanâ* arce, quam appellant *Novam*, militibus reliquisque rebus ad obsidionem sustinendam idoneis apprimè communita, cum *Federico* patruo, & uxore *Ferdinandi* avi sui atque filia, in insulam *Megaram* sese contulit. Ex ea insula, quæ est non longè ab oppidi littore, *Neapolitani* reges arcem munitissimam effecerunt. *Carolo* rectà *Neapolim* cum exercitu properante, *Virginius*, *Nicolausque Ferdinandi* duces quòd intellexerant civitatem legatos de deditione ad *Carolum* misisse, *Nolam* se cum ea, quam habebant, manu receperunt. quos præmissi *Caroli* equites cùm insequerentur, *Nolani Gallis* portas aperuerunt, retentis interceptisque *Nicolao* atque *Virginio*, qui ambo in *Gallorum* potestatem venerunt: tametsi jam ante à *Carolo* petiissent, ut in suam fidem sese reciperet, idque eis *Carolus* esset pollicitus. itaque in eo fides est regia desiderata. *Carolus* intellectâ *Ferdinandi* fugâ, *Neapolim* venit, præmissis suis ducibus, ne militum & equitum introitu oppidum egregium atque opulentum diriperetur. Eo potitus, per legatos *Venetos*, perque literas Senatui gratias egit, quòd otium sibi atque benevolentiam, quam pollicitus fuerat, præstitisset. *Ferdinandus* suis cum mulieribus & suppellectili bene magna, navibus longis duodecim ad *Aenariam* trajecit, insulam & situ & opere munitissimam: abest à *Neapoli* duodeviginti millia passuum.

Megara Insula.

Carolus rex *Neapolim* capit.

In-

Turcæ ob Galli victorias sibi metuunt.

Interim fama de adventu, deque successu rerum *Caroli* ad *Turcas* perlata, propterea quòd rex palàm dictitaverat, *Neapolitano* regno capto, se in *Turcas* profecturum, eisque bellum terra marique illaturum, tanta fuit ejus rei opinio, tantusque omnes eas gentes terror invasit, ut in *Illyrico*, *Epiro*, *Acarnania*, *Macedonia*, qui maritimas earum regionum oras atque portus incolebant, se introrsus reciperent, atque in longinquas à littoribus, & remotas latebras abderent. Literæ etiam ab *Antonio Grimano* ad Senatum venerunt, cùm ad *Naupactum Aetoliæ* littora navibus longis præterveheretur, *Turcas* eam esse classem *Gallicam* verentes, omnes aufugisse, vacuaque littora custodiis reliquisse: ut quilibet existimare potuerit, si se modò *Carolus* illis in locis ostendisset, parvo eum negotio omnes eas regiones in suam potestatem redigere potuisse. *Bajasetes* quidem rex jam inde cùm primum *Florentiam Carolum* esse ingressum cognovit, veteres triremes reficere, novas instituere cœpit: militibusque suis & equitibus edixit, se compararent, ut cùm vellet, sibi præstò esse possent.

Classis *Hispanorum* in *Siciliæ* defensionem missa.

Eodem quoque tempore & naves sexaginta, quibus in navibus erant militum sena millia, equites sexcenti, ab *Hispaniæ* missæ regibus, ut *Siciliæ* præsidio essent, *Triturritam* appulerunt: & *Laurentius Suares*, quem iidem reges legatum ad Senatum miserant, *Venetias* venit. Causa mittendi fuit, quòd timuerant, ne *Carolus Neapolitano* regno capto, in animum induceret, etiam *Siciliam* insulam, quæ aliquando *Galliæ* regibus paruisset, eodem quo *Neapolim* jure velle suam facere. Ii cùm suis rebus timerent, *Gallorum* audaciam atque potentiam veriti, existimabant *Venetos* vicinitate periculi adductos, quòd magnum regem in *Italia* pollentem viderent, eodem in timore versari, propterea quòd res omnes publicæ, validæ præsertim atque firmæ, suspectæ ac formidolosæ sunt regibus. Itaque *Suari* mandaverunt, ut salutato Principe, & patribus, eos certiores faceret, sese, quo ipsi animo in *Carolum* essent, eodem esse *Venetos* existimavisse. quòd si cavere sibi ab illo cuperent, se paratos esse unà cum ipsis omnem fortunam experiri. scire se, qua prudentia, qua fide Senatus *Venetus* esset: nemine cum rege libentius, quàm cum ipso, fœdus percussuros. venturum in societatem periculi *Alexandrum* Pontificem Maximum, qui nihil æquè cupiat, atque hoc, ut ipsos & *Venetos* sibi conjunctos habeat, quorum armis, si quid durius accidat, se munire ac tueri possit, eo socio non minimum roboris atque virium, plurimum quidem certè autoritatis, in commune accessurum: ut magnopere sperandum sit, si consenserint, omnia prosperè atque feliciter casura. Ea legati oratio gratissima fuit Patribus, quos jam *Caroli* rerum successus circumspicere sesemet, & vereri multa cogebat, quæ ambiguo adhuc eventu belli non æstimabantur. Huc accedebat, quòd *Ludovicus* ipse diffidere *Carolo* cœperat, cùm ob ejus literas imperiosiores ad se missas, quibus eum literis rex *Neapolim* evocabat: tum propterea quòd *Joannem Jacobum Triultium*, quem quidem ipse *Mediolano* expulerat, exulemque fecerat, hominem sibi multis de causis inimicum, *Carolus* suam in fidem apud *Neapolim* receperat: postremò quòd *Aloisium* propinquum suum, quem *Astæ* relictum suprà demonstratum est, inde postea discedere *Carolus* noluerat. Eæ res, quòd nonnullam ostendebant in *Caroli* animo inesse de *Ludovici* fide suspicionem, *Ludovicum* item suspensum animi fecerant, quantum regi esset credendum. de eo ipse apud legatum *Venetum* questus ei ostendit, libenter se

Legatio Hispanorum ad Venetos.

A à *Gallis* discessurum, fœdusque cum republica renovaturum.

Federici Imperatoris obitus.

Erant præterea in urbe *Maximiliani* regis legati, cujus pater *Federicus* Imperator eo anno mortem obierat, qui Senatum in *Gallos* incitare non desistebant. Eorum oratio, propterea quòd *Maximilianus Ludovici* fratris filiam in matrimonium duxerat, eratque cum eo planè conjunctissimus, ex ipsius ore *Ludovici* mitti propemodum videbatur, tametsi *Maximiliano* quidem ipsi omnis erat ad *Gallorum* opes atque potentiam invisa molestaque accessio: quem quidem etiam recens accepta insignis injuria contra *Carolum* sti- B mulabat, *Margarita* filia sua cum dote plures ante annos ei tradita, cui tamen *Carolus* propter ætatem puellæ nondum se adjunxerat, repudiata, *Annaque Armoricarum* gentium regina, quam *Franciscus* pater *Maximiliano* spoponderat, sibi à *Carolo* prærepta, & uxore ducta.

Legati Maximiliani ad Venetos.

Maximiliani filia multas cum Carolo Galliæ rege.

Interim *Neapolitanis* arcibus duabus partim vi, partim pretio expugnatis, magna *Calabrorum* populorum, magna *Brutii*, magna etiam *Apuliæ* parte in deditionem recepta, *Carolo* non jam ea, qua consueverat, facie facilitateque legatos *Venetos* admittente, non nihil etiam interdum jactante, brevi fore, ut qui se noluerant in *Ita-* C *liam* trajicere, *Neapolimque* capere, eos suæ malevolentiæ pœniteret: de fœdere inter eos sanciendo diligentius est agi cœptum per eorum omnium legatos apud Senatum: ad quem quidem *Ludovicus* eam ob rem novam etiam legationem miserat. *Suares* quidem ipse jam ab initio suarum hortationum Patribus dixerat, jussum se ab regibus, quamcunque fœderis legem Senatus juberet, in ejus verba jurare: satis sibi fore, si unum modò scirent, Senatum ita statuendum judicavisse. Nam omnino *Alexander*, qui jam *Gallos* esset expertus, dixissetque palàm, si redeant, se *Venetias*, ne eos iterum videat, profecturum: D cupidissimè avidissiméque illum ipsum expectabat diem, quo se cum republica reliquisque conjungeret. Itaque pridie Calendas Aprilis fœdus initum ab iis, sancitumque est in annos XXV. majestatem *Romani* Pontificis, dignitatem, libertatem, jura eorum, ditionesque omnium tuendi & muniendi causa. quo ex fœdere equitum triginta quatuor millia, peditum viginti confecta parataque habere universi tenerentur, suo cuique sigillatim attributo numero. Is erat, equitum quidem Alexandro quatuor millium, *Maximiliano* sex, *Hispaniæ* regibus octo, reipublicæ totidem, *Ludovico* item octo. peditum verò singulis qua- E tuor millium. quem si quis equitum peditumque numerum propter longinquitatem itineris, ac rei bene gerendæ celeritatem mittere in tempore non possit, ei sit in socios eorum stipendium conferendum auri sexcentenæ libræ: ii exercitum pro illo conficiant. Quod si classis bellum indigeat, quibus adest parandarum navium facultas, ii tantam, quanta opus erit, parent, ab reliquis pro sua cujusque parte stipendium attribuatur, ea lex ejus fœderis fuit. quo omnino in conficiendo cùm tot adessent legati, tot civibus tractandæ rei adhibitis, toto demum vocato sæpius & consulto Senatu, tanta tamen fuit jussu *Decem-* F *virûm* in Patribus reliquisque omnibus continendæ vocis cura, ut *Philippus*, *Caroli* regis legatus, cùm in curiam quotidie ventitaret, atque ab legatis reliquis appellaretur, nihil ejus tamen cognoscere potuerit. Itaque cum postridie ejus diei, quo die scripta lex est, in curiam vocatus à principe fœdus esse percussum intellexisset, & nomina fœderatorum cognovisset, mens penè hominem reliquit. tametsi princeps ei dixerat, ea quæ fecissent, non propterea esse facta, uti bellum cui-

Fœdus inter Pontificem, Venetos, Hispanos & Maximilianum contra Regem Carolum.

cuiquam inferrent, ſed ut, ſi inferretur, propulſarent. Demum is revocato ad ſe pauliſper animo, quid, inquit, meus rex in *Galliam* reverti non poterit? tum princeps, ille verò, inquit, poterit, ſi redire amicus volet, noſque illum rebus omnibus juvabimus. quo reſponſo accepto diſceſſit: atque ubi curia egreſſus, remenſis, quas aſcenderat, ſcalis in aream deſcendit, ad ſcribam Senatus, qui eum comitabatur, converſus, rogo te, inquit, ſodes, mihi eum ſermonem recenſeas, quem princeps mecum habuit: nihil enim jam ejus memini. Petierat à Senatu *Alexander*, antequam de fœdere eſſet confectum, vellent Patres pro ea, qua ſemper civitas fuerat in *Romanos* Pontifices pietate, equites levis armaturæ quingentos, milites bis totidem præſidii ad ſe cauſa mittere: ea enim factione, quæ regi ſe adjunxerat, *Romanorum* principum omnia ejus conſilia magnopere impediebantur. Itaque percuſſo ſtatim fœdere, Patres juſſerunt ex illis, qui *Ravennæ* hiemaverant, equitibus, quique ibi adhuc quidem morabantur, is ut *Romam* numerus celeriter contenderet: tum ut *Hieronymo Georgio*, qui apud *Alexandrum* legati munere fungebatur, pecuniam quæſtores è veſtigiò curarent, quâ is pecuniâ mille in urbe milites conſcriberet. Literas ad *Ludovicum* præterea dederunt, ipſe quoque idem faceret, mitteretque alteros totidem *Romam* milites equiteſque: quo fultus auxilio Pontifex, dignitatem poſſet ſuam facilius atque honeſtius tueri. Legati poſt hæc, qui ad *Carolum* à Senatu miſſi fuerant, domum ſunt redire juſſi. ipſe verò interea *Carolus* cognito, de quo dictum eſt, fœdere, veritus ne ſi moram *Neapoli* traheret, dum ii novas copias cogerent, exercituſque conjungerent, ab eis intercluderetur, ne in *Galliam* reverti poſſet, ſtatuit optimum eſſe quamprimùm diſcedere, ſperans, ſi modò antequam ii omnibus ad bellum rebus inſtructi paratique eſſent, proficiſceretur, *Italiæ* itinera ſibi ipſum, illis etiam nolentibus, patefacturum: nam mari tantum exercitum trajiciendi navium ei facultas non erat. quam enim *Genuæ* paraverat claſſem, ea maximâ contra tempeſtate afflicta, atque in littus ad *Populoniam* ejecta, nullum ei uſum præbuerat: cujus quidem præfectus & princeps *Salernitanorum Antonius* pedibus ſe ad eum contulerunt. Interim à *Ludovico* maximè omnium ſe deceptum dictitans, avertere ab illius imperio *Genuenſium* civitatem ſummo ſtudio concupivit: itaque *Petro Fregoſio* Cardinali, qui dux eorum fuerat, ſuas in partes traducto, eum, & *Objectum Fliſcum*, & præfectum ex ſuis *Seguſianorum* principem cum navibus longis undecim, quas habebat, ex ſua claſſe reliquas eò miſit: ipſe, equitum & militum octo millibus regni præſidio relictis, ad diem tertium decimum Calendarum Junii cum reliquo exercitu *Neapoli* profectus viæ ſe dedit. *Alexander*, ad quem quidem *Veneti* de *Carolo* id, quod accidit, opinione exiſtimantes futurum, ut, nuncio de fœdere accepto, in *Galliam* redire contenderet, Pontificis timentes rebus, jam ante eos dies alteros equites levis armaturæ quingentos ex iis, quos ab *Epiro Laconiaque* accerſitos celeritate præſtantiſſimos habebant, miſerant, quibus ad omnes caſus uti poſſet, regem *Romæ* appropinquantem, Cardinalibus *Romaniſque* principibus adhibitis, non expectare decrevit: ſeptuſque equitum numero duûm millium quingentorum, diſceſſit, atque *Urbem veterem* biduo venit. Illis diebus *Carolus* certum hominem ad Senatum miſit, qui ei diceret, ſuum regem nulli unquam homini ſupplicaviſſe: ſcire tantùm velle, utrum civitas amico in ſe, an A hoſtili animo eſſet. Ad ea princeps ita reſpondit: Prudentium eſſe hominum, planéque ſapientum, aliorum interdum voluntati ſe permittere, aliorum opem poſcere, precari: illud in ipſo eſſe, amicuſne an inimicus reipublicæ velit eſſe. Is poſtea nuncius, & *Philippus* regis legatus unà *Venetiis* diſceſſerunt.

Reſponſum *Venetorum.*

Florentini autem cùm intellexiſſent *Venetos* cum Pontifice ac *Ludovico*, reliquiſque regibus conſenſiſſe, *Carolumque Neapoli*, ut in *Galliam* rediret, diſceſſiſſe, novas militum copias celeriter conſcribere, ſeſeque præſidio communire cœperunt, ut ſi *Carolus* eà vellet iter facere, oppidumque ingredi, B repellere illum poſſent: ſtatuerat enim civitas, nullis iterum conditionibus eſſe regem mœnibus recipiendum. Pontifice profecto, *Carolus Romam* venit, atque ad *Alexandrum* legatos miſit, velle ſe eum alloqui: plurimùm utriuſque intereſſe, ſibi ejus rei fieri poteſtatem. Colloquio non impetrato, *Tuſcanellam* in via *Caſſia* oppidum, quod quidem magna oppoſita ruricolarum manu *Gallos* intromittere noluerat, ejus milites, itemque *Fiſconis montem* vi ceperunt. quod ubi Senatus cognovit, reipublicæ ſocium, & quidem omnium dignitate principem à *Gallis* violatum, bellique factum à *Carolo* initium in C fœderatos: eoſque homines, cùm intra fines imperii vel reipublicæ, vel *Ludovici* veniſſent, à maleficio non temperaturos exiſtimaret: præter id quod in *Gallia* terreſtrium copiarum comparabatur, decrevit, uti *Antonius* ea cum claſſe, quam civitas illis ipſis auxerat diebus, ad *Saſonem* inſulam accederet, ut in *Apuliam* trajiciendi, cùm juberetur, mora ei nulla fieret: optimum enim eſſe ſtatuerat, ſi *Galli* furere inciperent, ea etiam à parte illos laceſſere. *Carolus* relicta *Florentia*, quæ ſe præſidiis firmaverat, *Piſas*, deinde *Lucam* venit. Pontifex, qui *Peruſiam* erat profectus, equitibus, quos à *Venetis* & *Ludovico* acce- D perat, reverti juſſis, *Romam* rediit. Hæc dum agerentur, *Aloiſius* princeps *Genabenſium*, *Aſtæ* à *Carolo* relictus, *Salaſſis* adjuvantibus, tum è *Gallia* tranſalpina, atque ab *Helvetiis* milite celeriter accerſito, vaſtatis *Ludovici* finibus, tranſmiſſo furtim *Pado* flumine, *Novariam* per proditionem cepit. Erat eo in oppido civis, cujus fratris fundos valde quidem fructuoſos *Ludovicus* poſt ejus mortem dolo malo ſuorum cuipiam addixerat, ipſo ad ſepulchrum in judicium ſiſti juſſo. Is fraternos ulciſcendi manes ſtudio milites *Aloiſianos*, recluſis bene manè portis, intra mœnia recepit. Ita *Galli* apertius eodem tempore alterius regnum ſocii reipublicæ invadere, ac priores bel- E lum gerere cœperunt.

Florentinorum apparatus bellicus.

Carolus colloquio Pontificis arcetur.

Tuſcanella capta.

Novaria proditione capta.

Illis ipſis diebus Patres conſulto Senatu decreverunt, uti quina millia *Italorum* equitum nova conſcriberentur: bina millia ex *Epiro Græciaque*, præter illos, qui imperati jam erant, accerſerentur. *Franciſco* autem *Mantuanorum* principi Senatuſconſultum prius in annos quatuor renovatum eſt, ſtipendiaque uberiora conſtituta. tum ſcriptus unà *Rodulfus* ejus patruus, ſcriptus etiam ante eos quidem menſes *Guidus Ubaldus Feltrius*, qui regnum in *Metaurenſibus* obtinebat, cum equitibus quadringentis ſeptuaginta. Illis autem F diebus *Hannibal Bentivolus Joannis* filius cum quadringentis, & *Paulus Manfronius Vicetinus*, qui *Neapolitano* in regno tunc erat, cum ducentis: equiteſque ab *Epiro Acarnaniaque* ad littus *Venetum* advecti circiter mille. Exercitu deinde luſtrato, milites equiteſque in fines *Brixianorum* juſſi procedere: creatique legati *Malchio Trivi ſanus*, *Lucas Piſanus*, ad exercitum profecti ſunt. Senatus etiam ſcriba *Bononiam* miſſus, qui *Joannem Bentivolum* in officio contineret. Itaque cum

Venetorum decretum de belli apparatu.

cum rex paulò pòst ad eum misisset, petens ut itineris per ejus fines oppidumque faciendi facultas sibi fieret, impetrare nihil potuit. Auri præterea quingentæ libræ *Ludovico* petenti mutuò à Senatu datæ, deinde etiam trecentæ. Post hæc Senatusconsultum factum est, uti militum in *Gallia* & *Venetia* quina millia imperarentur, ex *Helvetiorum* pagis bina millia accerserentur: qui autem jam tum pedites equitesque convenissent, ii omnes in *Parmensem* agrum mitterentur. Neque multò pòst alio Senatusconsulto *Franciscus* imperator dictus est, eique res militaris permissa. Præfectus etiam *Græcis* equitibus *Bernardus Contarenus* datus: tum vexillum imperatorium publicè *Francisco* missum: qui facto ad *Ollium* flumen ponte, exercitum traduxit, & firmato munitionibus ponte ab ea ripa, quæ in *Cremonensi* agro est, alterum pontem in *Pado* flumine navibus imposuit, atque ex utraque ripa fossa & vallo aggereque præalto muniit. tum exercitus in *Parmensem* est agrum traductus. Ejus rei litteris acceptis, imperator à Senatu jussus est, si *Galli*, dum redeunt, ei molestiam exhibeant, ipse autem sine reipublicæ incommodo posse id fieri videat, in eos impetum faciat: sin res in angusto sit, prælio abstineat, suoque se loco atque milites contineat. quòd si pacati iter faciant, nihil eis noceat, sed sinat intactos discedere. Eo accepto nuncio, imperator ad *Tari* fluminis pontem ducto exercitu, qui pons abest à *Parma* oppido passuum millia quatuor, castra posuit: cumque eò *Ludovici* equites bis mille, milites totidem, *Joanne Francisco Severinate* duce convenissent, exercitum traduxit, atque ad *Oppianicum* vicum, quà *Gallis* erat iter faciendum, in ipsa *Tari* fluminis ripa, quod pedibus transmitti poterat, neque enim ripas præaltas habebat, consedit non omnino pleno exercitu, quòd non omnes, qui expectabantur, erantque jam in itinere, equites peditesque convenerant. reliquæ *Ludovici* copiæ apud *Novariam* distinebantur: ad quem quidem à Senatu petentem, ut *Græcos* equites ei mitteret, quibus eo bello uti posset, Senatus *Bernardo Contareno* præfecto sexcentos misit.

Rex *Lucâ* profectus per *Apennini* juga ad *Apuanos Ludovici* municipium venit. Oppidani *Joannis Jacobi Triultii* suasu sese regi dediderunt: quos tamen paulò pòst ejus milites pace fracta diripuerunt, oppidumque incenderunt. Ex eo loco rex *Triultium* cum prima acie præmisit, qui montano confecto itinere se expectaret, exploratoresque mitteret, ut quid hostes molirentur, scire posset. Interim imperator præmissis equitibus atque militibus, quot visum est ad *Gerulam* vicum, qui à *Foro Novii* abest passuum millia tria, uti regis itinera cognoscerent, locumque castris caperent, postridie ejus diei, mane cum reliquis copiis omnibus eò venit. erat autem universus exercitus equitum ad duodecim millia, militum propè altera totidem. Ibi cum esset imperator, à speculatoribus certior factus est, *Triultium* cum equitum cataphractorum & militum *Helvetiorum* manu præmissum, è jugis in planitiem ad *Forum Novii* descendere. Ille autem, ut postea cognitum est, vicum magnopere opportunum, in quo se regiæ copiæ confirmarent, atque ab *Apennini* itinere reficerent, capere volebat: eóque partem suorum præire jusserat: ipse cum reliquis se, ut sequeretur, comparabat. Ea intellectâ re, imperator *Græcos* equites sexcentos præmisit, qui eos impedirent: ipse cum equitum firmiorum

Prælium.

agmine illis præsidio est subsecutus. *Græci* velocitate suâ usi, ubi primos venientes conspexerunt, in eos impetu facto, prælioque commis-

A

so, universos repulerunt, repulsos usque ad castrorum munitiones consecuti, complures eorum occiderunt, complures captivos fecerunt, uno suorum tantummodo amisso, quem parvi tormenti pila è vallo missa trajecerat. Eo mortuo, captivos propè omnes interfecerunt, capitaque abscissa in castra revertentes attulerunt circiter quadraginta. *Triultius* sibi suisque veritus extremum in jugum se recepit: regemque ibi triduum expectans, est commoratus: quo si tempore *Venetus* illum adortus esset, ea se manu defendere non potuisset: quo capto, reliquum exercitum expugnare haud maximi negotii fuisset.

B

Ea re ab imperatore, atque ab legatis & principibus jactata, quòd existimabant, si primam aciem prælio vicissent, *Carolum* reliquasque copias *Lucam* reversuras, seque in tutum recepturas: ne qua eos manus elabi effugereque posset, ab illo aggrediendo destiterunt. quanquam postea fuere, qui crederent *Severinatem*, qui ejus consilii princeps fuerat, non eam ob causam, de qua dixi, sed propterea quòd ex *Ludovici* præscripto regi magnum fieri detrimentum nolebat, ne civitatis ex eo *Venetæ* nomen existimatioque augeretur, summopere in concilio, id ne fieret, obstitisse. Civitas interea cùm intellexisset, regem

C

magno animo in *Venetos* impetum facturum, quos imparatos adhuc plurimis ab rebus esse audierat, permota, largitiones in sacrarum virginum collegia, precesque ad omnia templa fieri jussit, votaque pro salute patriæ publicè suscepta sunt. Rex triduum illud tormentis bellicis ex ære magni ponderis impeditissimis itineribus per invia atque abrupta montium convehendis moratus, non iis modò, quæ priore itione secum habuit, sed illis etiam, quæ cum reliquo exercitu in *Flaminiam* præmiserat, cum omnibus copiis *Forum Novii* ante meridiem se contulit. Eo die remissi *Græci* equites usque ad regis castra compluribus

D

cum *Gallorum* capitibus ad imperatorem redierunt. Et *Foro* autem *Novii* missus tubicen à *Philippo Argentonio*, qui regis nomine itineris propter castra faciendi facultatem ab legatis peteret: ea non impetrata, quòd legati dicerent, nisi rex capta ab se atque suis sociorum reipublicæ oppida restitueret, se id non concessuros, ad regem reversus spem pacis omnem sustulit.

Spes pacis præcisa.

Ea intellecta res magnum attulit *Gallis* timorem, qui è collibus castra *Veneta* prospexerant in amplissimum tabernaculis porrecta campi spatium: visumque eis est tantis oppositis hostium copiis rem ipsorum in angusto esse: itaque vulgò qui sapientiores erant,

Castra Veneta.

E

tribuni ducesque, magis magisque regi sibique verebantur, gravissimumque omnibus impendere casum atque periculum arbitrabantur. qui quidem timor ea, quæ secuta est, nocte auctus conduplicatusque est: magnæ enim pluviæ, ingentiaque tonitrua, & crebræ atque terrificæ coruscationes fuerunt, ut cœlum propè discedere videretur, ultimamque plurimi sibi noctem illam fore ea Deorum immortalium quasi denunciatione moniti crederent.

Timor in castris regiis.

Timoris vis.

Solet autem ferè semper accidere, ut cùm semel vehemens aliquis mentes hominum incessit timor, etiam iis, quæ timenda non sunt, animi eorum magnopere perturbentur.

F

quamobrem cùm parum in somno, multum in consiliis inter se fuissent, orta vix luce, qui fuit dies pridie Calendas Julias, *Caroli* præfecti aciem instruxerunt, atque iter facere cœperunt. Interim consultis legatis, principibusque reliquis, quidnam esset potissimum agendum, legatis prælium dissuadentibus cùm propter Senatusconsultum, de quo suprà dictum est, tum verò etiam quòd complures equitum turmæ, militumque centuriæ neque dum vene-

venerant: nam & *Pandulfus Ariminiensium*, & *Joannes Pisaurensium* principes, & *Paulus Manfronius* cum sua quisque cataphractorum equitum copia, innumerique milites expectabantur, tandem *Gallos* aggredi, qui reipublicæ sociorum oppida cepissent, atque incendissent, præliumque committi placuit.

Gallorum acies.

Erant *Gallorum* copiæ tres in acies instructæ: quarum in priore magnam spem duces habebant, quòd eam & numero equitum, ac militum robore munierant: eique addiderat quatercentos ex cohorte regia eorum, qui sagittis in equo utebantur: quos quatuor millibus *Helvetiorum* militibus, quibus maximè confidebant, immiscuerunt. In media erat acie rex, eaque propè omnis *Galliæ* nobilitas continebatur, ab postremæ lævo latere impedimenta sequebantur, tormenta omnibus aciebus erant præposita: eæque acies non ita magno inter se relicto spatio constipatæ, celeriter, uti si possent, *Venetos* effugerent, vadebant. Interea nuncii ad *Venetorum* castra, qui pacem ab legatis peterent, fallendi gratia mittebantur.

Venetorum acies instructa.

Ubi id imperatori nunciatum est, militibus ut arma caperent, imperavit, ipse deinde armato exercitu, & insessis equis copias omnes ita disposuit, ut ex iis novem acies efficeret: quarum quinque equitum cataphractorum essent, tres militum, equitum levis armaturæ una. quæ res impetum exercitus imminuit: nulla enim earum satis virium ad hostem propellendum habebat.

Tarus flumen.

Erat inter utrumque exercitum *Tarus*, de quo dictum est, flumen, quod ea nocte creverat: ejus autem vallis planities impedita non ripis modò fluminis, sed glarea etiam, grandibusque saxis, tum & virgultis, &, quòd magnæ pluviæ fuerant, lubrico & lacunoso cœno, ut inæquabilem & difficilem transitum daret.

Prælium.

Gallorum prima acies cùm ante castra *Veneta* pervenisset, armari milites conspicata, magnum in eos pilarum ferrearum numerum tormentis immisit: quas tamen propè omnes supra militum capita vis ignis impetusque abstulit, ne magnopere nocerent: percommodéque ea in re accidit, quòd tum cœlum erat pluvium, ut sua *Galli* tormenta, quorum magnum numerum habebant, amplius exercere non potuerint. Tum verò imperator moras omnes posthabendas ratus, magno ipse animo, & rei bene gerendæ fiducia pleno, quem etiam provehebat adolescentia, instructo exercitu, constitutoque quid fieri oporteret, ac permissa patruo reliquas acies submittendi potestate, signo pugnæ dato, & transmisso pedibus flumine, regis exercitum, qui quidem mille passuum iter eoque amplius jam præcesserat, citato gradu insequi cœpit: eumque propè medium assecutus, in regis aciem, quæ se converterat, impetum fecit. Prælio acriter commisso, cum fortissimè ab utrisque pugnaretur, *Rodulfus* acie una maxima atque plenissima, cui *Antonius Feltrius Guidi Ubaldi* frater nothus præerat, jussa consistere, altera castris præsidio esse, neque se loco ambas movere, donec ipse eas vocet, imperatorem subsecutus, cum secunda acie in *Gallorum* globum sese injecit, acerriméque pugnans eum disjecit: neque imperatori modò auxilium peropportunè attulit cum illius acie se conjungens, sed magnum etiam addidit suo adventu ejus militibus animum. Itaque ambæ acies parvo temporis spatio magnum *Gallorum* numerum occiderunt, magnum ex suis amiserunt. Rex cum paucis relictus, admonitus à suis pugnantibus, se subripuit. Eodem ferè tempore acies tertia, cui *Severinas* præerat, primam *Gallorum* aciem consecuta, pedem statim retulit, non ausa, vel potius non jussa progredi. Omnibus autem equitum aciebus, quæ ad regis exercitum contenderunt, idem fere perincommodè accidit, ut & flumine transeundo, & ripis superandis, & saxis pervadendis, & virgultis ac cœnosa via conficienda, multa etiam pluvia, non solum ordines servari non potuerint, sed complures prolaberentur, complures se medio itinere continerent, multi aliorsum flecterent, ut parva eorum pars prælio interfuerit. nam milites plerique omnes, exceptis ducentis, *Genua Veneto* duce, paucisque ex imperatoris comitatu, qui equitibus interjecti ejus latus muniebant, pugnam detrectaverunt. At verò *Itali* equites levis armaturæ, quos unà cum *Græcis* imperator jusserat ab hostium tergo lævum latus montium capere, atque ab latere adverso in eos impetum facere, ubi impedimenta conspexerunt, in ea spretis imperiis propè omnes convolaverunt, custodibusque aliquot occisis, ea rapere atque abducere contenderunt: quos *Græci* equites imitati, idem fecerunt. exceptis eorum ducibus, qui cum paucis ad hostes lacessendos contenderunt. Ea res magna ex parte reipublicæ victoriam interpellavit: nam si in hostium acies à latere, ut debebant, eratque eis imperatum, ii omnes impetum fecissent, *Galli* se pugnæ subducere sine certa clade non potuissent. tametsi alia etiam ex parte casus adjumento atque præsidio *Gallis* fuit: duæ enim equitum acies, quemadmodum *Rodulfus* imperaverat, ne se loco moverent, prælio non interfuerunt, expectantes quam is in partem eas vocaret. Ille autem à *Gallis* interfectus fuerat. ita qui repulsi atque fracti fugæ se mandare cogitabant, restituto ab reliquis aciebus, quæ regi auxilio venerant, prælio, se continuerunt. Pugnatum igitur est acriter, ut antè dictum est, ab utrisque, cædesque ingens facta: eoque res horæ spatio deducta, ut neutris planè victoribus, defessis potius pugnando, quàm permittentibus *Venetis*, *Galli* se celeriter subriperent: ac magna impedimentorum parte direpta, cumque iis regio tentorio & cubiculo, & supellectili sacra, qua rex in templo utebatur, signisque militaribus aliquot amissis, tantum itineris quantum lassitudine atque vulneribus confecti poterant, contenderent, noctemque illam magno cum timore sub dio sine tabernaculis, sine castris exigerent. Imperator sua in castra rediit.

Gallorum fuga.

Venetorum strages.

Desiderati sunt ex *Venetis* circiter mille quingenti: quorum non minimam quidem partem vel iniquitate loci detentam, & vagam, vel acceptis vulneribus, aut suffossis equis prolapsam & morantem, calones lixæque *Galli*, quorum permagnus erat numerus, qui ab equitatu leviore disjecti se ad acies referebant, desertos à reliquis militibus plures singulos adorti securibus interfecerant. Ex iis qui fortiter pugnantes interierunt, fuere, præter *Rodulfum*, imperatoris præfectus militum *Ranutius Farnesius Romanus*, claro loco natus, vir magnâ virtute, *Alexandri Farnesii* illius, qui postea Pontifex Maximus creatus, *Paulus* tertius dictus est, patruelis frater: & familiaris imperatoris comitatus parte plus media, tum præfecti equitum viri fortissimi duodecim, centuriones quatuor.

Ranutius Farnesius.

Bernardinus autem *Montonius*, multis vulneribus acceptis, equo dejectus, inter cæsorum corpora repertus, per suorum humeros relatus in castra, servatusque est.

Bernardinus Montonius.

In ipso verò prælio *Nicolaus Ursinus*, quem *Nolæ* captum à *Gallis* dixeramus, & rex custodiri jusserat, pugnantibus omnibus elapsus, ad legatos *Venetos* contendit, suamque operam reipublicæ pollicitus, *Gallos* propè fractos esse, eos si quævis una ipsorum acies insequatur, terga daturos confirmans, contestansque Deos: id ut legati mandarent, magnopere suadebat: qui perculso temerè exercitu, mili-

Nicolaus Ursinus.

litibusque aut dispersis, aut pedem referentibus, eam rem aggredi non sunt ausi.

Gallorum internecio. Ex *Gallis* interfecti sunt ad mille, atque ex iis dux vigilum regis, itemque sagittariorum, & magistratus is, quem ipsi magnum *Mareßalem* appellant, aliique præfecti militum decem: tum nothus *Boius*, primæ ferè apud regem autoritatis & magni inter *Gallos* nominis, vulnere accepto, duoque magnorum principum liberi, & sacerdos regius, aliique captivi facti, cùm eo prælio ex *Venetorum* exercitu nemo vivus in hostium potestatem venisset. Postero die rex ante lucem igne plurimo facto, ut ejus copiæ ibi esse viderentur, sine ullo strepitu abiit, celeritateque usus, quam longissimè potuit, antecessit. (Regis fuga.) *Veneti* mane consequi regem cum vellent, *Taro* flumine, quod ea nocte creverat, impediti restiterunt. Tum *Severinas*, qui prælio cum suis abstinuerat, imperatori legatisque sese obtulit, si sibi equitatum leviorem traderent, se regem remoraturum, dum ipsi cum reliquo exercitu veniant. Re impetrata, cum equitibus mille quingentis *Italis* profectus, longiore itinere per occasionem suscepto, quòd flumen crevisset, consequendi regem eo die volens tempus omisit: quem postea cùm esset consecutus, ei dux ministerque itineris potius, quàm morator fuit *Astam* propè usque: ut id quod petierat ab imperatore legatisque propterea videretur petiisse, ut illum in toto sisteret. Id ab eo de *Ludovici* sententia esse susceptum ea res indicio fuit, quòd *Bernardo Contareno* ab *Ludovico* petenti, uti se cum suo equitatu extremum regis agmen aggredi sineret, *Ludovicus* non permisit. Eo biduo magnus equitum conscriptorum, multo major militum numerus ad exercitum *Venetorum* venit. Imperator subsidente flumine cum exercitu profectus, cum rex bidui cum itinere præcederet, consequendi regem facultate amissa, *Græcos* equites levissimos sexcentos misit, qui ejus agmen carperent, quaque possent, exercitui nocerent. Ii dum iter facerent, multa in via cadavera *Gallorum* passim jacentia conspexerunt: ut plus etiam, quam credebatur, exercitui regio esse illatum cædis appareret. atque ii quidem equites postremum regis agmen celeritate consecuti compluribus interfectis, præda etiam factâ ad imperatorem redierunt.

Supplicatio pro victoria. Eo de prælio à Senatu supplicatio decreta est, gratiæque Diis immortalibus actæ, quòd civitatem magnopere suspensam tantarum rerum expectatione, fuga hostium liberavissent: *Nicolaoque Ursino* auri libræ decem dono datæ.

Sed rege *Carolo Neapoli* profecto, ut paulisper ad superiora revertamur, *Veneti* de classe regiâ in *Liguriam* missâ, ut suprà demonstratum est, certiores facti, suum hominem cum pecunia *Genuam* ad naves onerarias, quibus ad mercaturam uti civitas privatim consuevit, habetque in portu ferè semper multas, militibus rebusque omnibus ad bellum propulsandum idoneis celeriter armandas, contendere jusserunt: cùm *Ludovicus* item instrui naves longas aliquot ibidem jussisset. Pollicitæ præterea sunt procurantibus Patribus fœderatorum legationes *Genuensium* magistratui, ut libentius contra *Gallos* arma caperent, (Legati *Genuensium*.) se curaturas effecturasque, ut eis *Florentinorum* civitas *Serezanam*, *Serezanulamque* ac *Petram Sanctam* in *Apennino* oppida restitueret: ejusque rei petentibus ipsis Senatus prædem se dedit. Fuerant ea oppida complures ante annos *Genuensium* magistratus, qui publicæ privatæque pecuniæ, quæ in ærario vulgò deponitur, præest, ob eamque pecuniam dominis ternas centesimas quotannis solvit: sed ab iis, qui civitati tum

A præerant, pignoris nomine ad rempublicam *Florentinorum* pervenerunt, tercentum auri libris mutuò ab illa eis datis. Ea sibi reddi oppida civitas magnopere studebat, erantque illa ipsa, quæ *Carolo* tradere *Petrus Medices* pactus fuerat. Regis igitur classis ad littora *Genuensium* appulsa, cui quidem etiam ex *Apennini* jugis rex equites aliquot, peditesque *Gallos* quingentos auxilio miserat, totam illam oram, quæ ad orientem solem spectat, in ejus potestatem redegit, *Portu Veneris* excepto. ita belli ab *Carolo* initium ea etiam ab regni parte in *Venetorum* socios est factum.

B Postremò cùm *Galli*, *Paulo* & *Objecto* ducibus, successu rerum elati, pedibus *Genuam* aggrederentur, civitas armata illos fudit fugavitque eo ipso die, quo rex ad flumen *Tarum* adverso cum *Venetis* prælio dimicavit. (*Galli* ad *Genuam* cæsi.) Tum pridie Id. naves onerariæ longæque majori ex parte reipublicæ instructæ opibus obsessam in portu *Rapalo* classem *Gallicam*, *Rapalique* arcem expugnaverunt, navibus omnibus cum earum præfecto captis: quibus in navibus mulieres erant captivæ permultæ, virginesque sacræ aliquot suis è *Cajetæ* fanis abreptæ atque violatæ, aurumque item sacrum & argentum, ac fores æneæ portarum (Sacrilegia.) C affabrè illæ quidem factæ magnoque comparatæ pretio, quas arci *Neapolitanæ Galli* detraxerant. Pauloque pòst *Carretii* principes, qui *Finarium* oppidum à *Genuensibus* acceptum obtinebant, *Intimilium* oppidum, quod ad occidentem solem est, & *Galli* occupaverant, recuperaverunt: omnisque utrinque ora brevi ad *Genuenses* rediit, atque hæc quidem in *Liguribus* gesta sunt. (*Intimilium* recuperatum.) Cumque ad *Ludovicum* signa *Caroli* regis quatuor è *Gallorum* capta navibus *Genuensis* civitas dono misisset, *Ludovicus*, magno reipublicæ merito id se facere pronuntians, duo eorum legato apud se *Veneto* dedit.

D Eodem quoque *Genuenses* tempore legationem *Venetias* miserunt, quæ Senatui gratias ageret, (Legati *Genuensium*.) quòd ea, quæ feliciter contra *Gallos* gesserant, ejus liberalitate atque ductu primo, & initium, & incrementum, postremò etiam exitum habuissent. Imperator autem *Clastidii* cùm esset, regem subsequens, *Ludovico* postulante equites militesque ad bis mille, *Dertonam Alexandriamque* Senatus jussu præsidio misit. Eodem etiam petente, ut respublica legatos ex principibus civitatis ad se duos mitteret, qui secum rebus omnibus tam ambiguo tempore præessent, uti sui cives, omnesque homines cognoscerent, ei se E curæ, regnumque suum esse, *Lucam Zenum*, *Andream Venerium*, legatos Senatus creavit. (Legati *Venetorum*.) Ab iis legatione propter ætatem renuntiata, *Marcus Georgius*, *Benedictus Sanutus*, ad id muneris eorum loco *Mediolanum* sunt ire jussi. Inter hæc Senatus decrevit, ut eorum, qui fortiter atque amanter ad flumen *Tarum* contra *Gallos* rempublicam gesserant, vel viventium vel mortuorum ratio haberetur. Itaque imperator *Rodulfi* patrui equitatu stipendioque auctus est, nomenque ei clarius datum, ut latissimè imperator appellaretur: præterea dono quotannis auri triginta libræ constitutæ, centumque in stipendium in præsentia missæ. F Auctus & *Bernardino Montonio* equitum numerus ad mille, sexque auri libræ dono datæ in annos singulos: quæ quidem etiam nunc ad inutiles servato annos, ultimumque senium, & vitam modò producenti pecunia penditur. *Nicolao* item *Nonio* tum equitum *Græcorum* auctus numerus, tum verò etiam stipis summa, qua in annos singulos à republica donatus antea fuerat, amplior facta. (*Niceteria* iis qui fortiter pugnarunt à Republica *Veneta* data.) *Rodulfi* verò liberi in reipublicæ fidem recepti, pensioque librarum auri decem victus

victus annui nomine eis data: decretumque uti maribus singulis equitum turmæ singulæ, præfectique earum attribuantur, quoad ipsi exercere se per ætatem possint: fœminis, cùm erunt nubiles, dos è pecunia publica pro earum gentisque nobilitate numeretur. *Farnesii* duobus liberis maribus equites quadringenti, quos primo à republica stipendio pater eorum habuerat, cum præfecto dati, dosque ampla fœminis publicè pollicita. *Vincentii Corsii* liberis patris equitatus datus: filiæ, quam unam reliquit, dos auri librarum quadraginta constituta: intereaque dum fit nubilis, in virginum sacrarum collegio uti victus publicè subministretur, Senatusconsulto additum. *Alexandri Beraldii Patavini* equitatus *Francisco* fratri, qui cum illo ea in pugna fuerat, vulneribusque acceptis superfuerat, & pensio annua, quæ ei à Quæstoribus curabatur, attributa. Idem in *Roberti Strotii* item *Patavini* fratre superstite servatum. Literæ præterea publicè ad legatos datæ, curarent, ne quis, qui bene de republica meritus esset, ab ipsis præteriretur, quin de eo ad Senatum scriberent: ex eorumque litteris in complures, compluriumque liberos fratresque Senatus pietas liberalitasque extitit.

Gallorum natura in rebus bellicis.

At verò interea rex septimo post prælium die *Astam* ingressus fugæ finem fecit, confecto cum timore ac labore viæ, tum commeatus non omnino magna inopia exercitu. Nam ut sunt ad conserendas manus, præliaque committenda *Galli* omnium propè hominum paratissimi atque fortissimi, ita ad perferendos paulò diutius labores, inediamque tolerandam, supra cæteros animus eorum mollis infirmusque est, omnisque illa ardens ac vehemens brevi tempore virtus elanguescit atque restinguitur. Paucis pòst diebus edicto magistratuum *Gallorum*, *Veneti*, *Mediolanenses*, *Liguresque* omni è *Gallia*, quæ in imperio *Caroli* erat, exules facti sunt, pœna iis qui recepissent, constituta. Itaque *Petrus Paschalicus Venetus*, qui *Lutetiæ Parisiorum* Philosophiæ studiis sacrisque literis operam dabat, servili veste sese occultans in *Morinos* aufugit.

Exules è *Gallia* qui facti.

Petrus Paschalicus.

Novariæ obsidio.

Deinceps autem cum *Ludovicus* legatique *Novariam* omnes copias adduxissent, hostesque crebris ex oppido excursionibus eos lacessèrent, secundiora cum iis ferè semper *Veneti* prælia fecerunt: quibus in omnibus *Bernardi Contareni* virtus egregia extitit. Postea verò quàm communi consilio oppidum obsidione cingi placuit, & *Aloisius* regis propinquus, quique cum eo erant in oppido equites militésve numero ad millia octo, inopia frumenti laborare commeatusque cœperunt, quòd ante hostium adventum ejus rei nullam curam habuerant, missi ad eos furtim cum jumentis frumentariis equites regii ab eodem *Contareno* sæpe intercepti, sæpe unà cum illis ii, qui ex oppido regiis equitibus subsidio venerant, cæsi fugatique sunt. Neque rex interim novas copias, ut *Aloisium* obsidione liberaret, è *Gallia* quotidie postulare, accersere scriptis ad suos magistratus, atque ad uxorem literis, intermittebat: quas ad litteras illa, se jam viros, qui velint *Alpes* trajicere, omninò nullos habere, regi respondit: fœminas viduas se permultas habere, quarum viri in *Italia* periissent. ab *Helvetiis* etiam per legatos atque interpretes idem petebat: sed stipendiorum inopia, ne rem conficeret, impediebatur. Quinetiam ea de causa ex *Helvetiis*, quos habebat, milites centum, ex *Germanis* alteri totidem ad *Venetos* transierunt. Tum verò ab iis suburbana ædificia incensa, tormentaque muralia oppido propius admota, & obsessi modis omnibus acrius premi cœpti: quibus in rebus administrandis *Nicolaus Ursinus* fistu-

Nicolai

A læ glande plumbea supra renes percussus, pro mortuo sublatus, atque in castra relatus est, neque postea ei bello interfuit. *Gallos* igitur qui obsidebantur, magis magisque in dies rerum omnium egestas atque inopia premebat, ut equis in escam uti cogerentur: compluresque corruptis farinis, aut pane furfuraceo vescentes, tum aquæ potu, quo *Galli Germanique* minimè omnium uti assolent; interirent. Percusserat autem paulò antea nummum æreum *Aloisius*, cùm pecunia eum defecisset, qui pro *Argenteo* polleret. Hæc cùm crebris occultè nuntiis litterisque regi ab *Aloisio* significarentur, quorum plerique ab hostibus in-
B tercipiebantur, nonnulli noctu, magnisque imbribus profecti, diversis atque occultis itineribus ad regem perveniebant, seque illi perpaucos posse ulterius dies obsidionem sustinere, diceret, deceptum autem & destitutum quereretur: rex ab hostibus pacem petere constituit: itaque per *Argentonium* tentare imperatorem ea de re cœpit. Ab eo ad legatos, ab iis ad *Ludovicum*, cujus causâ bellum gerebatur, re delatâ, sæpius deinceps eo libentissimo jactata, qui jam quiescere, quàm alendis exercitibus conteri & bello periclitari malebat, induciæ primùm factæ, deinde *Aloisio* cum paucis abire *Novaria* permissum.

Ursini infortunium.

Induciæ.

C Demum pax ab rege, atque ab *Ludovico* circiter Nonas Octobres concelebrata, iis conditionibus, ut *Novaria Ludovico* redderetur: tum ex libris auri vicies centies, quas ab *Ludovico* rex in *Neapolitanum* bellum mutuò acceperat, mille ei & quingentæ rependerentur, quingentæ regi cederent: *Ludovicus* autem naves *Gallicas*, in *Rapali* captas portu, nunciis regiis reddendas curaret: & *Triultium*, cujus bona publicaverat, exulemque ipsum fecerat, ab exilio revocaret, in integrùmque restitueret: néve auxilia *Ferdinando* regi mitteret: & *Carolus* quantam vellet classem in *Liguribus* comparare posset: easque ob res *Genuæ*
D arx *Herculi Ferrariensium* principi vicè obsidum traderetur, quam ille regis nomine biennium obtineret. quam quidem ad pacem celerius sanciendam ea etiam causa regem impulit, quòd *Helvetiorum* multò major, quàm ipse petierat, manus domo tandem egressa, ut regi auxilio eo in bello esset, partim *Vercellas* ad regem venerat, partim appropinquare nuntiabatur, omnes numero ad viginti millia, quibus quidem jam stipendium, quod rex pollicitus fuerat, arroganter ac seditiose postulantibus rex persolvere non poterat, emuncta creberrimis ingentibusque in bellum thesauris regi subministrandis transalpina *Gallia*, vi-
E cinisque regibus ferè omnibus, accepta superioribus mensibus mutuò ab eis pecunia, prorsus exhaustis. Itaque cùm intellexisset eos unos qui venerant nocturna concilia de se capiendo habuisse, veritus ne si reliqui *Helvetii* propius accessissent, vim eorum subterfugere non posset, pace statim facta eos serò venisse ad speciem questus, atque in *Taurinos* propere abiens, domum, qua conditione potuit, remisit.

Pacis inter *Ludovicum Sfortiam* & *Carolum* regem conditiones.

Ea de pace cum rege ineunda *Veneti* ab ejus interpretibus, tum à *Ludovico* sæpe invitati, consulto Senatu responderunt, sese omnino, nisi de sociorum voluntate atque consilio, quibus cum
F fœdus percussissent, nihil acturos: nam quoniam ex iis, quæ eo in bello gesserat *Ludovicus*, quantum ei esset credendum, non ambiguè cognoverant, novo se fœdere implicari cum tam infido homine planè nolebant. Id ægerrimè cùm ferret *Ludovicus*, existimans *Venetos* alieno ab sese animo esse, questusque apud legatos, Senatum omnia alia, præterquam de sua salute, cogitare, suis militum præfectis clàm imperavit, uti flumina, quà esset exercitui reipublicæ transeundum,

Senatusconsultum *Venetorum* de pace firmanda.


si domum redire vellet, communirent, navesque abigerent, ne trajicere se invito posset. Ea per amicos reipublicæ delata res ad legatos, magnopere eos commovit, quòd tantis objectis fluminibus iter se impeditissimum habituros intelligebant, *Ludovici* exercitu munitissimis in locis se opponente. pontium autem efficiendorum facultatem sibi datum iri non videbant, præreptis navibus quibus imponi possent. Tum illud etiam timebant, ne, si vis adhiberetur, perfidia *Ludovicus* sua *Gallos* sibi adjungeret, ut rerum dominus, & pacis ac belli arbiter videri posset. Hæc versantibus legatis, *Contareno* adhibito, neque satis tutum ejus rei exitum reperientibus, ubi omnes paulisper conticuerunt, Ego, inquit, *Contarenus* iter vobis domum, si annuitis, patens atque tutum comparabo. Ad ea cùm legati, quonam id tandem modo quóve consilio esset effecturus, ab eo quæsivissent: hodie, inquit, ut consuevistis, vos & *Ludovicus* unà eritis communibus de rebus consulturi: aderunt cum illo sui duces. vester vobiscum imperator, præfectique: fores claudentur: disceptabitur: tum ego illum, tanquam allocuturus, hoc vobis gladio confossum atque confectum dabo: eâ re patratâ, neminem ex ejus ducibus ferrum educturum certò scio. quis est enim eorum omni non fœmina timidior? aut quis illum non pessimè odit, uno aut altero excepto? qui tamen ipsi ad *Carolum* legati de pace profecti adesse non poterunt. *Ludovici* etiam exercitus ipso mortuo ad nos signa transferet, si se receptum iri intelliget, præsertim spe largitionis aliquâ oblatâ, quod si fit, ejus quoque regnum vestris in manibus versabitur: ita ille, ut meritus est, suorum scelerum pœnas pendet: vos reipublicæ in-

Consilium de *Ludovico Sfortia* interficiendo.

A jurias nullo dispendio ulti, vestram dignitatem pulcherrimè retinebitis. Erat *Contareno* procerum sanè corpus & vividum solidumque: vires immanes, vastæque, ac propè inexsuperabiles: animus cùm prudens, tum omnium magnarum rerum capax, ut quod is polliceretur, etiam præstari posse confideres. Itaque ea legati cùm intellexissent, maximis illum laudibus certatim efferentes, quòd tantam rem aggredi pro communi salute non dubitaret, constituerunt, hoc ad extremum reservato consilio, experiri, num *Ludovicus* ad sanitatem bonis artibus converti posset, ea tamen de re, quam *Contarenus* proposuerat, B notis scriptas literas ad *Decemvirûm* magistros confestim dederunt, postulantes uti rescriberent, vellentne, atque permitterent, si necessitas urgeat, eo consilio ipsos uti. qui de collegii sententia rescripserunt, ex reipublicæ dignitate sibi eam rem non videri. *Ludovicus* interea cùm legatorum dissimulatione atque prudentia, qui ea se nescire, quæ ab illo parabantur, ostendebant, tum suâ sponte, quod nihil omnino tuti irritandis legatis in tam nova suspectaque dominatione se habiturum videbat, ab eo per se consilio destitit.

Contarenus qualis.

Iis confectis rebus, milites obsessi oppido *Novaria* emittuntur: C oppidum *Ludovico* restituitur. Legati *Veneti* post hæc omni cum exercitu *Cremam* cùm venissent, militesque, quos oportuit, dato stipendio missos fecissent, reliquosque milites equitesque in hiberna deducendos curavissent, cum imperatore *Mantuam* profecti, ludis ab eo dies aliquot habitis, ad urbem reverterunt. *Carolus* cupidissimis suis omnibus multò cupidius ipse, trajectis *Alpibus* suum in regnum concessit.



PETRI

PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI TERTII

EPITOME.

FErdinandi regis in *Calabriam* adventus & adversa cum *Gallis* pugna. *Neapolitanorum* in *Gallos* odii causæ. Ejusdem *Ferdinandi Neapolim* reditus. *Venetorum* in regno *Neapolitano* res pro *Ferdinando* gestæ. Classis à *Venetis Neapolim* missa. Cellæ farinariæ & reipublicæ horrea apud forum *Venetiis* ædificata. *Pisani* sese *Venetis* dedentes à Senatu rejiciuntur. *Thracii* regis ad Senatum legatio & munera *Faventini* cum suo regulo à Senatu in fidem accepti. Horologium *Venetiis* in foro factum. *Venetorum* cum *Ferdinando Aragonio* fœdus. *Gallorum* & *Ferdinandi* varia in regno *Neapolitano* fortuna. *Pisani* à *Venetis*, Pontifice & *Ludovico Sfortia* in fidem accipiuntur, & *Pisani* belli initium; atque progressus. Triumviri rerum navalium instituti. Lex de bonæ fidei possessoribus lata. *Ludovicus Sfortia* à *Maximiliano* Cæsare rex appellatur. *Naupliorum* equitum cum *Turcis* pugna. *Bernardi Contareni* in regno *Neapolitano* res gestæ, ejusdemque obitus. *Ferdinandi Neapolitani* regis obitus, & *Federici* in regnum successio. *Bissinianorum* princeps à famulo vulneratur. *Gallorum Cajetâ* discessus, eorundemque naufragium. *Tarentinorum* de deditione & *Veneti* Senatus de illis accipiendis vel non, varia consilia. *Gallici* morbi origo. *Maximilianus* Cæsar, à *Ludovico Sfortia*, *Venetis* & reliquis fœderatis accersitus, contra *Gallos* in *Italiam* venit. Res in *Hetruria* gestæ. ejusdemque in *Germaniam* reditus. Incendium naufragiumque passis à *Decemviris* prospicitur. *Gallorum* in *Insubria* conatus. Navalis inter *Florentinos* & *Venetos* pugna. *Caroli* regis è vita tollendi facultas à Senatu rejicitur.

LIBER TERTIUS.

Ferdinandi regis in Calabriam adventus.

FErdinandus ubi *Carolum Neapoli* profectum cognovit, acceptis *Messanæ* militibus ad mille (ibi enim tunc erat) quos quidem civitas in vicini atque amici regis gratiam depenso trium mensium stipendio ei præstò esse jussit, navibus longis duodecim in *Calabros* trajecit, & *Rhegium Crotonemque* recepit: ac secundo cum *Gallis* pedestri facto prælio, interfectis captisque compluribus, reliquos cum eorum duce in proximum oppidum compulit. ad quos cùm auxilia undique convenissent, victus ab iis ingenti clade cum paucis *Rhegium* fugiens, uni saluti consuluit suæ. Idem autem paulatim sese confirmans, cùm jam *Gallorum* imperii plerosque eorum, qui eos lubenti animo receperant, magnopere pœniteret (nihil enim ferè cujusquam neque sanctum, neque tutum ab illis erat) cum *Hispanæ* classis navibus quadraginta, quam superiore libro missam in *Siciliam* dixeramus, & suis cum triremibus duodecim *Ænariam* ad insulam, quæ ab eo non defecerat, venit.

Conflictus cum Gallis.

Neapolitanorum in Gallos odium ejusque causa.

Atque illis ipsis quidem diebus res ejusmodi acciderat, quæ magnam invidiam in *Gallos* conflaverit. Nam cum ii, qui *Cajetæ* præerant, navem longam remigibus instruere vellent, municipesque imponere, illi se cogi passi non sunt, palamque prædicaverunt, nolle se contra *Ferdinandum* regem duci: atque ad arma capienda prosilierunt. *Galli* eos veriti, se in arcem oppidi receperunt, atque ad auxilia proximis ex oppidis evocanda miserunt: quibus adductis, magnam civium cædem fecerunt, magnam in oppidanos stragem ediderunt, matribusfamiliâs & virginibus vulgò in servitutem atque libidinem abductis. quæ intellecta res *Neapolitanorum* animos jam antè infensos & labantes ab *Gallis* magnopere averterat. Ea cùm sic cecidissent, ipse autem *Ferdinandus Neapolim* non obscuris multorum vocibus sermonibusque accerseretur, quem etiam adventare intelligebant, spei atque fiduciæ plenus ab *Ænaria* naves solvit, atque ad littus

A *Neapolitanum* classe appulsa non longè ab oppido exponere milites cùm vellet, impeditus à *Gallis* atque rejectus, de tota re desperans, quòd ab oppidanis nihil sibi auxilii emitti, nihil tumulti fieri animadverteret, ad *Ænariam* revertebatur. at civitas ægrè id passa, armis captis *Gallos* partim ejecit, partim in arces, quæ ab illis tenebantur, conjecit. Id à piscatoria navicula *Ferdinando* nunciatum, spem ei pristinam facilè restituit: quamobrem sua cum navi incitatis remigibus statim *Neapolim* rediens, magno populi consensu in oppidum receptus est. Ita parvo temporis spatio sæpius modò bonam, modò adversam expertus

Ferdinandus Neapolim redit, & recipitur.

B fortunam, ac variis rerum suarum eventis tanquam fluctibus jactatus, cùm id minimè fieri posse consideret, ab eadem quasi tempestate atque ventis in portum conjectus est. Pauloque pòst *Galli*, qui ei arci præerant, quæ *Capuana* appellatur, sese atque arcem *Ferdinando* dediderunt. Tum naves *Gallicæ* sexdecim, quæ in portu *Neapolitano* erant, veritæ ne interciperentur, egressæ ad insulam *Megarem* jactis anchoris se continuerunt. *Ferdinandi* classis ad *Bajas* substitit. Iis nunciatis rebus, *Nolani*, *Atellani*, *Capuani*, aliaque vicina municipia propenso ad illum studio celeriter redierunt: videbanturque

C reliquæ ejus regni civitates idem facturæ, si modò rex firma cum manu eòdem accederet. ille autem per se omnibus ab rebus, quæ ad bellum sunt usui, præsertimque à pecunia planè imparatissimus, magistratum *Venetum*, qui vetusta consuetudine ea in urbe reipublicæ hominibus juri dicendo præerat, perhumaniter est allocutus: sese quod *Neapolim* recuperavisset, reipublicæ acceptum referre, quæ fœdus cum *Alexandro*, reliquisque regibus iniisset: quòd autem superesset (quod quidem certè magnum, atque perplexum sciret esse, tot municipiis toto in regno, tot munitis oppidis *Gallorum* imperium secutis) ejus se fidei, liberalitatique permittere.

D Eo sermone apud illum habito, *Federicum* patruum cum navibus longis tribus ad *Antonium*, quem in *Apuliam* cum classe venisse intellexerat,

con-

conveniendum, seque illi commendandum properè misit. *Antonius*, paulò antè ad *Sasonem* insulam Senatusconsulto accepto, tantum ut in *Apuliam* trajiceret, *Brundusium*, quod municipium ad *Gallos* non transierat, venit. Oppidani *Antonium* amicè atque benevolè exceperunt, eique se dedere voluerunt, atque ut insigne reipublicæ in oppidi foro sustolleret, ab eo magnopere petiverunt. *Antonius Brundusinis* collaudatis, atque ut in regis sui fide permanerent cohortatus, ibi dies aliquot, dum quid imperarent Patres scire posset, est commoratus. Illi autem nisi de fœderatorum sententia, *Hispaniæque* in primis regum consociata voluntate, qui classem paratam habebant, nihil omnino agere constituerant. Itaque à legato regio missi in *Siciliam* nuncii, ejus rei eventum tardiorem reddiderunt. Accepto tandem altero Senatusconsulto, quo bellum *Gallis* inferre jubebatur *Antonius*, biduo scalis reliquisque rebus ad oppugnationem oppidorum comparandis consumpto, cum triremibus XX. naveque una oneraria bellica, & altera, in qua erat equitum *Græcorum* non magnus numerus, ad oppidum *Monopolitanorum*, quod est in maris littore, à *Gallisque* obtinebatur, accessit: præfectumque *Gallorum*, uti se dederet, per internuncios cohortatus, ubi illum ad propugnationem paratum vidit, expositis equitibus, qui discurrerent, populationemque facerent, & aliquid in agris aut vitis aut oleæ succiderent, tectorumque incenderent, si ea re cives ad deditionem compelli possent: ubi neque id quidem quicquam proficere animadvertit, tormentis è navi oneraria murum oppidi dejicere aggreditur. Id cùm propter longinquitatem parum ex usu administraretur, *Hieronymo Contareno* legato, præfectisque triremium uti naves tegerent, ad ictus cùm tormentorum, tum verò lapidum atque telorum, quæ de muro adigerentur, imperavit: postridieque ejus diei manè iis, qui primi murum ascendissent, propositis præmiis, navibusque omnibus sub conspectum hostium dispositis, oppugnare oppidum multò acrius est adortus: qua in oppugnatione *Petrus Bembus*, navis longæ præfectus, vir egregia virtute, cohortans suos, pila ferrea trajicitur. *Antonius* cùm horas aliquot *Gallis* atque oppidanis acerrimè propugnantibus, suos vulnerari, hostes non defatigari, minus denique rem procedere animadvertisset, oppidum militibus diripiendum proposuit: tum verò prædæ spe milites remigesque incitati, cohortatique inter se, ad murum convolaverunt: scalisque positis cùm amplius horis duabus continenter atque fortissimè pugnavissent, dejectis interfectisque propugnatoribus in oppidum se injecerunt, diripereque contenderunt, *Aloisiumque Tantum Venetum*, qui eo in oppido mercaturam exercebat, imprudentes occiderunt, domumque ejus diripuerunt. *Antonius* reclusis portis in oppidum ingressus, mulieres, quæ natu majorum usæ consilio, ad aras Deorum immortalium cum infantibus confugerant, à militum injuria defendit, oppidoque est potitus: sectionemque earum rerum, quæ distractæ nondum essent, multò minoris, quàm vendi aliis potuissent, die laxissima oppidanis ipsis vendidit. quibus etiam, quo minore damno amissis rebus suis afficerentur, annos decem omnium munerum & tributorum levationem concessit.

Senatusconsultum de bello *Gallis* inferendo.

Monopolitanorum oppidum, ejusque obsidio.

Petri Bembi interitus.

Monopolitanorum oppidum expugnatum.

Eo oppido capto, nonnulla ejus regionis municipia se *Antonio* dediderunt, atque hæc quidem adhuc ipsa *Ferdinando Neapolim* recipienti nota non erant. *Antonius Nicolao Cornelio*, qui *Monopolitanis* præesset, relicto, missoque *Pulinianum*, quod oppidum abest à littore, eique se dederat,

A *Alexandro Pisauro* eodem nomine, *Sipontum* est profectus, quod jam per sese, ob *Gallorum* insolentiam atque libidinem in *Ferdinandi* partes oppidum redierat, ejectis *Gallis*, qui se in arcem contulerunt. Ad quos cùm *Antonius* misisset, uti arcem *Ferdinando* restituerent: id ni facerent, eos se hostium loco habiturum: responderunt, nihil sibi cum *Ferdinando* rei esse: ipse si velit eos recipere, ejus se fidei libenter permissuros. itaque, acceptis in fidem *Gallis*, *Antonius Federico*, qui jam ad se *Ferdinandi* missu venerat, arcem reddendam curavit.

Sipontum.

Eodem tempore qui *Tranensium* arcem tene-
B bant, missis ad illum interpretibus, velle se ejus imperata facere, *Antonio* significaverunt. ille, ut *Ferdinando* sese dederent, hortatus, eos non tam lubentes, quàm autoritate sua compulsos, tanquam de manu *Federico* tradidit: eidemque *Græcorum* equitum dimidiam partem, quorum jam erat numerus ad quadringentos quinquaginta, petenti dedit.

Arx Tranensium.

Patres cùm intellexissent *Ferdinandum Neapolim* recuperavisse, decreverunt, ne quid *Antonius* oppidorum, néve omnino locorum amplius reipublicæ nomine in regno *Neapolitano* caperet, tum *Petri Bembi* uxori liberisque victus annuus
C à Senatu dono datus: duabus quoque filiis dotis nomine libræ auri quadraginta. duabus alteris in sacrarum virginum collegia jam destinatis, quod ad id satis esset, constitutum. *Antonio* autem *Tinniti* fratri, ab adolescente me in amici hominis afflictis rebus, causa bis apud Patres perorata, proventus est annuus Senatus decreto & liberalitate attributus: quo se nunc quoque, familiamque suam, senex oculisque captus sustinet.

Petri Bembi viduæ & liberorum ratio habita.

Post hæc *Alexandro* à Senatu postulante, ut illa ipsam classem *Neapolim* ad *Ferdinandum* auxilio levandum tam opportuno tempore mitteret, tametsi permagnis *Gallici* exercitus impensis civitas
D distinebatur, concedendum tamen censuit. Itaque *Antonius Græcis* equitibus centum, & navibus duabus *Monopolitanorum* præsidio relictis, *Tarentum* adnavigavit: quod quidem oppidum, appulso eò cùm septem navibus longis, quas ad ejus tres *Antonius* addiderat, *Federico*, ad *Ferdinandum* tamen non redierat. Ibi ventris profluvio arreptus *Antonius*, navibus viginti, quibus *Contarenum* legatum præfecit, *Neapolim* ad *Ferdinandum* jussis contendere, ipse cum reliquis navibus (aliæ enim nonnullæ ad illum interea naves convenerant) *Corcyram* est profectus.

Tarentum.

Eodem anno cellis farinariis urbanis, quæ pu-
E blicè ad *Rivum altum* antiquitus sunt institutæ, longinquæ plebis & inquilinorum parti usum incommodiorem præbentibus, alteræ apud forum, reipublicæque horrea, exædificatæ, Calendis Sextilibus exerceri cœptæ sunt, magistratibus adhibitis.

Cellæ farinariæ Venetiis conditæ.

Iisdem ferè diebus *Florentinis Pisas* bello repetentibus, cùm per se oppidani contra tantas opes municipium diutius se tueri posse diffiderent, suum ad Senatum interpretem secretò miserunt, velle se sub reipublicæ imperio esse: petere, rogare, ut reciperentur. Res primum nova Patribus, quæ neque statim rejicienda, neque teme-
F rè suscipienda esse videretur: deinde magis magisque in eorum animos irrepere, pulchrum existimantium augeri imperii fines, atque ad mare *Ligusticum* protendi. magnum porrò esse *Venetum* nomen, cui sponte longinqua civitas, tamque nobilis sese dederet: sed factum propè similibus rerum eventis, quos si majores nostri despexissent, nulli nunc populi ejus imperium appeterent: itaque recipiendas esse *Pisas*, quas Dii immortales reipublicæ addicerent. Ea cùm sententia

Pisani Venetis deditionem ultro offerunt.

tia majori Patrum numero probaretur, res in *Decemvirûm* collegio agitari cœpta est, quo lex occultius ferri posset. Tum *Marcus Bolanus* sexvir ex iis qui Principi assident, tacentibus reliquis, ac legislationi propè assentientibus, suggestum ascendens, debere eos dixit, qui de rebus dubiis agunt, non tam quid velint ipsi, aut cupiant, quàm quid sit utile reipublicæ, constituere. necesse enim esse, si suam modò libidinem sequantur, ut sui eos consilii tum pœniteat, cùm ea, quæ provisa ipsis non sunt, magna interdum & formidolosa rerum momenta atque pericula existunt. An me quoque, inquit, Patres idem, quod vos, & optare maximoperè, & optato frui, cupere non existimatis? non *Pisas* modò, de quibus nunc consulimur, sed reliquas etiam *Italiæ* civitates, oppida, populos, juris nostri esse, mareque superum atque inferum in reipublicæ imperio contineri? ego verò ista percupio, meaque morte cum fortuna pacisear, ut tam prospera reipublicæ sit. Sed cum hoc opto, tum illud timeo, ne, si *Pisas* receperimus, magno cum nostro dedecore, reique publicæ incommodo eas ipsas brevi tempore amittamus. nam quemadmodum quidem sitæ positæque sunt *Pisæ*, ad eas defendendas auxilia mittere per alienos fines multorum dierum itinere nos oportebit: quorum populi nostris conatibus si adversabuntur, aut erunt ipsi bello prius atque armis subigendi, ut quicquid inter nostros ac *Pisarum* fines jacet, pacatum iter atque tutum nostris exercitibus præbeat: aut nobis turpiter ab incœpto desistendum. nam mari tanto circuitu, tam suspectis littoribus, tantum exercitum transmittere, quanto erit opus, ut cum unis *Florentinis* bellum geramus, quî poterimus? nullus vicinorum *Pisis* regum, nulla natio est, quæ non *Florentinos* malit, quàm nos, suæ ditioni finitimos habere: propterea, quòd nostram potentiam, nostrasque opes magis quàm illorum verentur: magis nos, quàm illos, sibi esse metuendos intelligunt. Est autem à natura omnibus animantibus comparatum, atque insitum, ut quæ eis plurimum obesse possunt, fugiant: ad ea se applicent, quibus ad nocendum minus est virium & facultatis attributum. itaque passerculi gallinas anseresque non vitant; cum columbis verò etiam nidificant: ab accipitre autem, & ab iis, quæ raptu vivunt, avibus maximè quidem semper volatu latebrisque sese auferunt. Quamobrem cogitare debemus, etiam *Ligures* (quæ una quondam natio quàm infesta reipublicæ fuerit, annales nostri testes sunt: quantas à nobis clades acceperit, omnis ejus posteritas memoria retinebit) si suæ spontis sint, nos *Pisarum* dominos fieri nullis conditionibus concessuros, sed sua cum *Florentinis* arma, suas classes atque opes communicaturos, ut nos potiri *Pisis* ne permittant. quanquam, ut horum temporum mores sunt, ut fides in plerisque fluxa, vereor, ne ii etiam, qui fœdera nobiscum pepigerunt, qui nobis sua regna se debere profitentur, ubi nos cousque velle fines proferre nostros intelligent, nos celeriter deserant, neque deserant modò, sed arma etiam contra nos capiant, cumque hostibus nostris conjuncti, communi nos bello atque consilio esse avertendos & repellendos putent. Majores nostri *Vicetinos*, cùm à rege *Patavino* premerentur, sese illis dedere, missis ad eos legatis, cupientes atque orantes, in fidem receperunt. quid in illa huic simile deditioni fuit? oppidum vicinitate propinquum, ac propè conjunctum, ut iter impediri, atque accessio non potuerit: ipsum liberum, quodque *Patavini* reges antea non obtinuissent. itaque remissis cum auxilio legatis, facilè defensum atque retentum est. hostis autem eam ob rem novus nullus factus, sed cum eo, qui semper hostis reipublicæ fuerat, bellum acrius renovatum, majores iidem nostri prosperè atque feliciter gesserunt. quòd si tam facilem rerum statum, paresque conditiones in *Pisis* recipiendis esse vobis propositas hoc tempore videtis: si non amico populo & reipublicæ, à qua lacessiti nulla rè sumus, ut id quod volumus assequamur, insignis est injuria atque calamitas inferenda: si non, quæ in animis hominum jampridem insedit opinio, nos regnandi cupiditate supra cæteros efferri, eam hoc exemplo sic confirmaturi sumus, ut non sit posthac inficiendi locus: si non etiam *Ferdinandi* regnum adhuc quidem multò maxima ex parte, *Ludovici* haud ex minima *Gallorum*, quos hostes nostros fecimus, præsidiis & exercitibus tenentur, neque, quem finem eæ res habituræ sint, satis consequi conjecturâ possumus, ut non tam de novo bello capessendo, quàm de institutis conficiendis; flammaque illa, quæ optimas atque pulcherrimas *Italiæ* regiones incendio corripuit, extinguenda cogitare nos oporteat, legem Patres, quam rogamini, decernite: ego ipse meum suffragium ad eam sanciendam volens ac libens affero. sin verò longè aliter omnibus à partibus se res habet antequam *Pisas* esse recipiendas statuatis, ea quæ ad bellum cum positis inter nos atque *Pisas* nationibus, cumque finitimis ei civitati populis agitandum erunt usui, comparate. Hac à *Bolano* dicta sententia, magna est commutatio facta voluntatum: neque quisquam omnium fuit, cui non *Bolanus* prudens ac sapiens videretur: itaque lex in præsentia rejecta.

Marcus Bolanus senator Venetorum.

Rationes cur Pisani Venetis non sint recipiendi.

Antipathia naturalis.

Ligures.

Pisani repulsam passi.

Atque eo quidem tempore *Alexander* certior factus, *Carolum* regem ad *Novariam* obsidione liberandam multa quotidie aggredi, multa moliri, neque adhuc *Neapolitani* regni cogitationem abjecisse illum intelligens, quod quidem & firmis etiam nunc veteribus præsidiis, & novis comparandis tuebatur: naves enim *Genuæ* atque *Massiliæ* complures ad bellum instrui, onerariquemandaverat: gravioribus eum literis monuit, ut intra mensem ex omnibus *Italiæ* locis omnem belli apparatum abduceret: id ni faciat, sese illi ejusque populis aqua & igni interdicturum. *Novaria* deinde *Ludovico* restituta: paceque facta, dedit etiam literas ad *Genuensium* civitatem, eodem se in eos interdicto usurum, si quid in classem opis *Carolo* contulissent. atque id ab eo *Ludovicum* petiisse, nemini dubium fuit, ut ea se re, si uni fœderis capiti non steterit, *Carolo* purgaret, quòd pluris apud eam civitatem *Alexandri* autoritas fuerit, divino præsertim jure adhibito, quo plerunque homines magnopere continentur, quàm omnino sua.

Alexandri ad Carolum regem litteræ.

Miserat ad Senatum prosperis reipublicæ rebus cognitis *Turcarum* rex certum hominem gratulatum, quòd *Carolum Galliæ* regem *Italia* suis armis expulisset. Is equum egregiâ formâ dono Patribus attulit: Patres *Bernardo Contareno* miserunt.

Turcæ legatio & munera Venetis missa.

Interea *Ferdinando* rebus modò prosperè cedentibus, qui etiam *Luceriam* in *Dauniis* vi cepit: modò autem relabentibus, cùm eum *Galli* aliquando intra oppidum ad *Neapolim* compulissent, diversisque in locis ei fortuna læta interdum, sæpius tristi se ostendente, ac spe regni sui recuperandi apud illius animum planè labante, *Alexander* ejus precibus atque periculo permotus, à Senatu magno studio petiit, uti exercitus partem aliquam ejus, qui *Novaria* redierat, ad *Gallos* expellendos, *Ferdinandumque* sublevandum mitteret: se curaturum, uti aliquot ejus regni oppida, quæ mare attingant, pignoris nomine, quoad, quicquid ea in re Senatus sumpti fecisset, *Ferdinandus* reponeret, reipublicæ tenenda traderentur. Senatus, nondum decreta exercitus profectione, inclinatis tamen ad

Luceria.

eam rem civium animis, *Bernardum Contarenum* cum *Græcis* equitibus sexcentis *Ravennam* præmisit, quo minus ei, cùm decerneretur, itineris illò perveniendi superesset. Quod posteaquam est *Romam* renunciatum, *Ascanii* suasu, qui diceret, *Venetos* suâ sponte bellum suscepturos, non oportere quicquam eis oppidorum sumpti nomine à *Ferdinando* tradi, res dilata: legatique regii, qui jam *Venetias* ad paciscendum cum Senatu venerant, rogare tantum de exercitu, nihil ultra polliceri. Id ubi Senatus cognovit, & *Ludovicum* invidiæ suæ in rempublicam stimulis impelli agique animadvertit, (nihil enim ferè iis de rebus unquam *Ascanius* nisi à fratre monitus jussusque loquebatur) legatos ab se rejecit, nihil esse confirmans, quòd ea causa in urbe horæ spatium morarentur.

Interim cùm *Faventini*, qui æstate proxima petierant à Senatu, ut, quoniam certorum exulum insidias magnopere timerent, ipse pro sua pietate, oppidique vicinitate, ejus regendi curam susciperet, *Hestoremque* planè puerum, *Galeoti* ejus, de quo priore libro sermonem habuimus, filium, cujus erat in potestate civitas, autoritate sua tueretur. postea rogandi & obtestandi Patres ea de re tempus nullum intermisissent, mense decembri Senatus decrevit, uti *Faventinorum* civitas, puerque princeps in reipublicæ fidem reciperentur: mitterentque Patres eò civem *Venetum*, qui pueri nomine jus diceret: ipse autem puer equites cataphractos centum haberet, stipendiumque in eos libras auri annuas octoginta, neque non tamen, antequam decerneretur, iisdem exulibus *Florentinorum* adjutis ope in eorum fines irrumpentibus, *Bernardus Contarenus*, qui *Ravennam* venerat cum *Græcis* equitibus, militumque manu auxilio à Senatu missus, eos fudit fugavitque, ac regnum illud puero, quod jam prope amiserat, plane constituit. pauloque post Patrum suffragiis *Dominicus Trivisanus*, vir gravis atque prudens habitus, qui puerum Senatus nomine tueretur, oppidanisque jus diceret, Legatus est *Faventiam* profectus.

Faventini in fidem *Venetorum* suscepti.

Dominicus Trivisanus.

Atque ante eos quidem dies, uti horologium in foro ex reipublicæ dignitate fieret, cui ædis *Marciæ* procuratores aream darent, Senatus censuit.

Horologium *Venetiis* in foro exstructum.

At *Ferdinandi* legati cùm multos dies Patribus placandis consumpsissent, pollicitique essent, *Ferdinandum* tria oppida nobilissima cum eorum agris atque finibus, *Tranum*, *Brundusium*, *Hydruntem*, eo quod dictum est nomine reipublicæ traditurum: anni insequentis initio fœderatorum omnium non approbantibus modò, sed etiam adnitentibus Legatis, pacta inita, fœdusque percussum est: quo civitas fœdere traditis oppidis equites cataphractos septingentos, milites ter mille ad *Ferdinandum* mittere celeriter teneretur, qui unà cum ea classe, quam *Neapolim Contarenus* legatus adduxerat, tamdiu ejus imperata facerent, quoad bellum esset confectum. capitaque fœderi sunt addita, uti à quæstoribus urbanis libræ auri centum quinquaginta mutuæ *Ferdinandi* legatis è vestigio curarentur, uti si parte aliqua *Ferdinandus Græcis* equitibus, quàm cataphractis, uti mallet, pro eo cataphractorum numero, quem de summa detraxisset, *Græcos* sesquialteros haberet: uti ex publicis oppidorum proventibus, si quid in magistratuum & præsidiorum stipendia factis impensis superesset, id in accepti à *Ferdinando* tabulis ferretur: uti quenquam eo in regno virum principem civitas in fidem, nisi *Ferdinandi* permissu, ne reciperet: uti frumentum, oleum, reliquumve commeatum eis ex oppidis & finibus asportari sine solitis portoriis ne liceret: uti *Gargani* montis saltum, qui à *Gallis* tenebatur, cùm illum *Ferdinandus* recu-

Fœdus *Venetorum* cum *Ferdinando Arragonio.*

Capita fœderis.

A peravisset, reipublicæ traderet. quod tamen caput scriptum non est, voce tantùm atque verbis fidem fore quod convenerat facientibus agitatum. atque id omnino fœdus *Alexander* suis ad Senatum scriptis litteris ratum sanctumque jussit esse. nam quoniam antiquitus in regnum *Neapolitanum* Pontifices Maximi jus habent, caverant cumprimis Patres, ea ut res *Alexandri* autoritate perscripta firmaretur. Fœdere confecto, qui oppida reipublicæ nomine à *Ferdinando* reciperent, missi: imperatorque *Franciscus* cum ea, de qua dictum est, manu jussus in regnum sine mora proficisci. Iis cognitis rebus, quas porrò celerius

Pontificum jus in regnum *Neapolitanum.*

B more atque instituto civitatis fama vulgaverat, quamplurima ejus regni municipia brevi tempore ad *Ferdinandum* redierunt. Arces autem *Neapolitanæ* munitissimæ duæ, longa obsidione, certis conditionibus separatim *Ferdinando* sunt hos intra menses, pauloque pòst redditæ, cum *Galli*, qui eas obtinebant, *Alfonsum Avalum*, *Aterni* principem, virum magnâ excellentique virtute, ad colloquium vocatum occidissent: quæ quidem planè mors *Ferdinando*, qui eum impensè amabat, aliti enim educatique unà fuerant, incredibilem mœrorem ægritudinemque attulit. qua tandem excussa, *Joannam Ferdinandi* avi sui filiam, *Alfonsi* patris alia matre sororem, in matrimonium

C duxit: easque nuptias *Alexander*, quando legibus fieri non poterant, sua indulgentia comprobavit. atque hæc tunc quidem in *Ferdinandi* partibus agitabantur.

At *Carolus* in *Galliam* rediens, nondum trajectis *Alpibus*, *Philippum Argentonium* ad Senatum misit, existimare se, eodem in fœdere, quod cum *Ludovico* fecisset, rempublicam esse comprehensam, propterea quòd imperator *Venetus* legatique ei fœderi, cùm scriberetur, affuissent: quod si aliter se res habeat, scire se cupere, an vellet civitas tum demum comprehendi: petere autem,

D ut *Monopolitanorum* oppidum, quod ab suis vi atque armis classis reipublicæ præfectus cepisset, Senatus restitueret, atque à *Ferdinando* auxiliis juvando abstineret. quarum is rerum neutra impetrata discessit. *Carolo* in *Galliam* profecto, filius, quem unicum habebat, tres natus annos moritur. qua quidem morte accidit, ut, cùm postea *Carolus* iterum exercitum coëgisset, quem ad *Ferdinandum* repellendum *Aloisio* propinquo suo duce mari *Cajetam* mitteret, *Aloisius*, cui regnum *Galliæ*, *Carolo* sine liberis maribus moriente, lege *Gallorum* obveniebat, profectionem respuerit. Itaque *Carolus*, cùm alio duce nollet exercitum mit-

Carolus à *Venetis Monopolitanorum* oppidum postulat.

E tere, rem jam propè confectam distulit: pauloque pòst dilapsis cunctando militibus, ea omnino missio magnis impensis instituta, certissimaque iis, quos *Neapoli* reliquerat, ducibus, cum verbis tum litteris ac nunciis promissa totiens auxilia, interpositaque regia fides, ad nihilum reciderunt. *Ludovicus* autem *Gallici* belli metu deposito, cùm id quod *Pisarum* civitas à Senatu petierat, amicorum literis cognovisset, *Pisani* verò patefacta ipsorum postulatione legatos etiam palàm *Venetias* eadem de re misissent, ne id quod verebatur accideret, uti ea civitas sub unius reipublicæ imperium redigeretur, sese Se-

Pisanorum postulatio.

F natui obtulit, si *Pisas* esse defendendas existimaret, ejus rei socium & adjutorem futurum: videri autem sibi æquissimum esse eas defendi, propterea quòd *Florentini* fœdus cum *Carolo* percussissent, cujus ipse fœderis legatum occultè ad *Carolum* proficiscentem suis in finibus interceperit. Re sæpius à Patribus agitata, *Ludovico* magis magisque quotidie adnitente, lex tandem in Senatu lata est, fœderatorum omnium Legatis approbantibus, uti *Alexandri*, & reipublicæ

Lex de *Pisanis* defendendis.

A
blicæ ac *Ludovici* armis atque opibus *Pisæ* defenderentur: additumque legi, ut in *Liguribus* milites bis mille reipublicæ pecunia conscriberentur, *Pisasque* mitterentur. id autem uti *Ligures* permitterent, *Ludovicus* antea se receperat effecturum.

Florentinorum in Pisanos impetus.

Iis intellectis rebus *Florentini*, antequam auxilia contra se convenirent, omni cura diligentiaque adhibita, sex militum millibus celeriter coactis, non sine spe potiundi oppidi *Pisas* contenderunt, atque ad portas cum tormentis accesserunt. Hostes patefactis portis impetum in illos fecerunt, fortiterque pugnantes propulerunt, eorumque tormentis sunt potiti. Neque multo pòst

B
Paulus Vitellius, ex *Ursina Romanorum* factione ac gente, vir fortis, quem *Pisani* suis copiis præfecerant, eorum stipendio emerito ad *Florentinos* sese contulit, ac præfectura, quam ei contulerant, inita, cùm exercitum decem millium hominum confecisset, *Pisas* acerrimè adortus, in oppidi suburbium se injecit: ex quo tamen ab oppidanis, qui quam magnam potuerant manum & ipsi coëgerant, rejectus expulsusque est. Sed illud idem suburbium *Florentini* postea cum cepissent retinerentque, *Petrum Medicem* veriti, qui *Ursinos* affines suos secum ducens, in ipsorum fines jamjamque irrupturus dicebatur, *Pisis*

C
relictis ad sua tuenda converterunt. Interim conscriptis per internuncios reipublicæ quingentis *Genuæ* militibus, *Pisasque* missis, *Ludovicus Gasparem Severinatem* cum militibus, ut pollicitus est, alteris totidem, ut re evenit, paucissimis illo misit, qui utrisque præesset. quo quidem tempore *Florentinis* ab *Carolo* contendentibus, ut *Pisarum* arcem, quæ ab ejus militibus tenebatur, pretio redimere sibi liceret, *Pisani* majore etiam quàm illi pollicebantur, pecunia partim pollicita, partim jam tradita, arcem receperunt, receptamque diruerunt. Ejus pecuniæ partem *Decemviri Genuæ*

Arx pisana demolita.

D
curatam persolverunt libras auri ad quadraginta. Vere autem jam adventante, quòd *Dominicus Calbus* majoribus in comitiis *Bernardino Minoto Petri* filio pugnum in os impegerat, *Decemvirûm* Magistri *Calbum* è comitiis in carcerem duci jusserunt: deinde collegii decreto in insulam *Cyprum* exulatum deportari mandaverunt.

Triumviri rerum navalium instituti.

Tum, ut urbanorum navalium res multiplices atque variæ, quæque magna & perpetua indigent cura, diligentius administrarentur, ad reliquos navalium magistratus, qui antiquitus majoribus comitiis creantur, *Triumviri* ex principibus civitatis ex Senatorum suffragio adlecti

E
sunt, additique illis tanquam magistri: iique postea *Triumviri* nunquam sunt creari desiti. Æstate verò proxima, ne possessores bonæ fidei omni tempore turbarentur: nonnunquam enim accidebat delatorem improbitate atque audacia, uti de suis rebus periclitari aliquem contingeret, etiam si per multos annos possedisset: legem *Decemviri* jusserunt, quarum rerum quis triginta annos in possessione fuisset, earum rerum peti ab eo nihil licere, neque deferri quenquam licere, nisi si *Decemvirûm* magistri permisissent.

Lex de bonæ fidei possessoribus.

Ludovicus Sforzia Rex Mediolani.

Ludovicus cùm ejusdem veris tempore à *Maximiliano* magnis largitionibus impetrasset, ut

F
eum regem *Mediolani* appellaret, ea de re gratulatum *Hieronymum Leonem*, quem antea ad *Ludovicum* Senatus legaverat, ire Patres jusserunt.

Atque illis etiam diebus à præfecto classis reipublicæ certum hominem *Naupliam* cum pecunia missum, ut equites quot posset illis in locis conscriberet, navigiisque imponeret ad urbem deportandos, adversa tempestate complures *Maleæ* dies cùm detineretur, iterque pedibus facere vellet, accersitis *Nauplia* equitibus ducentis, qui

Nauplianorum equitum pugna cum Turcis.

ei præsidio essent, septum in itinere *Turcarum* equitatus magno impetu est aggressus numero amplius sexcenti: quibus cum *Nauplii* equites fortissimè pugnantes majorem eorum partem interfecerunt, reliquos fugæ mandarunt, paucis ex suis desideratis, vulneratis paulò pluribus.

Bernardi Contareni expeditio in Gallos.

Contarenus autem cum *Græcis* equitibus quingentis, petente *Ferdinando*, in ejus regnum à Senatu præmissus, ubi *Suessam* venit, seque cum *Federico* regis patruo, qui *Suessæ* erat, conjunxit, oppida quatuor, quæ à *Gallis* tenebantur, se uti dederent compulit. Idem cùm ad *Gallutianos* tentandos cum trecentis equitibus se contulisset, *Galli* autem, ut eos tuerentur, pluribus ex locis manu coacta impetum in illum fecissent, fortiter pugnans eas sustinuit, prælioque non intermisso interfectis compluribus, in fugam vertit, oppidumque cepit. Idem etiam paulò pòst eodem equitum numero in insidiis se occultans, præmissis *Frangetium*, quo in oppidulo erant *Galli*, paucis ex suis, qui discurrerent, *Gallos* paucitatem illorum suam prædam opinantes insecutosque ubi ad insidias pervenerunt, evolans incitatis in eos equis, cum multò illi plures essent, tamen fudit non parvo eorum interfecto numero, atque capto. Interim imperatore cum reliquo exercitu adventante, *Philippum Rubeum Guidi* filium per silvam *Casinatem* sua cum equitum turma temerè vadentem, *Joannis Juliani* Cardinalis frater magna equitum, multo majore militum, manu clamore sublato excepit: quibus cum *Rubeus* diu pugnans, paucis ex suis interfectis atque captis, sarcinariis jumentis aliquot amissis, ad imperatorem se recepit. quod tamen detrimentum *Contarenus* facilè sarciit: nam cùm *Ferdinandi* missu excursionem in *Severinatum* fines usque ad ipsorum oppidi muros atque portas fecisset, quo in oppido esse *Virginium Ursinum* atque *Vitellium* ab exploratoribus cognoverat, neque quisquam egredi ausus ei se obviam ostendisset, rediens *Trojanum Sabellum*, cum equitibus cataphractis quinquaginta se ad illos conferentem, in itinere deprehensum fudit, parte plus equitum media tum interfecta, tum capta. Paulò autem pòst cùm *Gallorum* exercitus timore, qui erat equitum cataphractorum ad octingentos, levis armaturæ ad quingentos, militum *Helvetiorum* ad quatuor millia, rex in oppidum *Folcam* se cum suo exercitu contulisset, præsertim quòd illis diebus *Galli* septingentos milites *Germanos*, qui in *Rhetis* conscripti ad illum se conferebant, interceptos male habuerant, seque oppidi muro *Gallis* obsidentibus tueretur: *Contarenus*, qui cum eo erat, apud eum questus, non esse æquum *Græcos* equites mœnibus inclusos contineri, petiit uti se emitteret. qua impetrata re, *Gallos* sæpe lacessendo, sæpe imparatos aggrediendo, sæpe in vigiliis noctem totam continendo, nonnunquam malè mulctando, obsidionem relinquere, ac longius recedere, seque in tutum recipere coëgit. Neque multò pòst imperator *Gallis* aliò conversis *Valacam* oppidum cingens, murorum parte tormentis diruta, scalisque positis, vi captum diripuit, interfectis qui in oppido erant omnibus, cùm milites nec mulieribus nec infantibus pepercissent, propterea quòd ea in oppugnatione centum ex imperatoris exercitu fortes viros hostes oppidanique interfecerant. Eodem impetu imperator multa ejus regionis oppida brevi ad deditionem compulit. *Galli Canusium* aggressi, cùm ab oppidanis quinquaginta auri libras accepissent, ne oppidum diriperent, néve ingrederentur: tamen *Helvetiis* militibus irrumpentibus cædes ingens facta, oppidumque direptum est. In ea verò regione, quam *Basilicam* appellant,

Valaca obsessa & capta.

Canusium direptum.

Basilica regio.

trium oppidorum populi per sese *Gallos*, à quibus regebantur, occiderunt, seque regi dediderunt. *Contarenus* & ipse multa cum præda per *Severinatum* fines ad exercitum se referens, magnam hostium manum oppido egressam, secumque congressam disjecit, militibus equitibusque septuaginta interfectis, captis nonaginta. Tum *Consalvus Hispaniæ* classis præfectus, vir magni animi egregiæque virtutis, in *Calabris* egressus, *Crotonem*, quod fugato pridem rege ad *Gallos* oppidum redierat, vi cepit, *Gallosque* quique eorum erant partium, justo prælio fudit, interfectis centurionibus, præfectisque equitum septem, militibus & equitibus ducentis, captis egregii nominis plus viginti, equis militaribus sarcinariisque quadringentis. Iis diebus naves longæ sex ex classe reipublicæ, quæ in portu *Neapolitano* erat, *Genuam* sunt ire jussæ: rumor enim invaluerat, *Carolo* regi classem in *Galliæ* pronunciæ portubus comparari: ut quæ à *Gallis* administrarentur, inspicerent, &, si possent, impedirent, navesque incenderent.

Consalvus Crotonem capit.

Hæc dum sic agitarentur, diversisque in locis dispari etiam eventu belli, meliore tamen quàm antea fortuna, *Ferdinandi* regnum cædibus & rapinis arderet, *Galli* ex eventu rerum timidiores aliquando facti *Telam*, quod à *Venusia* oppidum duodecim millia passus abest, non magna spe ejus potiundi cum eorum duce aggressi, oppidanos certis conditionibus se dedentes, fide fracta ingressi diripuerunt. Id intelligens *Ferdinandus*, *Contarenum* eò præmisit, qui *Gallorum* partem prope oppidum repertam in fugam, atque intra muros compulit, equitibus cataphractis triginta captis. eum subsecutus rex, mille ad oppidum passus loco tuto castra posuit. Eodem *Consalvus* è *Calabris* cum ea quam habebat manu, *Guidus Ubaldus Metaurensium* dux, quem senatus fœderatique auxilio regi miserant, è *Brutiis* venerunt. Aucto exercitu apud *Telam* rex cùm esset, ad molas frumentarias corrumpendas, quibus oppidani utebantur, itineraque duo intercludenda, *Consalvi* milites, qui tragulis utebantur, misit, cùm paulò antè *Contarenum Venusiam* misisset, veritus ne inde hostibus, quorum erat in potestate oppidum, auxilia mitterentur, commeatusque subministraretur. Relinquebatur hostibus iter unum montanum, quo itinere commeatus in jumentis subvehi poterat: idque magnis adhibitis præsidiis cùm fieret, *Contarenus* congressus præsidium dissipavit, commeatumque cum jumentis omnibus interceptum abduxit. Posteroque die, centum ex suis uti *Venusiam* accurrerent, imperavit. ii præda facta, sub oppidi muris cùm essent, oppidani autem milites tercentum cum paucis equitibus egressi recuperandæ prædæ spe prælium commisissent, ex illis octoginta occiderunt, captivosque complures fecerunt: ex quibus erat *Fundos* obtinens.

Tela oppidum direptum.

Eo tempore *Antonio* primùm anno superiore propter valetudinem à classe reipublicæ, quæ *Neapolim* mittebatur, remoto, deinde domum revocato, *Malchio Trivisanus* ei suffectus cum navibus longis aliquot *Corcyra* in *Apuliam* trajecit, atque in *Calabros* contendens, cum reliqua classe, quam ad se vocaverat, conjunctus, complura in littore aut vicino mari oppida regis imperium recipere coëgit. Demum *Paulam* veniens, cum oppidani missis ad eos, qui oppidum regi peterent, deditionem renuissent, ille autem ad oppugnationem se comparavisset, velletque muro succedere, mulieres passis crinibus porta cum infantibus egressæ ad illius se navem plorantes, ac pacem petentes, profuderunt. quibus commotus, milites continuit, oppidumque *Paulam* in regis fidem omnibus incolumibus oppidanis recepit.

Paula oppidum deditionem facit.

Ferdinandus, quo ad *Telam Gallos* diligentius obsideret, omnemque iis commeatus facultatem eriperet, castra propius oppidum admoveri mandaverat. ea re *Gallis* enunciata, magnum calonum & lixarum numerum, equitesque cataphractos, qui eis præsidio essent, centum quinquaginta, levis armaturæ, qui sagittis utebantur, alteros totidem celeriter portis emiserunt, uti ex vicinis oppido villis vicisque, quicquid possent pabuli colligerent, atque in oppidum comportarent: reliquum omne succenderent, ne hostes eo uti possent. Imperator ea de re certior factus, cum *Philippo Rubeo*, equitibusque *Italis* levis armaturæ, quos circum se habere consueverat, celeriter insecutus, prælio cum *Gallis* acriter commisso, cædeque facta, refugere illos in oppidum compulit. quibus pulsis, castrisque regiis prope oppidum positis, cùm *Galli* commeatu laborarent, diesque complures sine spe levandæ inopiæ se continuissent, equitibus præterea & militibus stipendium deberetur, neque pecunia suppeteret, missis ultro citroque internunciis, ipsoque duce cum rege ad colloquium admisso, tertiodecimo Calendas Sextiles pacti sunt, uti si auxilia intra mensem ab rege *Carolo* ad sese non mitterentur, quibus auxiliis exire oppido, atque in aperto consistere audeant, regno *Neapolitano* cederent, exceptis oppidis *Venusia*, *Cajeta*, *Tarento*: ipsis interim ab rege commeatus copia fieret: cedentibus autem rex suum præsidium adjungeret, quo *Puteolos* accedere, navesque in *Galliam* trajecturi conscendere tutò possent, ejusque rei cùm ipsi obsides regi dedissent, legatum *Venetum*, quem cum *Ferdinando* esse intellexerant, ab rege adhiberi voluerunt, qui eis ita fore, uti convenerat, reipublicæ nomine sponsor esset. Iis scriptis firmatisque conditionibus, *Gallorum* dux regi est pollicitus, si sibi centum auri libras mutuò det, quibus stipendia, quæ debet, exercitui persolvat, sese triduo cessurum, oppidumque traditurum. Accepta rex conditione quinquaginta ei libras numerari statim jussit: reliquas alteras quinquaginta *Helvetiis* militibus, quibus debebantur, quosque sacramentum apud se dicere cupiebat, quæstorem suum numeraturum recepit. Illi à *Gallis* missi regi lubentes paruerunt, ad illumque transierunt. *Gallis* oppido tradito abeuntibus, rex imperatorem *Venetum* adjunxit, qui cum *Græcis* equitibus, reliquisque *Italis* levis armaturæ curaret, ne quid eis in itinere noceretur. *Contarenus* febri permolesta implicitus adesse ipse non poterat, ex eaque febri paucis pòst diebus est mortuus, vir ad bella gerenda, atque rempublicam armis illustrandam, si ei vita suppeditavisset, planè natus. cujus postea matri auri libra annua in victum à Senatu constituta: duabus autem sororibus, alteræ dos auri libræ viginti, alteræ in sacrarum virginum collegium ternæ libræ.

Prælium.

Actio de Tela oppidi deditione.

Bernardi Contareni obitus.

Postea cùm rex *Salernum* ac nonnulla alia vi, nonnulla conditionibus oppida municipiaque recepisset, aliqua etiam sponte ad illum sua rediissent, *Ursinos*, *Vitellios*, qui ex *Gallorum* erant partibus, fugavisset, planéque dissipavisset, ipse autem, si qui reliqui essent in ejus regno *Galli*, ab iis nihil sibi magnopere verendum existimaret, *Græcos* equites, quorum opera egregia & fideli fuerat usus, quo minus sumptûs faceret, primos omnium missos fecit. paucis pòst diebus imperatori valetudine tentato omni cum exercitu abeundi facultas data. *Metaurensium* autem & *Pisaurentium* principes, *Alexandrique* filium, quibus stipendium à fœderatis pendebatur, *Prosperumque*

Ferdinandus exercitum dimittit.

rumque Columnam, cum sua quemque manu, navesque longas reipublicæ decem, onerarias *Hispanæ* classis quamplures, tum *Federicum* patruum, qui præesset, *Cajetam*, quod *Galli* oppidum communierant, misit. atque à *Malchione* triremes duæ *Salernitanorum* principi, sedibus patriis pulso, quibus ille in *Galliam* provinciam transmitteret, petente *Ferdinando*, traditæ. acceperat etiam in urbe à Senatu *Ferdinandus* mutuas auri libras sexaginta. Iisdem diebus *Vestini* legatos de deditione ad Senatum miserunt, neque sunt recepti. cumque à *Calabris Ferdinandi* navem onerariam *Galli*, qui illis in locis erant, pace facta *Neapolim* appulsuri conscendissent, nautæque cursum eò dirigerent, illi nautis comprehensis navem aliò convertere cœperunt: sed cùm magna coorta tempestate malo infracto antennæ concidissent, nautis ad gubernaculum revocatis, *Neapolitano* portu capto, omnes in vincula conjecti sunt.

Theani episcopus decollatus.

Ferdinandus autem cum graviter ex intestinis in *Vesuvio* laboraret, episcopum *Theani*, quem habebat in custodia, securi uti percuterent, suis imperavit: addubitansque ejus rei ministros sese ægrè dicto audientes non fuisse, episcopi caput in cubiculum ad se afferri jussit: quo inspecto quievit. pauloque pòst *Neapolim* allatus, urgente vi morbi Nonis Octobribus excessit è vita: cujus locum *Federicus* eo ipso die unà cum *Malchione Cajeta Neapolim* approperans, à regni principibus suffectus tenuit. Is regiis acceptis insignibus primum omnium *Salernitanorum* principi abitum paranti autor, ne discederet, fuit, regni præfectura, qui magistratus habetur amplissimus, ei tradita, filiaque sua illius desponsa filio. reliquos deinde viros principes, qui cum *Ferdinando* diffidebant, propè omnes sibi amicos certis conditionibus atque muneribus reddidit. Nondum autem iis confectis rebus, dum reginas *Federicus* inviseret, unam, quæ patris, alteram, quæ fratris filii uxor fuerat, *Bissinianorum* principis, qui unà cum plerisque in procubiculo regem operiebatur, famulus gladio districto herum percussit, geminatis ter ictibus interficere illum cupiens: comprehensus, quæstione habita dixit, id efficere, quod fecisset, se in animo annos tredecim habuisse, propterea quod princeps suam olim sororem violavisset: antea patrandi facinoris occasionem idoneam sibi nullam datam: tunc rem ad exitum perducere vel certo vitæ suæ periculo voluisse. Paucis pòst diebus *Federicus Malchione* omni cum classe dimisso, suum *Cajetam* exercitum adduxit: ac parte suburbiorum & montis capta, tormenta muralia ad portum conversa collocavit, ut naves quas habebant *Galli*, collabefaceret atque deprimeret. quod quidem illi veriti, ea se conditione dediderunt, si rex eos suis cum rebus omnibus mari discedere permitteret. itaque tribus onerariis conscensis navibus oppido tradito, non multis ante brumam diebus sunt profecti. Accidit autem ut navis ea, in qua erat *Cajetæ* magistratus, cum militibus trecentis magno adverso impellente vento *Terracinæ* injecta littori cum vectoribus perierit.

Ferdinandi Neapolitani regis obitus.

Federicus rex Neapolis.

Bissinianorum principis interitus.

Gallorum naufragium.

Tarentini dubii quò se vertant.

Tarentini verò, qui ad eam diem *Gallorum* fidem secuti, in magna rerum omnium inopia, magnisque in difficultatibus versabantur, Cæsare *Ferdinandi* fratre notho & terrestribus obsidente oppidum copiis, & mari navibus longis tribus commeatus importari prohibente, præsertim, quòd si quid antea in villis aut frumenti, aut pabuli circa oppidum fuerat, eo ne hostes potirentur, tectis incensis corruperant ipsi. *Ferdinandi* morte cognitâ, concilio coacto quid agendum sibi esset, inter se quærebant. Ea re longis disceptationibus agitata, ac tribus dictis sententiis, una ut *Federico*, altera ut regi *Turcarum*, tertia ut *Venetæ* reipublicæ oppidum traderent, legem tandem magno studio tulerunt, ut Senatus fidei & pietati sese committerent: itaque insigni reipublicæ sublato, literas ad *Aloisium Lauredanum* præfectum *Monopolitanorum* dederunt, orantes uti se reciperet. Literæ *Aloisii* ea de re ad Senatum perlatæ, alteroque post eas litteras die legati *Tarentinorum* cum eisdem mandatis *Venetias* advecti, ejus rei expectatione civitatem erexerunt. atque illis quidem hospitium publicè datum est. Patres vocati complures dies sententiis dicendis consumpserunt: quarum pars non esse *Tarentinos* recipiendos, propterea quòd in fœdere caput erat, ne dedititios, rege non permittente, civitas acciperet: pars recipiendos censebant, ne obstinatis in *Neapolitanos* reges animis *Tarentini* regi *Turcarum* sese dederent: quod si fieret, non illis modò nationibus *Federicoque* imprimis, sed toti etiam *Italiæ* perniciosum futurum. Nullum Senatui cum *Federico* fœdus *Ferdinando* mortuo: quod tamen si esset, præstare id uno in capite negligi, quàm permittere oppidum naturâ munitissimum, atque ad exercitus in *Italiam* transportandos, classesque continendas, opportunissimum, inimico *Italis* omnibus regi atque bellicosissimo attribui. Vicêre demum quæ, neutra earum probata, *Tarentum* civem *Venetum* mitti oportere, sententiæ censuerunt, qui autoritate reipublicæ *Federico* civitatem conciliaret, commeatumque sufficeret. Itaque *Andreas Zancanius* Senatorum suffragiis legatus est ad *Tarentinos* lectus. atque is antequam navem conscenderet, *Alexandri* atque *Hispaniæ* regum legati, itemque *Ludovici*, Principem & Patres adierunt, eosque, ne se in causam *Tarentinorum* insinuarent, néve quid agerent, monuerunt. quorum intellecta voluntate, ne laborem cum invidia Patres sumerent, *Andreas* Senatusconsulto retentus, neque postea missus est. Atque illis diebus *Ludovici* ad *Alexandrum* scriptas litteras *Ursini* prope urbem interceperant, quibus literis *Ludovicus* ab *Alexandro* petebat, uti Patres commonefaceret, à *Tarentinis* recipiendis abstinerent: nêve eos augere suas opes, suamque potentiam nimium quàm jam auctam permitteret. Eas illi Senatui literas miserunt, ut quo esset in ipsos animo *Ludovicus*, Patres inspicerent, qui tantis ab republica tamque illustribus affectus beneficiis, à suis tamen moribus non recederet. *Zancanio* retento, Patres, quod cum *Tarentinorum* civitate illo misso facere decreverant, id cum eorum legatis ipsimet sunt aggressi, ut illos *Federico* per ejus legatum conciliarent: quod quidem perfecerunt, sponsoresque *Tarentinis* fuerunt, regem illos in eum, quo antea erant, statim restituturum, neque quicquam, propterea quòd à regibus *Neapolitanis* descivissent, civitati succensurum. quibus constitutis rebus *Georgium Francum*, Senatus scribam, unà cum legatis revertentibus *Tarentum* miserunt, earum rerum firmandarum causa: annusque insequens jam inierat. Illi autem intellecta oratorum suorum literis de sese regi pacandis Senatus voluntate, pridie quàm is *Tarentum* appelleret, aliquanto minus bonis conditionibus, quàm illæ erant, de quibus transegerat Senatus, se *Federico* dediderunt. Eum exitum *Tarentinorum* obfirmatio habuit.

Consultatio Patrum Venetorum an Tarentini recipiendi?

Jamque in urbe advenarum contagione, invectioneque syderum, morbus peratrox initium acceperat is, qui est *Gallicus* appellatus: quo genitalibus ante omnia plerumque vitiatis, corpus doloribus afficiebatur, deinde pustulæ maculæque prodibant cum in membris reliquis, tum magnope-

Gallici morbi origo.

gnopere in capite facieque: ac sæpe tumores & tanquam tubera primùm subdura, pòst etiam saniosa, exoriebantur: itaque multi diu vexati membrorum propè omnium doloribus, deformatique tuberculis & ulceribus, ut vix agnoscerentur, miserabiliter interibant: neque quorum medicamentorum pestilentia indigeret nova insolensque, sciri poterat. quamobrem annos complures omnibus in reipublicæ municipiis & finibus licenter pervagata, magnum hominum numerum absumpsit, fœdavit multò maximum. Sed quoniam eo de morbo *Fracastoriani* libri tres heroicis versibus multa cum dignitate venustateque conscripti vulgò in manibus habentur, nihil nos quidem attinet hæc scribentes commorari, præsertim quòd ejus acerbitas & vis multò nunc jam remissior tolerabiliorque facta, vel inventis ad ea mala perfugiis opibusque, vel cœlo minus in dies sæviente, planè deferbuit.

Fracastoriani de morbo *Gallico* libri.

Verum ad *Pisanum* bellum, de quo superius dicere cœpimus, revertamur: quod tamen ipsum impeditum magis, & diuturnum variumque, cùm impensæ plurimæ atque multiplicis, quàm usui aut gloriæ civitati fuit. quanquam ejus quidem rei culpam omnem *Ludovici* æmulatio atque perfidia sustinuit: quæ tamen culpa uno ab illo fonte derivata, paulò pòst in ipsius caput redundavit. Magnum enim hostem nactus, cum respublica sæpius ab illo lacessita & prodita, hominis infidelissimi atque arrogantissimi societatem semel renuisset, regno expulsus, deinde etiam captus, turpissima in custodia vitam reliquit. Adductis *Pisas* reipublicæ auxiliis equitatus gravioris leviorisque armaturæ per *Ludovici* fines, qui & ipse suos equites, multò tamen pauciores, eodem miserat, tum per *Lucensium*, quos suscepti à tribus maximis *Italiæ* populis communi consilio belli fama compulerat, nihil ut eis esse negandum existimarent, conscripti *Pisis* reipublicæ pecuniâ milites plus mille, quos ex *Umbria* & *Piceno* & *Corsica* prædæ atque stipendii spes evocaverat, ad eos qui *Genua* venerant, milites adjunguntur: itaque spei bonæ plena civitas suis sociorumque copiis ad vicum, qui *Pisanus* appellatur, eratque in ipsius potestate, hostium equitatum cæde facta in fugam vertit, captis compluribus. Milites, qui tunc ab equitibus tria millia passus aberant, cùm suis præsto esse non possent, quòd inter se, equitesque interpositum hostem videbant, ejus adventu non expectato, raptim temereque, quò cuique visum est, fuga comparata sibimet consuluerunt. Paucis autem pòst diebus eodem ex municipio emissos pabulatores hostium est manus parva ex insidiis consecuta: ad quos cùm ii, qui erant in municipio, equites cataphracti sexaginta, leviter armati centum, milites minus trecenti, auxilio accurrissent, reliqui se hostes ostenderunt, impetumque in eos fecerunt, equites utriusque armaturæ quingenti quinquaginta, milites ad duo millia: illi se paulatim referentes, ad ejus loci pontem constiterunt, fortiterque pugnantes, cùm aliquot ex suis amisissent, aliquot etiam capti essent, se tamen loco non movebant, vulneraque & cædes inferebant. quo in certamine *Franciscus Siccus* hostium præfectus accepto vulnere prælio excessit, pauloque pòst est mortuus. eo cedente finis est pugnæ factus. atque illa quidem in pugna *Veneti* cùm ad *Lucium Malvetium Bononiensem Ludovici* legatum, qui non longè aberat, misissent, uti sibi auxilio confestim veniret, prandere se prius velle respondit. Is, quòd ex ejusmodi ludibrio responsi, nec allato celeriter auxilio, omnium se vocibus culpari sentiebat, honoris sui causa *Pontem sacci* castellum *Florentinorum* noctu adortus, scalisque ad murum positis cepit, cùm tamen eo in castello esset *Antonii Martiani* filius adolescens cum equitibus cataphractis sexaginta, quorum pars in *Lucii* potestatem venit. atque illud quidem castellum *Florentini* decimo pòst die, quàm est captum, iisdem propè artibus recuperaverunt, è vestigioque diruerunt. ita utrisque hæc, atque consimilia multa conantibus, aliquot menses abierunt, cùm utri eorum superiores in bello essent, constaret satis nulli.

Pisani belli continuatio.

Prælium.

Pons sacci castellum.

Interim cùm *Pisani* commeatus inopiâ propter anni tempus laborarent, idque Patribus significavissent, Senatus ad suum statim hominem, qui erat *Genuæ*, trajectâ pecuniâ imperavit, uti frumenta coëmeret, *Pisasque* transmitteret. qui cum Senatui celeritate adhibita paruisset, annona sublevata reipublicæ munere civitatem recreavit. Senatus ubi ea manu, quam *Pisas* miserat, quamque ibi atque *Genuæ* conscripserat, æstatis parte jam præterita parum se proficere animadvertit, quingentos equites *Græcos Justiniano Mauroceno* præfecto *Pisas* mittendos decrevit. Is ante medium *Quintilem* mensem omni cum equitatu eò se contulit. Tum autem, quod erat jam antea in *Alexandri* & *Ludovici* & reipublicæ militia *Joannes Bentivolus*, pro sua parte misso ad illum stipendio, Senatus, cùm etiam *Alexander* misisset, uti se ad *Pisanum* bellum compararet, imperavit: simul ab *Ludovico* petiit, suam *Joanni* partem itidem mitteret. Id ille negare cùm non posset, se facturum recepit, neque misit tamen: quinetiam ne ulla conditione proposita proficisceretur, clàm ab eo impetrasse illum nemo non credidit: nam *Joannes* multa quotidie causari, multa temerè ab Senatu petere, denique diem de die ducere, ut quilibet scire posset illudi Senatum callidis & propinquis ab hominibus *Ludovico* & *Joanne*. Duxerat autem *Hannibal Joannis* filius in matrimonium ex *Herculis Atestini* filiis notham: altera, ut antè dictum est, *Ludovico* nupserat. Itaque eam affinitatem etiam animis ad improbitatem mutuis paribusque conglutinabant. qua in mora illud accidit, ut *Hercules* eam equitum militumque manum, quam tuendo regno habere consueverat, propè omnem cum præfectis dimitteret. Missi è vestigio *Florentiam* militatum abierunt: ne cui dubium fieret, qua hæc mente, quóve consilio essent instituta. Sed & illud Senatusconsultum factum est, ut præfectis tribus, qui erant *Pisis*, equitum numerus augeretur: *Jacoboque Tarsiæ*, qui *Ravennæ* erat, pecunia subministraretur ad milites in *Faventinis* finibus conscribendos mille, quibuscum *Pisas* accederet, cæteris quoque militibus, qui reipublicæ stipendium mererent, eo bello imperaturus. tum missi *Pisas* præfecti equitum cum sua quisque turma quatuor. Iis imperatis rebus, ac propè etiam confectis, *Helvetii* quadringenti, quos *Ludovicus Pisas* miserat, domum discesserunt, cùm dicerent, sibi stipendium non subministrari. Reliquæ deinde *Ludovici* copiæ præfectique paucorum dierum spatio sigillatim abeuntes idem fecerunt, *Lucio* excepto, qui quidem consilia cæterorum cognoscendi, atque impediendi belli causa cum paucis equitibus remansit. ita, quod initio de communi sociorum sententia *Ludovicus* sumpserat, ut *Pisas* unà cum reliquis tueretur, id privato consilio rejecit, furtim in medii fervore belli sese subtrahens. Sed antequam *Helvetii* & reliquæ *Ludovici* copiæ discessissent, propterea quòd multò plus oneris & vastitatis civitati, quàm aut præsidii aut emolumenti, afferebant, videbaturque id unum *Lucio* deliberatum esse, ut *Pisanos* conterendo & maleficiis everteret, civitas ad Patres misit, sese ulterius *Ludovici* auxilia

Pisani annona sublevati.

Pisanorum petitio.

xilia perpeti sustinereque non posse: velle, ac decrevisse, uni Senatui se addicere, vexillaque reipublicæ subtollere: rogare ut eorum voluntate id sibi facere liceret. Patres *Pisanis* collaudatis, quòd eo erga rempublicam studio, ea mente essent, aliud posse tempus accidere dixerunt, cùm id & illi tutò facere, & ipsi eis permittere uti facerent, jure possent: nunc verò illud curarent, ut liberi per eorum fidem essent: qui pepigerunt se in eo suas partes omni diligentia præstaturos: bonoque animo esse jussos dimiserunt.

Patrum Venetorum responsum.

Naves interea reipublicæ longæ sex *Neapoli* in *Liguriam* atque in *Galliam* provinciam missæ, cùm nihil earum rerum, quarum causa ierant, reperissent, conversæ ad eas naves *Florentinorum* insectandas, à quibus ne frumenta, néve reliqui commeatus supportari *Pisas* possent, magnum impedimentum afferebatur, plurimo usui ea in re fuerunt. quibus quidem navibus aliæ naves longæ complures additæ, eundem sanè usum atque operam reipublicæ præstiterunt, hostium navibus commeatibusque, qui *Triturritam* invehebantur, deinde in eorum castra comportabantur, sæpe disjectis fugatisque, sæpe captis. Neque tunc terrestres reipublicæ copiæ in cessatione fuerunt, sed & castella hostium aliquot sunt ab iis capta, & legatus eorum *Petrus Capo* interfectus, & prælia nonnulla secundiora facta. Quo etiam tempore *Pisani Librafactæ* castellum ipsorum, quod ab eisdem *Gallis*, qui arcem *Pisanam* restituerant, etiam nunc obtinebatur, auri libris triginta præfecto traditis, magna hostium invidia recuperaverunt. Omnibus autem ex utilitatibus, quas quidem classis exercitusque reipublicæ in medium ejus belli contulit, eæ crebriores neque postremæ fuerunt, quæ ab *Græcis* sunt equitibus profectæ: nam & prædæ sæpe ingentes abactæ ab illis sunt, & plurimi commeatus intercepti, & hostium turbata eorum audacia, atque celeritate consilia: quodque magis mirum videbatur, castella quoque ab iis nonnulla capta: cædes verò pluribus locis factæ: ut laudari & bene de republica meriti existimari jure possent.

Librafacta castellum recuperatum.

Dum hæc ad *Pisas* geruntur, è *Gallia* transalpina nuncii venerunt, ab rege *Carolo* reditum in *Italiam* magno studio comparari: ipsum paucis diebus ad *Lugdunum* fore: in via quidem certè jam esse. quamobrem *Ludovicus* à Senatu quæsivit, velletne, si *Carolus* urgeat, sibi exercitum & auxilia mittere: nam se promeritum, ne quam sui curam respublica sumeret, probè intelligebat. Senatus ei respondit: Tametsi *Pisano* bello implicata civitas esset, cui bello quanto studio, quantisque impensis opus sit, sciret ipse omnium optimè, tamen se in eo tuendo non defuturum. simul *Marcum Beatianum* ad *Helvetios* misit, qui eis ab republica stipendium polliceretur, ne ad *Carolum* se converterent. Pauloque pòst, cum *Triultius Gallorum* manum secum ducens trajectis *Alpibus Astam* venisset, *Ludovicus* ad Senatum misit, videri sibi optimum esse *Maximilianum* regem suo, & *Alexandri* & reipublicæ stipendio in *Italiam* accersiri: ut sit, qui regem *Carolum* & autoritate sua deterrere, ne *Alpes* trajiciat, &, si trajecerit, suis & sociorum opibus & copiis comprimere facilè possit: ejusque se rei jam apud illum initia & fundamenta jecisse per legatos suos, à qua, ut videtur, non abhorreat. Ea agitata re de *Alexandri* & *Hispaniæ* regum legati sententia celeriter à Patribus sextodecimo Calendas Junias Senatus decrevit *Maximilianum* accersiri oportere: cui sint in trium mensium stipendia (tot enim menses satis fore) à republica quadringentæ auri atque octoginta libræ, à *Ludovico* alteræ totidem, ab *Alexandro* parte dimidia pauciores: ducatque

Caroli regis in Italiam expeditio nova.

Decretum de Maximiliano rege in auxilium vocando.

A is *Helvetiorum* secum militum quatuor millia, quibus ipse stipendium numeret, singulis mensibus libras auri centum viginti, ea cum lege, mandatisque, *Franciscum Foscarum* legatum Senatus ad illum misit, quæ quidem lex eò festinantius est lata, quod literæ ad Senatum venerant, *Helvetiis*, qui se profitebantur nihil eorum, quæ vellet *Carolus*, esse facturos, nisi prius reliqua, quæ debeat, quæque permagna sint, eis persolvat, jam ab rege quingentas auri libras esse curatas, quod tamen, ut postea cognitum est, falsum fuit. *Beatianus* ad *Helvetios* missus effecit, ut tres eorum pagi reipublicæ sacramentum dicerent, stipendiumque eis dedit. B *Maximilianus* accepta à Patribus pecunia, in fines regni sui venit, *Comensem* agrum versus. Eum *Ludovicus* cum uxore *Beatrice* obviam profectus excepit: pransique unà venatum secum duxerant. Qua commotus fama *Aloisius* dux *Genabensium Astam* oppidum communivit, veritus *Maximilianum* eò primùm omnium suas copias adducturum. Ille autem, ut *Philippo* filio *Belgarum* regi ad se veniendi potestatem faceret, etiam interius in *Alpes* reversus, suspicionem multis attulit sese amplius in *Italiam* non venturum. Atque illis ipsis diebus *Henricus Britanniæ* rex inter fœderatos est receptus: missique C ad *Maximilianum* legati duo, *Antonius Grimanus*, *Marcus Antonius Maurocenus*, qui venientem exciperent. *Maximilianus* convento filio rediens *Comum*, quò ei præstò *Ludovicus* fuit, deinde in agrum *Mediolanensem* ad *Vigevenum* venit. Ibi cùm esset, literas ad *Pisanos* dedit, velle se suum hominem, qui eis consuleret, civitatemque regeret, eò mittere. Civitas ad ea respondit, unum se ab ejus initio belli semper optavisse diligentissiméque curavisse, ut in libertate, qua permultos annos caruerant, quamque dii eis reddiderant, permanerent: si ejus præfectum recipiant, contrariam rem suis studiis facturos, sibique ipsos do- D minum imposituros: se verò non consiliorum indigere, sed auxilii. Itaque cùm paulò pòst *Maximilianus* illum ipsum præfectum ad eos misisset, non est receptus.

Maximiliani in Italiam adventus.

Henricus Britanniæ confœderatus.

Pisani ob libertatem retinendam præfectum non recipiunt.

Interim cùm de adventu *Caroli* rumor nunciique refrixissent, *Ludovici* suasu, qui omnino nihil eorum, quæ impedire paulùm modò possent, ne *Pisæ* sub reipublicæ ditionem redigerentur, prætermittebat, Senatu non abnuente, *Maximilianus* statuit *Pisas* accedere, ut ei bello finem imponeret. Itaque *Dertonam* est profectus cum equitibus, quos secum duxerat, trecentis, militibus *Helvetiis* duobus millibus, equitibus *Lu-* E *dovici* mille. *Dertonæ* res hujusmodi accidit Legatis *Florentinorum* duobus, qui ad *Maximilianum* venerant. in via fortè obviis legati *Veneti* salutem dixerunt: illi eis ne verbum quidem unum reddiderunt, sed illiberali contumacia ire perrexerunt. Postridie autem ejus diei iterum obvii cùm de via legatis reipublicæ non cederent, arrogantiusque in eos cum suo comitatu propè conglobarentur, *Maurocenus*, cui quidem præclara atque mirifica faciei dignitas cum vasta membrorum magnitudine inerat, alterum illorum ita repulit, ut in luto provolveretur, Disce cedere majoribus pronuncians.

Legatorum *Venetorum* cum *Florentinis* concertatio.

F A *Dertona Genuam Maximilianus* profectus, arcem oppidi sibi tradi postulavit. ea non tradita, postridie ejus diei oppido egressus in suburbio paranda classe complures se dies continuit. Nonis autem Octobribus omni cum sua copia conscendens navibus longis *reipublicæ* octo, *Genuensium* duabus, onerariis item decem, quas *Genuæ* armari atque instrui curaverat, adversa tempestate quòd in onerariis tunc erat, paulisper est jactatus: pòst à *Dominico Maripetro* præfecto classis *Vene-*

Maximiliani navigatio.

Venetæ receptus, cùm dies aliquot in mari portubusque consumpsisset, *Arni* fluminis ostium ingressus navicula cum eodem præfecto, prioreque legato reipublicæ (nam recentiores affecti valetudine domum abierant) *Pisas* appulit: ibi explorato loci situ, concilio legatorum, & præfectorum, & civitatis coacto, *Triturritæ* arcem, quæ mari undique alluitur, & ponte sublicio littori conjungebatur, eratque hostibus opportunissima, quod ea una omnes maritimi *Pisanorum* conatus, & rei frumentariæ administratio magnopere impediebantur, oppugnare instituit. itaque legatis reipublicæ, qui exercitui præerant, jussis in diversas partes equitatum mittere, ut hostes aliis in rebus occupati morarentur, milites *Helvetios* trecentos è navibus cum tormentis & præfectis suis principibus egressos occupare eum collem, qui è regione arcis est, imperat, ædiculamque in colle positam capere, ne auxilia iis, qui in vico atque in arce sint, quòd erat illac transeundum, ab hostibus submitti possint. Quare animadversa, *Triturritani* portis emissi animo ædiculæ præripiendæ in collem evolant. Prælium committitur, cædesque utrinque fit. tum præfectus classis milites è navibus, remigesque auxilio laborantibus submittit: ab iis hostes repelluntur, ipsi & *Helvetii* fugatis hostibus ad naves revertuntur, hostes postea eam ædiculam diruerunt. Interim naves aliquot è longinquo visæ sunt eò cursum tendere: ad quas suis cum triremibus præfectus, ut unde, aut cur venirent, scire posset, & si hostiles essent, ipse eas adoriretur, statuit accedere: naves enim onerariæ, quòd ventus erat adversus, commovere se non poterant. *Maximilianus* ejus consilio comprobato, triremes & ipse conscendit. Cùm ad naves præfectus appropinquasset, quæ quidem erant sex, omnesque *Gallicæ*, ac plenæ commeatus, & armatorum militum à legatis *Florentinis Caroli* permissu in *Gallia* provincia conscriptorum, eas aggredi non est ausus: quarum una erat amphorarum supra mille ducentarum capax, reliquæ plus minus quadringentarum. itaque sine molestia cursum tenentes ad *Triturritam* jactis anchoris constiterunt. Sequebatur magno eas intervallo navis una reliqua longa, verùm non ita velox remigioque habilis, ut triremes sunt, sed altior, latiorque, ac magno ad bellum usui, amphorarum circiter sexcentarum: ad quam præfectus omnibus cum triremibus contendens, eamque assecutus, ubi se, qui in navi erant, milites septuaginta velle defendere cœperunt, tormentis æneis pilas ferreas in eos magni ponderis emitti è triremibus imperavit. quorum terrifico strepitu audito, conspectisque ignibus, *Maximilianus* sua cum triremi abiit. eum aliæ quatuor triremes sunt subsecutæ. Præfectus cum reliquis in navem *Gallicam* facto impetu, eam cepit: qua in navi erat frumenti magnus numerus. Id navis hostium major, quæ in portu jam erat, conspicata, vento paulisper converso sublatis anchoris, ut auxilio sociæ navi esset, vela ad naves *Venetas* fecit: sed præfectus navem captam remulco breviorem in aquam abstraxit, quam illa terra tacta assequi non potuit. Venerat interim *Pisas Hannibal Bentivolus* patris loco cum equitibus septingentis, & militibus ducentis: cum *Lucius* veritus, quòd erat ex adversa factione, abiit, neque postea *Pisis* fuit. Is igitur *Hannibal*, copiæque reliquæ *Venetorum* omnes cum legatis instructo exercitu sese ad *Triturritam* contulerunt. In itinere castellum unum vi ceperunt: alia se duo sponte dediderunt. Exercitus castris positis, ubi arcem obsidere, ac concutere tormentis cepit, ii sunt imbres consecuti, ut *Maximilianus* obsidionem reliquerit: itaque suis cum

Triturrita arx.

Prælium.

Naves *Gallicæ*.

Gallica navis frumento onerata capta.

Triturrita arx oppugnata.

Maximiliani in

A equitibus quingentis, militibus mille trecentis, ad vicum *Pisanum* profectus est: inde propè subiratior, seque deceptum dictitans, nullo loco commoratus, *Ticinum*, pauloque pòst suum in regnum rediit.

Germaniam reditus.

At domi, ut more institutoque majorum, civibus ædium suarum incendio damna perpessis publicè subministraretur, quò facilius amissa restituerent, *Decemviri* legem tulerunt, ut *Petri Molini* filiis auri libras viginti, *Hieronymo* & *Marino Albertis* quindecim, quibus utrisque ædes ad *Rassiani* & *Apollinaris* conflagraverant: *Andreæ Ripæ*, cui suburbium in *Muriano*, alteras totidem: B *Veneriis*, quibus domum cum taberna mercium *Indicarum* maximè celebri ad *Bartholomæi* absumpserat, auri libras triginta, Quinquevirûm sale procurando magistratus daret. Neque multò pòst, onerariis navibus duabus naufragio amissis, *Philippo Bernhardo*, *Aloisio Contareno*, quorum illæ fuerant naves, auri libræ sexaginta æquis partibus, *Decemvirûm* item lege ab eodem magistratu sunt curari jussæ, ea conditione, si navem alteram eorum uterque fabricandam reciperet.

Lex quibus incendium naufragiumve passis succurritur.

Florentini ea re elati, quòd *Maximilianus*, à quo sibi magnopere timuerunt, infecto negotio discesserat, castella complura, quæ à *Pisanis* tenebantur, aggressi, partim vi, partim se dedentia recuperaverunt. Legati *Veneti* exercitu distributo, *Pisanum* ad vicum, & *Cassinam*, & *Butrium*, & *Librafactæ* municipia se in hiberna contulerunt. *Græci* equites centum, ut commeatus inopiam sublevarent, quòd illis diebus naves *Gallicæ* quatuor *Venetorum* naves duas frumentarias, *Pisas* convehentes, interceperant, hiemandi causa *Ravennam* profecti sunt insequente anno inito. aliquot etiam eorum, qui remanserant, ad hostes ob stipendia non soluta transierunt.

Florentinorum ausus.

Quibus etiam diebus *Faventiæ* arcis præfecto ægerrimè ferente oppidum à reipublicæ legato D ita regi, ut sibi, quod antea consueverat, magistratus creandi, pecuniam publicam avertendi, quicquid collibuisset patrandi facultas non esset, novasque res cum sui similibus moliente, ut legati jus & majestas impediretur, puero etiam delinito, & in suas partes traducto: Senatus ea intelligens, literas ad legatum dedit, quibus literis legatus jubebatur, *Hestori* puero civitate adhibita denunciare, Senatum non ambitionis aut dominationis causa civem suum *Faventiam* misisse, sed cùm prius otii & quietis cupiditate ejus hostes, qui illum regno propè dejecerant, suis auxiliis repressisset, postea & civium precibus, & ipsius periculo permotum, constanti ejus diuturnoque rogatu id fecisse, ut esset, & qui oppidanis jus æquabiliter diceret, & quem ejus inimici propter rempublicam vererentur, ne is quotidie ob ætatis imbecillitatem, & hostium audaciam de suo regno periclitari cogeretur: illum etiam in suam militiam scripsisse, stipendio juvisse, ornatumque esse voluisse, dignitate auxisse, sua benevolentia pietateque fovisse: atque hæc illum ab Senatu omnia sine ullo fœnere, tanquam à patre filium, impetravisse, annumque integrum his reipublicæ muneribus & liberalitate usum fuisse: nunc verò, quando non modò nulla gratia tantis officiis referatur, sed etiam Legati jurisdictio impediatur, reipublicæ autoritas labefactetur, velle Senatum, & Legato jubere, ut statim decederet: fatuum porrò eum esse, qui alteri suo cum dispendio beneficium dat, quod ipse, cui datur, invitus accipiat. Iis literis palam à legato recitatis, puer rogare illum lachrymans obtestansque cœpit, ne decederet: multique idem optimates frustrà fecerunt: nam legatus nihilo secius decedens domum rediit.

Faventiæ præfecti insolentia.

Inter

Carolus reditum in Italiam parat.

Inter hæc *Carolus*, *Juliano Genuæ* ac *Savonis* ei deditionem pollicente, *Alexandriæ Dertonæque Triultio*, modò ipse reditum in *Italiam* apparet, *Lugdunum* venit. quibus intellectis rebus fœderati trium millium militum numerum in *Liguria* celeriter conscripserunt, eosque per arces oppidorum & castella distribuerunt: & *Joannem Aloisium Fliscum* adversæ factionis, hominem magna autoritate, qui tum *Genua* exulabat, resque novas moliebatur, civitati restitutum, communi stipendio ei tradito, ut quiesceret, effecerunt. Crebrescente verò iterum fama, *Carolum* ad *Lugdunum* magnos exercitus cogere, Senatus decrevit, ut trecenti equites cataphracti *Ludovici* auxilio mitterentur: Principisque collegium civem legeret, qui eis quæstor & legatus esset. Patres *Vincentium Valerium* legerunt. Pauloque pòst equites levis armaturæ alteri totidem *Mediolanum* sunt à Senatu missi. *Triultius* cum eo, quem & secum è *Gallia* transalpina ducere, & in *Salassis* ac *Helvetiis* cogere potuit, exercitu in *Ludovici* fines ingressus, castella quinque haud paulum opportuna communitaque perceleriter cepit, expulso *Joanne Francisco Severinate*, *Ludovici* præfecto, qui ne primum quidem hostium impetum sustinuit. alia ex parte cum militibus sex millibus *Astâ Julianus* profectus *Savonem* versus, præmissis qui eam civitatem pollicitationibus incitarent, cùm nihil eo studio profecisset, itinere non intermisso illò venit, atque in colle apud oppidum castra posuit. Jamque *Pisis Savonem* Senatus jussu venerat classis præfectus cum triremibus reipublicæ septem, onerariis navibus *Federici* regis quatuor: ad quas utrasque *Genuenses* duas ejusdem generis addiderant. Itaque *Lucius* & *Severinas* legati, quos eòdem *Ludovicus* miserat, sua cum manu, & cum equitibus *Græcis*, militibusque, quos ex hibernis & *Pisano* agro *Genuam* contendere Senatus jusserat, adjunctis classiariis, prælio cum *Juliani* copiis commisso, eas repulerunt. Iis repulsis submotisque (retrò enim cesserant) *Novium* oppidum tormentis positis, ut se dederet, compulerunt. Classis autem præfectus ea littora percurrens, naves magnas parvasque complures commeatu onustas, qui è provincia cum *Juliano*, quem quidem jam *Galli* oram illam tenere confidebant, tum *Florentinis* afferebatur, naviculasque longas militares aliquot paucis diebus cepit. *Triultii* autem rebus successibusque cognitis, Senatus decrevit, ut *Nicolaus Ursinus*, cui omnium reipublicæ copiarum præfectura decreta erat, & *Bernardinus Montonius Mediolanum* celeriter contenderent, imperatorque *Franciscus* se compararet, ut, si opus esset, ipse quoque eò proficisceretur. Legati etiam ab bellum *Gallicum* lecti, *Nicolaus Fuscarenus*, *Andreas Zancanius*, ire celeriter sunt jussi. tum centuriones militum tribunique delectibus conscribendis, quibus uterentur, ad plura loca missi. Ubi *Ursinus* unà cum altero legato *Mediolanum* venit (nam *Zancanius* in itinere ad *Cremam* luxato pede restitit) *Ludovicus* edici frequenti foro jussit, quæ legati *Veneti* jussissent, mandavissent, iis velle jubere se ita omnes homines audientes esse, uti si ea ipsemet imperavisset. *Triultio* verò, cui, antequam exercitus reipublicæ illuc accessisset, omnia secundiora fuerant, *Ursino* & *Montonio*, reliquisque præfectis & tribunis militum suas ei copias opponentibus, primò ad *Castellatium*, quod municipium tormentis concutere instituerat, mille & quingentis *Gallis* ab equitatu reipublicæ levis armaturæ malè habitis, non leve detrimentum est illatum. Deinde, cùm prælio decertare non auderet, paulatim sese retrahens, & castella *Ludovici* capta deserens, apud *Astam* octo millia passuum castra posuit, & communivit: antè tamen *Bergomascio Ludovici* castello de via ei obvio, propterea quòd se dedere voluerat, vi capto, interfectisque ad unum, qui in eo erant, omnibus.

Præ-lium.

Montis alti municipium expugnatum.

Ex *Veneto* etiam & *Ludovici* exercitu equites & milites *Montis alti* municipium, quod à *Novaria* tria millia passuum abest, expugnaverunt, simulque diripuerunt, atque incenderunt. *Savone* autem & *Genua* rectè firmatis, cùm *Pisani* commeatus inopia conflictarentur, propterea quòd classis reipublicæ ab eorum littoribus abfuerat, *Florentini* suis navibus frumenta in oppidum supportari prohibuerant. Pauculosque se dies sustinere posse ulterius significavissent reipublicæ classis præfecto cum triremibus quinque, navigiis minutis frumentariis, quibus erat præsidio, supra quinquaginta è portu *Veneris Pisas* revertenti, ex omni sua copia *Florentini* fortissimo quoque milite navibus imposito, *Triturrita* solventes occurrerunt. naves erant eorum sex, quatuor biremes, una & ipsa longa, sed triremibus multò vastior atque procerior: oneraria magna alia, militibus amplius sexcentis, tormentorum atque missilium omni genere instructissima. ex iis ad impediendas frumentarias, ne *Arni* fluminis ostium ingredi possent, biremes miserunt: reliquæ duæ magnæ, ut in triremes impetum facerent, remis velisque propellebantur. Id præfectus conspicatus, triremem unam, cui maximè confidebat, commeatui præsidio reliquit: ipse cum reliquis provectus, tametsi periculosum esse intelligebat cum tam magnis navibus confligere, tamen, propterea quòd videbat omnem ejus belli fortunam in eo commeatu supportando consistere, ad eas conversus citatis remigibus suæ navis proram, in longæ hostium latus magno animo imprimit. Conflictu mutuo ambæ naves concutiuntur, & hostes manum ferream in præfecti navem jaciunt, eamque retinent. Itaque omni telorum genere cominus acerrimè utrinque pugnatur: sed de superiore loco hostium milites tela in *Venetos* adigentes, facilè eos vulnerabant, tum pilas piceas igne succenso in triremem jaciebant: quæ res magnum incommodum præfecto attulit, transtris compluribus, & majore velo igne combustis, ut qui proximi pugnarent milites remigesque perterrerentur, atque animos virtutemque remitterent. Veruntamen & reliquæ aderant, ut quæque poterat, triremes, & utramque navem hostium virtute magis atque artificio gubernandi, celeritateque remorum, quàm viribus & facultate lacessebant, & modò hac, modò illac concitatæ inferebantur. At navis magna hostium pilas ferreas creberrimas tormentis in triremes jaciebat, &, si qua ei appropinquasset, saxa & tela insuper è carchesiis jaculabatur. Pugnatum est acriter ab utrisque continenter horas fermè quatuor: cùm interea navigia commeatum convehentia unius triremis præsidio, quæ biremes quatuor fortissimè pugnando repulerat, ostium *Arni* fluminis capiunt, uno tantummodo navigio amisso, quod tamen sponte ad *Triturritam* vela converteret. Præfectus id, quod unum maximè cupiebat, assecutus, ut commeatum in tuto sisteret, navibus hostium, magno & ipsis detrimento illato, vento adspirante se subtrahentibus, interfectis suæ navis hominibus permultis, vulneratis centum viginti, ex reliquis navibus non paucis desideratis, vulneratis parte plurima, hostes discedentes *Triturritamque* conversos reliquit. Terrestri autem itinere dum reipublicæ milites & *Græci* equites *Pisas* missi reverterentur, *Cevæ* oppidi, quod est supra *Savonem*, atque in *Gallorum* partibus à regulis indigenis obtinebatur, fines ingressi, eos percurrere cœperunt. Ea intellecta re oppi-

Navalis inter Venetos & Florentinos pugna.

Ceva oppidum.

oppidani permoti, cum militibus, quos habebant complures, armis captis ad eos contenderunt: quos illi excipientes universos fuderunt, complures occiderunt, captivos ducentos fecerunt: deinde ulterius progressi, cohortatique inter se, in oppidi suburbia bipartitò irrumpentes, præda & cæde facta duabus ex partibus ignem intulerunt. Atque ea propè omnia, tametsi ex *Ludovici* usu, & reipublicæ voluntate maximè tunc quidem cecidissent, tamen propterea quòd illis ipsis diebus nuncii crebriores sunt allati, *Carolum* omnino aut ipsum in *Italiam* venturum, aut magnos exercitus missurum, Senatus decrevit, ut imperator cum equitibus octingentis ad exercitum contenderet, copiæque reipublicæ omnes ad *Padi* ripas sese sisterent. Delecti etiam centuriones decem, militibus *Brixiæ* conscribendis mille, ad exercitumque adducendis. Ex *Rhetis* quoque trium millium militum numerus pusilla pecunia conscriptorum adventare dictus est, ut *Brixia* solidum stipendium acciperet.

Consilium de *Carolo* rege veneno tollendo.

Ea per populos opinione de *Carolo*, timoreque crebrescente, *Tristanus Saornianus* è *Fori Julii* principibus, *Hieronymi* frater, homo reipublicæ A amantissimus, *Bernardum Bembum* patrem meum *Decemvirûm* magistrum adit, proponit habere se necessarium sibi hominem *Epirotam*, callidum, & ingenio peracri, nihil omnino ut sit, quod ei non mandari rectè possit: huic esse cum propinquo suo, quem *Carolus Gallorum* rex cubiculi ministrum habeat, magnam perque veterem benevolentiam: audere illum in *Galliam* proficisci, & vel propinquo persuadere, ut veneno, quod secum allaturus est, regem tollat: vel illo de ea re celato, ipsum per se regem tollere, si *Decemviri* velint *Epirotæ* illi tantæ rei præmium aliquod statuere: sperare se atque confidere, B brevi negotium ab eo confectum iri. *Bembus*, tametsi sciret ea flagitia à magistratibus repelli, more tamen institutoque majorum re cum reliquis *Decemvirûm* magistris communicata, atque ab ipsis ad collegium perlata, *Tristano* ad se vocato, de collegii sententia respondit, ejusmodi contra hostes insidiis ad eam diem nunquam usam rempublicam fuisse, cùm sæpenumero potuerit: neque nunc velle incipere: magis Deos immortales, quàm humanas opes, vereri: porrò vinci ab suamet nequitia illos, qui per scelus alios vincere perque nefas parant.

Pium Senatus *Veneti* responsum.



PETRI

PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI QUARTI

EPITOME.

INter *Carolum* & *Hispaniæ* reges induciæ constituuntur. Legati à Senatu ad pacem inter *Hispaniæ* & *Galliæ* reges procurandam mittuntur. *Hispaniæ* reges unius *Fortunatarum* insularum regem ad Senatum mittunt. *Franciscus* imperator apud Senatum accusatur. *Pisani* belli progressus. Longæ reipublicæ navis cum *Turcica* classe pugna. *Bernardi Ciconiæ* cum *Peruca* pirata navalis pugna. *Petri Cantabri* classis ab *Andrea Lauredano* incenditur. *Joanni Corvino* civitas & jus comitiorum datur. *Armeniis* domus *Venetiis* datur. *Ludovici Sforitiæ* in *Lucenses* insidiæ. *Caroli Galliæ* regis obitus. *Florentinorum* prope *Castellum* clades. *Ludovici Sfortiæ* consilia & artes. Quorundam in magistratus arrogantia mulctata. *Venetorum* apud *Lunam* & *Cassinam* clades. *Pisæ* à *Paulo Vitellio* oppugnantur. *Venetorum* in *Clusentinis* & stagni valle conatus. *Thracii* regis contra *Venetos* apparatus & consilia, ejusque rei caussa. *Aloisius Galliæ* rex salutatur, ac *Venetorum* ad eum legatio & munera. Eorundem cum *Aloisio* rege fœdus. Eorundem quoque cum *Florentinis* in *Pisanis* rebus compositio. *Gallorum* in *Insubriam* irruptio. *Mediolanum* à *Gallis*, & *Cremona* à *Venetis* capitur. *Ludovicus Sfortia Insubria* excedit. *Galliæ* regis *Mediolanum* adventus. *Ludovicus Lucenburgius* & complures alii civitate ac jure comitiorum donantur. *Galliæ* rex in *Galliam* redit.

LIBER QUARTUS.

Induciæ Caroli cum Hispanis.



IIs in *Italia* rebus administratis, *Caroli* & *Hispaniæ* regum legati, qui quidem reges ad saltum *Pyrenæum* exercitibus missis bellum inter se gerebant, sex mensium inducias in *Aquitania* faciunt: quibus uterque rex induciis non ab altero modò ipsorum, sed à sociis etiam & fœderatis bello lacessendis abstineat. quamobrem *Carolus*, ubi id ei nuntiatum est, ad *Triultium* mittit imperans, ne quam *Ludovici* rebus induciarum tempore turbam aut molestiam inferat. Ea intellecta re Senatus suas & ipse copias domum revocat. ita, qua ex parte, quoque tempore maximi tumultus expectabantur, subitum otium est allatum. Eas ob res Senatus *Dominicum Trivisanum*, *Antonium Bolduum* ad *Hispaniæ* reges legavit, qui procurarent, uti ex induciis semestribus diuturna pax fieret. Quibus profectis *Antonius*, eloquentia planè singulari, & præstanti vir ingenio, in itinere adversa valetudine interceptus, *Genuæ* interiit. Ejus morte auditâ, Senatusconsultum factum est: cùm *Antonius Bolduus Andreæ* frater ex equestri ordine nullum laborem pro republica refugiens, legatione ad reges *Hispaniæ* susceptâ, in itinere mortem obierit, Senatui placere, ut *Gabrieli Bolduo* ejus filio primo quoque tempore in fano *Patavino* sacerdotium attribuatur, , quo se fratresque suos alere commodius atque honestius possit: idque paulò pòst sacerdotium ab *Alexandro* Senatu petente *Gabrieli* est attributum. Miserant illi quidem reges superioribus mensibus ad Senatum per *Franciscum Capellum* legatum, qui ex *Hispania* domum redierat, Fortunatarum insularum unius regem dono medius fidius non spernendo: quando ea porrò elementi ora solidi, quæ in Oceano *Atlantico* est circiter decies centena millia passus à continenti meridiem versus, multis ante Patres nostros seculis ignorata, eorum indagatione ac diligentia tota tum demum reperta, &, colonis magistratibusque missis, in potestatem redacta, orbi terrarum adjungitur. Eum regem publice *Patavii* enutriri Senatus jussit.

Legati Venetorum ad pacem firmandam.

Fortunatæ Insulæ.

Eodem ferè tempore Patres certiores facti

A *Franciscum* imperatorem stipendio reipublicæ non confecto cum rege *Carolo* agere, ut se in suam militiam recipiat, illum ad urbem accersitum, ubi morbo, ne venire posset, impediri se respondit, *Decemvirûm* decreto missum fecerunt. Is auri libras ducentas stipendiorum nomine ante tempus acceptorum reipublicæ debebat: salis autem crediti, neque dum soluti, centum. Accidit tamen, ut eo ipso missionis die in frequenti comitatu *Franciscus Venetias* appelleret, dictitans se à *Ludovico* ejusque genero *Galeatio* in fraudem ob invidiam conjectum, qui literas ab eo conscriptas finxissent, ad Patresque misissent, quas ipse

B nunquam scripserit, ejus rei satis magnum argumentum esse, quòd ipse in eorum potestatem venerit. quòd si alia etiam pignora Patres postulent, arces se sui regni, suosque liberos reipublicæ traditurum, modò sibi purgandi jure criminis facultas ne intercludatur. neque tamen ut sententiam Patres mutarent, impetrare potuit: qui ad eum tertio pòst die miserunt, moram in urbe diutius ne traheret. Is etiam, quo ab urbe discessit die, *Joannem* fratrem ad Patres misit, quibus se ab eo conveniri non est visum.

Franciscus Venetorum imperator suspectus.

Post hæc dum induciarum *Aquitanicarum* tempus labitur, *Hercules* ad urbem venit, Princi-

C pem & Patres salutatum, rogatumque ut *Ferdinandum* filium suum in equitatu reipublicæ vellent esse: quod quidem ei Patres liberaliter concesserunt, equitibus cataphractis alendis centum stipendio adolescenti per Senatum attributo.

Quod autem ad *Pisanum* bellum attinet (ut eodem sæpius revertamur) is quidem annus & pro parte insequens nihil propè, quod magnopere memoratu dignum esset, habuerunt. Missi ad *Florentinos* per *Triturritam* commeatus in tam magnis navibus, ut eas aggredi naves reipublicæ non sint ausæ. Capti ab eorum exercitu milites *Veneti* centum, & exuti armis. Conscripti ab

D eisdem equites levis armaturæ tercentum, qui sagittis contra *Græcos* uterentur: atque ii eorum impetus admodum represserunt. Ob id ab Senatu equites ferreis cum fistulis ad exercitum missi, & item *Græci* submissi: cataphracti quoque equites conscripti novi, dilapsis veteribus. Qui Pi-

Pisani belli continuatio.

ſarum portas cuſtodiebant, iis addita ab Senatu ſtipendia, ut ſtudioſiores ſuo in munere obeundo eſſent. Miſſa etiam ad Senatum *Ludovici* nova legatio, quæ ad componendas *Piſanorum* cum *Florentinis* controverſias Patres hortaretur: præſtare eos *Florentinis* attribui, quàm bellum diutius alere: omnia in *Italia* pacis & quietis plena momento temporis futura, ſi *Piſæ* reſtituantur: ut non tam commutata illius tempore aut eventibus conſilia viderentur: quid enim tum novi? quàm ſemper illum id unum ſpectaſſe palàm fieret, ne reſpublica eo municipio potiretur, ſed nihil planè ultra: aliis verò de rebus perpauca.

Navis reipublicæ longa ex earum genere, quæ ad mercaturam proficiſcuntur, more inſtitutoque majorum, convehendis iis hominibus, qui aut voto ſuſcepto, aut religione permoti Chriſti Dei filii ſepulchrum, quod eſt *Hieroſolymis*, adire atque inviſere cupiunt, in *Syriam* quotannis ſtato tempore mitti ſolita, cùm ad *Maleam* iter faceret, in *Turcarum* regis claſſem, *Arige* præfecto, incidit. Ea erat navium onerariarum duarum, triremium item duarum, biremium quinque, quarum biremes duæ ad navem reipublicæ præmiſſæ vela dimittere juſſerunt. Mos eſt nauticus ejusmodi, ut qui plus aut viribus aut dignitate pollent, velint, ut quæ ſibi occurrerint naves, velificationem intermittant, antennasque demittant, cùm honoris ſui cauſa, tum ut, ſi quid ab illis quærere aut petere velint, poſſint: id qui nolunt facere, jus eſt bello cogere ut faciant: ſæpeque accidit, ut ea de cauſa pugnæ maximæ exiſterent, plurimorumque hominum cædes conſequerentur.

Mos nauticus in demittendis antennis.

Navis reipublicæ *Venetorum* cum *Turcis* pugna.

Aloiſius Georgius (is enim erat navis *Venetæ* præfectus) claſſem eſſe illam piratarum exiſtimans, antennis non dimiſſis curſum tenuit. quod ubi *Turcæ* conſpexerunt, ab utroque illum latere ſuis triremibus cinxerunt, & ſagittarum magnam vim in eum mittere cœperunt. Id cùm parum proficeret, navibus ſuis omnibus illum expugnare contenderunt. eo in certamine *Turcæ* navis *Venetæ* ſcalam ſæpe conſcenderunt, aliisque à partibus in navem proſilierunt: ſæpe ignem injecerunt, quo & plutei combuſti, & præfecti cœnaculum ipſa in puppi, & majora vela conflagraverunt. ſed tanta remigum & nautarum, atque in primis advenarum virtus fuit, ut cùm ab hora diei ſexta uſque ad quartamdecimam pugnaviſſent, *Turcæ* receptui canentes, & ſigno pacificationis ſublato, priores pugnam deſinerent, *Arigesque* miſſis ad *Aloiſium* ex ſuis, qui ſalutem illi dicerent, magnumque atque fortem virum eum eſſe teſtarentur. pacem benevolentiamque cum illo iniit. Miſſi quadraginta milites ex iis, quos *Janizaros* appellant, ſuis in navibus interfectos eſſe *Aloiſio* ſignificaverunt. Ex *Veneta* interierunt quinque: vulnerati complures: in his præfectus quatuor vulneribus acceptis neque tamen periit.

Bernardi Ciconiæ pugna cum Peruca pirata.

In *Punicis* etiam littoribus *Bernardus Ciconia* ejuſdem generis navibus à republica præfectus *Perucam* piratam ingenio magis quàm viribus expugnavit. Erat uterque ad *Tuneta* in portu: atque ille navem onerariam permagnam habens, ut exirent *Veneti*, expectabat, illos in mari aggreſſurus: ſeque id conaturum, palàm antea præ ſe tulerat, multa minaciter oblocutus. Interim *Dalmatæ*, qui ſub imperio reipublicæ degebant, navem non magnam eundem in portum adducunt. Id ut eſt *Ciconiæ* nuntiatum, nocte ex ſuis navibus homines complures in illam imponit, navesque aptari ad pugnam imperat. Ea re, tametſi furtim fiebat, tamen à piratis animadverſa, confeſtim *Peruca* relictis ob celeritatem anchoris è portu ſeſe eripit. *Ciconia* illum cum triremibus ſequitur: tranquillitateque oborta, remigum labore aſſecutus, oppugnansque cominus, ubi propter navis altitudinem nihil fermè virtute militum proficit, & ſuos facilè vulnerari de ſuperiore loco videt, fabros in navis ſcapham jubet deſcendere, eosque ſuæ puppis pluteis armamentisque contegens, ex piratæ navi ſtuppas inter tigna conſtipatas paulùm ſub aqua extrahere imperat. Ea re hoſtibus imprudentibus effecta, implenteque ſe navi aqua, *Peruca* illi deditur.

Petri Cantabri claſſis incenſa.

Noſtro autem in mari *Andreas Lauredanus*, navis onerariæ bellicæ à Senatu præfectus, magna vir virtute, cùm intellexiſſet à *Crotoniatis Petrum Cantabrum* piratam recipi, qui reipublicæ hominibus damna intuliſſet, eumque ad *Oricellam* eſſe cum navibus longis quatuor, ſecum naviculas, quas appellant Gripos, quæ commeatum advexerant, duas ducens eò proficiſcitur: jactisque procul anchoris, noctem opperiens in ſuæ navis ſcaphis duabus atque in Gripis milites trecentos impoſuit, imperans ut ante lucem egreſſi, turrim ipſo in littore, qua in turri eſſe *Cantabrum* intellexerat, circumfunderentur, ne is effugere poſſet, eamque expugnare conarentur. Miſſi, quòd iter erat longius, orto jam ſole in littus deſcenderunt. *Cantaber* ubi naves advenientes è longinquo vidit, coactis non ſuis modò, ſed ejus etiam loci copiis equitatus & peditatus, quas *Antonius Centilius*, cujus erat in poteſtate caſtellum, ut ei præſidio eſſent, ad illum ſtatim miſerat, in eos impetum fecit. *Veneti* cum ſex horas continenter pugnaviſſent, interfectis compluribus, vulneratis octoginta, *Cantabroque* ipſo, omnes in fugam conjecerunt. fugientes loci caſtellum recipiens texit. Turri deinde expugnatâ, quique in ea erant propugnatoribus novem reſte ſuſpenſis, caſtellum capere ſunt aggreſſi. Biduo in ea oppugnatione conſumpto, cùm acerrimè caſtellum defenderetur, murorum parte dejecta, vaſtato agro, tormentis hoſtium abductis, uno ſuorum tantummodo amiſſo, vulneratis perpaucis, piratæ claſſem incenderunt, ad navemque redierunt.

Gripi naviculæ.

Joannes Corvinus civitatem & jus comitiorum *Venetiis* conſequitur.

Superiori verò æſtate *Joannes Corvinus*, *Matthiæ* regis *Pannoniæ* filius, per ſuum legatum Senatui ſignificavit, cupere ſeſe perpetuo amoris & benevolentiæ vinculo cum republica conjungi: itaque petere, ut in civitatem & jus comitiorum reciperetur. quamobrem majoribus in comitiis civitas, & jus comitiorum ei datum.

Domus *Armeniorum Venetiis*.

Armenii quoque, qui *Venetias* venerant, tabellas teſtamentarias, *Ziani* principis tempore ab homine *Armenio* confectas, ædis *Marciæ* procuratoribus oſtenderunt: quibus tabellis domum in urbe demortui pecunia emere procuratores jubebantur, quam quidem domum *Armenii* ad urbem venientes incolerent: eamque poſtea domum cum ſacello emptam ad *Juliani* fuiſſe in laternarum via, quæ tunc à procuratoribus locetur: itaque illam ipſam domum ſibi reſtitui ex teſtamento petierunt. A procuratoribus intellecta eorum poſtulatione, domus eſt *Armeniis* reſtituta, atque ab iis incoli cœpta. Ipſi à civitate comiter & liberaliter accepti, gens tam longinqua urbi amico ſpectaculo fuerunt.

Vere autem inſequentis anni jam medio, *Ludovicus* regni ac dominationis ingenio & natura cupidiſſimus, ejusque rei magnopere impatiens, quòd videbat *Piſarum* civitatem multò reipublicæ amiciorem eſſe, magisque tribuere, quàm illius vel benevolentiæ, vel fidei, *Lucam* oppidum ſuam in poteſtatem redigere malis artibus eſt conatus, quò facilius vel *Piſas*, ſi qua poſſet, occuparet ipſe, ſuasque faceret, vel reipublicæ occupare illas cupienti, firmius obſiſteret, municipio omnem ad copiam opportuniſſimo, & vicinita-

Ludovici Sfortiæ in Lucenses insidiæ.

nitate conjunctissimo suæ ditioni adjecto, ad seque traducto. Itaque compositis, quas intendebat ei municipio, insidiis, ire se *Genuam* simulat, ut *Lucenses* imparatos aggredi, tanquam aliò properans, improviso possit. Sed in itinere dum esset, detectâ proditione oppidans se communiunt. Potiundi oppidi occasione amissa *Ludovicus*, ne simulasse videretur, *Genuam* profectus est, ibique dies aliquot commoratus domum rediit. Senatus iis *Ludovici* artibus cognitis, cùm in se planè uno positam omnem ejus belli rationem & constitutam videret, *Græcos* equites trecentos, qui in agro *Patavino* hiemaverant, *Pisas* mittere, prioribusque addere decrevit, militumque numerum duûm millium statim imperare, qui *Pisas* mitterentur: tum legatum exercitui legere, qui *Justiniano* domum redire postulanti succederet. Lectus *Thomas Zenus* viæ se dedit. quæ intelligens *Ludovicus*, palàm ut etiam reipublicæ legatus exaudierit, ea quidem Senatusconsulta, inquit, quò spectent, video: volunt enim Patres *Pisis* potiri: sed eos eventus frustrabitur, nunquam enim potientur.

Caroli regis obitus.

Inter hæc *Carolus Galliæ* rex moritur. itaque accidit, ut cùm *Marcus Lippomanus* reipublicæ legatus ab *Ludovico* peteret, uti *Zeno* cum *Græcis* equitibus *Pisas* eunti iter ad *Apuanos Ligures* patêret, *Ludovicus* nihil responderit, tum ipsi in *Ludovici* fines progresso itineris facultas permissa non fuerit. Senatus iis de rebus certior factus, reputansque id, quod erat, *Ludovicum* nihil sibi amplius à *Carolo* timentem, propter quod reipublicæ indigeret, spiritus sumpsisse, neque quicquam præterea in *Pisani* belli administratione reipublicæ concessurum illum existimans, ad *Herculem* misit, ut equitibus & legato reipublicæ per *Mutinæ*, *Regiique Lepidi* fines iter daret: qui quidem dedit. *Ludovicus* autem ea re cognita, tum è *Gallia* certior factus *Aloisium* ducem *Genabensium*, qui in *Galliæ* regnum *Carolo* successerat, quem *Galli Ludovicum* appellabant, jam ad bellum in sese animum & cogitationem adjecisse, Senatui significavit, nihil se de itinere legato reipublicæ negavisse: illum potius perperàm ipsius verba interpretatum: suos fines omni tempore Senatus exercitibus patuisse, neque unquam occlusos fore. quamobrem *Zenus* ipse per *Ludovici* fines, quod iter erat commodius, *Pisas* venit: cùm tamen equites, *Pado* jam trajecto, per *Herculis* fines antea misisset.

Ludovicus rex Galliæ.

Florentinorum edictum.

Florentini, qui omnino sæpe à *Græcis* equitibus male habiti, eos pessimè oderant, edictum proposuerunt, ne quis ex eis captivus duceretur, sed captus interficeretur. Ea intellecta re, legatus *Venetus* edici contrà jussit, idem sui milites facerent, neque ulli omnino ex hostium numero parcerent, sed omnes peræquè interficerent. statimque in eorum fines *Græcos* equites educens, excursione introrsus facta, quoscunque in agris reperit, interfecit. quâ re cognitâ, *Florentini* edicto publicè rescisso ad morem belli pristinum redierunt. pauloque pòst *Butrium* magno impetu aggressi, scalisque ad murum positis, repulsi sunt à propugnatoribus detrimento parvo accepto. Sed non parvo illis detrimento ea, quæ subsecuta est clades, fuit.

Aluminis fodinæ.

Jacobus Savornianus turmæ equitum reipublicæ præfectus, adolescens impiger, cum suis equitibus centum, *Græcis* quatercentum, in hostium fines *Populoniam* versus è castris prædabundus proficiscitur: multisque millibus passuum confectis, ad Castellum, quo in castello alumen proximis è secturis erutum incredibili dominorum lucro plurimarum nationum usui conficitur, accedens, oppidanos ad illum repellendum egressos fugat: ædificia, quæ pro portis sunt, incendit: alias in partes incursione facta, atque in ea biduo consumpto, magna cum pecudum & armentorum præda dum revertitur, hostes de ea re certiores facti, omnibus copiis ad ea loca, per quæ illum iter facturum putabant, contenderunt. Alia ex parte *Zenus* legatus ob *Jacobi* longiorem moram veritus ne hostes intellecta re, in itinere illum aggrediantur, cum reliquo exercitu obviam *Jacobo* proficiscitur, præmisso tubicine, qui eum de suo adventu certiorem faciat. Hostes *Jacobum* nacti, impetum in eum faciunt. Interim tubicen celeritate usus, de legati adventu eum admonet. Ille id intelligens, hostium modò impressionem lentè sustinere, etiam cedere interdum, deinde pugnam paulisper redintegrare. Id ubi aliquandiu facit, legatus advenit, hostes pugnantes à tergo repentè aggreditur: tum *Jacobus Græcique* clamore sublato acerrimè in eos invehuntur. quod ubi hostes viderunt, omnes perterriti fugere contenderunt. Interfecti ex iis plus ducenti: capti ex præfectis, *Ranutii Martiani* frater, *Gallusque* is, qui ob virtutem bellator magnus appellabatur, aliique complures: ex equitibus centum septuaginta, ex militibus quingenti: signa militaria quinque relata. *Ranutius* ipse toti exercitui præfectus, equo amisso fugiens, vix ægréque se in proximum oppidum contulit: reliqui aut idem in oppidum, aut in montes atque silvas fugientes se abdiderunt. *Florentini* clade accepta, *Paulo Vitellio*, qui priore stipendio confecto ad gentiles suos, quibus cum *Alexander* bellum gerebat, in *Romanum* agrum se contulerat, imperium totius belli deferunt: *Vitellotio* ejus fratri præfecturam equitum tradunt. ii cum equitibus trecentis in eorum castra perceleriter veniunt.

Florentinorum clades.

Catharina Ludovici fratris filia.

Catharina Forum Livii & *Forum Cornelii* obtinens, *Ludovici* fratris filia notha, mulier vidua, milites quater mille suis in oppidis atque finibus imperat magna celeritate adhibita. eos, quòd nulla suberat causa cur imperarentur, *Ludovici* jussu cogi omnes homines existimaverunt, ut illos auxilio *Florentinis* mitteret. *Ludovicus* ipse *Franciscum Mantuanorum* principem, quem respublica missum fecerat, imperatorem suis copiis deligit, sub *Maximiliani* copiarum nomine. Iis intellectis rebus, Senatusconsultum fit, ut equitum præfecti aliquot *Ravennam* mittantur: ut *Vincentius Naldius Faventinus* magna in oppidi finibus autoritate homines montanos cogat reipublicæ pecunia numero ad mille: ut *Antonius Ordelafius Forolivienfis*, cujus pater ejus oppidi regnum obtinuerat, quemque ipsum respublica complures in urbe annos enutrierat, *Ravennam* proficiscatur, bellum *Catharinæ*, ni quiescat, suorum factione reique publicæ opibus illaturus: ut *Ferdinandus Herculis* filius, quem Senatus in suam militiam adlegerat, & *Joannes Ripa* equitum præfectus iter *Pisas* è vestigio suscipiant: ut *Nicolaus Ursinus*, *Bernardinusque Montonius* ad *Ollii* fluminis ripas sese conferant.

Barbadici principis oratio ad legatos.

Post hæc, propterea quòd *Ludovici* legatus, eo Senatusconsulto intellecto, inter Patres dixerat, res, quas vellent, alias cogitarent, unum modò, *Pisas* se tueri posse, ne cogitarent, néve in animum inducerent: adhibitis fœderatorum legatis *Barbadicus* Princeps eis ostendit, quòd bellum respublica in *Florentinos Pisis* tuendis suscepisset, factum sociis quidem omnibus consentientibus, *Ludovico* autem magnopere hortante, ac belli æquam partem in sese recipiente, quantas eo bello impensas Senatus fecerit, quantos exercitus eò miserit, aluerit, quot triremes, naves, ignorare prorsus neminem. *Maximilianum* in *Italiam*

liam adduxisse quidem & reliquos, sed unius *Ludovici* causa, ut esset qui illum ab *Carolo*, bellum ei primùm omnium parante, pari autoritate tueretur, eos tamen sumptus omnes unum propè Senatum sustinuisse, largiterque *Maximiliano* suppeditavisse. Annos esse elapsos duos, ex quo bellum initium habuerit: nunc autem, cum eò res perducta sit, ut si, quam *Pisarum* civitati fidem *Ludovicus* dedit, etiam præstet, illa suam libertatem facilè retineat, eum non modò suas domum copias reduxisse, sed hostes etiam *Pisanorum* fovere milite, pecunia, consilio, rebus omnibus: ut qua ipse perfidia volens lubensque in *Pisanos* utitur, velit alios cogere, ut eandem perfidiam vel inviti exerceant. Is quoniam Senatui animus non est, scire eum cupere, quid sibi his rebus *Ludovicus* postulet: nam si pacem agere destinat, pacis ei Senatum autorem fore, dum in fide, quam *Pisanis* dedit, maneat: sin bellum gerere mavult, bellum ei per Senatum non defuturum. earum duarum rerum pacis bellique, utra ei magis cordi est, ejus eligendæ sese potestatem illi facere. ipsos autem legatos non tam suæ orationis testes habuisse, quàm ut, si quid durius *Ludovico* acciderit, sciant memoriaque teneant jure id meritoque accidisse. Ea oratione habita, legatus *Ludovici* tempus se dixit sumere, dum quid ad illa responderi *Ludovicus* velit, scire possit: neque tamen dubitare se jam nunc, quin auri libras quindecies millies *Ludovicus* habeat, quibus *Florentini* tanquam suis eo bello uti possint.

Ludovici litteræ ad Patres *Venetos*, ejusque consilia.

Paucisque post diebus litteræ sunt ab *Ludovico* ad Patres datæ, mirari sese, quam ob causam ea Senatus mandata nuntiari sibi jussisset, qui quidem non socius modò atque amicus, sed planè filius reipublicæ semper fuerit. æquissimum sibi videri, quam pecuniam *Pisis* tuendis civitas erogarit, eam pecuniam Senatui restitui: itaque si velint, cum reliquis fœderatis rationem Patres ineant, quonam id quidem modo agi commodè conficique possit, se nihil ejus impediturum.

Arrogantia in Magistratus quorundam mulctata.

Iisdem diebus *Decemviri Petro* & *Hieronymo* & *Aloisio Bragadenis Andreæ* filiis, propterea quod ii *Nicolaum Georgium*, rationibus publicis præfectum, in ejus ædibus dum alloquerentur, verbis arrogantioribus interjectis minis fuerant usi, jus comitiorum & magistratuum adipiscendorum facultatem annos decem interdixerunt: qui quidem ante id tempus nequeant restitui, nisi omnibus collegii sententiis ea lege absolvantur. Idem postea in *Vincentio Barbaro* servatum, quòd is *Dominico Lamberto* magistratus pacis Scribæ maledixerit.

Venetorum apud *Lunam* & *Cassinam* clades.

Florentini æstate ineunte per *Catharinam*, perque *Ludovicum*, qui eis pecuniam mutuò dederat, confirmati, novisque aucti copiis, militum reipublicæ non magnum numerum, qui *Lunam*, ut eorum locorum dominis præsidio essent, ab legato missi fuerant, cæde facta in fugam verterunt. Deinde, tametsi Senatus cum *Petro Duodo* altero legato *Pisas* profecto equitatum, qui sagittis utebatur, eodem misisset, tamen apud *Cassinam* magna caligine oborta, ita ut conspici non possent, maximam copiarum omnium partem fuderunt, *Joanne Gradonico*, qui eis præerat, interfecto, captis compluribus: reliqui, *Savornianus Tersiasque*, qui erant *Cassinæ*, veriti ne interciperentur, tormentis abductis sese *Pisas* contulerunt, atque ad muros castris positis constiterunt. Iis intellectis rebus Senatus exercitui restaurando *Guidum Ubaldum Metaurensium* ducem suam in militiam adscivit, cui stipendium esset in equites cataphractos ducentos, levis armaturæ centum, auri libræ annuæ centum sep-

A tuaginta. *Petrum* autem *Marcellum* legatum declaravit, qui *Urbinum* accurreret, ut *Guido Ubaldo* præstò esset, militesque mille in ejus finibus conscriberet. Tum, quòd *Petrus Medices* Patribus significaverat, quoniam *Ursini* propinqui sui pacem cum *Alexandro* fecissent, si ei pecunia in stipendium subministretur, illos se omnes, quocunque opus esset, adducturum: Senatus ea de causa *Petro Medici* pecuniam decrevit, equitesque *Græcos*, qui æstiva in agro *Taurisano* habebant, quique tum è *Græcia* venerant, in *Flaminiam* mittendos censuit, ut alio itinere *Pisas* contenderent: nam per *Ludovici* fines unum modò B militem, aut omnino nuntium eò Patres mittere non poterant, quando is & itinera clauserat, & omnes tabellarios excutiebat atque intercipiebat, ne Senatus certior illis de rebus fieret. itaque nihil jam novi *Pisis* afferebatur, compluresque dies magna earum rerum ignoratio Senatum tenuit. Emanavit tamen hoc, *Florentinos* cum *Genuensibus Ludovico* procurante fœdus percussisse, quo ex fœdere *Genuenses* littora *Florentinorum* ab reipublicæ classibus tuta reddere tenerentur. Neque multò pòst eorum magistratus *Marco Beatiano*, quem antea Senatus *Genuam* miserat, asperioribus verbis denuntiavit, se nunquam passuros, ut C in reipublicæ imperium *Pisæ* redigantur. cui *Beatianus* respondit, minus injustè eos & *Ludovicum* facturos, si semel injurii in rempublicam fierent, fœderum & societatis, quam Diis hominibusque testibus sanxissent, læsæ atque violatæ nomine: nunc illos dupliciter peccare atque delinquere: semel in eo, quòd infidelitate se polluunt: iterum autem propterea, quia rempublicam ambitionis insimulant, quæ profectò nunquam *Pisas* sui juris facere concupivit, sed tantum libertati restituere, quemadmodum se facturum unà cum ipsis initio spopondisset. His igitur atque aliis unius *Ludovici* artibus (nunquam enim quiescebat) D cùm suum magnopere *Florentini* exercitum autumni mensibus amplificassent, reipublicæ autem copiæ multis essent partibus attenuatæ, *Paulo* imperatore *Butrium* aggressi per deditionem oppidum capiunt: eo tamen ita capto, omnibus tormentorum magistris, ne amplius exercere artem possent, manus dextras præciderunt, suaque cujusque collo appensa, eos dimiserunt. quorum pars ad urbem veniens sese Patribus commendavit. Patres quoad viverent, stipendium singulis cum vacatione omnium munerum tribuerunt. illi manibus ferreis fabrefactis se ad artem redituros, & reipublicæ usui futuros, suasque injurias, si *Pisas* remittantur, vindicaturos, fidem Sena- E tui fecerunt. Auxit Patrum curam exercitus instaurandi *Butrium* captum: itaque *Baliones*, familiam *Perusinam* magnopere militarem, antiqua necessitudine cum *Ursina Romanorum* gente consociatam atque conjunctam equites cataphractos centum quinquaginta pollicentem, Senatus conduxit, qui per suos fines & Senatus agrum *Pisas* proficiscerentur. Eo tempore *Petrus Medices* cùm se viæ dare vellet, ut in fines *Florentinorum* contenderet, in febrim incidens substitit. Interim *Paulus* omni cum exercitu ad *Pisanum* vicum castra posuit, oppugnandi oppidi causa: quod cum F plures dies tormentis percussisset, atque ad muros milites adduxisset, sæpe cum clade repulsus, oppidanis acerrimè propugnantibus, tandem oppidum per deditionem capit. Ejus oppugnationis tempore accidit, ut *Veneti* quoque castellum *Pisanorum*, in hostium potestatem redactum, in quo erant milites ducenti quinquaginta, noctu aggressi uno impetu expugnaverint. quo successu incitati, paulò pòst ad castellum *Pisano* vico proximum, item noctu cùm accessissent, re per explo-

Genuensium fœdus cum Florentinis.

Butrium oppidum captum.

Magistris tormentorum dextræ abscissæ.

Pisæ à Paulo Vitellio oppugnantur.

exploratores significatâ, repulsi à propugnatoribus, tum in reditu ab hostibus intercepti, magnam cladem acceperunt. Vico capto, & clade accepta, Senatus censuit, uti *Perusiæ* milites conscriberentur numero ad duo millia: &, quòd *Senarum* civitas per suos fines iter reipublicæ copiis non dabat, *Petrum Medicem Guidumque Ubaldum* in *Flaminiam* vocavit, ut per *Faventinorum* fines in hostium agrum irrumperent. ea enim de causa cùm ad eos *Jacobum Venerium* legatum misisset, civitas concilio convocato, reipublicæ copias sententiis propè omnibus recipiendas censuerat. Itaque etiam *Hestori* puero pœnitentia ducto, quòd se per suos malis artibus à republica distrahi permisisset, pristinum Senatus locum gratiæ restituit, cum reliquis stipendii veteris, novo stipendio tradito. Hostes interea *Pisanum* vicum, quem quidem murorum parte magna tormentis nudaverant, restituunt. *Veneti* se in *Pisarum* suburbiis vallo cinxerunt. *Librafactæ* autem in colle, qui è regione oppidi est, castello excitato, classiariisque septuaginta cum tormentis introductis munierunt, quæ tamen eis cura studiumque haud multum contra *Pauli* artes profuit: nam cùm illi *Librafactæ* copiis omnibus profecto, diesque complures castellum oppugnanti, parum usui cætera fuissent, cuniculis partem muri sustulit, submissisque per ruinas militibus, non tamen sine cæde, castello est potitus. Eo capto, *Librafactæ* jam & ipsum tormentis murorum parte nudatum, tridui spatio ad deliberationem sumpto, se dedidit.

Librafactæ castellum.

Rebus apud *Pisas* in adversum reipublicæ labentibus, & *Paulo* nihil eorum, quæ ex usu esse possent, prætermittente, Senatus decrevit, ut *Guidus Ubaldus*, *Petrus Medices*, per *Faventinorum* fines *Maratam Crispinumque* municipia, natura magis quàm artificio communita, quæ prima eo latere in hostium sunt finibus, aggrederentur, ut illis expugnatis, aditus in agrum *Florentinorum* eis pateret. Itaque tormenta ad muros dejiciendos *Ravennam* Patres miserunt, quæ eò supportarentur: *Joannemque Paulum Gradonicum* & in *Ubaldi* exercitu Quæstorem, & *Græcis* equitibus, quos ei præstò esse jusserant, præfectum legerunt. *Julianus* autem *Medices*, *Petri* frater, cùm *Faventiam* prior venisset, *Maratam* profectus ab oppidanis libentissimis recipitur. *Laurentii* enim recordatione, magni clarissimique viri, eorumque municipio amicissimi, qui civitatis principatum multos annos obtinuerat, permoveri sese dixerunt, ut quam benevolentiam patri, si viveret, se debere sentiebant, filio præstarent. *Maratæ* arx summo in colle posita militibus referta sese tenuit.

Laurentius Medices.

Maratæ arx.

Interim *Bartholomæus Livianus* ex *Ursina Romanorum* gente in *Medicum* partibus, homo paratissimus, *Faventiam* & ipse cum equitatus parte præmissus, milites centum quinquaginta, quos in *Ferrariensium* finibus *Catharina* scripserat, atque ad se venire jusserat, in itinere aggressus omnes cepit, armisque exuit. *Petrus* medio inter *Maratam Faventiamque* spatio, ne commeatus intercludi eis posset, *Guido Ubaldo* relicto suis cum equitibus militibusque mille, jugum, quod *Maratæ* arci imminet, capit: tormentisque in eo jugo positis muros dejicere aggreditur. Iis vallo portæ diruto, legatus, qui in arce erat, sibi veritus, ac domum clàm recurrens, ejus capiendæ occasionem hostibus utique dedisset, si ejus fuga cognosci potuisset. Ille verò ad arcem defendendam, quæ maximo momento ipsorum rebus esset, civitatem incitans, majoris etiam præsidii celeriter eòdem submittendi causam præbuit. qua re effectum est, ut, tametsi in ea oppugnatione complures dies exercitus reipublicæ consumpsisset, arx tamen capi non potuerit, quoad *Joanne Francisco Severinate*, *Gaspareque* ejus fratre cum exercitu ab *Ludovico Forum Livii* missis, ut unà cum *Florentinorum* conjuncti copiis in *Ubaldum* impetum facerent, *Petrus* & *Julianus* oppugnationem relinquere coacti sese *Ubaldo* adjunxerunt. *Baliones* tardius profecti *Ravennæ* constiterunt.

Maratæ arcis oppugnatio.

Itaque cum in magna consiliorum inopia Patres versarentur, *Paulo* modis omnibus *Pisanas* res urgente, novo exercitu reipublicæ nihil proficiente, *Franciscus Mantuanus* Senatui se obtulit, si ei pristinum locum gratiæ restituat, illi præstò celeriter futurum, veteremque suam fidem magno cum reipublicæ usu tam dubiis temporibus præstaturum. Re à Patribus agitata, *Decemviri* priore judicio in *Franciscum* rescisso, ac lege missionis antiquata, Senatui permiserunt, uti de eo, quod sibi è republica videretur esse, id statueret. Eo cognito *Decemvirûm* decreto, *Franciscus* equites levis armaturæ septuaginta, quos ad *Catharinam* miserat, statim revocavit, & *Ravennæ* jussit esse reipublicæ obtemperaturos: & *Joannem* fratrem ad urbem misit actum Patribus gratias, tum ut militiæ conditionem à Senatu acciperet. Senatus *Francisco* equites cataphractos ducentos quinquaginta, *Joanni* centum attribuit: qui si numerus in tempore expleri ab illis non posset, binos equites sagittarios unius cataphracti loco uterque eorum conficeret: statuitque ut ex reliquo equitatu reipublicæ tot ad hos cum præfectis adjungerentur, ut essent omnes octingenti, quos *Franciscus* secum adduceret. itemque ut milites ter mille magistratus *Taurisani*, *Vicetini*, *Veronenses*, *Brixiani*, *Bergomates* celeriter conscriberent, qui *Francisco* traderentur, ut *Pisas* vel invitis iis, per quorum fines iter esset faciendum, pervenire posset: legatumque ei *Nicolaum Fuscarenum* declaravit. Senatusconsulto accepto, *Franciscus* è vestigio ad urbem venit, Principisque pedibus propè advolutus, tempus dixit sibi exoptatissimum venisse, ut fidem studiumque in illum suum, atque amorem erga rempublicam, quem à puero susceptum constantissimè semper coluisset, improborum, eorundemque invidorum hominum maledictis offusum & interpellatum Senatui probaret. Patres ei libras auri centum in stipendii partem numerari statim jusserunt, quibus decem dono datæ adjungerentur. Iis *Pisas* rebus celeriter perlatis, civitas animos jam propè infractos confirmavit, spemque cepit, fore ut hostes non diutissimam ex recenti victoria lætitiam essent habituri: seseque ad omnem oppugnationem sustinendam, dum auxilia instituta adducerentur, comparavit. Neque tamen ea porrò fama deterreri *Joannes Bentivolus* satis potuit, ut per suos vellet fines exercitui reipublicæ, Senatu postulante, iter dare, quòd diceret, sibi apertissimè *Ludovicum* denunciavisse, si id faceret, exules se *Bononiam* reducturum, atque illum principatu oppidoque ejecturum: tanta tamque atrox in rempublicam æmulatio, tam aversa à bonis moribus cupiditas ejus mentem atque animum occupaverat. Sed fuit ea plaga levior: vel enim vi contendere *Joannes* noluisset, vel copiis multò majoribus exercituque firmiore per *Faventinos* in hostiles iri fines atque irrumpi potuisset. illa gravis, quòd statim *Franciscum* à suscepti cura muneris novis pollicitationibus *Ludovicus* avertit: misso enim ab Senatu legato, cùm ad profectionem suscipiendam admoneretur, quòd reliquæ copiæ jam convenissent, nolle se dixit proficisci, propterea quòd ab *Ludovico* meliores ei conditiones proponerentur: quibus quidem conditionibus se addixisset, quo

Franciscus Mantuanus in gratiam redit.

Francisci levitas & inconstantia.

quoniam Patres, quo se nomine appellarent, nihil dum deliberavissent: itaque libras auri nonaginta ex centum, quas in urbe acceperat, *Nicolao* restituit: decem, quæ essent reliquæ, se dixit reipublicæ militibus adnumeravisse, Conditiones autem erant hujusmodi: *Maximilianus* bello in *Italia* gerendo suis illum copiis imperatorem declaraverat. *Ludovicus* item suis. *Florentini* præfectum ipsorum loco. equitatus utriusque muneris magnus ei numerus ab singulis attributus: itaque nummi etiam eo nomine missi, sed à *Ludovico* tantùm: *Maximilianus* enim suam modò unius autoritatem in commune proponebat, pecuniæ nihil conferebat. *Florentini* propter belli diuturnitatem, quas afferrent, non habebant. Additum etiam conditionibus, ut, si bellum in reipublicæ finibus geratur, quicquid agri, quicquid oppidorum in regum *Mantuanorum* ditione aliquando fuisset, quod nunc *Veneti* possideant, id omne *Francisco* restitueretur. quibus intellectis rebus legatus à Senatu jussus domum rediit. Neque multò pòst *Joannes Francisci* frater se ad urbem contulit, velleque reipublicæ stipendium facere Patribus confirmavit. Patres eum missum fecerunt. Verum enimverò cùm antea de *Francisco* restituendo Patres agerent, Senatus decrevit, ut is exercitus, qui *Marata* se receperat, *Antonium Ordelafium* in *Fori Livii* regnum induceret, expulsa *Catharina*, quæ *Florentinis* auxilia in rempublicam miserat. Id cum propter municipium in fœminam impudicam & crudelem odium, tum pro *Antonii* factione posse ad exitum perduci Patres existimaverunt: sed provisis ad eam oppugnationem iis rebus, quarum exercitus indigeret, nova occasio Patribus oblata Senatum sententia removit.

Sollianum castellum.

Est in *Apennino Metaurensium* proximum finibus castellum *Sollianum*, cujus castelli ager ad *Florentinorum* fines pertingit: id castellum *Rambertus Malatesta* obtinebat. Is igitur *Rambertus* ad *Petrum Medicem* veniens ei ostendit, posse *Venetos* per fines suos in hostium, qui sibi finitimi essent, agrum atque vicos penetrare, nullo prohibente. facillimum esse docet, propterea quòd nemo id cogitet, nemo vereatur, hostes eo ab latere imparatos adoriri, magnumque iis terrorem incutere, magnam perniciem inferre, antequam occurri ab eis possit. cupere sese in reipublicæ fidem recipi: non sine reipublicæ usu futurum demonstrat, si recipiatur. *Medices* explorato ab eo itinere, reliquisque rebus cognitis, ad urbem celeriter venit, Patribusque rem denunciat. Patres *Rambertum* in reipublicæ fidem recipiunt, stipe annua quinis auri libris ei constituta. Reverso in castra *Medice*, reliquisque rebus à legato ducibusque constitutis, *Livianus*, cui quidem & item *Carolo Ursino*, *Virginii* filio, Senatus præfecturam equitum tradiderat, ad eam rem tentandam deligitur. Is itaque *Livianus* castris, quæ in *Foroliviensi* erant, magno silentio profectus cum equitibus levis armaturæ ducentis quinquaginta, militibus octingentis, per *Cesenæ* agrum & *Solliani* fines noctu itinere confecto, ante lucem ad fanum *Camaldulense*, quod est in valle angusta magnis montibus circundata, dum sacerdotes nocturnas preces facerent, pervenit: vocatisque qui portas aperirent, esse se reipublicæ *Florentinæ* milites, qui ad imperatorem mitterentur, patefactis portis fano capto, &, quoniam arcis vicem turri præalta parietibusque solidis præbebat, præsidio in eo collocato, ac refectis cibo potuque militibus, *Bibienam* oppidum eadem usus celeritate contendit: præmissisque paucis equitibus *Leonis* nomen antiqua eorum appellatione clamantibus (ea est enim significatio *Florentinæ* civitatis,

Camaldulense fanum occupatum.

A quæ voce accipitur, & redditur) magistratum, itemque arcis præfectum ad speciem imperatoris jussu ad se vocatos retinuit, oppidumque cepit: statimque ad *Marcellum*, qui rem ei nunciarent, atque ut ocissimè cum reliquo exercitu subsequi contenderet, hortarentur, misit. Legatus *Carolum Ursinum* & *Baliones*, qui ad eum aliquando tandem venerant, auxilio ad *Livianum* jussit percurrere. Ille interim aliud ad castellum profectus, eo capto, *Popium* venit celebre municipium, & sibi jam exemplo *Bibienensium* cavens: quod quidem ad municipium, insidiis cognitis, *Florentini* milites ducentos cum legato & stipendio miserant:

Popium municipium.

B sed eos *Livianus* ex itinere congressus fudit, interfectis captisque compluribus: parumque abfuit, quin legatus caperetur, stipendiumque interciperetur. *Popio* deinde per imperatorem *Paulum* militibus sexcentis intromissis confirmato, *Carolus Balionesque* adveniunt. *Guidus Ubaldus* recenso exercitu, in quo erat *Hannibal Bentivolus*, à Senatu in republicæ militiam separatim antea sublectus, itineri se dedit. *Livianus* auxilio submisso castella hostium quatuor, quorum in uno erant milites ducenti, *Popio* circumfusa vi cepit. Venerat autem *Popium* cum militibus ducentis, etiam *Populoniam* obtinens. *Guidus Ubaldus* eo in

Florentini cæsi.

C itinere tardior, quàm cogitaverat, fuit. propterea quòd milites ad duo millia singillatim fugientes eum reliquerant, *Hannibale* furtim, ut id facerent, per suos cohortante, sub non dati in tempore stipendii querela: ejus enim fugæ initium ab iis, qui cum illo venerant, factum, Legatus postea quærendo reperit: tum illos ipsos qui aufugerant, propè omnes ex *Bononiensibus* fuisse cognovit. quinetiam *Hannibalis* equites clàm se quotidie castris atque turmis subtrahebant. jamque *Gaspar Severinas* cum equitibus à *Ludovico* missus ad ea loca pervenerat, *Ranutiusque* unà cum illo *Martianus*: cui, uti *Venetis* occurreret,

Militum secessus.

D *Florentini* mandaverant, etiam libræ auri centum *Florentiam* à *Ludovico* missæ, magno eis usui ad celeritatem, cujus res magnopere indigebat, adhibendam fuerunt.

Livianus aliud castellum cepit, vulnere in facie accepto, ac diripuit. atque illis ipsis diebus (hyems autem jam advenerat) milites ter mille, qui *Francisco* attribui debuerant, *Ravennam* sunt, ut ad *Marcellum* contenderent, missi.

Dum hæc sic administrantur, *Paulus* ad *Pisas* castris positis verberare muros tormentis cœpit. Id cùm parum propter murorum firmitudinem processisset, crates in latitudinem quoquo versus

Pisarum oppugnatio à Paulo instituta.

E pedum denum, in altitudinem senum, inter se conjunctas noctu muris admovit, injecta milites uti murum suffoderent tecti cratibus imperavit. *Pisani* autem cùm in muro consistendi propter tela multitudinemque hostium potestas esset nulli, fossam intra muros latam atque altam duxerunt, castellisque munierunt. *Paulus* turrim oppidi muro conjunctam dejecit: ea dejecta per ruinas militibus introire jussis, ubi fossam esse objectam, & *Pisanos* in aggere circumjectos hostes operiri, ut in fossa telis atque ignibus eos conficerent, & magnum irrumpentibus instare periculum cognovit, receptui cani jussit: paucisque pòst diebus

F in hostium captis ab se castellis præsidio relicto, castra movit, ut in *Clusentinos* saltus contra *Medices Livianumque* contenderet.

Pisanis obsidione liberatis, *Græci* equites portis emissi castellum *Calcem* dejecto *Pauli* præsidio expugnatum diripuerunt. Classis præfectus, qui *Pauli* obsidionem unà cum reliquis sustinuerat, cum classiariis egressus, eosdem *Græcos* equites secum ducens castellum ad Pontem stagni ei appositum itineri, quod *Triturrita Pisas* ducit, magna

Venetorum in Clusentinis & stagni valle conatus.

magna ipsum opportunitate tormentis concussum ad deditionem compulit, agrumque *Pisanum* eo ab latere satis patentem ad sementes faciendas civitati colonisque restituit. Neque multò pòst iidem *Græci* equites, quòd intellexerant in *Populoniæ* fines *Clusentinos* homines, ut primum exercitus reipublicæ ad ea loca venerit, sua, quæ potuerant, armenta compulisse, eò celeriter profecti ingentem inde prædam abduxerunt: deinde *Volaterranum* percurrentes agrum, præda onusti *Pisas* redierunt.

Paucis autem pòst diebus *Tarsias* unà cum *Valerio* quæstore & præfectis militum equitumque *Pisis* egressus, itinere in fines hostium medio ferè inter *Pisas Florentiamque* spatio ad castellum *Montopolim* noctu confecto, oppugnare portas cœpit. Eæ cùm ab oppidanis, qui clamoribus interea exciti undique convenerant, portæ defenderentur, *Tarsias* ad aliam castelli partem, quæ quòd ab latere nihil timebatur, propugnatoribus vacua tum quidem erat, milites tacitè atque celeriter misit. horum audacissimi atque levissimi murum per hastas sublevati conscenderunt, aliosque ut conscenderent, adjuverunt. intromissi portas aperuerunt: ita oppidum captum ac direptum est, nuptiarum apparatu, quas erant illo die oppidani celebraturi, prædæ militum atque direptui addito.

Montopolis castellum captum & direptum.

Ubaldus cùm ad fanum *Camaldulense* pervenisset, quod quidem fanum, ejecto *Liviani* præsidio, ejus regionis homines recuperaverant, prælio aggressus portas irrumpere non potuit. itaque discedens, *Popiumque* versus ducens, *Græcos* equites, ut præcurrerent, dimisit. Ii milites hostium centum, qui molas frumentarias *Popianorum* muris propugnaculisque communitas, tormentis circum dispositis, custodiebant, aquula trajecta in fugam verterunt: quorum major pars tum cæsa, tum capta, tormentaque incensis ædificiis abducta. Id *Populoniam* obtinens cum intellexisset, ne intercluderetur, *Popio* relicto discessit.

Camaldulense fanum recuperatum.

Ubaldus Bibienam profectus, tormenta, quibus *Popianorum* muros dejiceret, à Senatu missa expectare constituerat: sed ea propter nives, quarum magna vis itinera impeditissima reddiderat, adduci non potuerunt, exceptis levioribus minoribusque aliquot, quæ tamen ipsa vix ægréque sunt perducta. quibus cum nihilo secius *Livianus* castellum *Orniam* obsidens, cui castello milites erant ducenti præsidio, brevi spatio cepit. Eò digressus ad castellum *Oualianum* castra posuit. oppidani casu *Orniensium* permoti se celeriter dediderunt. itaque duobus captis castellis, cùm pluviæ continentes omnia itinera illuvie fœdavissent, *Bibienam* rediit.

Tædet me ejus belli leviora consectari: quis enim legat sine fastidio singula, præsertim si ad rerum exitus, ut plerumque fit, tantummodo properet? sed mihi facilè veniam omnes homines daturos puto, cùm scierint illud me assequi hoc scribendi labore vel cum primis cupere, ne cui videar publicè gesta meorum civium, quæ nihil habeant dignitatis, silentio dissimulavisse.

Hostibus post hæc propter *Pauli* adventum ad sese (jam enim is in *Clusentinos* fines venerat) magnopere confirmatis, in *Veneto* exercitu de ducendo bello ducibus diversa sentientibus Senatus anni exitu decrevit, uti *Ubaldus* cum parte copiarum legatoque *Bibienæ* in hibernis se contineret, reliquam *Livianus* partem ad *Averniam* hibernorum causa deduceret. Is abest vicus à *Bibiena* septem millia passuum, monti vastæ crepidinis impositus, *Francisci* in deorum numerum recepti mora atque domicilio celeber. Tum ut militum duo millia in *Ubaldi* finibus conscriberentur, ad eosque mitterentur præsidii hibernorum causa, eodem Senatusconsulto constitutum. *Liviano* etiam propterea quòd equites illius octoginta *Orniæ* præsidio relicti, ab hostibus furtim introductis capti fuerant, pecunia est amissis sarciendis à Senatu dono tradita.

Avernia.

Antè autem quàm hæc ita fierent, *Ramberti* suasu, qui diceret, si sibi exercitus tribuatur, in vallem stagni sibi finitimam, quæ in *Florentinis* esset finibus, se irrupturum, qua capta, priorem ad exercitum & commeatus supportari, & copiæ submitti facilè possent, *Brixia* equites cum præfectis septem evocatos, *Joannem Paulum Gradonicum* cum *Græcis*, quibus præerat, equitibus, & militum non magno numero *Ravenna* profectum, Senatus eò mittendos censuit. Ii *Ramberto* duce usi, vallemque ingressi, castellis hostium quatuor captis, aliud castellum, quod erat communitius, tormentis levioribus adorti, *Cyriacum* præfectum, virum fortem cum militibus sexcentis egressum, prælio commisso in fugam conjecerunt: *Turcam* centurionem cum plerisque occiderunt, castellumque ceperunt. neque tamen is exercitus propter nives impeditaque itinera ulli præterea usui reipublicæ fuit. *Gradonicus* etiam adversa valetudine implicitus, *Ravennam*, deinde ad urbem rediit.

Vallis stagni.

Anno autem insequente vix inito, ex *Caroli Ursini* turma complures, qui nondum in hiberna convenerant, sunt cum castello, in quo erant, capti: captus etiam à *Gaspare Severinate* legati scriba *Marcelli*, ex *Ubaldi* finibus cum stipendio & commeatu & militibus quatercentis, *Græcis* equitibus ducentis, *Bibienam* sese conferens, in quos quidem *Severinas* difficillimis in jugis de superiore loco impetum fecerat. paulóque pòst cùm equites circiter quingenti à *Guido Ubaldo* in ejus fines propter commeatus inopiam missi, per angusta loca iter facerent, ab hostibus intercepti sunt, magnumque iis detrimentum est illatum: quorum plerique fuga capta itinerum ignoratione, in manus hostium, montanorum hominum, pervenerunt. Hic acceptis incommodis, Senatus *Nicolaum Ursinum*, paulò antè ab se stipendio auctum, cum equitibus gravioris leviorisque armaturæ octingentis, militibus quot contrahi & conscribi possent, commeatu, quem oporteat, *Bibienam* submittendum *Ubaldi* auxilio censuit. Ejus quoque uxor per sese, & milites, & commeatus, quod ad virum mitteret, comparavit: sed is valetudine tentatus, ab hostium ducibus cùm peteret, uti medico ad se venienti iter darent, nihil impetravit: sibi autem paulò pòst morbo ingravescente domum redire cupienti, uti darent, impetravit: itaque cum paucis suum in regnnm discessit.

Ad hæc intentis Patribus cùm nuntiis esset crebrioribus allatum, à *Turcarum* rege classem non spernendam comparari, *Andream Zancanium* Senatus legatum ad illum misit. Causa mittendi fuit, quod timebat *Bajasetem* in rempublicam cum aliis de causis incensum, tum propterea, quòd *Nicolaus Pisaurus*, classis legatus, navem onerariam unius ex regis ducibus, quos illi *Bassas* appellant, æstatis exitu in *Aegæo* depresserat, bellum facere *Venetis* instituisse. Ea res autem sic acciderat. Dum *Nicolaus* apud *Mitylenem* cum triremibus quatuor iter faceret, & navi onerariæ bellicæ militibus, tormentis, reliquisque rebus omnibus ad pugnandum idoneis, instructissimæ amphorarum plus trecentarum, quam vento ferri viderat, appropinquavisset, vela uti demitterent, vectores admonuit: illi autem non vela modò non demiserunt, sed pilis ferreis, tormentis emissis, *Nicolai* præfectum interfecerunt, ac nonnullos ex remigibus

Turcarum contra Venetos apparatus & consilia, ejusque rei causa.

gibus sagittis celeriter conjectis vulneraverunt. A
Quod ubi fieri *Nicolaus* vidit, arma suis uti caperent imperavit, atque in navem *Thraciam* impetu facto eam expugnavit, cumque omnibus qui pugnæ superfuerant, depressit. Erant ea in navi homines circiter ducenti quinquaginta. *Zancanius Byzantium* profectus magnum quidem classis apparatum institutum cognovit: à rege tamen nullo ostenso in rempublicam offensi animi indicio, liberaliter est acceptus: qui cùm reipublicæ bellum facere decrevisset, existimans, propterea quòd ei *Ludovicus* receperat, eodem se tempore bellum in *Gallia* reipublicæ illaturum, hostibus, eo ab latere occupatis, omnia B
sibi prosperè atque feliciter cessura: ut magis *Venetos* eluderet, fœdus quidem cum *Zancanio* renovavit: sed fœderis capita latinis scripta literis ei dedit. Est autem in eorum legibus, ut quæ suæ linguæ verbis scripta non sunt, ea præstari non sit necesse.

Lex *Turcarum* de fœdere, peregrinis litteris firmato, non servando.

Erat tum *Byzantii* civis *Venetus Andreas Grittus*, qui mercaturam ea in urbe annos complures exercuerat, vir faciei elegantia, corporisque pulchritudine, qua inter *Venetos* suæ tempestatis omnes facilè præstitit, & morum gravitate ac liberalitate insignis, eique nationi apprimè atque magnopere charus: is, quòd omnia *Turcarum* instituta callebat, ea de re *Zancanium* admonuit, atque uti fœdus verbis *Thraciis* conscriptum haberet, pro sua in patriam charitate illum est hortatus. *Zancanius* re tentata cùm nihil efficere potuisset, cum fœdere latinis scripto literis ad urbem rediit: néve nihil videretur attulisse, id quod ab *Gritto* ea de re *Byzantii* accepisset, Senatui reticuit. Ea fœderis tam propensa renovatio magis etiam suspensos Patres fecerat, existimantes, ea de causa regem sua consilia suppressisse, ut eos imparatos atque inermes adoriretur, præsertim quòd missæ ad illum à *Ludovico* atque à *Florentinis* communi consensu paulò D
antè legationes multa de Senatu questæ, nihil eorum, quæ regis animum in rempublicam inflammare possent, prætermiserunt. quamobrem ut muniti ad omnes casus essent, Senatus decrevit, uti naves onerariæ bellicæ tres confestim ornarentur, eisque præfectus legeretur: lectusque est *Aloisius Marcellus.* uti navis item oneraria magna, quam *Sebastianus Marcellus* ædificari sibi curaverat, quæque *Naupliæ* tunc erat, armaretur, classique adjungeretur. literæque ad illum publicè datæ, ut *Corcyram* navem adduceret: uti naves triremes triginta deducerentur: quarum navium decem ipsa in urbe, totidem *Cretæ*, sex in *Apulia*, quatuor in *Illyrico* magistratus *Veneti* remigibus atque militibus instruerent, paulóque pòst decem aliæ triginta prioribus sunt additæ.

Venetorum ad *Aloisium* regem legatio & munera.

At *Aloisio* rege *Galliæ* salutato, uti suprà dictum est, legati sunt ad eum ire jussi tres gratulatum reipublicæ nomine, *Antonius Lauredanus*, *Nicolaus Michaeles*, *Hieronimus Georgius.* Missæ deinde ab Senatu regi dono *Aquilæ* in *Creta* insula captæ sexaginta, ex earum genere, quibus in aucupio reges uti consueverunt: pellesque pretiosiores canis ab summo inter nigrum colorem consperfæ ducentæ: quæ ille munera vultu lætissimo accepit, egitque de iis Senatui gratias F
apud legatos, cùm jam ii ad illum pervenissent.

Sed ea dum ad regem legatio proficiscitur, *Triultius*, qui se *Astæ* cum equitatu continuerat, *Bretolam* oppidum, quod quidem illis in finibus fratres duo in *Ludovici* fidem recepti obtinebant, capit. *Ludovicus* per legatum ea de re certiores Patres facit, eorumque consilium exquirit. Patres molesta sibi esse, quæ intellexissent, legato responderunt: belli enim initium sese factum videre: ita se tamen *Ludovici* prudentia confidere, ut omnibus illum incommodis remedia celeriter adhibiturum esse non dubitent, præsertim cum is tantum auri possideat, quantum paulò antè ipsemet ejus legatus exploratum sibi esse palàm dixerit.

Bretola oppidum captum.

Legatis in *Galliam* profectis rex proposuit, constitutum sibi esse, *Mediolani* regnum, quod sibi hæreditatis jure deberetur, ab *Ludovico* armis repetere: cupere se rempublicam ejus belli sociam habere. Illi se ad Senatum ea de re literas daturos dixerunt, eique, quod Senatus jussisset, renunciaturos. Illis autem in litteris legati adscripserunt, nihil prætermittere *Ludovicum*, per amicos regios orando, pollicendo ut se in Regis amicitiam insinuet.

Rex *Galliæ Venetos* in belli societatem sollicitat.

Patres, re complures dies agitata, tametsi viderent periculosum esse, maximum amplissimumque regem sibi finitimum in *Italiam* adducere, tamen, propterea quòd existimabant, neminem eo in regno perniciosiorem civitati esse posse, quam is erat, quem permultos annos habuissent, verebanturque, si regis amicitiam repudiarent, ne se is cum *Ludovico* in reipublicæ fraudem conjungeret, quam certè societatem *Ludovicus* nullis non conditionibus esset accepturus, ut bellum ab se averteret, ei rei animum adhibuerunt. Accedebat ad superiores causas etiam hæc, quòd non nihil recentes ac perpetuæ in rempublicam *Ludovici* contumeliæ, oblata propè à Diis immortalibus facultate, civium animos ad vindictam expetendam incitabant: nonnullos etiam augendi fines imperii cupiditas, justo præsertim nomine, justisque de causis, incendebat, ut sunt plerumque homines natura proclinati ad ea propaganda, quæ possident. Itaque literas ad legatos dant, regi respondent, se cum eo consensuros, bellumque unà suscepturos atque gesturos, modò is ipsorum ditionem tutam ab se atque tectam velit esse. Ab legatis quærenti regi quanam id ratione vellent fieri, quódve septum suis finibus aut propugnaculum exposcerent: responderunt, si *Cremonam* oppidum reipublicæ concesserit, cum eo agro finibusque omnibus, qui citra flumen *Abduam* sint, tutos se fore existimaturos. Tum rex concessurum quidem se reipublicæ eam, quam peterent ex *Ludovici* regno partem, recepit, quam quidem sciret esse totius regni optimam atque opulentissimam, *Leco* tantummodo excepto, de quo nulli cedere statuerat (id est municipium in læva *Abduæ* è lacu *Lario* exeuntis ripa) petere autem & ipsum pro iis rebus ab republica equites in id bellum septies mille, milites sex mille, auri libras mille: ea sibi datum iri si polliceantur, fœdus se cum illis initurum.

Lecum municipium.

His intellectis regis postulatis, Senatus legatis rescripsit, sese milites equitesque, quot rex peteret, in communè adducturos: de pecunia nihil polliceri, cùm propterea quod tribus gerendis nullo interjecto temporis spatio bellis, *Gallico*, *Neapolitano*, *Pisano*, grandem pecuniam insumpsissent: tum etiam, quia in id, quod ab *Turcarum* rege in præsentia bellum reipublicæ immineat, cujus rei fama certioribus in dies nuntiis jam percrebuerat, ad classem comparandam satis superque civitas muneris atque oneris esset habitura. Ea rex cùm intellexisset, in alium diem re dilata, ubi ea dies venit, pecuniam nisi dent, nihil se de fœdere acturum legatis renuntiavit. Id ea causa fiebat, quòd erant nonnulli magna apud illum *Galli* homines autoritate, qui *Ludovici* rebus favebant: ii cùm palàm regi obsistere, ne bellum susciperet, non auderent, existimarent autem *Venetos* ad conditionem dandæ

dæ regi pecuniæ non descensuros, in eo il-lum ut perseveraret, hortabantur. nonnulli etiam fingi à *Venetis*, quæ de rege *Thracio* nuntiarent, dictitabant.

Turcarum classis in Venetos.

Accidit autem, ut dum hæc agitarentur, literæ ab *Rhodiorum* magistratu ad regem venerint, quibus rex literis certior fiebat, *Bajasetem* classem ingentem comparare, atque in ea cura dies atque noctes versari, ut quàm posset maximam atque ornatissimam educeret. Ea intellecta re, *Venetos* nihil fingere ubi rex vidit, quinto Idus Februarias nulla pecuniæ mentione habita, iis quibus dictum est legibus fœdus in omne tempus cum legatis percussit, ea etiam conditione fœderi addita, ut, si quo rex tempore in *Italiam* transmitteret, bello *Thracio* respublica impediretur, ad auxilia ei danda non tenerentur.

Venetorum cum Aloisio rege fœdus.

Icto fœdere (quæ quidem res longè alium, ac sibi *Ludovicus* persuaserat, exitum habuit: is enim, cùm quis ei suorum, consensuros cum rege *Galliæ Venetos* contra illum diceret, bono es animo, inquiebat, nunquam id Senatus decernet: nunquam *Veneti* majorem se finitimum sibi regem statuent esse: itaque in rempublicam quos volo, meo jure ludos facio, ejus rei non dubius, quin me malit, ita ut sum, quàm regem *Galliæ* mei regni dominum) sed fœdere concelebrato, *Ludovicus* sæpe se ipse accusans, qui nunquam id in animum potuerit inducere, *Joannem Franciscum Severinatem*, quem quidem ad *Pisanum* bellum bona cum manu *Florentinorum* auxilio mittere statuerat, retinuit, ut *Astam* versus, ubi jam *Triultium* copias cogere nuntiabatur, cum mitteret.

Interea cùm in fines *Guidi Ubaldi Nicolaus* cum eo, de quo diximus, exercitu pervenisset, neque propter nives difficiliaque itinera, & hostium copias per angustos montium aditus & castella distributas, *Bibienam* se conferre satis posse tutò confideret, civitas verò defessa stipendiis, in id bellum erogandis, surdior ad tributi vocem fieret, præsertim bello *Gallico* alia stipendia, alias impensas jam deposcente, Senatus *Herculi*, qui se reipublicæ pridem obtulerat, si vellet, se cum *Florentinis* curaturum, uti bellum pro ejus dignitate componeretur, aures tandem præbuit, permisitque ut ea de re agere inciperet. Ille primò per *Bernardum Bembum* patrem meum, qui *Ferrariæ* Prodominum gerebat, deinde per suos, quos in urbe interpretes habebat ad fallendum idoneos, sat bonis conditionibus propositis effecit, ut Senatus, existimans illum de conditionibus fidem servaturum, cùm de iis ipsis Patres omnibus in sermonibus & collocutionibus antea egissent, atque inter ipsos *Herculemque* conventum fuisset, potestatem ei faceret de *Pisano* bello, quemadmodum sibi videretur, ita statuendi: potestate ab utrisque tradita, *Hercules* cum legatione, quam ad illum *Florentini* miserant, cumque *Ludovici* legato ad urbem venit. In urbe cùm esset, tres ei cives Principis collegium attribuit, qui ei præsto essent, si quid petere aut cognoscere vellet, atque ad principem Patres renuntiarent. Scripto autem nequedum prolato judicio, cùm se id *Hercules* Patribus ostensurum esse diceret, ut, si quid aboleri aut commutari vellent, liceret, *Georgius Cornelius* unus ex principis collegio Patres est hortatus, afferri ad se libellos juberent, atque inspicerent, ne ignaris ipsis, quid *Hercules* indicaturus esset, sententia proferretur. Sed is reprehensus à Patribus, qui dicerent, non esse æquum data *Herculi* per Senatum potestate suo arbitrio judicandi, nunc ei leges velle imponere, si quæ scripserit, sint improbaturi: si non sint, frustrà inspici quæ non improbentur, conticuit.

Herculis in rebus componendis conatus.

A *Hercules* octavo Iduum Aprilium sententiam tulit, ut remissis atque abolitis, quæcunque in *Florentinos* quoquo modo *Pisani* detrimenta eo bello intulissent, *Pisæ* restituerentur: ut reipublicæ auri libras mille octingentas *Florentini* darent annis duodecim expensi nomine: multis capitibus ad speciem *Pisanæ* rei meliorem in statum atque formam redigendæ, quàm antea fuisset, summæ judicii additis: re autem, quibus ad pristinam servitutis conditionem temporis momento *Pisæ* reciderent.

Biduo pòst *Hercules* salutatis Patribus, quorum nemo fuit qui eum non invitus & non mœsto B vultu viderit, vel etiam qui non de eo magnopere sit questus, quòd fidem, quam reipublicæ dederat, tantis præsertim de rebus, non præstitisset, mediam per urbem verbis contumacibus & sibilis à populo explosus domum rediit. Senatus *Ferdinandum Herculis* filium, & *Bentivolos* patrem & filium, & *Baliones*, & *Marcum Martinengium*, quo exercitus præfecto *Pisis* usus fuerat, qui se omnes neque strenuè nec amanter eo bello gesserant, missos fecit. *Guidum Ubaldum* autem, qui valetudine curata se ad Patres salutandos invisendosque contulerat, præfectura equitum & stipendio confirmato, in reipublicæ C fidem recepit.

Aloisius Galliæ rex *Ludovico* bellum illaturus, ex eorum numero, quos consulere singulis de rebus consueverat, legatos *Venetos* facit. Ipse legationem ad Senatum mittit. Ad bellum equites ejus generis mille octingentos, quorum singuli more *Gallico* equites sex secum ducerent, militum numerum decem millium habere instituit. *Triultium* suis exercitibus in *Italia* præficit. *Veneti* ubi fœdus cum rege ictum ab legatis intellexerunt, sacris in æde *Marcia* solemni ritu factis, foro apparatissimo verba fœderis in vulgus pronuntiari pro suggestu voluerunt. Ea dum pro- D nuntiantur, ventus coortus vexillum reipublicæ templi turriculis implicuit, vexilli parte abscissa, quod quidem postea ex eventu rerum portenti loco civitas habuit. Neque multò pòst alios regi legatos, *Marcum Georgium*, *Benedictum Trivisanum* Senatus creavit, prioribusque legatis, cùm hi ad regem pervenissent, domum reditionis facultas data.

Portentum.

Rex æstate media, suis in *Italiam* copiis præmissis, *Lugdunum* venit. Senatus exercitu & ipse comparato, *Melchionem Trivisanum*, *Marcum Antonium Maurocenum* legatos exercitui sublegit: alteroque ex duobus legatis, quos ad urbem rex miserat, E unà cum illis ad exercitum reipublicæ profecturo, ut rebus omnibus interesset, equus pro ejus dignitate, ac tentorium, & ferrea corporis tegumenta cum auri libris duabus à Senatu dono data.

Aloisii regis expeditio.

Inter hæc *Federicus* rex *Neapolis* per suum legatum Patribus significavit, velle se equites quingentos *Ludovici* auxilio *Mediolanum* mittere. Patres, neque eum illa copia *Ludovico* profuturum, cui longè firmioribus præsidiis ad salutem opus esset, & se ea re inferri sibi magnam ab eo injuriam existimaturos, regi rescribere legatum jusserunt, nullos planè homines majora in *Ludovicum* beneficia contulisse, quàm sese: pro quibus F ille rebus gratiam una tantum semper re, maleficiis contumeliisque, alia super aliam inferendis, reipublicæ retulisset: venisse nunc tempus, ut Deos iratos habeat, quos fefellit: rectius itaque eum facturum, si quieverit.

Pauloque pòst *Ludovicus* ipse, si quo pacto *Venetos* placare posset, legatum ad Senatum misit: sed is cum *Ferrariam* appulisset, *Hercules* suum hominem ad Patres cum *Ludovici* literis præmisit, petiitque ut *Ludovici* legato ad eos venien-

Ludovici legati ad Venetos.

niendi potestatem facerent. In *Ludovici* literis erat scriptum, se magnis utilibusque de rebus suo & *Ascanii* fratris sui nomine legatum ad eos mittere: petere à Patribus ut reciperetur, mandataque cognoscerent. Patres lectis literis *Herculis* internuncio jusserunt, uti statim urbe discederet: literasque *Ludovici* legato regio legendas dederunt.

Gallorum in *Insubriam* irruptio.

Triultius, ad quem quidem regis duces duo cum equitum duobus millibus accesserant, in *Ludovici* regnum ingressus municipia complura partim vi cepit, partim ad deditionem compulit. *Novium* profectus, quod quidem municipium *Ludovicus* septingentis militibus intromissis communierat, tormentis ad murum positis, atque uno tempore omnium ferreis missis pilis oppidanos ita terruit, ut confestim se dederent. Milites in arcem recepti, cùm se ad propugnationem comparavissent, tantus *Gallorum* militum impetus, & tormentorum reliquarumque rerum apparatus tam subitus tamque ardens fuit, ut quinque horarum spatio arcem expugnaverint, militesque *Ludovici* omnes ad unum interfecerint. quo successu ad celeritatem usus *Triultius*, paucis diebus castella numero ad viginti, *Tortonamque* oppidum cepit.

Iis rebus cognitis *Antonius Maria Severinas Galeatii* frater, qui unà cum illo *Alexandriæ* præerat, *Ticinum* rediit, neque ab oppidanis est receptus. *Veneti*, ubi à *Triultio* belli factum initium cognoverunt, exercitu equitum amplius septem millium, militum supra sex millium coacto, *Ollioque* flumine cum parte copiarum *Liviano* duce transmisso, plura uno die municipia per deditionem capiunt: reliquaque ad priorem exercitus partem adjuncta parte, parvo temporis spatio vicis castellisque, quæ cis *Abduam* flumen sunt, compluribus in deditionem acceptis, *Caravagium*, quod est ejus regionis caput, exercitum adducunt. Legati ad oppidanos miserunt, si se oppugnari finerent, sese oppidum militibus tradituros. Ea nocte nullum est responsum datum: itaque stationibus militum ad oppidi fossas dispositis, legati ut muros manè quaterent se comparabant. Oppidani autem prima luce ad legatos venerunt, seque eis dediderunt, arce excepta, quæ ab ipsis non tenebatur: eamque fuisse causam dixerunt, cur non se legatis è vestigio permisissent, quòd arcem quoque tradere voluissent. Legatis introductis, missisque ad præfectum arcis internunciis, postridie ejus diei arx deditur, legato *Ludovici*, qui in ea erat, militibusque omnibus abeundi potestate concessa, oppidanis postulantibus. Hoc idem *Sonzinates* fecerunt. Sed arcis præfectus misso ad legatos internuntio, velle se arcem tradere sponte pollicitus, quæ quidem esset tormentis rebusque omnibus munitissima, ab eis petiit, ut sibi civitatem & jus comitiorum darent. Illi ejus rei facultatem se habere nullam cùm respondissent, literasque ad Senatum daturos recepissent, præfectus se in eo reipublicæ fidei velle permittere, ne qua propterea mora legatis fieret, liberaliter pronuntians, arcem tradidit.

Caravagium à *Venetis* occupatum.

Alexandria capta.

Iisdem diebus parte altera *Triultio Alexandriam* tormentis oppugnante, *Galeatius Ludovici* gener, qui oppidum defendebat, cum paucis clàm noctu egressus *Mediolanum* abiit: qua intellecta re, complures ejus equites militesque oppido aufugerunt: itaque mane *Galli*, ab oppidanis introducti, oppidum capiunt.

Mediolani tumultus.

Placentini missis ad *Triultium* legatis, itemque *Ticinenses*, sese ei dediderunt. *Mediolani* autem militibus *Ludovici* stipendium postulantibus, cùm eos *Ludovicus* ad quæstorem suum rejecisset, ille

A verò moram interponere ei rei vellet, milites multis illatis vulneribus quæstorem propè interfecerunt. Civitatis principes veriti ne diriperentur, simul quòd novis rebus studebant, agrestes homines in oppidum adduxerunt, seseque munierunt. Quibus rebus cognitis, *Ludovicus* incitatæ plebis studia, omniumque planè hominum in se invidiam pertimescens, liberos & concubinam (nam uxor mortem obierat) & *Ascanium* Cardinalem fratrem, *Federicumque Severinatem* item Cardinalem, *Galeatii* fratrem, oppido eductos *Comum* misit. Oppidani ubi *Ludovicum* suis rebus diffidere ipsum intellexerunt, concilio civitatis

B coacto, quatuor ex principibus legerunt, qui rebus omnibus præessent: ii ad *Ludovicum* profecti, velle se oppidum regi tradere dixerunt: ejus autem rei causam ipsum dedisse, qui liberos & familiam emiserit. *Ludovicus* intellecta civitatis voluntate, stipendio equitibus levis armaturæ quingentis dato, postridie ejus diei unà cum *Galeatio* genero equitibusque paulò plus ducentis discessit, cum reliqui stipe accepta ejus imperio se subtraxissent: arcemque artificio atque immani mole murorum omnibusque idoneis ad obsidionem sustinendam rebus, tum militum duobus millibus apprimè communitam, *Bernardino Curtio*,

C uni ex suis maximè intimis, cui supra cæteros confidebat, quemque ipse à parvulo aluerat, commendavit, cùm eam tradere *Ascanio* fratri custodiendam, qui se illi obtulerat, noluisset. *Triultius* quatriduo pòst à *Mediolanensibus* magna hominum gratulatione in oppidum receptus est: reliqua oppida, quæ supererant, ei se confestim dediderunt.

Mediolanum Gallis traditur.

Venetis Cremonæ appropinquantibus civitas legatos obviam misit, qui tempus ad deditionem peterent. quo tempore missis ad *Triultium* interpretibus, ubi se principes civitatis in ea regni parte, quæ ad rempublicam ex fœdere spectabat,

D esse intellexerunt, omni cum Senatu & sacerdotibus atque pontifice ad portas progressi, legatos unà cum ducibus accersitos sub tentoriolo sacro in oppidum introduxerunt: postulantesque ut tributis à *Ludovico* vel impositis novis, vel adauctis acerbissimè veteribus, civitatem levarent, impetraverunt. Erat in oppido arx perquam munita, difficilisque captu, si qua alia: eam *Petrus Antonius Battalio* à *Ludovico* acceptam custodiebat. Legati postridie ejus diei, qui arcem reipublicæ nomine ab illo peterent, miserunt.

Cremona Venetis dedita.

E à præfecto interpretibus ultrò citroque missis, cùm ei libras auri ducentas quinquaginta legati partim dedissent, partim se daturos recepissent, civitatem & jus comitiorum ipse patrique ejus posterisque eorum unà cum domo urbana & fundo & villa in agro *Veronensi* Senatus permissu donavissent, arce sunt potiti.

Eodemque ferè die *Triultius* auri libris item ducenties quinquagies *Curtio* numeratis, concessaque *Ludovici* & *Galeatii* supellectile sanè regia, quæ in ea erat, *Mediolani* arcem, de qua diximus, tenuit. Ita is, cui fides ab sese data rata atque sancta nunquam fuisset, neminem habuit suorum, qui ei fidem, quam dederat, cùm id facere nullo negotio posset, tam duro ejus tempore

F pauculos modò dies præstaret. *Cremonâ* in reipublicæ potestatem redactâ, magistratus, qui jus dicerent *Dominicus Trivisanus*, *Nicolaus Fuscarenus* eò missi: oratoresque adlecti duo ad priores alios, qui adhuc in urbe præstolabantur, *Nicolaus Michaeles*, *Benedictus Justinianus*: *Mediolanumque* unà omnes ire jussi ibi regem excepturi, eique reipublicæ nomine novo de regno gratulaturi, quos quidem postea rex, *Mediolanum* cum venisset, nam tum quidem esse in *Alpibus* dicebatur,

batur, perhonorificè tractavit, apud seque habuit. Eorum tres, quorum in numero erat *Antonius Lauredanus*, qui ex *Gallia* cum rege venerat, suo functi munere domum redierunt. Petierat ab legatis reipublicæ, qui in *Gallia* transalpina fœdus cum rege percusserant, *Ludovicus Lucenburgius* regis propinquus, ut, cùm ad urbem rediissent, sibi à Patribus civitatem & jus comitiorum impetrarent: itaque ejus postulatis intellectis, civitas utrumque munus *Ludovico* est elargita. Eadem liberalitas in *Hannibalem Angusciolum*, qui arcem *Sonzinatium* reipublicæ legatis tradiderat, & *Marsilium* ejus fratrem collata: annuusque insuper proventus utrique dono additus. *Victor* quoque *Martinengius Brixianus*, unus ex principibus civitatis, *Joannesque Maria* ejus frater, ob eorum egregia in rempublicam officia, civitatem & jus comitiorum paucis pòst diebus sunt adepti.

Ludovicus Lucenburgius.

Ludovicus in *Rhetos* profectus, ut exercitum

A

cogeret ad *Gallos* repellendos (id enim fama vulgaverat) *Helvetiis Lepontiisque* tentatis nihil efficere, quod ex usu esset, potuit.

Rex adhibitis legatis, qui *Mediolani* erant, omnibus, velle se *Federico* regi bellum inferre pronuntiavit, ut regnum *Neapolitanum*, quòd paulò antea *Caroli* fuisset, suam in potestatem redigeret. Cui statim *Hispaniæ* regum legatus, Ego verò, inquit, bellum tibi à meis regibus denuntio, si id aggredi statueris: non enim sunt passuri, ut propinquum suum regno quis ejiciat.

Aloisii regis de *Neapolitano* regno occupando ausus.

Rex de eo se cogitaturum respondit. Deinde duos cùm menses *Mediolani* fuisset, *Genuensium* civitatem certis conditionibus in fidem recepisset, *Triultium*, cui etiam *Vigevenum*, in *Ticinensi* agro oppidum, regiis ædibus atque ad venationes opportunum dono dederat, unà cum altero ex suis ducibus novi regni rebus omnibus præfecisset, in ulteriorem *Galliam* rediit.

B

Regis in *Galliam* reditus.



PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI QUINTI

EPITOME.

Corvorum ac vulturum in *Apulia* prodigiosa pugna. *Turcæ* ac *Venetorum* ad bellum apparatus. *Venetæ* classis cum *Turcica* pugna. *Naupactus* à *Turcis* capitur. *Antonio Grimano* classis imperium abrogatur. *Cæsaris Borgiæ* in *Flaminia* bella. *Ludovici Sfortiæ Mediolanum* reditus. *Ludovicus* & *Ascanius* capiuntur. *Turcici* belli progressus. Altera *Venetæ* cum *Turcica* classium pugna. *Methone* à *Turcis* expugnatur. *Pylon* à *Turcis* capitur. *Corone* item & *Aegina* à *Turcis* capiuntur. *Turcæ* se *Byzantium* recipiunt. *Aegina* à *Venetis* recuperatur. *Venetæ* classis res adversus *Turcas* feliciter gestæ. *Samothracia* à *Venetis* capitur. *Caroli Contareni* supplicium. *Hispaniæ* reges classem *Venetis* auxilio mittunt. *Pylos* à *Venetis* recipitur. *Cephalenes* oppugnatur & capitur. *Consalvo* jus comitiorum datur. Præmia eorum, qui pro republica mortem oppetierant, propinquis data. *Venetorum* cum *Uladislao Pannoniæ* rege fœdus. Auxilia ab *Alexandro* Pontifice *Venetis* contra *Turcas* data, & sacræ pecuniæ summa. *Alexiani* se *Venetis* dedunt. *Baptistæ Zeni* Cardinalis obitus. *Pylos* iterum à *Thracio* rege capitur. Megara à *Venetis* deletur. *Venetorum* & *Turcarum* varia fortuna. *Augustini Barbadici* ducis obitus. *Dyrrhachium* à *Turcis* capitur.

LIBER QUINTUS.

DUM hæc in *Gallia* citeriore geruntur, ad *Bajasetis* novos motus, qui exercitum & classem magno studio comparabat, *Antonio Grimano* præfecto classis declarato, uti profectionem maturaret, Patres jusserunt. Is antequam conscenderet, propterea quòd ab civibus, tot superiorum defessis continentium bellorum muneribus, lentè ac morosè tributa exigebantur, libras auri octoginta in remigum stipendia reipublicæ mutuò dedit: alteras octoginta secum se laturum est pollicitus, quibus *Corcyræ* reliquisque in locis ad classem constituendam uteretur.

Corvorum ac Vulturum prodigiosa pugna.

Constat illis diebus in *Apulia* corvos vulturesque tanta ex aëre vi tantisque agminibus inter se conflixisse, ut carri duodecim eorum cadaveribus explerentur.

Corcyrensium auxilium Venetis ablatum.

Corcyrenses cùm viderent in magnis parandæ classis difficultatibus propter temporis angustias rempublicam versari, quòd *Bajasetis* classis vela jam facere dicebatur, polliciti sunt, si eis frumentum & tormenta subministrentur, sese gripos sexaginta suis hominibus suaque pecunia ornaturos, quibus *Antonius* eo bello uti posset. quod quidem *Corcyrensium* auxilium opportunè oblatum Senatus libentissimè accipiens, nummum aureum in singulos eorum, qui conscenderent, ad ea quæ petierant *Corcyrenses*, etiam addidit.

Turcarum irruptio.

Jamque ab *Hiadertinorum* magistratu literæ ad Senatum datæ certiores Patres fecerunt, *Turcas* equites ad duo millia incursiones in eorum fines fecisse, magnumque agrestium hominum numerum abegisse, neque postea discessisse, sed ibidem consedisse, quæ res omnem dubitationem expulit, quò esset classe rex irrupturus, cùm in fines reipublicæ terrestres copias induxisset. nam eum nonnulli *Rhodiis* bellum esse illaturum etiam nunc arbitrabantur.

Venetorum apparatus ad bellum Turcicum.

Lecti itaque legati duo, *Franciscus Ciconia*, qui in *Aetolia* & *Achaia* reipublicæ oppidis præesset: *Andreas Lauredanus*, qui *Corcyræ*: tum *Andreas Zancanius* item legatus cum præsidio in *Carnos* missus, cùm Patres eo etiam ab latere *Turcas* impetum facturos comperissent. latum etiam, ut biremes complures ornarentur, quæ maris *Adriani* præsidio essent contra biremes *Turcarum*, quas *Eloi* fluminis ostio *Aulonem* deductas Senatus intellexerat: eisque biremibus *Augustinus Maripetrus* præfectus datus cum trireme una, quam ipse conscenderet. Ob eas res atque bellum, quod quidem fore omnium, quæ civitas cum *Turcis* unquam gessisset, maximum & formidolosissimum videbatur, aucta per Senatum urbis vectigalia sunt parte ex tertia, vini, panis, carnis, portoriis tantummodo exceptis: atque uti magistratus omnes urbani provincialesque mediam stipendiorum partem unius anni reipublicæ remitterent, lex lata: cautum tamen, ne quadragintaviralia judicia ea lege tenerentur. lecti etiam viri, qui censum civibus omnibus pro cujusque opibus decernerent, ea conditione, ut is quem decrevissent, reipublicæ à quoque cive census donaretur, si auri semunciam non excederet, supra id mutuò erogaretur: neque tamen auri libras tres ullius civis census posset excedere. Simul, quòd illis ipsis diebus terrestres etiam equitatus & peditatus copias ex *Gallorum* regis fœdere Senatus contra *Ludovicum* cogere, atque in *Galliam* mittere tenebatur, pecuniaque erat uno tempore in classem atque in exercitum separatim subministranda, lex est lata ut quæ civitates sub reipublicæ imperio in continenti essent, iis litteræ darentur, vellent pro suo in rempublicam studio tam difficili ejus tempore subsidii nomine pecuniam publicè ad urbem mittere, sua cuique civitati dicta & constituta summa, *Patavinis* auri libris centum, *Vicetinis* octoginta, *Veronensibus* totidem, *Brixianis* centum viginti, *Bergomatibus* quinquaginta quinque, *Taurisanis* quinquaginta, *Cremensibus* viginti, cæterisque item infra hæc: quæ quidem civitates, ut in rebus tam urgentibus, lubentes atque alacriter suam quæque partem in ærarium contulerunt. *Alexander* etiam Pontifex Maximus omnium proventuum, quibus sacerdotes in imperio reipublicæ fruerentur, partem plus tertiam in id bellum Senatui concessit, Cardinalium sacerdotiis exceptis.

Vectigalia aucta.

Census civium.

Lex de pecunia subsidiaria civitatum reipublicæ Venetæ.

Pontificis largitas.

Turcarum classis.

Iis administratis rebus, æstatis parte jam præterita

terita *Bajasetis* classis navium omnis generis circiter ducentarum septuaginta, quo in numero erant triremes septuaginta, biremes quadraginta, naves duæ onerariæ immani magnitudine, freto egressa, *Eubœamque* insulam prætervecta, ad reipublicæ in *Achaia* littora se convertit: & exercitus maximis instructus copiis, cui præerat rex ipse, terrestri itinere eòdem proficiscitur: cùm rex, antequam *Thessalonica* discederet, cives *Venetos*, qui *Byzantii* commorabantur, in vincula conjici mandavisset: in quibus erat *Andreas Grittus*, de quo supra dictum est. Is quòd ad magistratum, qui erat *Naupacti*, charitate patriæ juvenilem animum stimulante, literas notis conscriptas omnibus de rebus, deque regiis consiliis dederat, duriore conditione quam reliqui omnes in custodia fuit: parumque abfuit, quin interficeretur.

Venetorum classis.

Antonius magna diligentia omnibus ex reipublicæ maritimis municipiis atque insulis classe celeriter coacta, pulcherriméque instructa, quæ quidem erat triremium quadraginta sex, longarum navium ex iis, quæ ad mercaturam proficiscuntur, decem septem, navium onerariarum numero ad quadraginta, biremium & reliquarum item quadraginta, *Methone* ex anchoris, quid *Turcæ* facerent, circumspiciebat: paulóque pòst è portu apud *Acritam* egressos appropinquare eos intelligens, ad *Sphagiam* insulam, quæ contra *Methonem* est, vela cum omnibus navibus facit.

Supplicationes & eleemosynæ pro victoria consequenda.

Venetias cùm esset nuntiatum, classem *Thraciam* ad ea reipublicæ littora processisse, quibus in littoribus & portubus esset *Veneta*, neque esse dubium quin sint congressuræ, supplicatio est à Senatu decreta: tum in sacrarum virginum & sacerdotum collegia farinæ triticeæ sextaria trecenta dono data: atque auri libræ quinque remigibus senectute aut valetudine affectis, qui aliquando stipendia in classibus reipublicæ fecissent, per urbem distributæ.

Antonius, constituto qua ex parte hostes, quotque cum triremibus quisque legatorum aggrederetur, quemque locum præfecti navium onerariarum majorumque longarum caperent: quot naves post reliquas, ut subsidio laborantibus essent, se continerent: media ipse in acie, quatuor circum se triremes ducens, provectusque paululum in mare, cùm naves *Thraciæ* non longè ab eo iter facerent, possetque illas secundo vento aggredi, prælium tamen distulit. At *Aloisius Marcellus* navium onerariarum præfectus, ut ei erat imperatum, paulisper se ad classem hostium convertit: qua re animadversa, illi statim alia insulæ parte se in portum, qui *Longus* appellatur, receperunt. Constat autem illis diebus ita eos reipublicæ classis nomen perhorruisse, ut multi se suis cum navibus littori applicuerint, quo facilius, si classes congrederentur, terra fugam caperent. *Antonius Methonem* rediit: idque cum bis terque postea paucorum dierum spatio accidisset, ut & *Turcæ* portu egressi conspecta classe *Veneta* in eundem portum redierint, aut in proximum se intulerint: & *Antonius*, eductis navibus ut confligeret, visis hostibus, cum ei visum non fuisset congredi, eos redire aut progredi sine impedimento permiserit: *Turcæ* audentiores facti, quòd existimarent *Antonium* metu perculsum ea facere, pridie Idus Sextiles se, ut iter facerent, explicabant. Erant autem non longè à *Methone*, littori, quàm mari aperto, propiores. *Antonius* classe educta, quod superioribus fecerat diebus, ut, quemadmodum ab initio communi legatorum & præfectorum omnium consilio constituerat, in eos impetum faceret, se comparabat. Atque eo ipso tempore *Andreas* *Lauredanus Corcyræ* magistratus advenit, gripos undecim, & naves onerarias quatuor, in quibus erant milites plus mille, secum afferens. Is ad *Antonium* rectà profectus, venisse se ad rempublicam auxilio juvandam proponit: petit, ut quid se facere velit, imperet. Erat in *Andrea* magnus animus, magna virtus, plurima belli & rerum maritimarum experientia: itaque illo viso universa classis clarum lætitiæ signum dedit, salutatusque est plausu vocibusque militaribus mirandum in modum. Id an ægrè tulerit *Antonius*, venisse hominem, qui si quid rectè sit administratum, favore vulgi atque benevolentia ejus rei omnem sibi laudem præripiat, explorati nihil habeo: multi quidem certè crediderunt, & testatum reliquerunt. Sed illi navem onerariam ex duabus magnis reipublicæ navibus, quas habebat, uti conscenderet, eique imperaret, permisit.

Andreas cymba ad navem statim vectus (neque enim temporis exiguitas longiorem moram dabat) in eam sese intulit. Altera in navi magna reipublicæ erat *Albanus Armerius* præfectus. Is, ubi est imperatum ut in hostes impetus fieret, quòd sciebat de concilii sententia datum sibi negotium ab *Antonio*, ut navem *Thraciam* alterutram ex duabus, de quibus suprà dictum est, adoriretur, ad eam ex illis, quæ quidem erat vastior, contendit. *Lauredanus* sua cum navi ad navem hostium alteram approperat. Sed ea, fuga comparata, in mare sinistrorsum se proripuit. Tum *Lauredanus* suam & ipse navem in majorem hostium navem convertit: quam cum essent ambo consecuti, injectis manibus ferreis eam religant. Erant in nave *Thracia* milites mille, qui se cominus acriter fortiterque defendebant. Id dum fit, ignis in navem hostium jactus puppim succendit: qui extingui cùm non posset, neque nostris navibus explicandi se ab illa facultas daretur, vento latus naves *Venetas* comprehendit: ita tres earum classium maximæ instructissimæque naves conflagraverunt. Sed fuit quidem eorum, qui in navi *Thracia* erant, longè casus atque sors melior, propterea quòd *Turcæ* reliqui, ubi suam comburi navem viderunt, biremes naviculasque aliquot eò celeriter miserunt: eæ biremes atque naviculæ, qui se in mare projecerant milites, quod necesse erat fieri, eis auxilio fuerunt, omnesque sustulerunt. Nostri homines, quibus in tempore subsidium adesse non potuit, cæsi ab iis, qui suis venerant auxilio, omnes interierunt, præter paucos ex utraque navi, quos *Thomas Duodus*, qui in oneraria erat, suæ navis scapha sublatos conservavit: præterque *Albanum*, quem *Turcæ* inter suos è mari captum sustulerunt. Processerat eodem impetu atque ardore animi unà cum *Albano*, cumque *Lauredano* navis alia oneraria non ita magna, ut naves *Thracias* adoriretur: sed ea pilis ferreis, ab hostium navibus pugnæ initio conjectis, depressa, suis cum militibus interiit. Unus *Vincentius Polanus* triremem, cui præerat (erat autem ex iis, quæ ad mercaturam instituuntur) in classem *Thraciam* magno animo intulit. Is parvo temporis spatio circumscriptus ab hostium longis navibus omnis generis compluribusque, cùm se fortissimè horas duas defendisset, navesque hostium nonnullas tormentis perforavisset, ipsos audacter in ejus sæpe navem conscendentes interfecisset, aliquot ex suis amisisset, vulnerata parte plurima, coorto fortè vento, velisque factis sese hostibus eripuit. Ex reliquis reipublicæ navibus nulla cominus congressa, pilis tantum è longinquo emissis, omnes in mare dexteram ad partem, classe hostium relicta, abierunt: ex quibus *Aloisius Marcellus* in navem hostium one-

Pugna classis *Veneta* cum *Turcis*.

Navium conflagratio.

onerariam incidens, injecta manu ferrea eam secum abduxit, longéque ab reliquis navibus captam atque direptam incendit. Ibi *Antonius* animo turbatus, ob eos eventus, quos tristes conspexerat, nihil præterea tentare ausus, se recepit. Classis *Thracia* eodem ipso in loco se continuit. *Veneti* ad *Prodonum* insulam jactis anchoris constiterunt, cùm tamen naves onerariæ complures majoresque triremes propè omnes biduum ferè, antequam eò convenirent, consumpsissent. *Albanus* postea *Byzantium* productus, dum ei rex vitam se concessurum dixisset, si *Mahumetum Turcarum* deum deinceps coleret, negans id unquam se facturum, in duas sectus partes magna constantique voluntate mortem obiit.

Albani Armerii miserrima mors.

Petierat ab *Aloisio Galliæ* rege jam à primo *Bajasetis* apparatu *Rhodiorum* magistratus classem, qua se tueri posset: propterea quòd eam ad insulam atque oppidum suas esse copias, suamque classem *Bajasetem* illaturum, multorum vocibus & nuntiis afferebatur. Rex ne sui regni initio parum diligens ad reipublicæ Christianæ partes muniendas atque tuendas videretur, classem navium duarum & viginti in *Gallia* provincia coactam ad *Rhodios* miserat: ea classis uti cum classe reipublicæ se conjungeret, quòd *Rhodiis* navium nihil opus esset, Senatus ab Rege libentissimo impetraverat: qui etiam omnes suas opes, seque ipsum per litteras, perque legatos in id bellum reipublicæ obtulisset. Itaque dum *Antonius* eo loci est, nuntiatur ei classem *Gallicam Zacynthi* esse: qua intellecta re, ipse tota cum classe *Zacynthum* profectus cum illa se conjunxit: ad quam quidem *Rhodii* & ipsi naves onerarias tres adjunxerant. Classis interim *Thracia* inferius aliquanto ad eum locum, qui *Tornesium* appellatur, se receperat. *Antonius Gallique* eam aggredi communi consilio decreverunt: itaque cum omnes, ut videbantur, alacriter ad eam *Zacyntho* contendissent, animadversum est *Turcas* classem ad littus accommodavisse, sic, ut ferè terram puppibus tangeret, proras navium in mare convertisse. Ea re cognita, *Antonius* naviculas onerarias sex, minus ad bellum idoneas, hominibus, tormentis, cæterisque rebus ablatis, ulva sicca implendas curavit, pulvere ad comprehendendum ignem idoneo interjecto, quas incensas classi *Thraciæ* objiceret. Is dies ea in re consumitur. Postero die manè iis cum navibus triremes magnæ sexdecim *Antonii* jussu ubi se in hostes promoverunt, illi statim classis partem contra eas miserunt: quibus visis, *Venetæ* triremes sese continent: *Turcæ* progressi naviculas sex eas, quæ remulco longarum navium processerant, ab iis relictas qui attraxerant, capiunt. *Veneti* ea re commoti, in illos se concitant, atque usque ad classem insecuti, aliquot eorum navigia deprimunt. triremesque tres & biremem unam cum hominibus capiunt. Biduo autem pòst, cùm omnino aggredi classem *Thraciam Antonius Gallique* statuissent, atque ad eam proximè accessissent, ut tormentorum pilæ in hostes mitterentur, nescio quo fato paululum commorati redierunt: id quod à *Gallis* damnatum fuit. Demum eo triduo hostibus vela facientibus, ut sinum, qui proximus erat, caperent, *Antonius* classem explicuit, eosque consecutus cùm aggredi suo vento posset, eodem iniquo fato, ut tunc quidem creditum fuit, se continuit: aliquot tamen naves longas hostium audacter progressas, quæ paulò ulterius ex *Venetis* processerant naves, facto in eas impetu, ceperunt. Quod si reliquis eadem vis animo fuisset, hostes deleri facilè potuissent: omnibus enim illis diebus, quibus parte aliqua prælium commissum est, cùm plures naves *Thracias* militibus rebusque omnibus instructas *Veneti* ceperint, nulla tamen ex eorum navibus cum hominibus est capta. Quinetiam illud accidit: extrema erat navis una oneraria *Gallorum* eo in reditu, ut sæpè fit, multò reliquis tardior: itemque ex *Venetis* altera: in eas præfectus classis *Thraciæ* magnam suarum navium partem convertit, ut plus triremes ac biremes triginta navem *Gallicam* circumsisterent, *Venetam* plus viginti: quæ tamen duæ cùm acriter diuque oppugnarentur, præter pilas tormentorum, quas hostes ejaculaverant, sagittarum vi tanta in eas conjecta, ut mali, antennæ, plutei, latera earum denique signorum modo sagittis constipatis fixa essent, complures hostium biremes depresserunt, ut reliquæ magno accepto detrimento eas reliquerint.

Gallica classis Zacynthi.

Periculum in mora.

Classis Venetæ & Gallicæ calamitas.

Galli post hæc cùm sibi nulla in re defuisse viderentur, cognoscerentque fortunam omnibus nostrorum conatibus adversari, *Antonio* relicto abierunt. hostium classis *Naupactum* se contulit: eòdemque antea rex cum magno exercitu erat profectus. Is cùm oppidum terra marique uno tempore cinxisset, nullo à nostris auxilio allato, oppidani coacti deditionem faciunt.

Naupactum à Turcis occupatur.

Hæc ad urbem allata, civium animos, qui longè alium rerum exitum expectabant, magno dolore affecerunt: cúmque vulgò legati, reliquique, qui separatim aut navibus onerariis imperaverant, aut longis præfuerant, hominum sermonibus carperentur, *Antonius* ante alios, totius populi, quemadmodum imperatoribus, qui res minus feliciter tentaverint, plerumque accidere solet, maledictis lacerabatur, quod is tantam tamque speratam, atque à diis immortalibus oblatam, ac planè traditam augendi imperii facultatem suis è manibus dimisisse videretur, si eam hostium classem *Antonius* justo prælio superavisset, prout eum facere potuisse existimabant, omnem *Peloponnesum Græciæque* oram *Eubœamque* insulam sub reipublicæ imperium redigere illum nullo negotio potuisse: nunc cùm omnia secus, quàm speraverant, evenisse intelligerent, ac *Lauredani* & *Armerii* interitus memoriæ hæreret infixus, omnes magno odio in eum ferebantur, acerbiusque accusabant.

His atque talibus causis Patres moti, legem in *Decemvirûm* collegio tulerunt, ut *Antonio* præfectus classis sublegeretur, qui statim conscenderet: ipsi imperium abrogaretur. Et quoniam *Thomas Zenus*, qui magni animi, magnæque virtutis esse vir ab omni planè civitate existimabatur, fisco pecuniam debebat, fisci autem debitoribus antiqua lege magistratus mandari nullus poterat: uti *Thomæ Zeno* ea lex fraudi ne esset, quo minus ei navium præfectura quælibet attribui per Senatum possit, in lege *Decemvirûm* est additum. Itaque & *Malchioni Trivisano*, qui legatus bello *Gallico Cremonam* illis diebus per deditionem ceperat, majoribus comitiis classis est imperium delatum, & à Senatu præfectura longarum navium majorum decem septem *Zeno* tradita magna cum potestate: lectique à Principis collegio earum navium præfecti tredecim veterum præfectorum loco: qui omnes statim profecti sunt cum militibus triginta quilibet. Latum etiam de veteribus, ut ob malè gestam rempublicam ad urbem redirent, custodiæque traderentur. datumque *Triumviris* ex advocatis reipublicæ negotium, ut eos in judicia deducerent, quibus à judiciis, qua meriti essent, pœna condemnarentur. Idemque postea de *Antonio* constitutum. Lectus etiam per Senatum, qui *Corcyræ* magistratus esset, *Lucas Quirinus* cum militibus mille oppidi præsidio. Is & *Zenus* sine mora sunt profe-

Antonio Grimano classis Imperium abrogatur.

Lex de fisci debitoribus.

Corcyræ magistratus.

A profecti. paulóque pòst *Malchio Cremona* à Senatu accersitus vexillo reipublicæ accepto conscendit, cùm ei libras auri ducentas quinquaginta, quibus in classem uteretur, Patres ex ærario dedissent. *Zancanius* mense Quintili in *Carnos* profectus, ut ab hostium impetu, quos eò Patres venturos intellexerant, reipublicæ fines tueretur, ratione hominum, qui ferre arma poterant, earum regionum habita, quorum fuit numerus circiter centum viginti millium, Græcis equitibus, & levis graviorisque armaturæ *Italis* quamplurimis peditibusque coactis, munitissimo in castello apud *Sontium* flumen, quod *Gradiscæ* appellatur, paulò ante nostram ætatem publicè exædificatum, multos est dies commoratus, dum ad eum ex *Gallico* exercitu auxilia convenissent.

B *Turcarum excursiones violentæ.* *Turcæ* interea equites septem millia magno ac difficili itinere confecto per *Japidum* & *Liburnorum* fines *Sontio* trajecto, non longè à *Gradiscis* castris positis se continuerunt, eo consilio, ut si *Zancanius* castello exiret, prælium committerent. Eorum dux ubi *Zancanium* extra munitiones non audere egredi animadvertit, duo millia equitum prædatum mittit, jubet, quoquò versus incursiones faciant, celeriterque uti redeant, monet. Equites planitiem nacti magnam atque apertam, agrestes homines inopinantes, quòd se ab illis tutos opposito reipublicæ exercitu fore credebant, capiunt, vi eos diripiunt, incendunt, qui se defendere parant, interficiunt: in quibus fuerunt agrestes ducenti, qui *Vicetia* missi ut ad *Zancanium* contenderent, in eos ex itinere inciderunt. Ea re à proximis audita, usque eò fugere omnibus ex partibus contenderunt, ut cùm duorum fluminum objectu *Plavis Silisque* hostes impedirentur, quorum alterum nullo tempore vado transiri potest, alterum ita sæpe augetur, ut magnum etiam detrimentum vicinitatibus inferat, ad urbis tamen æstuaria plerique nullo loco commorati pervenerint: neque *Taurisanorum* modò, sed *Patavinorum* etiam magna multitudo timore se in oppida receperit. A *Forojuliensium* magistratu autem *Græci* equites, *Italique*, qui sagittis utebantur, ex oppido emissi trecenti, ut si quà possent, hostibus nocerent, partem nacti centum eorum occiderunt, quòd si *Zancanius* cum suis, quorum erat magnus numerus, in hostes impetum audacter fecisset, honestiorem res exitum habere potuisset: sed is pedem porta egredi, adoriendi hostes causa, nemini omnino homini ex suo exercitu permisit. *Turcæ*, qui excurrerant, præda facta cum ad ducem redire vellent, atque ad *Tillaventi* fluminis ripas, quòd ea nocte creverat, pervenissent, quò latum flumen trajicere facilius possent, superioris ætatis quos habebant captivos, in ripa fluminis ad duo millia interfecerunt: reliquos traduxerunt, & præda onusti unà cum duce, qua venerant, abierunt.

Zancanii timiditas.

Bolani lex in Zancanium lata. *Zancanius* imperii malè gesti accusatus, cum in Senatu à magistratibus defenderetur, iique legem tulissent, qua lege *Zancanio* imperium prorogabatur, *Franciscus Bolanus* Quadraginta virûm rerum capitalium magister legem tulit, ut is ad urbem è vestigio rediret, carcerique se dederet: eamque legem Senatus frequens damnata altera comprobavit: qua ex re *Bolanus* magnopere laudatus, paulò pòst, quo die cives sexaginta suffragiis comitialibus deliguntur, qui annum in Senatu sint (usu autem semper fit, ut omnes civitatis principes, & natu majores, ad id muneris deligantur) ipse non unus modò ex eo numero fuit, quod tamen ipsum ei ætati atque ordini magnum & inusitatum videri poterat, sed pluribus etiam suffragiis, quàm cæteri complures, cum magistratum est adeptus: quod propè incredibile ante illum diem fuisset, tantam eo tempore imperator, legati, præfectique, ob ignaviæ opinionem, civitatis in se invidiam excitaverant: amorem autem & benevolentiam conciliaverat fortitudo. Nam & *Antonius Lauredanus*, *Andreæ Lauredani* frater, & *Aloisius Armerius*, *Albani* frater *Armerii*, magistratum sale procurando omnibus suffragiis sunt adepti: quem omnino per sese dignitatis & civitatis gradum decennio pòst uterque posse assequi ne speravisset quidem. Et *Jacobo Polano*, *Vincentii Polani*, ejus, de quo sermonem habuimus, patri, magno consensu locus datus inter sexaginta cives, qui quotannis Senatui adjici solent. Itaque *Zancanius* ad urbem rediens, custodiæque traditus, à Senatu condemnatus est, ut *Patavii* annos quatuor exularet. *Zancanius in exilium mittitur.* Neque ei profuit, quòd *Antonii* & reliquorum, qui rempublicam malè gessisse dicebantur, necessarii & propinqui ei faverent, ut vel omnino absolveretur, vel levissimè condemnaretur, quo Patres hujus exemplo judicii placabiliores in sese fierent: quæ eos opinio fefellit.

C *Naupacto Antonius* amisso, navibus longis majoribus & onerariis compluribus abeundi facultatem concessit. Ea res molestissima fuit Patribus, qui nuntio de *Naupacti* deditione accepto, per litteras *Antonio* mandaverant, ne classem diminueret: visumque est multis id *Antonium* non satis bono consilio fecisse. Ipse deinde *Cephallenem* insulam aggressus, ubi nihil se proficere cognovit, *Corcyram* reliqua cum classe se recepit: ibi acceptis de Senatusconsulto imperioque abrogato litteris, classe, pecunia, rationibusque publicis legatis traditis, ad urbem rediit: cui præstò fuit *Dominicus*, vir Philosophiæ studiis clarus, è Cardinalium insuper collegio, *Roma* veniens, ut si quid posset apud civitatem, sua pietate atque officio, ordinisque amplissimi autoritate, patrem sublevaret. *Antonius Grimanus exilio damnatur.*

D Neque multò pòst tamen majoribus comitiis, causa in vinculis dicta, quòd Senatus lenitatem *Triumviri*, qui eum accusabant, veriti, rem ad multitudinem & judicium totius nobilitatis deduxerant, exilio in *Illyrici* maris insulas *Apsorum* & *Crepsam* damnatus exulatum abiit. *Nicolaus Michaeles* unus ex *Triumviris* magno favore civitatis ejus locum ad ædis *Marciæ* procurationem suffectus tenuit.

E His rebus civitate domi forisque occupatâ, quoniam *Alexander* à Senatu atque ab rege *Galliæ* impetraverat, uti eorum voluntate aliquot in *Flaminia* oppida, quæ *Romani* juris essent, *Cæsari Borgiæ* ejus filio obtinenda cederentur: *Cæsar* sua cum manu, cumque iis, quas ab rege altero cum duce *Mediolani* acceperat, copiis in *Flaminiam* est profectus. *Cæsaris Borgiæ in Flaminia excitata bella.* Erat is antea, ut superioribus libris dictum est, in Cardinalium collegio: sed magistratu repudiato, uxorem in *Gallia* duxerat. ac primùm quidem *Forum Cornelii* & *Forum Livii* oppida ipsa, castris ad muros positis, tormentisque adductis, acri oppugnatione ad deditionem compulit. Arces verò eorum oppidorum, quod erant munitissimæ, varios eventus habuerunt: altera enim complures dies obsessa conditionibus acceptis *Cæsari* anni exitu deditur.

F *Foroliviensium* arcem autem, in qua erat *Catherina* ipsa, diu ac magnis oppugnatam viribus, paulò pòst *Cæsar*, muro tormentis dejecto, militibus irrumpentibus multa cum suorum cæde tandem cepit: *Catherina* captiva facta. *Foroliviensium arx capta.*

Interea, ut suos & eorum fines Senatus, quos è *Flaminia* in fidem recepisset, ab *Alexandro*, atque ab *Cæsare* tantum exercitum habente, si quid aggredi & conari vellent, tueretur, tria militum millia, duo equitum, *Liviano* duce, *Ravennam* misit,

misit, quos per oppida distribueret: simul legati duo, *Franciscus Capellus*, *Christophorus Maurus*, alter *Ariminum* alter *Faventiam* profecti, qui eis oppidis reipublicæ nomine præessent.

Arce *Forolivienfium* capta, *Cæsar*, cùm *Pisaurum* vellet Patribus permittentibus exercitum adducere, propter novos *Mediolani* motus destitit: nam Patres, cùm ad urbem *Joannes* princeps *Pisaurensium* de *Cæsaris* in se voluntate certior factus venisset, oppidumque vellet reipublicæ tradere, modò ipsi aliquid in reipublicæ finibus oppiduli aut castelli Senatus daret, quo se alere & sustinere posset, consulto Senatu responderunt, nolle se ei præsidio esse, qui reipublicæ obesse voluisset. Id autem propterea Patres commemoraverant, quòd *Ludovici* legatos, ad *Turcarum* regem contra rempublicam missos, *Joannem* hospitio accepisse, navibus, rebus omnibus juvisse, regisque item ad *Ludovicum* legatum nave *Pisauri* egressum domi suæ habuisse, clamque ad illum misisse, tum ipsum singulis de rebus, quæ in urbe agerentur, litteras ad regem dedisse, antea cognoverant. Sed *Mediolani* motus fuerant ejusmodi.

Veneti Cæsari Borgiæ subsidium denegant.

Ludovici Sfortiæ reditus.

Ludovicus copiis non maximis in *Rhetis* comparatis, eorum factione, quos *Galli* irritaverant, quique res novas moliebantur, magnopere adjutus, in fines se regni contulerat insequente anno inito. Ejus adventu *Triultius* duxque regius ex duobus alter vehementer permoti atque perturbati, quòd civitatis defectionem timebant, copias regias, quæ cum *Cæsare* aberant, revocaverunt, atque ad se celeriter reverti jusserunt: itaque *Cæsar* multò majore sui exercitus parte ablata, de *Pisauro* expugnando cogitationem in aliud tempus omisit, *Romamque* se contulit.

Venetorum novus belli apparatus.

Ludovico ad recuperanda quæ amiserat cum exercitu revertente, Senatus decrevit, ut milites equitesque reipublicæ omnes in agrum *Cremonensem* è vestigio contenderent: ut *Helvetiorum* militum tria millia celeriter accerserentur: legatique ad bellum *Petrus Marcellus*, *Christophorus Maurus* lecti. Ipse Interea *Ludovicus Como* per suos sine vi atque celeriter recepto (*Galli* enim, qui in eo erant, veriti ne ab oppidanis atque ab hostibus intercluderentur, municipio relicto discesserant) *Ascanium* fratrem cum parte copiarum *Mediolanum* præmisit: quo appropinquante, cives armis captis *Triultium* & *Gallos* ejecerunt, eique portas aperuerunt: biduoque pòst ipse cum reliquo exercitu adveniens in urbem est receptus. His intellectis rebus *Decemviri* legem tulerunt, uti civis probata virtute *Cremonam* mitteretur, qui arci oppidi præesset: missusque est ipsorum suffragio lectus *Nicolaus Priolus* decemviralis. Missi etiam alii quatuor egregii nominis, qui totidem oppidorum in *Cremonæ Abduæque* fluminis finibus arces custodirent.

Mediolani Ludovicus paucos commoratus dies, dum à civibus humili subdolaque oratione pecuniam corrogaret, *Ticinum* proficiscitur: neque ullo in loco magnopere impeditus, *Gallos*, qui se quotidie in ulteriorem regni partem recipiebant, insequens, postremò *Novariam*, quam *Triultius* præsidiis firmaverat, aggreditur: & quòd erat à muralibus tormentis imparatior, crebris assultibus premere oppidum insistit. Simul ad illum *Sequani* equites sexcenti auxilio à *Maximiliano* missi adveniunt: iis ad summovendos hostes usus, & modò per insidias detrimento accepto, modò fusis hostibus illato, abductis demum à *Triultio* præsidiis, quòd diffidere oppidanis cœperat, neque jam commeatus interclusis suppetebat, *Novariam* se dedentem recipit.

Interea exercitus reipublicæ *Cremonam Abduæque* ad ripas confestim profectus, *Laudem Pompeii*, quod jam oppidum *Ludovici* milites introduxerat, misso præsidio expulsisque militibus regi retinuit. *Placentiam* nutantem per se atque labantem confirmavit. *Triultius* reversis iis, qui cum *Cæsare* in *Flaminiam* ierant, *Gallis*, simul ab rege missis ad eum equitibus ex *Gallia Transalpina*, atque ab *Helvetiis* coacto exercitu, non longè ab *Novaria* contra *Ludovicum* castra posuit: itineribusque, ne commeatus *Ludovico* supportari posset, propè interceptis, paulò pòst commisso prælio illum in oppidum repulit: posteroque die, cùm se fugæ dare decrevisset, omni cum exercitu oppido egressum, veste pabulatoria & strigoso in equo inter milites se celantem, permittentibus *Helvetiis* perquisitum cepit. Ea re cognita, pars regni omnis, quæ defecerat, ad regem statim rediit. *Ludovico* capto, *Ascanius* principesque civitatis permulti ex iis, qui *Ludovici* rebus favebant, unà *Mediolano* aufugerunt *Padum* flumen versus, ut se in tutum reciperent. verùm ab *Soncino Benzonio*, turmæ equitum reipublicæ præfecto, qui id, quod re evenit, opinione existimans futurum, itinera observabat, in *Cremonæ* finibus intercepti sunt. *Ascanius* etiam *Venetias* adductus, in comitii turricula publicè observatus est: paulóque pòst, rege illum ab Senatu petente, septum custodibus in *Galliam* transmisit, quò antea *Ludovicus* perductus, custodiæque traditus, ea in custodia aliquot post annos est mortuus.

Ludovicus & Ascanius fratres capiuntur.

Ea æstate, propterea quòd *Gaspar Severinas* reliquique fratres *Roberti* liberi bellum contra rempublicam gesserant, Senatusconsulto *Citadella* oppidum receptum, & bona eorum fisco sunt addicta.

Venetorum legati ad *Turcam*, *Naupacti* restitutionem sollicitantes.

Sed *Naupacto* amisso, ut docuimus, *Aloisium Manentium*, in *Decemvirûm* collegio scribam, Senatus *Byzantium* ad regem misit questum, quòd nullâ lacessitus injuriâ, pacem, quam paulò antè cum *Zancanio* legato firmaverat, bello terra marique illato violavisset: postulatumque ut mercatores *Venetos*, qui nihil deliquissent, quorum etiam adventu ejus portoria facta essent meliora, quos belli initio in vincula conjecerat, liberaret: *Naupactum* injusto bello captum reipublicæ restitueret: demum, si id nollet, pacem renovaret. Id autem ea de causa sibi tentandum Senatus decreverat, quòd ab nonnullis, qui plurimùm apud regem poterant, spes ei proponebatur, fore, ut si legatum mitteret, pax inter ipsos conciliaretur: tum quòd gravissimum civitati fore intelligebat, si classis eo etiam anno esset comparanda, contritis per tot bella non urbanis modò opibus, sed etiam provincialibus, republica insuper nihil prosperè contra illum moliente. Nam cum *Naupacto* ab hostibus expugnato, *Cephallenem* insulam capere primò *Antonius*, ut antea dictum est, deinde *Zenus*, postremò etiam *Malchio* classe adducta diuturna oppugnatione tentavissent, labor tamen omnis omnium irritus & inanis fuit. *Manentius* anni initio profectus *Byzantium* ubi pervenit, nihil eorum, quorum causa missus fuerat, impetrare potuit: rex enim ita respondit, pacem *Veneti* si velint, *Methonem*, *Coronem*, *Naupliam*, quæ haberent in *Peloponneso* oppida, sibi tradant, aurique libras centum stipendii nomine singulis annis dependant: alia se conditione pacem cum republica non facturum: itaque infecta re discessit.

Turcæ responsum *Legato Venetorum* datum.

Sed *Manentio* ab urbe profecto, quòd nuntii afferebantur in *Epiri* finibus magnum *Turcarum* equitum numerum cogi, Senatus veritus eam manum superioris anni præda impunitateque allectam, in *Carnos* finesque reipublicæ esse venturam, *Petrum Orium*, *Angelum Barotium* legatos creavit, qui unà cum *Forojuliensium* magistratu, earumque rerum peritis regiones inviserent, &, quibus in locis atque iti-

itineribus operæ pretium esset, munitiones instituendas curarent, quibus hostes repelli possent: *Livianumque* cum equitibus, quibus præerat, & *Gurlinum Ravennatem*, qui priores ordines gerebat, cum militibus duobus millibus legatis dedit. *Petrus* etiam *Marcellus*, alter ex duobus in *Gallico* exercitu legatis, jussus cum copiis in *Carnos* proficisci. *Turcæ* tamen, propterea quòd Rex eorum ducem *Byzantium* evocaverat, se in *Carnos* non intulerunt.

Turcici belli progressus.

Aestate autem media, quòd eadem rursus fama crebrioribus nuntiis percrebuerat, parari hostium exercitum, qui sit in fines reipublicæ impetum facturus, *Nicolaus Ursinus* cum magna copiarum parte, cúmque *Joanne Baptista Caratio* militum omnium reipublicæ præfecto, Senatu jubente in *Carnos* est profectus, omnesque ejus regionis incolæ se & sua in oppida & castella contulerunt. Hostes, vel quòd loca communita scirent esse, vel quod iis in bellum *Peloponnesiacum*, de quo dicturi sumus, uti rex voluerit, ab incursionibus in eam reipublicæ partem se continuerunt.

Manentius tantùm ad urbem redierat, cùm Patres *Corcyræ* insulæ veriti, propterea quòd ea in potestatem hostium redacta, quæ oppidum munitum & portus egregios haberet, omnis *Adriani* maris navigatio, & in *Jonium* reliquaque maria exitum magnopere impediebantur: *Decemvirûm* lege *Angelum Quirinum*, *Aloisium Decanalem* cum militibus centum eò miserunt, qui duabus oppidi arcibus præessent: quæ quidem arces quòd promontoriolis item duobus oppido conjunctis sunt impositæ, spatiumque peranguistum habent, multorum propugnatorum non indigent.

Turcarum classicus apparatus.

Nuntii deinde Aprili mense venerunt, classem *Thraciam*, quæ *Naupacti* ea hieme fuisset, magno studio esse refectam, aliamque in sinu *Ambracio* institutam classem deduci, ut se cum illa conjungeret: ipsum regem maximo cum exercitu brevi in *Peloponnesum* venturum, ut quæ oppida in pacis conditionibus à *Manentio* petierat, bello persequatur. Iis rebus cognitis Senatus decrevit, uti naves longæ decem ex iis, quæ ad mercaturam instituuntur, onerariæque magnæ quatuor armarentur: decemque iis qui imperaret, *Jacobus Venerius* datus: singulis autem navibus suus præfectus cuique: auctaque iis stipendia, quo libentius proficiscerentur: missusque ad supplendam classem remigum opportunus numerus, quem ex continenti Senatus conduxerat. Jussi etiam præfecti militum viginti bona cum manu, cúmque iis rebus, quæ idoneæ ad munitiones faciendas essent, *Methonem* proficisci: pecunia insuper in classis stipendium missa. Senatus etiam consultum factum, ut naves longæ minores non paucæ prioribus adderentur: biremesque complures confestim armarentur, classique submitterentur. *Malchio* & ipse, qui *Corcyram* venerat, navibus aliquot relictis ad *Cephallenæ* insulæ non tam quidem oppugnationem, quàm ut in statione ibi essent, ne præsidium hostibus submitti posset, recentioribus de classe *Thracia*, regioque exercitu nuntiis certior factus, uti è *Creta* milites & commeatus & tormenta *Naupliam* mitterentur, curam & diligentiam adhibuit. & quòd *Naupliam* primùm omnium venturum regem multi existimabant, pars ab illo præfectorum militum est eò transmissa: commeatum etiam omnis generis *Methonem* misit. Ipsi etiam oppidani, qui frumenta in agris pabulaque omnia circum oppidum corruperant, ædificia combusserant, ne hostibus opportuna fierent, munitionem in portu magni operis effecerunt,

Venetorum classis.

Munitio in Nauplie portu.

aggeremque in mari excitaverunt, quo ab aggere naves hostium arcerentur, ne ad muros propius accederent: aditumque uni tantum navi reliquerunt, quo se tueri facilius possent, quàm si cum multis uno tempore navibus eis esset propugnandum. *Malchio* deinde *Zacynthum* profectus classem eò convenire jussit, navium longarum & onerariarum circiter septuaginta: in quibus erant naves longæ magnæ sexdecim.

Turcæ interea suam classem duobus locis comparatam, apud insulam *Leucadiam* coëgerant magna reipublicæ populorum querela, quòd *Malchio* quique præerant legati, ne id per hostes fieri posset, minus prohibuissent: partem ejus classis utramlibet, separatam ab altera parte atque semotam, superari ac deleri non maximo negotio potuisse: nunc eam conjunctam atque plenam nihil non ausuram, ad exitumque perducturam. Adjungebatur ad eas querelas etiam hoc, quòd *Malchio* laborare adversa valetudine cœperat. Sed rex, coacta classe navium omnis generis plus ducentarum viginti, cum exercitu in *Naupliæ* fines est ingressus, missa equitum parte, qui ad oppidum accederent. Cum iis oppidani equites congressi mille quingenti, prælium secundissimum fecerunt: itaque *Nauplia* relicta rex *Methonem* venit. Præmissi autem ab eo *Turcæ Pylon* oppugnare sunt aggressi, quod quidem abest *Methone* millia passuum decem, loco edito impositum, portu adjecto. Ii, quòd eo ipso tempore *Contarenus* legatus cum navibus longis aliquot adveniens, auxilium propugnatoribus attulerat, repulsi, spe castelli capiendi amissa, abeuntes cum reliquo se exercitu conjunxerunt. Inter hæc *Malchio* apud *Cephallenem* moritur: paulóque pòst legatorum & præfectorum omnium suffragio *Hieronymus Contarenus* legatus *Malchioni* pro imperatore sufficitur, quoad Patres, quem præesse velint, imperent. Rex *Methonem* omni cum exercitu acerrimè oppugnans, magnam prooppidi murorum partem tormentis dejecerat. Milites, qui priores ordines gerebant, à Senatu missi, principesque municipii veriti non posse se eam partem tueri, rebus omnibus & materia, quæ in eo erat, ablata, atque in oppidum abducta, prooppidum reliquerunt. Hostes ingressi majore jam spe murum oppidi dejicere labore non intermisso institerunt.

Veneta cum Turcica classium pugna.

Methone oppugnata.

Dum hæc ad oppidum geruntur, *Contarenus* omni cum classe *Zacyntho* proficiscitur, ut si quà posset, aut afferret oppidanis auxilium, aut classi hostium noceret: cujus classis naves onerariæ *Sphagiam* insulam circumvehebantur: reliquæ naves è *Pyli* portu se promovebant. quas ubi *Veneti* è longinquo viderunt, eas aggredi magno animo decreverunt, itaque tribus effectis ex omni classe cornibus in hostes contenderunt, quorum in uno naves erant longæ, minores, universæ: in altero majores continebantur: tertium cornu naves onerariæ conficiebant. atque hoc aperto mari, illud littori propius erat. Naves triremes magnæ medium, satis idoneo inter utrasque spatio relicto, classis locum obtinebant. Hostes ubi contra se venire animadvertunt, naves longas circiter centum in *Venetos* converterunt. *Venerius* medio è cornu, cui præerat, signo pugnæ dato, omnium primus impetum in hostes facit, trirememque contra se venientem unam ex prioribus aggreditur: ex eaque trireme magnus hostium numerus tormentis est interfectus: ex reliquis triremibus magnis sex & ipsæ cladem non parvam classi *Thraciæ* intulerunt, compluresque triremes depresserunt, ex minoribus viginti prælium commiserunt: eóque res est deducta, ut *Turcæ*, quemadmodum postea cognitum est,

est, littori naves impingere, fugamque capere cogitarent. reliquæ triremes congredi non sunt ausæ. Obfuit autem plurimùm etiam fortuna ipsa, quæ multum in bellis potest, quòd naves onerariæ, tranquillitate magna oborta, semovere non potuerunt. *Turcæ* utrumque conspicati, & naves onerarias vento silente detineri, & longarum magnam partem à pugna conferenda deterreri, animum sumpserunt, prælioque redintegrato atque ad noctem perducto, cum horas tres continenter pugnavissent, ex *Venetis* triremibus majoribus una depressa interiit, altera interfectis quamplurimis est capta, cùm omnibus abeuntibus tamen sola totam noctem impetum hostium sustinuisset. *Contarenus* proimperator, navi sua perforata, atque aqua eam degravante, in aliam se contulit, *Zacynthumque*, ut & illam & reliquas aliquid ex concursu passas incommodi reficeret, est profectus.

Veneta classis clades.

Interea cùm de *Malchionis* adversa valetudine Senatui esset nuntiatum, Patres è vestigio, ut ei classi imperator sublegeretur, decreverunt: qui si eum salvum offendisset, reipublicæ nomine hortaretur, ut ad urbem rediret: idque eo deliberatius fecerunt, quòd de *Malchione* quotidie, quæ non magnopere vellent, audiebant. Itaque majoribus comitiis *Benedictus Pisaurus* magna cum potestate lectus, pecuniâ in stipendium largiter ei curatâ, die, ab ea die, tertia conscendit.

Contarenus refectis navibus auxilium & commeatum *Methonem* mittere cùm decrevisset, veritus ne oppidani omni subsidio desperato sese hostibus dederent, naves longas quinque omni ex classe delegit, atque in iis quæ opportuna essent, imposuit: antè tamen optimum esse ratus oppidanos ea de re certiores facere, ut se ad frumentum atque arma reliquasque res celeriter ex navibus extrahendas compararent, hominem fortem atque audacem cymba ei tradita cum remigibus decem eò misit: is per mediam hostium classem, omnibus inspectantibus, quòd erat meridiei ferè tempus, celeritate adhibita pervolans, mandata *Contareni* oppidanis pertulit: posteroque die, qui dies erat ante diem quintum Iduum sextilis, *Contarenus* nactus idoneam tempestatem *Methonem* versus vela omnibus cum triremibus facit. Hostes classe visa, id quod erant rati, ad oppidi se portum opposuerunt. *Contarenus* præfectos cohortatus, ut magno animo ad oppidum contenderent, remque suorum civium opis & virtutis egentem sublevarent, eos ab se dimisit. Ex iis quatuor triremes inter hostium naves elapsæ, se ad oppidum magna difficultate contulerunt. una quòd erat tardior, multis hostium navibus iter impedientibus, cùm reliquarum celeritatem se imitari posse diffideret, ad *Contarenum* rediit. Oppidani navibus auxiliariis conspectis, ut ea quæ afferebantur, celeriter in oppidum asportarent, læti ad portum convolaverunt: tantaque fuit ejus rei cura, ut ii etiam, qui muros alia ex oppidi parte contra hostium exercitum servabant, cum festinari ab aliis viderent, eòdem & ipsi accurrerent, stationesque relinquerent sic, ut murus defensoribus spoliaretur. Id ubi hostes ab exercitu conspexerunt, occasione rei bene gerendæ non omissa, per ruinas murorum, quas tormenta fecerant, scalis positis nixi, paucis defendentibus interfectis, se in oppidum intulerunt. Oppidani præfectique & milites præsidio & commeatu jam è navibus abducto, ea de re certiores facti, hostibus medio in oppido occurrerunt, atque ibi prælio acerrimè commisso, cùm diu fortiter pugnavissent, ac magnum eorum numerum occidissent, demum crescente

Methone à Turcis capitur.

A hostium multitudine, plenis jam omnibus & obsessis viis, circumsepti undique ac pressi, propè omnes interfecti sunt unà cum præfectis navium, qui tunc venerant, duobus, remigibusque permultis. Ex municipibus ii, qui superfuerant, omni ex parte oppidum incenderunt, suaque omnia & suos comburere voluerunt: ita oppidum ardens ac semicombustum capitur, cùm quidem *Veneti* multam in noctem se defendissent.

Eo capto Rex *Pylon* ducem suum misit: is ut fidem oppidanis faceret *Methonem* in regis potestatem venisse, magistratum reipublicæ, qui *Methone* erat in vinculis, adductum eis ostendit,
B cum civibus *Venetis* nonnullis: quibus visis, ea conditione, ut neque libertatem, neque quicquam ex rebus suis amitterent, oppidum regi tradiderunt.

Pylon à Turcis capitur.

At classis *Veneta* cùm *Zacynthum* reverteretur, magna coorta tempestate cursum non tenuit: itaque navibus omnibus disjectis, nonnullæ longinquas insulas, *Cretamque* usque delatæ, vel amissis gubernaculis, vel malo infracto, vel dissutis contignationibus jactura facta, ægréque se in tutum receperunt: triremis una impacta littori salvis hominibus interiit.

Veneta classis infortunium.

Coronem post hæc cum magna exercitus parte
C unus ex ducibus ab rege missus oppidanis proposuit, si se, antequam oppidum obsidione cingeretur, regi dederent, fore ut bonis conditionibus uti possent: sin vim expectarent, omnes ad unum interituros. quibus intellectis rebus *Coronæi*, casu *Methonensium* perterriti, spretis præfectorum imperiis, qui se ad propugnationem comparaverant, æquissimis conditionibus ducem intromiserunt.

Corone à Turcis occupatur.

Rex deinde *Naupliam* eadem qua *Coronem* celeritate suo se imperio adjecturum existimans, exercitus partem in *Naupliorum* fines induxit: missoque ad oppidum cum suis equitibus *Paulo*
D *Contareno* cive *Veneto* egregia virtute, *Bernardi Contareni*, ejus qui bello *Neapolitano Epirotarum* equitum præfectus mortem obierat, fratre, qui *Corone* uxorem duxerat, illisque in regionibus erat notissimus, quemque rex, ut ad id uteretur, *Corone* in deditionem recepta habere secum voluerat, jussit illum oppidanis suadere ut se regi dederent. Is medio in sermone, quem cum *Naupliis*, ad urbis muros atque portam vocatis, ingressus fuerat, equo incitato equitibus imprudentibus se subripuit, atque in oppidum, vallo saltu equi superato, est receptus. Oppidani primò cùm *Pauli* hortatu ac studio, tum per
E sese planè paratissimi, magno animo impetum hostium sustinuerunt: egressique præterea per occasiones prælia nonnulla secundiora fecerunt: postea verò quàm rex cum reliquo exercitu eò venit, portas clauserunt, & munierunt: itaque inclusi magna se virtute atque constantia tuebantur. Interim ex classe *Thracia*, quam rex *Naupacto*, ut terrorem hostibus incuteret, *Naupliam* veterem convenire universam voluerat, naves triginta *Aeginam* ad insulam missæ oppidum capiunt: relictisque regio nomine qui præessent, *Naupliam* revertuntur.

Pauli Contareni in servanda Nauplia astutia.

Hæc dum sic administrarentur, *Benedictus Pisaurus Corcyram*, deinde *Zacynthum* profectus,
F dies ibi aliquot, antequam classis, quæ propter tempestatem aberraverat, eò conveniret, se continuit. Coacta classe navium longarum majorum duodeviginti, minorum vigintiquinque, onerariarum plus viginti, quam quidem paucorum dierum spatio magna cum diligentia, tum verò etiam severitate adhibita, remigibus, militibus, rebusque omnibus ornatiorem melioremque reddiderat, ad hostium classem insequendam sese promo-

Venetorum classis restituta.

vet,

vet, eo animo, ut si assequi posset, prælium committeret. Sed rex de illius ad *Zacynthum* adventu certior factus, suæ classis præfectis, ut domum redirent, *Byzantiumque* se reciperent, imperavit: posteroque die ipse, qui quidem non magnopere suis jam copiis confidebat, propterea quòd neque parvam, neque sanè spernendam militum equitumque partem eorum, qui *Methonem* obsedissent, eo in bello expugnationeque amiserat, omni cum exercitu abiit.

Turcæ Byzantium revertuntur.

Eodem tempore *Pisaurus Naupliam* speculatoriis præmissis navibus classem *Thraciam* & exercitum abiisse certior factus, *Aeginam* contendit, expositisque militibus, *Turcas*, qui præerant, interfecit, eorum duce capto: atque insulam reipublicæ restituit. *Mitylenen* deinde triremibus levioribus accelerans, quò appulsos hostes intellexerat, ferro atque igni omnia demetens, prædam, & quidem opulentam, quam abegerat, remigibus & militibus concessit: posteroque die *Tenedum* diripuit, incendit, classisque hostium fugientis, atque in *Euripi* angustias jam ingressæ, reliquias assecutus, naves complures extremo in agmine cum hominibus cepit: fixisque utroque in littore non unis crucibus, captos *Europæ* atque *Asiæ* spectaculo reste suspendit, agros & vicos depopulatus, ut qui oras incolerent magnopere perterrerentur. *Samothraciam* ad insulam post hæc eadem celeritate adveniens, cùm intellexisset oppidanos ægerrimè *Turcarum* imperium perpeti, *Aloisio Decanali* triremis præfecto ad oppidum misso, eos libentissimos in deditionem recepit: petentibusque civem *Venetum* qui præesset, pollicitus est se missurum. Illi partem decimam suorum fructuum quotannis ei se daturos receperunt. Deinde *Carysto* direpta, ad naves longas majores onerariasque rediens, *Naupliam* se contulit, municipibusque & militibus collaudatis, stipendio, quos oportuit, recreavit, & sua liberalitate sublevavit.

Ægina à Venetis recuperata.

Venetorum res adversus Turcas feliciter gestæ.

Samothracia Venetis in deditionem cedit.

Iis confectis rebus discedens, dum *Corones* littora prætervehitur, de *Carolo Contareno*, qui magistratui reipublicæ *Pyli* præfuerat, oppidumque situ & natura communitum, hostibus nulla coactus vi obsidioneque tradiderat, in suæ navis prora supplicium sumpsit. Ibi cognoscit *Hispaniæ* regum classem reipublicæ auxilio missam *Zacynthum* venisse: ii enim reges *Aloisii Galliæ* prædicatione permoti, qui regnum *Neapolitanum* bello aggredi statuisset, tum classe ab rege *Thracio* comparata, ne insulam *Siciliam* sine præsidio relinquerent, classem & ipsi confecerunt, illóque miserunt, *Consalvo Ferdinando* præfecto, qui bello *Neapolitano* dux eorum fuerat. Eam classem ut reges auxilio reipublicæ vellent esse, posteaquam suis jam finibus nihil timerent, Senatus ab iis impetraverat, *Alexandro* adjuvante. Ea erat navium plus quinquaginta: quibus in navibus milites imposuerant numero ad septem millia.

Caroli Contareni supplicium.

Classis Hispanica in auxilium Venetis missa.

Cognito *Consalvi* adventu, *Pisaurus Zacynthum* ad illum venit: quem quidem reipublicæ magnopere prodesse cupientem cùm reperisset, rebus belli rationibusque omnibus unà cum illo communicatis, ex ipsius & reliquorum *Hispanarum* navium præfectorum, quos *Consalvus* in concilium adhibuerat, & legatorum sententia statuit ad *Methonem* recuperandam unà proficisci. Eam ad profectionem atque bellum quòd res multæ materiæ indigebat, cùm ad castella, quæ parare instituerant, excitanda, tum ad navium scaphas contegendas, quibus in primis uti decreverant, dato omnibus qui aderant jurejurando, ne quis quid enuntiaret, concilio dimisso *Cephallenem* ad insulam, quæ silvis admodum abundabat, uterque suam classem adduxit. Illis propè diebus

Apparatus ad Methonem recuperandam.

A cùm ex *Joannis Crispi*, de quo dictum est, qui *Naxum* insulam obtinebat, liberis, is qui natu erat major, *Matthæi Lauredani* filiam in matrimonium duxisset, Senatui placuit, ut magistratus reipublicæ amplius eò non mitteretur, *Naxiique Joannis* filio jam adulto restituerentur, dum is paterni regni formam ne vellet imitari, Senatusque liberalitate ad justitiam & temperantiam uteretur. Interim autem dum ad *Cephallenem* materia cæditur, & turres reliquaque, quæ sanè plurima ejus belli administratio requirebat, per fabros conficiuntur, ne reliqui milites tempus temerè contererent, communi consilio statuerunt

B *Cephallenes* oppidum aggredi, turpe futurum existimantes, si ab insula re non tentata discessissent: posse *Turcas* gloriari, duabus classibus tam paratis atque tantis, animum ad id capiendum defuisse. Iis constitutis rebus, navis una oneraria trium millium amphorarum *Genuæ* ab *Aloisio* rege *Galliæ* auxilio reipublicæ comparata *Cephallenem* appellitur, ut *Pisauro* præstò esset. ad ejus navis præfectum, qui erat infirma valetudine, *Pisaurus* legatos misit salutatum, actumque regi gratias, quòd in rempublicam liberalis tam opportuno tempore fuisset. Præfectus expectare sese navem alteram dixit, quæ item *Genuæ*

C instructa secum unà solvisset, tempestateque acta cursum non tenuisset: earum navium, & militum mille quingentorum, qui in illis erant, trium mensium stipendia regem subministravisse: ea stipendia desinere ad diem duodecimum Calendarum Decembris. Is autem dies, quo die illa dicebantur, erat ante diem sextum Iduum Novembrium. eis si navibus post eum diem uti vellent, ipsos stipendia præstare oportere. Ad ea *Pisaurus* respondi jussit, se nisi de Senatus autoritate nihil acturum, literasque de eo ad Senatum daturum.

Præfectus ubi ei rei moram esse interpositam vidit, nactus idoneam tempestatem vela fecit,

D atque abiit. de navi altera post illam nihil est auditum. *Pisaurus* interea *Consalvusque* tormentis muralibus eductis, oppidi muros verberare complures dies instituerunt: nam quòd erat loco editiore, monti etiam pluribus à partibus prærupto oppidum impositum, ea res magna cum difficultate administrabatur. deinde suo cuique legatorum & præfectorum navium attributo munere, ut quam quisque oppidi partem signo dato aggrederetur, irrumpereque conaretur, antea cognosceret, statuerunt experiri quantum in hostibus ad propugnationem animi virtutisque inesset. Erant autem, quemadmodum à profugis intel-

Cephallenes oppugnatur.

E lectum est, milites oppidi præsidio trecenti. Die oppugnationis dicta ejusmodi tempestates fuerunt, ut res differri oportuerit: demum pluviis remittentibus, pilis ferreis frequentioribus ejaculatis, omnes se ad muros contulerunt: conscendereque scalis positis aggressi, hostibus saxis, sagittis, omni missilium telorum genere acerrimè se defendentibus, oppidum capere non potuerunt: itaque nonnullis interfectis, vulneratis compluribus, se in castra receperunt: quorum ex numero fuere, *Hispani* præfecti aliquot, *Venetique* cives sex, & *Gurlinus* vir egregia exploratаque virtute, quem *Pisaurus Nauplia* obsessa

F plurimùm oppidanis profuisse, & præclara multa oppido tuendo instituisse effecisseque cognoverat, & secum abductum militibus suis omnibus tum præfecerat: atque is magno nostrorum omnium, & *Consalvi* dolore, qui ei largiter jam tribuebat, paucis pòst diebus est mortuus. Eo accepto detrimento, duces vallum excitari usque eò, ut munitionem, quam hostes intra oppidum dejecto muro fecerant, superaret, suis militibus mandaverant.

Pylos à Venetis recipitur.

Dum hæc ad *Cephallenem* geruntur, *Pylos* per insidias ad rempublicam rediit. Erat in *Pisauri* trireme miles signifer *Demetrius* quidam *Methonensis*: is amicum *Epirotam* item militem in *Pyli* præsidio cum haberet, ad eum bis térve amicitiæ nomine ubi venit, hominem spe pollicitationibusque impulit, sibi ut socius magni facinoris vellet esse. Re constituta ad *Pisaurum* revertitur. *Pisaurus* ei milites quinquaginta ex omni classe deligendi potestatem facit: eos ei milites attribuit. Ille cum iis triremi impositus *Pylon* noctu proficiscitur: expositusque clàm in *Epirotæ* domum, oppidi muro vicinam, se atque milites occuluit, quoad die inlucescente portæ oppidi aperirentur: apertis portis *Demetrius* cum suis in oppidum irrumpit, *Turcas*, qui in oppidi erant præsidio, imparatos obtruncat circiter quinquaginta, paucis elapsis, qui se muro dejecerunt. Ita oppidum recipitur. Ad id *Pisaurus* triremes duas cum militibus & *Hieronymo Pisano* legato, qui præesset, oppidumque communiret, *Venetoque* cive *Sylvestro Trono*, quem is magistratum ibi relinqueret, statim misit: nam quòd erat portu egregio, reipublicæ fore usui ad classes recipiendas & tuendas mirum in modum existimabatur. Eo capto equites centum quinquaginta cum uxoribus & liberis *Corone* se *Pylon* è vestigio contulerunt, oppidumque munierunt.

Militis stratagema.

Sed jam vallo ad *Cephallenem* excitato, uti de superiore loco nostri in oppidum introspicerent, duces oppugnare, quibus à partibus poterant, uno tempore sunt adorti, eo uterque animo, eaque cura, ut utrius plures essent eo in bello partes, non facilè dignosceres, *Consalvusque* civis esse *Venetus* & ipse videretur: neque ejus quidem milites ullo in munere à nostris se militibus relinqui sustinebant, homines duri, parcoque victu assueti, & cùm audaci in primis virtute, tum maximè habiles qui oppidorum oppugnationibus adhiberentur. Ea in aggressione *Marcus Orius* navium onerariarum præfectus, unà cum *Hispano* homine impigro, quem ei *Consalvus* muneris socium dederat, militesque aliquot se in muro atque munitionibus primi omnium illatis signis ostenderunt. Ea re hostes perterriti, cedere, seque recipere in arcem oppidi cum vellent, irrumpentibus omni ex parte reliquis, cæsi captique sunt, præter paucos, qui se primo impetu in arcem intulerunt: qui tamen paulo pòst se *Consalvo* dediderunt, cùm *Venetorum* iram, quos & ipsi sæpius elusissent, & rex eorum maximis incommodis affecisset, non injuria pertimescerent.

Cephallene à Venetis expugnatur.

Cephallene in reipublicæ ditionem anni exitu redacta, oppido *Aloisius Salomonius*, arci *Joannes Venerius*, toti insulæ *Franciscus Leo* à *Pisauro* sunt præfecti dati in annos duos. Arx etiam ut multò communitior fieret, institutum. Missaque *Pylon* navis oneraria magna, qua in navi *Coronæi*, qui cum familiis eò venerant, *Cephallenem* adveherentur: nam quòd eam insulam propter bonitatem agrorum maximè esse feracem intelligebant, & illi, qui liberè *Pylo* exire atque agros colere, hostibus *Methonem* obtinentibus non poterant, & multi præterea homines *Turcas* perosi, eò ad incolendum è continenti commigraverunt. quam quidem ad rem portus perampli perque optimi facultas, quo nullus est eo toto mari ferè præstantior, magnum adjumentum afferebat. Itaque parvo temporis spatio à magna est advenarum multitudine coli cœpta, cùm per biennium à classibus reipublicæ vexata, cultoribus infrequentior fuisset.

Illis diebus triremes duæ *Naupliam* à *Pisauro* missæ, dum redeunt, biremes *Thracias* quatuor expu-
A gnaverunt, biremenque unam *Venetam*, quam illi ad *Aeginam* insulam ceperant, recuperaverunt.

Consalvi modestia.

Consalvus, qui suam classem in aqua menses complures habuisset, magnamque navium partem inutilem ad navigandum brevi futuram videret, *Methones* autem recuperandæ negotium *Pisaurus* in aliud tempus distulisset, quòd *Turcæ*, *Pylo* amisso, eam militibus apprimè communierant, diligentiusque tuebantur: se reversurum Vere ineunte pollicitus, ad classem reficiendam primis anni diebus in *Siciliam* rediit. Antè autem quàm proficisceretur, vini *Cretici* amphoræ quingentæ, casei libræ sexaginta millia ei dono à *Pi-*
B *sauro* datæ. alia etiam ab urbe munera pretiosiora à Senatu mitti nuntiatum, quæ ille, Senatui gratias agens, se non cupere præ se tulit: suorum enim regum in rempublicam benevolentiæ causa venisse, quibus satis omnibus pro muneribus esset, par atque mutua Senatus in illos voluntas & benevolentia. Senatus tamen, posteaquam de *Consalvi* abitu est ei nuntiatum, legem tulit, uti *Consalvo* civitas cum jure comitiorum daretur, civisque *Venetus* cum libris argenti fabrefacti ducentis sexaginta sex in *Siciliam* ad illum mitteretur, qui cum de republica optimè meritum diceret. lectusque *Gabriel Maurus*, unus
C ex magistratibus, qui res maritimas in Senatu procurant, paulò pòst est profectus.

Consalvo civitas & comitiorum jus conceditur.

Pisauri in Ambracium sinum navigatio.

Pisaurus cùm sciret in sinu *Ambracio* naves longas complures, quas hostes fabricari curavissent, esse jam deductas, navibus longis aliquot, onerariaque una *Cephallene* præsidio relictis, decimo Calendas Februarias sua cum classe triremium leviorum quatuordecim, graviorum octo, navium onerariarum quatuor (reliquas enim missas fecerat) ad insulam *Leucadiam* est profectus. Ejus in insulæ portu, in quo nihil offendi poterat ex omni triremium numero, levioribus lectis octo, atque in illas ex reliquis navibus, quos visum est,
D remigibus & militibus impositis, cum iis ad sinum *Ambracium* provehitur, reliquis navibus in portu relictis. Is habet sinus aditum perangustum, quà naves commeant, ut lapide manu jacto ferè trajiciatur: reliqua latitudo vadis brevioribus impedita, navigia triremesque non recipit. In ejus ore sinus, turris est communita ad arcendos, si qui ingredi vi experiantur. *Pisaurus* citatis remigibus dum turrim prætervehitur, jactu ab ea tormentorum tribus aut quatuor militibus interfectis, ad triremes *Thracias* numero undecim, rebus jam omnibus armamentisque instructas, processit. Portus est in sinu *Ambracio*,
E in quem flumen, quod nunc appellatur *Preves*, influit: eo in portu navalia ad tuendum locum idoneo sunt castello proxima: aditus verò ad portum ejusmodi, ut singulæ tantum triremes ingredi possint. iis in navalibus fabricatæ naves *Thraciæ* tum in portu stationem habebant. Eò ingressus *Pisaurus*, expositisque militibus, hostes castello egressos, quique naves adservabant, acerrimè cum iis congressos fudit, incensisque ædificiis, præda etiam rerum ad armandas naves comparatarum ingenti facta, triremes hostium novas omnes remulco è portu abduxit: duas veteres, quæ semiplenæ aqua ad littus erant deli-
F gatæ, incendit, cùm iis in rebus administrandis quadraginta ex suis præda cupidius allectos, temeréque procurrentes amisisset. abductas deinde lateri suarum navium adglutinans, atque ad turrim conversas trahens, reliquis omnibus incolumibus, ad eos, quos in portu *Leucadiæ* reliquerat, rediit, *Corcyramque* omnibus cum navibus, ad supplendam classem ante diem Calendarum Februarii venit. Ibi *Hieronymo Contareno* legato reperto, qui ex *Leucadiæ* littoribus valetudinis, ut

Ambracius sinus.

Portus Ambracius.

ut ajebat, causa, nullo *Pisauri* permissu, *Corcyram* discesserat, eum ignominia notavit, ut legatione præfecturisque omnibus annos duos careret.

Lex de præmiis eorum, qui pro republica oppetierunt.

Eodem tempore, uti qui pro republica mortem oppetiissent, inornati ne relinquerentur, in Senatu lex est lata, ut *Gurlini Ravennatis*, qui *Cephallenæ*, *Antonii Fabri*, *Pauli Epirotæ* præfectorum militum, qui *Methone* interfecti fuerant, liberis, quoad viverent, pensiones annuæ curarentur: ipsorum præterea filiabus sex, dos sesquilibra auri singulis constituta. Neque multò pòst *Aloisii Michaelis* liberis, & *Joannis Maripetri* fratribus, quos utrosque triremium præfectos, auxilio *Methonensium* à Proimperatore missos, ab hostibus interfectos dixeramus, arcis *Mestrinæ*, itemque *Patavinæ* ad *Medoaci* in. oppidum influxum præfecturas, alteris per annos quindecim, alteris quoad eorum major natu viveret, & uni virgini dotem civitas dono dedit. Reliquis triremium præfectis, qui *Methone* capti eodem impetu fuerant, seque pecunia redemerant, *Alexandro Gotio Corcyrensi*, in ea insula magistratus: *Nicolao Cucaro Hydruntino*, in sua urbe, item magistratus, & auri libra unciæque septem annuæ: *Jacobo Balbo Parensi* auri itidem libra unciæque. Item singulis omnium tributorum immunitas attributa: præmia insuper in complures vivos, qui se fortiter atque amanter gesserant; ex *Pisauri* literis honorificè collata: dataque lectis ad id magistratibus cura, ut *Methonensium*, quibus quidem aut parentes, aut fratres, aut liberi pro republica interfecti fuissent, qui *Venetias* venissent, causas cognoscerent, deque eis ad Patres referrent, ut pro cujusque incommodis & jacturis à Senatu sarcirentur, aut omnino sublevarentur.

Lex de Naupliorum immunitate.

Latum præterea de *Naupliis*, ut eis, bello confecto, immunitas per annos decem concederetur: domusque eorum, quas ipsi dirui permisissent, ut oppidum communitius fieret, reipublicæ pecunia restituerentur.

Sponsa rapta à Cæsare, amore impellente.

Iis rebus domi forisque administratis, *Cæsar Alexandri* filius, cui paulò antè, à republica petente patre, cum jure comitiorum civitas data fuerat, puellam ex *Elisabethæ Metaurensium* reginæ famulatu, ad *Carratium* reipublicæ militibus præfectum, cui erat nuptui tradita, proficiscentem, medio inter *Ariminum Ravennamque* itinere, missis *Cesena* suis equitibus vi rapuit, comitatu ejus pulso, vulneratis compluribus. Ejus ille oppidi paucis ante mensibus regnum obtinuerat, *Alexandro* tradente, tum *Pisauri* atque *Arimini* republica ægrè illa quidem, quod ad *Ariminum* attinet, ac penè subinvita, sed tamen ut perpetuis *Alexandri* postulatis precibusque satisfieret, unà cum *Aloisio* rege *Galliæ*, qui suas ei copias iterum dederat, annuente atque permittente. Ea erat puella miræ pulchritudinis: itaque amore incensus adolescens, cùm pretio aut precibus assequi sese posse nihil videret, sumptis à novo regno animis, ad vim faciendam se convertit, & virgine per scelus est potitus. Ea re ad Patres celeriter delata, *Decemvirûm* decreto *Aloisius Manentius* est ad *Cæsarem* eo ipso die jussus contendere (is erat *Fori Cornelii*) questum de injuria tam insigni, quam respublica pro suis in eum beneficiis nihil meruisset, puellamque repetitum. Posteroque die *Aloisii* regis legatus, re à Patribus graviter apud illum expostulantibus cognita, sua sponte ad *Cæsarem* iisdem cum mandatis est profectus, cùm eam fraudem atque injuriam etiam ad suum regem, qui *Cæsarem*, ut *Flaminia* poti-retur, adjuvisset, existimaret pertinere. nihiloque secius literæ sunt ad *Alexandrum* à Senatu datæ magna cum querela: Sed neque *Manentius*, neque regis legatus quicquam apud eum valuerunt, nedum literæ ad patrem missæ proficerent, pernegavit enim ille suo jussu id fecisse, qui puellam rapuissent, neque se, qui essent, adhuc quidem comperisse: repertis autem raptoribus, cui quidem rei omnem esset diligentiam adhibiturus, se daturum operam, ut & rex, & Senatus *Venetus*, & omnes homines intelligerent, quàm ægrè tulerit suis in finibus id fuisse facinus atque flagitium perpetratum: puellas sibi non deesse, quas habere facilè possit: ne hac tanta cum reipublicæ offensione atque invidia, & suo cum probro, per vim atque fraudem potiri concupierit. Patres verba sibi dari intelligentes, cùm mittendis nuntiis ac literis multos dies consumpsissent, quòd rebus belli ab ea cogitatione avocabantur, *Carratium*, qui ad eos questum venerat, consolati, ejus vindictam sceleris in aliud tempus distulerunt.

Venetorum cum Uladislao Pannoniæ rege fœdus.

Post hæc autem reipublicæ legati, qui ad *Uladislaum Pannoniæ* regem anno superiore missi fuerant, ut illum ad bellum in *Turcas* incitarent, fœdus cum rege aliquando tandem percusserunt: quo ex fœdere bellum regi *Thracio* inferre omnibus copiis *Uladislaus* jubebatur: res verò publica mille auri libras tribus pensionibus regi *Pannoniæ* mittere quotannis tenebatur, quoad bellum esset confectum. Ei fœderi feriendo *Alexander* & autoritatem adhibuit suam, misso *Roma* legato è Cardinalium collegio, & auri libras annuas quadringentas regi *Pannoniæ* per triennium pollicitus est se daturum.

Lex de agrorum censu.

Domi verò inter hæc, ne ad bellum pecunia deesset, lex est lata, uti qui fundos atque agros in continenti possiderent, pro quoque soli culti jugero, siliquas argenti septem in ærarium conferrent, semel quidem tantùm, præter *Carnos*, quorum se in fines *Turcæ* superiori anno intulissent: literæque ad civitates datæ, quæ eas hortarentur, tam duris reipublicæ temporibus ne deessent, atque urbem laborantem sublevarent.

Pisaurus Turcarum naves capere nititur, sed frustra & infeliciter.

Pisaurus classe *Corcyræ* remigibus reliquisque rebus instaurata, ad naves longas, quas *Turcæ* in Loi fluminis ripis ædificaverant, atque in flumen deduxerant, capiendas aut incendendas animum adjecit: itaque cùm sciret ejus fluminis ostium adiri magnis à navibus non posse, alveo diffundente sese magis quàm demittente, nisi cùm flumen ex imbribus crevisset: tametsi invecta hostium navigia satis alta aqua excipiebat: onerariarum & longarum navium scaphas complures integi jussit, quibus in scaphis atque in biremibus duabus milites imposuit, *Marcumque Orium* navium onerariarum præfectum, qui se obtulerat, ei negotio præposuit: ipse *Aulonam* cum longis navibus est aggressus, ut hostes occupatos ea in propugnatione distineret, ne suas peti naves existimarent. Porrò *Turcæ* vel de ea re, ut sæpe fit, certiores facti, vel ipsimet propter recentem in sinu *Ambracio* navium suarum jacturam idem in Loo flumine metuentes, eas naves longius ab ostio in flumen introduxerant, passuum millia quatuordecim, atque unà composuerant sic, ut proras secundum cursum fluminis conversas haberent: ipsæ, quòd remi nondum erant impositi, inter se conjunctæ totum flumen caperent. *Ripas* autem *Turcæ* tormentis communierant ad naves hostium repellendas. *Orius* audacissimè superato flumine, cum navibus *Thraciis* appropinquavisset, eas magno militum præsidio fultas atque instructas est conspicatus: tum missis in eum ex utraque ripa frequentibus tormentorum pilis, ad illas propius accedere non potuit: itaque omnem aditum frustrà expertus, crescente hinc atque hinc hostium multitudine,

scaphas

scaphas retrahi imperat. Redeuntibus *Turcæ* summis in ripis atque ipso propè in flumine occurrerunt, naviculamque unam truncis ramisque arborum, quos in flumen dejecerant, impeditam oppresserunt. Ipse cum reliquis incolumibus ad ostium fluminis cùm revertisset, atque interim mare, quod vadosum latè erat, magno coorto vento se excitavisset, erumpere ausi mediis in vadis naufragium fecerunt: quorum pars interiit, atque in his *Hieronimus Maurocenus* propinquus meus, navis onerariæ bellicæ præfectus, magno animo, magnaque virtute: reliqui plerique in littus ejecti, ab hostibus capti sunt, præter naviculas pauculas, quæ tempestate superata Dyrrachium sese contulerunt, quò jam venerat *Pisaurus*, eaque illum de re certiorem fecerunt. *Marcus Orius*, & *Vincentius Pascalicus*, navis item bellicæ præfectus, capti. ac fuit eorum qui interierunt, & qui in manus hostium pervenerunt, numerus circiter trecenti.

Alexium Insula.

Pisauro Dyrrachio digresso, *Georgii Castriotæ* Epirotæ hortatu & *Antonii Boni* legati, sponte se *Alexiani* dediderunt. Est *Alexium* in *Drino* flumine, quod vado transiri non potest, insula triquetra, mare uno ab latere attingens, ab reliquis flumen, quod ipsa dirimit. Eorum quodque laterum tria millia passuum efficit: ipsa vallo circummunita: quam ad insulam, capta ab rege *Thracio Scodra*, eorum locorum sese homines contulerunt, atque incolere cœperunt. Ea *Turcæ* ad mercaturam utebantur, magnumque frumenti numerum, quo montani latè homines earum regionum alerentur, neque parvam salis copiam quotannis eò convehebant, picis autem ceræque ac mellis magnam vim eodem ab interioribus *Illyrici* finibus, atque ab *Epiro* importari solitam coëmebant. isque reipublicæ usui futurus locus videbatur.

Alexandri Pontificis auxilia *Venetis* data.

Eo tempore *Alexander* triremes reipublicæ viginti pecunia sua sacraque se armaturum pollicitus, quibus civitas bello *Thracio* uteretur, quindecim modò per suos ministros, ut instruerentur, diligentiam adhibuit: reliquas quinque Senatui armandas remisit, cùm ei pecuniam sacram, quam homines in imperio *Veneto*, ut criminibus & maleficiis obnoxii ob commissa post mortem apud inferos pœna liberarentur, ex *Alexandri* literis persolverent, bello *Thracio* insumendam permisisset: quarum omnino viginti navium imperium legatus ab sese datus obtineret. Is fuit *Jacobus Pisaurus* Episcopus *Paphiorum* ex *Veneta* nobilitate: qui etiam majori earum navium parti, quam *Venetis* armandam curavit (nam reliquam in *Flaminiæ* maritimis municipiis *Anconæ* instruxerat) præfectos cives sibi *Venetos* adlegit.

Pecuniæ sacræ summa.

Pecuniæ verò sacræ summam libuit mihi huic loco adscribere, ut intelligi possit, quamque ardens eo tempore fuerit in hominum mentibus religionis existimatio, & Deorum immortalium timor. Porrò in urbe auri libræ ducentæ nonaginta septem eo nomine sunt confectæ, *Patavii* una & sexaginta, *Vicetiæ* sexagintaquatuor & semilibra, *Veronæ* una & triginta, *Brixiæ* quadraginta octo, *Bergomi* ferè quadragintaquatuor, *Cremonæ* duodecim, *Cremæ* plus novem, *Taurisi* vigintiquatuor, *Feltriæ* duodecim & semilibra, *Cividali Carnico* novem, *Utini* quadraginta duæ. atque ut à claris urbibus ad tenuiora oppida descendamus, *Fossa Clodia* libras auri paulò minus octo facilè contulit: Portus, quem *Gruarium* appellant, ferè undecim: *Colonia*, qui quidem vicus est in *Vicetinorum* finibus, quatuor: itemque supra quàm quis crederet alia in continenti castella, vicique, ut esset summa omnis auri libræ septies centies & nonies, eoque amplius.

A

Faventia à *Cæsare* capta.

Atque illo ipso tempore *Cæsar Alexandri* filius diu pressam armis atque acri obsidione *Faventiam*, à qua Patres *Alexandri* precibus legatum suum revocaverant, certis conditionibus tandem cepit: *Hestorique* puero ea lege se dedendi, ut salvus sospesque esset, fidem fregit: *Romamque* adductum, atque in custodia complures ad menses adservatum necavit.

Baptistæ Zeni Cardinalis obitus, divitiæ, & sepulchrum æreum.

Per eos etiam dies *Patavii Baptista Zenus* è Cardinalium collegio moritur, grandi pecunia, argentique fabrefacti magno pondere testamenti tabulis suæ genti, & propinquis, & sacerdotium collegiis, & reipublicæ relicto. Abscondi-
B
derat is *Roma* veniens, aliquot ante annos auri libras ducentas sexaginta *Anconæ* in ædis sacræ pariete: de eo *Alexander* à Senatu certior factus, aurum abstulit. *Zeno* ad urbem delato, funus amplissimum publicè curatum. Laudavit *Angelus Gabriel*. Postea ei ex testamento Senatus in ædis *Marciæ* porticu sepulcrum ex ære ponendum locavit.

Pylos secundò à *Turcis* capitur.

Interea in *Achaja* magnum incommodum publicè est acceptum, *Pylo* ab rege *Thracio* iterum capta. Is enim cùm eò & terrestri itinere equitum millia complura, & mari triremes quatuordecim, & biremulas quinque (sic enim naves eas
C
appellant, quæ ferè semitriremium loco sunt) *Camali* præfecto misisset, essentque in *Pyli* portu triremes reipublicæ tres sine nulla statione aut specula, eas *Camales* improviso aggressus, non magno negotio cepit. aliquot ex iis, qui in eis erant, fuga in scaphis elapsi ad triremes quinque majores reipublicæ, quæ cum mercibus *Beryto* illo ipso tempore venerant, erantque in anchoris portui vicinæ, se contulernnt. Eæ quinque eadem formidine usæ, cùm terrori esse hostibus potuissent, velis factis abierunt. quarum conspecta fuga, qui *Pylo* præerant, sese hostibus dediderunt. Earum triremium præfectis eo minus igno-
D
scendum fuit, quòd paulò antè *Cretæ* cùm essent, à *Pisauro* eis erat imperatum, ut se *Pyli* expectarent: isque postero die cum triremibus quindecim eò venit. Sed *Camales*, cùm *Pisauri* classem è longinquo venientem ii, qui in specula erant positi, conspexissent (id enim ne accideret, verebatur, ut in *Pisaurum*, quem brevi eò venturum à captivis intellexerat, imprudens incideret) è vestigio triremes captas abducens, littusque proximum legens, ei se vitabundus eripuit.

Pisaurus deinde *Corcyram* adveniens, quòd audierat naves longas *Turcas* è *Loo* flumine, quæ
E
in eo erant, brevi educturos, triremes aliquot misit, quæ ostium fluminis adservarent: ipse cum reliqua classe longarum navium vigintiquinque in *Achaiam* revehitur, atque in *Corones* finibus magnum hominum numerum cum uxoribus & liberis suis in navibus imposuit, quos *Cephallenem* ad incolendum traduceret.

Megara à *Venetis* capitur & deletur.

Paulò pòst *Æginæ* cùm esset, intellexissetque *Megaræ* & biremes fabricari, & frumenti magnam copiam esse, *Aloisium Lauredanum* legatum cum navibus octo, si quid ex usu efficere posset, eò misit. Is bireme una cum hominibus, altera vacua captis, expositis militibus, & equitibus *Nau-*
F
plii adhibitis, prælio cum *Megarensibus* commisso eos fudit: atque arcem, quæ à *Thracibus* defendebatur, magno impetu cepit: ac reste suspensis iis, qui oppugnationi superfuerant, quosque cum biremi ceperat, frumentoque omni abducto, oppidum incensum ac solo æquatum delevit, ne impedimento *Naupliis* esset, quo minus eo ab latere quam vellent liberè vagari eis liceret.

Venetorum &

Idem postea complures ad insulas postremò ad *Eu-*

Venetorum & *Turcarum* fortuna ambigua.

Eubœam profectus, prædam, & quidem opulentam, abegit, oppidaque aliquot & castella multa incendit, ac magnum propugnatorum numerum interfecit, ingenti undique omni illo in mari terrore hostibus atque formidine incussa. Quo quidem tempore captis ab se oppidis rex metuens, *Coronem*, *Methonem*, *Pylon* muris & propugnaculis, reliquisque rebus ad hostem repellendum idoneis, & militum præsidio apprimè communivit. *Nauplii* autem equites, cùm hostes ad illos lacessendos in eorum propè suburbia irrupissent, egressi eos fuderunt: ex quibus ducenti quinquaginta interfecti atque capti. Idem paulò pòst alii hostium equites *Catarbeio* duce aggressi, omnes à *Naupliis* capti sunt præter ducem, qui

A

B

cum duobus equitibus aufugit. Reverso *Corcyram Pisauro*, ut classem regis *Lusitaniæ*, de quibus proximo libro dicetur, expectaret: magistratus reipublicæ, qui *Dyrrhachio* præerat, morbo affectus, ut valetudinem curaret, *Olcinium* se contulit cœli salubrioris gratia. Eam occasionem nacti hostes, noctu *Dyrrachium* furtim aggressi, scalis ad murum positis se in oppidum intulerunt: interfectisque paucis somno expergefactis, oppido sunt potiti. Sed ea æstate foris *Pylo* atque *Dyrrhachio* amissis, nullo autem negotio, quod magnopere ex usu esset, confecto, domi *Augustinus Barbadicus* vita functus est, de mense Septembri, cùm annos XV. civitatis principatum obtinuisset.

Dyrrachium à *Turcis* capitur.

Augustini Barbadici obitus.



PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI SEXTI

EPITOME.

NOvarum terrarum gentiumque narratio. *Galliæ* regis cum *Maximiliano* Cæsare pax. *Leonardus Lauredanus* princeps *Venetiis* declaratur. *Gallica* & *Lusitana* classes *Venetis* auxilio missæ re infecta recedunt. *Federicus* rex ab *Galliæ* & *Hispaniæ* regibus, regnum inter se dividentibus, pellitur. *Venetorum* cum *Turcis* belli progressus. *Pannoniæ* regis cum *Thracio* bellum. *Mitylenes* à *Veneta* & *Gallica* classe oppugnatur. *Ericus* pirata capitur comburiturque. *Antonii Minii* & *Lauredani* principis, de stipendiis magistratuum dimidiis accipiendis, contrariæ actiones. Triremium præfecti, qui rem ignaviter gesserant, ignominia notati. *Lucretia Borgia Alphonso Atestino* nubit. Res à *Pannoniæ* rege contra *Turcas* feliciter gestæ. Cives *Veneti Byzantii* libertati restituti. *Metaurensium* ducis regnum à *Cæsare Borgia* insidiis occupatur. *Anna Candala Pannoniæ* regi nubit, & *Venetias* venit. *Aloisius* rex iterum in *Italiam* venit, ejusdemque cum *Hispaniæ* regibus ob imperii fines in regno *Neapolitano* bellum. *Leucadia* à *Venetis* capitur. *Guidus Ubaldus* nullo apud *Aloisium* regem præsidio invento, se *Venetias* confert. Deinde *Ursinorum* auxilio in regnum suum redit. Multi populi se reipublicæ dedere volentes rejiciuntur. *Hispaniæ* regum ad Senatum legatio. *Guidus Ubaldus* iterum à Cæsare regno pellitur, & ab eodem multi principes necantur. Lex in eos, qui sacerdotia emerent, lata. *Joannis Michaelis* Cardinalis interitus. *Bajasetis* cum *Venetis* & *Pannoniæ* rege pax. *Galliæ* rex novum cum *Venetis* fœdus petit. *Alexandri* Pontificis interitus & *Cæsaris Borgiæ* calamitates. *Benedicti Pisauri* obitus. *Guidus Ubaldus* iterum in regnum suum rediit. *Pius* Tertius Pontifex creatur & moritur, eique *Julius* II. succedit. Multa *Flaminiæ* oppida reipublicæ deduntur. *Florentinorum* contra *Venetos* artes. *Pandulphus Malatesta Ariminum Venetis* tradit. *Faventia* à *Venetis* capitur. *Julii* Pontificis contra *Venetos* consilia. *Nicolao Ursino* imperium prorogatur.

LIBER SEXTUS.

Novarum terrarum negotiationes.

TALIBUS jactatæ incommodis civitati, malum etiam inopinatum ab longinquis gentibus & regionibus extitit. *Petri* enim *Pascalici*, apud *Emanuelem Lusitaniæ* regem legati, litteris Patres certiores facti sunt, regem illum per *Mauritaniæ Getuliæque* Oceanum convehendis ex *Arabia Indiaque* mercibus itinera, suis tentata sæpe navibus, demum explorata compertaque habuisse: navesque aliquot eò missas pipere, & cinnamis, ejusmodique rebus onustas *Olysipponem* revertisse: itaque futurum, ut ejus rei facultate *Hispanis* hominibus tradita, nostri in posterum cives parcius angustiusque mercarentur: magnique illi proventus, qui urbem opulentam reddidissent, toti penè terrarum orbi rebus *Indicis* tradendis, civitatem deficerent. Eo nuntio Patres accepto, non parvam animi ægritudinem contraxerunt, quam tamen compendiis aliorum populorum solabantur. Simul & illud cogitabant, amabile profectò esse, novas regiones alterumque propè acquiri orbem, gentesque abditas atque sepositas celebrari.

Ac posteaquam hunc ad locum meorum me commentariorum cursus perduxit, non alienum esse arbitror, quod ejus rei omnium, quas ulla ætas unquam ab hominibus effectas vidit, maximæ atque pulcherrimæ fuerit initium: tum quæ terrarum portio: post id, quæve gentes, & quibus moribus sint repertæ, quantum suscepti operis ratio permittet, breviter dicere.

Columbi de nova orbis parte incognita investiganda institutum.

Erat *Columbus* homo *Ligur* ingenio peracri, qui multas emensus regiones, multum maris & Oceani perlustraverat. is, ut est humanus animus novarum rerum appetens, *Ferdinando* & *Isabellæ Hispaniæ* regibus proponit, edocetque illud, quod omnis ferè antiquitas credidit, quinque esse cœli partes, quarum media caloribus, extremæ duæ frigoribus sic afficiantur, ut quæ sub illis sint totidem terræ plagæ, incoli ab hominibus non possint: duæ tantùm inter eas sub eisdem positæ cœli partibus possint: inanem esse antiquorum hominum fabulam, & nullis veris rationibus fultam, & confirmatam descriptionem: improvidum propè necesse esse haberi Deum, si ita mundum sit fabricatus, ut longè major terrarum pars propter nimiam intemperiem hominibus vacua, nullum ex sese usum præbeat. globum esse terræ hunc ejusmodi, ut commeandi per omnes ejus partes facultas hominibus ne desit, cur sub media cœli conversione degi non possit, ubi diei calor cum noctis frigore, pari dimenso utriusque moræ spatio, temperetur, præsertim cùm tam citò sol in alterutram declinet partem? cúmque sub iis cœli conversionibus, in quibus nostro vertici propior longinquam sol moram trahit, tamen degatur? algentes sub septentrionalibus esse terras, sed eas hominibus non defici, sic sub Australi terras esse frigidas vertice, esse animantium atque hominum genus. quem Oceanum scriptores appellarint, eum non esse inertis magnitudinis, sed insulis atque terris scatere, quas homines inhabitent: itaque vigere atque incoli universum globum, qui ubique sit vitalis auræ particeps. Hac oratione apud reges habita petit, ut sibi liceat eorum opibus novas insulas, nova littora quærere: spem se habere, non defore inceptis fortunam: ditionemque ipsorum magnopere iri auctum, si rem susceperint, confirmat.

Veterum de novo orbe opinio.

Ab regibus nova spe allectis sententia *Columbi*, quam quidem totum septennium rejecerant, ad extremum comprobata, quam tamen multò antea *Possidonii* philosophi *Panetii* discipuli primum, deinde etiam *Avicennæ* medici fuisse video, magni & præclari viri: anno ab urbe condita millesimo septuagesimo primo, tribus cum navibus *Columbus* ad insulas Fortunatas, de quibus superioribus libris sermonem habuimus, quas *Canarias* appellant, profectus, atque ab iis tres & triginta totos dies occidentem sequutus solem, sex numero insulas

Canariæ fortunatæ insulæ.

las reperit, quarum sunt duæ ingentis magnitudinis, quibus in insulis lusciniæ Novembri mense canerent, homines nudi, ingenio miti, lintribus ex uno ligno factis uterentur. Frumentum hi habent, quod *Maicem* appellant, multò quàm nos, spica & culmo grandioribus, arundineisque foliis, & plurimo ac rotundo grano, quod spicæ infixum membrana pro aristis vestitur, quam quidem maturescens rejiciat. Animalium quadrupedum genera habent perpauca: ex his canes pusillos, qui muti etiam sint, nec latrent: avium verò longe plurima, nostris tum grandiora, tum etiam minora, adeò ut aviculæ inveniantur, quæ singulæ suo cum nido vigesimamquartam unciæ partem non exsuperent. *Psittacorum* magnam copiam, forma & colore variam, vellera sponte nascentia ex nemoribus atque montibus colligunt: sed ea cum volunt candidiora melioraque fieri, ipsi purgant atque apud domos suas serunt. Aurum, quod in fluminum arenis legunt, habent: ferrum non habent: itaque præduris atque acutis lapidibus, & ad lintres cavandos, & ad reliquam materiam in usum domesticum formandam, aurumque molliendum, pro ferro utuntur. Sed aurum cultus tantummodo gratia molliunt, idque auribus & naribus perforatis pendulum gerunt, neque enim numos noverunt, neque stipis ullo genere utuntur. Harum duarum insularum unius cum rege amicitia fœdereque inito *Columbus*, duodequadraginta ex suis apud illum relictis, qui mores & sermonem gentis addiscerent, seque brevi rediturum expectarent, decem ex insularibus secum ducens in *Hispaniam* rediit. Hæc illorum itinerum origo, institutæque ad incognitas orbis terrarum oras navigationis initium hoc fuit.

Incolæ. Frumentum *Maice*. Quadrupedes. Aves. Vellera. Aurum.

Anno autem insequente, ut pollicitus fuerat, *Columbus* cum navibus decem septem, & militibus, & fabris, & commeatu omnis generis missu regum eodem rediens, cùm se ad lævam versus parum perflexisset, quamplures ad insulas est delatus: quarum partem homines incolebant feri trucesque, qui puerorum & virorum carnibus, quos aliis in insulis bello aut latrociniis cepissent, vescebantur, à fœminis abstinebant, *Canibales* appellati. Vicos hi habebant, vicenis aut tricenis domibus singulos: domusque erant omnes ligneæ, ac rotundâ formâ, palmis & stipulis contectæ, certarumque arborum & arundinum foliis, ad arcendos imbres. Aëre utebantur adeò temperato, ut Decembri mense avium aliæ nidos ponerent, aliæ pullos educarent suos. Sed cùm ad illam insulam, à qua reditum anno superiore apparaverat, *Hispaniolamque* ipsam appellaverat, *Columbus* revertisset, propter soli bonitatem magnitudinemque insulæ, oppidum opportuno loco condere, ac terram colere cœpit. Arbores frondibus nullo anni tempore spoliabantur, una aut altera exceptis, quarum *Hispani*, præter Pinum, Palmamque nobis cognitam viderunt nullam. Insulares duobus se è specubus terra proditos atque natos dicunt. Deos penates, quos appellant *Zemes*, colunt. eos plebs habet communes. Suum verò ex regibus quilibet, eorumque simulachra lana contexta in bellum profecturi capiti alligant, juvarique se ab iis majorem in modum putant. Noctu vagari mortuos credunt, posseque omnia humana membra sumere præter umbilicum. Ab suis *Zemibus* ejusmodi responsa non multos ante annos accepisse illos constat: venturum eò indutam vestibus gentem, quæ regionem subigeret, & ipsorum aboleret Deos.

Canibales. *Hispaniola.* *Zemes* dii.

Sed vicinæ huic insulæ hominibus alterius ex duabus, de quibus suprà dictum est, insulis,

A quam quidem & propter magnitudinem *Hispani* terram esse continentem crediderunt, & hominum genere atque auri copia multum præstare cæteris intellexerunt, & *Cubam* appellari didicerunt, serpentes nova totius corporis specie ac forma præditi, sesquipedis plerumque longitudine, qui ex terra & aqua vivunt, in lautioribus erant epulis. Verumenimvero & illi, & qui proximas obtinebant insulas, quarum magnus erat numerus, plerique auream ætatem agere, nullum agri modum noscere, non judicia, non leges habere, non literis, non mercatura uti, non in posterum sed in dies vivere.

In *Cuba* insula serpentes.

B Ac dum hæc conquiruntur, *Joannes Lusitaniæ* rex per legatos apud *Hispaniæ* reges queritur, sua littora, suasque regiones ab ipsis tentari: eas quas reperissent insulas ad se spectare, qui *Hesperides* habeat, & cujus majores Oceanum percurrere ante omnes alios sint ausi. Contra *Hispaniæ* reges dicere: quæ non fuerint ullo ab homine antè parta, omnibus hominibus patêre: se nulli esse injurios, si ab cæteris ignorata labore & studio acquisiverint suo. Itaque magnis ex ea re obortis inter eos disceptationibus, ne controversiæ ejusmodi ad bellum deducerentur, utrique se *Alexandri* Pontificis Maximi judicio staturos C spondent.

Lusitaniæ & *Hispaniæ* regum de novarum insularum dominio controversia.

Alexander tota re cognita statuit, ut à Septentrionibus directa ducta in Australem polum linea, quæ à *Gorgonum* insulis trecenta millia passus in occasum distaret, quæ pars orbis in Oceano ad occidentem solem esset, ea *Hispaniæ* regibus cederet: quæ ad orientem spectaret, juris *Lusitani* censeretur. Ita orbis terrarum ab ea Oceani ora in duas divisus partes, duobus regibus perquirendus & obtinendus est traditus. ad quam quidem certè rem magna uterque diligentia consequendam se dedit. Sed *Hispanis* ulteriora tentantibus terra est objecta continens paulò minus decies D centena millia passuum ab *Hispaniola* protensa meridiem versus: atque in ea populi sub rege bellum cum finitimis gerente occurrerunt: quorum fœminæ virum passæ, nullam partem corporis præter muliebria, virgines ne illam quidem tegebant. Regem ii suum honoris gratia sublime in humeris ferunt. Tum alii deinde populi capillo promisso, & liberali aspectu, auro atque gemmis culti. Vino ii utuntur albo nigroque ex quibusdam confecto fructibus, sapore delectabili. Post hos item alii, qui certarum se herbarum coloribus pullo & purpureo inficiunt: aspectuque sunt in pugna eam ob rem tetriore ac horribiliore. Demum gens in- E venta agilis admodum, & item nuda, genitalibus tantummodo cucurbitula vel marina testa inclusis. Cadavera ibi regum & magnorum hominum desiccata in domibus asservantur, eaque in honore magno habent. est etiam, ubi arida facta conterant, eoque pulvere in epulis & poculis honoris causa utantur. Postremò autem ad meridiem audacius in dies iter flectentibus *Hispanis*, cum vertex se subducere noster cœpit, tum è regione alia quædam magnopere splendentium quatuor stellarum forma atque series extitit, quam esse Australis verticis faciem crediderunt. Visi post hæc homines nostris longe proceriores, & magno ad obeundas F pugnas animo. tum flumen refertum insulis immani latitudine: patet enim amplius passuum millia centum: & silvæ arborum, quæ materiam habent ad tingendas lanas idoneam, aliarumque ita procerarum, ut eas viginti hominum extremis se manibus contingentium capere complexus sæpe nequeat. Siliquas hæ producunt longitudine palmari, pollice crassiores, lanæ mollissimæ concisæque plenas, quæ quidem ob tenuitatem & brevitatem deduci in subtegmina fusis non possit,

Alexander Pontifex regum arbiter. Orbis divisus. Gentium variarum nationes. Arbores miræ crassitudinis. Siliquæ lanæ plenæ.

sed ad farcienda strata culcitrasque magnopere sit idonea. Animal eæ silvæ nutriunt cuniculi magnitudine, gallinis infestissimum: quod quidem fœmina loculum habet è pelle utero adnexum, quasi uterum alterum, fœcundum uberibus, in quo catulos secum gestat, emittitque cùm vult, itaque si animal noxium videt, si venatores adesse intelligit, loculo illos recipit, & inclusos fugiens aufert: idque tandiu facit, quoad catuli per se, & quæ sibi usui ad victum sunt, quærere, & vitam tueri possint. In ea terrarum parte homines impuberes in omni ætate sunt propè universi, neque ullos habent pilos. Iidem magnopere natandi artem callent, tum mares tum fœminæ: eique rei à parvulis insuescunt, filios ex sororibus sibi hæredes instituunt, quoniam non dubiè suæ gentis sunt. Mulieres adolescentes parere, servile ducunt esse: itaque si prægnantes fiunt, herba ad eam rem idoneâ abortum faciunt. cùm verò ætatis flos exaruit, tum pariunt, ac proli student. Sed quæ regio sunt sanguine, negare aliquid ulli viro, qui ex nobili sit genere, in turpibus habent rebus, ferè semper cum rege mortuo uxor una & altera sepeliri vult eo cum ornatu, quem vivens adamavit: tum servi etiam, & clientes: ita enim se cum illo apud superos tota tempora victuros putant. Nonnullæ gentes Deorum imagines filiorum suorum infantium spargunt sanguine. Mitiores aliæ sacerdotes ita habent institutos, ut barbam, si quam habent, aut capillum neque tondeant, neque pectant totius vitæ tempore. Quibusdam in locis propter paludes incolæ domos in arboribus ædificant, easque inhabitant cum uxoribus & liberis. Atque omnibus ferè in continentis regionibus aurum ex fluminibus colligunt, aut ex vicinis fluminibus locis, non magna tamen diligentia (neque enim nummos cudunt) minutis plerumque cum terra globulis, sed sæpe etiam librali pondere, ac nonnunquam multò majoribus. Gemmas verò maximéque margaritas ii habent populi, qui *Cubagæ*, & *Cumanæ*, & *Terarequi* insulis (sic enim eas appellant) in Septentrionem versis paulùm à media cœli conversione declinantibus sunt proximi: ubi eas urinatores expiscantur, tanta cum mari assuetudine, ut semihoræ interdum spatium conchis margaritarum conquirendis sub aqua se contineant. Earum magna vis ab incolis regibus *Hispanis* tradita, nobilium fœminarum mundum facilè auxit.

Simivulpa animal. — *Hominum novi orbis regionem incolentium mores varii.* — *Flumina aurifera.* — *Gemmarum & margaritarum Insulæ.*

Atque ea quidem omnia ante hos plane annos, quibus hæc à nobis conscribi cœpta sunt, contigerunt: nam quæ proximè gentes bello ab *Hispanis* sunt devictæ, eæ porrò & vestium cultu, & oppidorum nobilitate, & bellandi studio, & hominum frequentia, & finium ac regnorum amplitudine, reliquis earum regionum omnibus multùm præstant, quorum nonnulli solem, lunam, uti virum & uxorem, colunt. neque impuberes planè sunt, venusta etiam forma, & probis moribus fœminæ, tum ornatæ gemmis præter cætera extremas quoque suras ad talos usque. auro autem sic abundant, ut parietes templorum ac domorum reges eo vestiant: & vasis ad victum domesticum prope omnibus, uti nos ab ahenis aut testaceis, sic illi aureis utantur. itaque victi magno auri pondere *Hispaniam* retulerunt.

Auri abundantia.

Cum iis, quos superius diximus, populis, *Messicum Temistanæ*, regionis oppidum egregium in lacu salsæ aquæ situm, sub Cancro ferè ad conversionem positum, numerare nos oportet, cum plerisque non oppidis modò, sed etiam regionibus, ac magno terrarum spatio vectigale factum. quod si quas etiam terras ad Australem

Messicum oppidum.

A verticem positas *Hispaniæ* imperio adjecerint, æstimatur, nullus propè antiquorum hominum labor eorum industriam æquaverit. Alia ex parte *Lusitani* classe ab rege comparata, in Austrum ab Hesperidibus conversi, Africæque promontorio, quod *Bonam spem* appellant, trajecto, *Aethiopici* Oceani se primùm ostendentibus littoribus, ad continentem nigrorum hominum terram, quæ appellatur *Cephala*, naves appulerunt, auro divitem, quod interiores eò important populi, ut res alias contrà mercentur, nullo id pondere aut mensura, sed tantum frustis ex oculorum fide atque arbitrio permutantes, ut qui accipiunt, sæpe lucrum centupli faciant, atque B ibi arcem condiderunt. Deinde ad *Mogambicem* regionem delati, portu egregio, & advenarum frequentia nobilem, arce item posita, ejus sunt imperio potiti. Labrum inferius hi sibi homines perforant, ossiculaque aut gemmas foraminibus appendunt cultus honestioris gratia. *Quiloæ* deinde regem bello devictum expulerunt, eumque tenuerunt. Oppidani domus nostro more habent exædificatas, colore ipsi inter nigrum albumque vestibus liberaliter induti. Aliis post hos relictis populis, mare *Rubrum* ingressi complures nigrorum, item & bonorum hominum, ac bel- C lo fortium civitates adierunt, qui natis statim fœminis naturam consuunt, quoad urinæ exitus ne impediatur: easque cùm adoleverint, sic consutas in matrimonium collocant, ut sponsi prima cura sit, conglutinatas atque coalitas puellæ oras ferro interscindere: tanto in honore apud homines barbaros est non ambigua ducendis uxoribus virginitas. Ac *Lusitanis* mediam *Rubri* maris partem transgressis, *Zides* se oppidum obtulit amplo cum portu, ad quod quidem *Indici* populi suas merces convehebant: eas *Aegyptii*, qui eò loci mercaturæ causa quotannis convenire consueverunt, *Camelis* imponebant, *Ale-* D *xandriamque* perferebant: quas quidem *Veneti* merces, stato anni tempore eam ad urbem adnavigantes, coëmebant, domumque convectas omnium gentium mercatoribus, ea se de causa vulgò petentibus, venditantes, incredibili auri proventu civitatem locupletabant suam.

Cephala terra auri dives. — *Mogambice regis.* — *Virginitatis conservandæ mira ratio.* — *Zides oppidum & emporium.*

Sed posteaquam ad eas regiones *Lusitani* venerunt, magna rerum commutatio est consequuta: quicquid enim ferè mercaturæ causa ex omnibus *Arabiæ Indiæque* locis mare *Rubrum* importabatur, ipsi emere domumque convehere cœperunt: qua adductus necessitate rex E *Ægyptius* anno ab urbe condita millesimo octogesimo, *Zidensium* in portu, qui quidem in intimi ejus maris sinu sunt, classem magno sumptu comparavit, ut ab *Indiæ* maris navigatione *Lusitanos* averteret, sed ab illis ad *Dium*, in ostio *Indi* fluminis oppidum, victus, classe capta atque incensa, rem inchoatam reliquit. *Zidenses* nullam postea, vel omnino modicam, rerum *Indicarum* advectionem habuerunt: ita *Ægyptios Venetosque* instituta antiquitus mercaturæ ratio, quæ intercipi nullo posse tempore videbatur, aliò conversa propè deserunt.

Rex Ægyptius à Lusitanis victus.

F Neque hercule propterea *Lusitani* finem progrediendi fecerunt, sed ad complures *Arabici*, *Persici*, *Indicique* insulas Oceani, atque ad innumeros continentis portus conventusque hominum profecti, silvis felicibus odorum omni genere, ebore, argento, auro, gemmis beatos, se contulerunt: & *Colocute*, oppido propter affluentem earum rerum, quas in primis quærebant atque adamabant, copiam maximè omnium opportuno, præliis secundis factis

Colocute regio.

factis, & munitionibus institutis in potestatem redacto, eas regiones tenuerunt: *Taprobaneque* insula multorum mensium itinere post tergum relicta, quò nemo unquam penetravit, sui regis signa audacissimè felicissiméque intulerunt. Tametsi majore omnino audacia, felicitate autem nunquam aliàs audita, si vixisset, *Ernandus Maglajanes Lusitanus* fuit, qui *Hispaniæ* regum opibus classe comparata, viæ initio in Austrum se flectens, atque ultra mediam cœli conversionem propter continentis terræ oras dextrorsum velificans, magno spatio ad polum versus peracto, ut illum longius altiorem, quàm nobis noster sit, eo in itinere habuerit, & freti, quod nunc *Maglajanis* appellant, angustiis trecentorum millium passuum in longitudinem decursis, iterum ad medium cœli spatium se convertit: deinde ad auroræ populos atque insulas odoratarum arborum plenas, quas *Molucas* appellant, medium complexus globi spatium pervenit, ibíque pugnans interiit: postremò illius comitatus per *Lusitanorum* partis Oceanum labore plurimo universi orbis terrarum navigatione triennio confecta, in *Hispaniam* rediit: cúmque totius itineris enumeratis diebus rationem, quam in tabulis habebat, repetisset, uno sibi annos illos die longiores factos, de dierum nominibus domi audiens, reperit: qui omnino anni, si se is ad Orientem, domo profectus, convertisset, ac contra solem usquequaque currens illud ipsum iter universum confecisset, uno breviores die redeunti sanè fuissent: semper enim tanto citius orienti soli occurrens, quanto plus itineris post se circumvectus reliquisset, emenso demum totius terræ globo, die uno prius solem sibi orientem, quàm cùm viæ se dederat, profectò habuisset.

Taprobane insula.

Ernandi Lusitani Navigatio.

Magellanicum fretum.

Eodem ferè tempore, quo legati *Pascalici* litteræ ad Senatum venerunt, *Aloisius* rex *Gallorum Tridenti* per legatum suum Cardinalem *Rotomagensem*, cui *Mediolano* proficiscenti (illi enim urbi atque regno præerat) *Georgium Cornelium Brixiæ* magistratum, reginæ *Cypriæ* fratrem, Senatus legavit, pacem cum *Maximiliano* imperatore certis conditionibus fecerat: quarum illa erat maxima, ut is se regem *Mediolani* appellaret, ipse in corona, ex qua *Maximilianus* jure imperator dici posset, more institutóque majorum à Pontifice Maximo Romæ tradenda, autoritate opibúsque suis præstò ei esse teneretur. Cardinali per fines reipublicæ cum magno comitatu eunti & redeunti sumptus est publicè factus.

Pax inter regem Galliæ & Maximilianum.

Sed *Barbadici*, quem vita functum dixeramus, loco, *Leonardum Lauredanum*, plurimis necessitudinibus & propinquitatibus atque affinitatibus fultum, civitas sibi principem declaravit. Ea comitia primum habente, ædis *Marcis* procuratio, quo in magistratu *Philippus Tronus*, cujus pater *Nicolaus* annos sex civitatis principatum obtinuerat, illis ipsis diebus erat mortuus, *Benedicto Pisauro* classis præfecto magno favore civitatis est delata. Ejusdem verò ædis procurationem eam, ex qua *Lauredanus* summum locum inierat, *Marinus Garzonius* alteris comitiis est adeptus.

Leonardus Lauredanus princeps Venetiis declaratur.

Classis interim *Gallica* itemque *Lusitana*, quas uterque rex, ut reipublicæ auxilio essent, sese receperat missurum, non uno tempore altera *Corcyram*, altera *Zacynthum* adveniunt: tametsi neutra omnino earum ulli reipublicæ usui fuit. *Galli* enim priores apud *Zacynthum* cum essent, *Pisauro* non expectato, quem Auster ventus *Corcyræ* multos dies perincommodè flans detinuerat, *Rhodum* versus profecti sunt.

Classes Gallicana & Lusitana re infecta redeunt.

Sed naves illas *Aloisius* ad *Federicum* regem *Neapolis* regno expellendum inita cum *Hispaniæ* regibus societate comparaverat: itaque pulso illo, ac divisis regni regionibus ex fœdere, ut *Apulia Calabrisque Consalvo* eorum duci traditis, reliqua omnia *Aloisius* obtinuerit, classem, cujus præterea non magnopere indigebat, juvandæ ad speciem reipublicæ illò misit.

Federicus rex Neapolitanus regno pellitur.

A

Lusitani autem paulò pòst à *Pisauro Corcyræ* perliberaliter accepti, cum ille ab eis petiisset, ut secum aut ad *Dyrrhachium* recuperandum, aut ad insulam *Leucadiam* oppugnandam accederent, neutro negotio suscepto, quod dicerent suum sibi regem mandavisse, ut contra classem *Thraciam* unà cum *Veneta* omnem belli fortunam experirentur, ab oppidis obsidendis aut omnino tentandis abstinerent, quo itinere venerant, domum discesserunt. Ea erat classis navium onerariarum una de triginta: quarum quinque satis magnæ, reliquæ pusillæ, sed omnes magna tormentorum vi & numero militum pulcherrimè instructæ, tum opertis singularum tegumento versicolore puppibus, ut latè aquam tentoria tangerent, fluctibusque verrerentur (quoniam in nostris classibus id non fit, præterquam in navibus longis: neque illo impendio, sed ad usum tantùm) inusitatam atque egregiam classis faciem præbuerunt. illis destituti Patres classibus rogationem jusserunt, ut triremes in *Creta* insula decem armarentur, eisque triremibus, quo libentius civitates imperata facerent, præfecti *Cretenses* imponerentur. Itaque triremes ex navalibus, pecunia in stipendium ex ærario est in *Cretam* missa. Latum etiam, ne quid intentatum Patres relinquerent, ut *Franciscus Capellus*, cui legatione apud *Aloisium* functo *Dominicus Trivisanus*, *Hieronymus Donatus* de regno *Neapolitano*, sub ejus imperium redacto, gratulatum à Senatu missi successerant, ad *Henricum Britanniæ* regem socium atque amicum reipublicæ proficisceretur auxilium in *Turcas* postulatum. Tametsi nuntii venerant, *Bajasetem*, à rege *Pannoniæ* bello lacessitum, suas vires eò convertisse, navium ædificatione intermissa: nam è *Pannonia* literæ ad Senatum datæ certiores Patres fecerant, *Turcas* equites, cùm *Danubium* flumen trajecissent, ut in fines hostium incursiones facerent, à regio exercitu fusos, duobus millibus interfectis, revertisse: tum transmisso ab eodem exercitu flumine, *Turcas* duobus itineribus interclusos maléque habitos, partem suorum non spernendam, unà cum duce filióque ducis amisisse.

B

Classis Lusitana, cum opertis puppibus vario colore.

C

Venetorum cum Turcis belli continuatio.

Pannoniæ regis cum Turca bellum.

D

Pisaurus profectis *Lusitanis*, uti cum classe *Gallica* se conjungeret, omnem diligentiam adhibuit: itaque eam demum ad *Maleam* nactus, muneribus & commeatu largiter præfecto classis missis, ad *Mitylenem* expugnandam propè invitus unà se contulit, cùm *Galli* nihil ea de re antea cum illo communicavissent, neque quid sui consilii esset, ab eo petiissent: nihil tamen secius omnibus in rebus suam illis operam præstitit. Itaque tormentis expositis *Galli* nostrique oppidum aggressi, muro dejecto, repulsis atque occisis propugnatoribus, magno impetu ipsum ceperunt. Arcem oppidi autem, sine qua teneri oppidum non poterat, cùm jam *Veneti* turri dejecta signa in muros intulissent, idemque *Ligures* ex classe *Gallica Venetis* proximi fecissent, tamen capere non potuerunt, quòd duorum præfectorum interitu, quos hostes interfecerant, *Galli* perterriti se in castra receperunt. Erant autem ex *Armoricis* finibus plerique, qui suorum ducum dicto audientes non fuerunt: omnes subsequuti, oppugnationem reliquerunt: ita victoria jam planè parta, si suum *Galli* munus obiissent, interpellata pedem retulit. Accidit autem ab *Thracibus* ea in oppugnatione res permira, quæ virtutem illorum atque animum ostenderet. Nam cùm tot navibus oppidum obsideretur, tot hostium millia circumfusa

E

Mitylene à Gallica & Veneta classe oppugnata.

F

Turcarum audacia.

fusa ad muros stationes haberent, una in biremi & tribus navigiolis milites trecenti à *Bajasetis* filio è *Magnesia*, cui præerat, auxilio missi, in arcem se inferre velle non dubitaverunt: sed ab *Gallis* intercepti, cùm se fortissimè defendissent, reliquis interfectis, viginti eorum *Gallos* elapsi, quò intenderant, tenuerunt, atque in arcem recepti sunt. Præfectus classis ea spe dejectus, *Pisauro* relicto discessit: tempestate turpidissima deprehensus ad *Cytheram* insulam, navi sua elisa, ex hominibus quingentis, qui in ea erant, ipse perpaucique, qui se in parte navis fracta scopuloque infixa continuerunt, evaserunt. Navis ex hujus classe altera cum sexcentis hominibus interiit.

Pisaurus, multis diebus ad bellum gerendum idoneis *Gallorum* causa frustrà consumptis, hyeme præcipiti se ad *Melum* insulam contulit. Fortè ibi *Ericus Trax*, qui piraticam multos annos exercuerat, plurimaque damna *Venetis* hominibus intulerat, quod ex *Africa* veniens naufragium ad insulam fecerat, captus à *Meliis* in custodia tum erat. Id simul est *Pisauro* nuntiatum, *Ericum* ad se adduci imperavit, proptereaque quòd is aliquot ante annos civem *Venetum Ambrosium Contarenum*, *Francisci* filium, cum quo mercaturæ societatem inierat, nihil ab eo metuentem, cum ejus navi per insidias contra jurisjurandi religionem, apud *Thessalonicam* à se captum igni excruciatum necaverat, vivum comburi jussit.

Ericus pirata captus & combustus.

Hæc dum foris administrantur, domi, quòd pecunia publicè deerat, Senatus decrevit, uti quam ipse legem prius, deinde comitia hujus belli initio jusserant, ut magistratus omnes provinciales atque urbani mediam stipendiorum partem reipublicæ remitterent, ea in annum unum prorogaretur: itaque primis anni diebus cùm in comitio *Lauredanus*, quique illi assident sexviri, & quadragintavirûm magistri eam legem pronuntiavissent, *Joannes Antonius Minius*, civis in dicendo satis audax, qui omnem suam ætatem, erat enim jam senex, causis agendis in privatorum patrocinio consumpserat, ejusmodi concionem habuit. Non ignoro cives magnam me rem, & multorum invidiæ propositam suscepisse, qui sim contra Senatus præjudicia, contra magistratuum voluntatem, pro vestris commodis & vestra incolumitate liberè, quæ sentio, dicturus: neque dubito, quin me plerique arroganter facere existiment, quòd ea, quæ Patres conscripti jampridem jusserunt, vosque ipsi rata esse voluistis, nunc Patribus iterum jubentibus, ego unus, tanquam plus omnibus provideam, improbaturus surrexerim. Sed me præstat omnem invidiæ aleam atque pericula subire, dum vos decipi, & reipublicæ muneribus spoliari, quoad potero, non patiar. Legem hoc bello, quod cum rege *Thracio* gerimus, in Senatu latam, vestris sententiis sancitam, præteritis expletam mensibus prorogare Patres decreverunt, uti magistratus omnes, qui per nos creantur, mediam stipendii partem annum reipublicæ remittant: itaque Senatu approbante ad vos veniunt, ut eam ratam & sanctam habeatis, quid est hoc aliud, quàm velle vos qui liberos, qui uxores, qui domos familiasque vestras, qui vos ipsos beneficio reipublicæ magistratibus obeundis sustinetis, quando annum jam omnibus in difficultatibus confecistis, alterum non habere annum, unde inopiam levare, & vitam tolerare vestram queatis? An, quoniam divitibus ea lege parum iri nocitum vident, reliquos, qui re angusta utuntur, non respiciunt? estne id alteros tanquam seipsum diligere? quo uno medius fidius præcepto omnis humana societas continetur. Ego verò cives sic existimo: quòd contra hostes nihil prosperè gerimus, adversa verò multa & misera

Contentio de stipendiis magistratuum dividendis. Oratio *Antonii Minii.*

Causa malè gestarum

A singulis diebus nuntiantur, hoc ex fonte manare, quòd ipsi inter nos non amamus, neque quisquam alteri consultum vult: nemo, qui opibus pollet, ei qui debilior est, prospicit. Dii profectò immortales, qui acta & cogitationes nostras perspiciunt, irati nobis infensique sunt, conatusque nostros frustrà suscipi, evanescereque omnes sinunt, hostibus virtutem & consilia subministrant. Tria sunt omnino hac in urbe civium genera: unum locupletum atque potentium: aliud eorum, qui sunt dignitate opibusque tenuissimis: mediæ inter hos fortunæ tertium. Primum illud atque summum, propter potentiam in tributa

rerum & infortunii.

Civium tria genera.

B sæpe nihil dat, propterea quòd nemo principes viros cogere audet, qui plerunque in magistratibus sunt, remque publicam administrant. à mediis, quæ imponuntur publicè onera, multi magistratus exigunt: ab infimis planè universi: nam ab iis minimè resistitur: ita fit, ut qui rei minus habent, plus in ærarium conferant: illi, qui omnia possident, nihil tribuant, nisi cùm libet: tanquam reliqui serviant, ipsi regnent atque imperent. quòd si divites fisco quæ debent, etiam dependant, nihil sit necesse curarum & laborum vestrorum obeundis magistratibus mercedem reipublicæ condonari, ut in bellum pecuniam suppe-

C ditet: ea summa omnis pro parte media tercentum auri libras non exsuperat. locupletum & potentium reliqua si ratio subducatur, tantundem decies aut plus etiam conficient: illa exigite, qui præpositi estis pecuniæ publicæ magistratus: neque vos fisco debentium autoritas deterreat, ne quid facere contra ipsorum voluntatem audeatis: abundè vobis aderit, quod quæritur: neque tenuiorem, sed bonorum tamen civium sudorem, aut potius sanguinem exugere cogemini. Quid autem? nonne cives illud etiam vos impellere ad legem repudiandam potest, quòd multi magistratus, ut sit unde se, liberosque suos alant, non

D tam justitiam in jurisdictionibus agitare, quàm servire quæstui, & studere lucro statuent, dum ea, quæ injuria sibi erepta existimabunt, quoquo modo farciant? Quamobrem omnia passim erunt venalia, neque immeritò, quoniam ita Senatus & civitatis principes decreverunt. Animus mihi cives eo anno tum, cùm primò lex est lata, suadebat, ut ejus lationi contradicerem: sed me Senatus autoritas continuit, quod existamabam ea vestra incommoda annum tantùm duratura, neque legem tam iniquam iri prorogatum verebar: ita me meæ cogitationes fefellerunt. nunc eò res est perducta, ut in vestra manu atque sententiis

E tamen sit totius rei exitus. quòd si vos legem iterum jusseritis, quid erit causæ, quare non aut eam optimates singulis annis ferant, aut vos, quod secundò probavistis, tertiò etiam & quartò sanciatis? ita res in exemplum cesserit: vos, cùm rumor belli aliquis paulùm excitabitur, statim plectemini: ea semper erit magistratibus opportuna erogandæ pecuniæ ratio: semper reipublicæ beneficio spoliabimini, quod esse vestrum solidum atque proprium debuerat. quare censeo ut legem rejiciatis, ne, vestra quæ sunt, ipsimet projiciatis, néve ullis ab hominibus ludibrio vobis libentibus habeamini.

F Hæc cùm esset *Minius* concionatus, magna perturbatio comitium tenuit, quoad, quis ei responsurus esset, sciri potuit, *Lauredano* Principe sua se è sella sublevante, qui stans dicere sic est exorsus: Valde me hodie cives à mea de *Joanne Antonio Minio* spe atque opinione deceptum fateor, qui, cum mihi heri esset dictum, contra legem, quam ferimus, verba illum apud vos velle facere, non credidi: neque enim persuadere mihi poteram, hujusce civitatis hominem, quatuor & sexa-

Lauredani Responsio ad orationem *Minii.*

sexaginta annos natum, qui aliquando rempublicam attigisset, tam æquam, tam etiam necessariam rogationem, quam Senatus ipse frequens probavisset, esse impugnaturum. Quanquam fuere qui dicerent, quoniam *Minius* ad senectutem sine ulla dignitate pervenerit, semel tantùm anno superiore in magistratu adolescentulis mandari solito fuerit, id illum cogitavisse, si causam tenuiorem suscepisset, qui stipendio munerum reipublicæ fraudari se magnopere indignantur, fore ut favorem sibi atque suffragia illorum ad magistratus adipiscendos conciliaret. quod quidem ego, ut reliqua, falsum esse facilè putavi: vos, qui melius hæc cognoscitis, quid sibi is hoc suscepto negotio voluerit, vobiscum reputatote. Tu verò *Mini*, solúsne es omnium, qui, quo impliciti bello duos jam annos versemur, quantas in eo impensas fecerimus, quantas facere necesse sit, quibus in difficultatibus cogendæ pecuniæ dies totos soliciti noctes insomnes conficiamus, ut hoc imperium ab hoste omnium acerrimo tueamur, nescias? remigum, militum, præfectorum navium nostrarum, quos innumeros alimus, stipendia immane auri pondus requirunt: in arcium & oppidorum præsidiis multum pecuniæ insumitur: navalia urbana, tot classibus exhausta, magni æris singulis mensibus indigent, ut naves, ut tormenta, reliqua, quæ de bello usui sunt, nostris imperatoribus subministrent. Regi *Pannoniæ*, ut cum nostris hostibus bellum gerat, mille auri libræ ternis curationibus sunt ex fœdere quotannis dependendæ: his tot atque tantis impensis pecunia suppeditari quî potest? cives enim nostri, tributis innumerabilibus persolutis, amplius quod tribuant, non habent. Provinciales, nova pecunia imperata, agrisque suis præter morem censui addictis, conqueruntur: neque quicquam, nisi coacti, fortunisque suis divenditis, in ærarium conferunt. vectigalia reipublicæ portoriis, propter bellum impeditis, angustè redimuntur. mercatores nostri ad exteras nationes, exteri ad nos mari commeare non permittuntur. Itaque nisi nos, quorum maximè interest, quibus possumus rationibus reipublicæ, belli fluctibus jactatæ, opem ferimus, quis omnino erit reliquorum hominum, qui ferat? omnes enim nobis alieniores sunt, quàm nos ipsi. Nummi autem nervi bellorum sunt: sine iis bellum gerere nulla natio potest. Nos quidem cives, quos huic urbi atque imperio præesse voluistis, reliquique magistratus, qui nobiscum unà rempublicam administrant, hanc inviti legem, magnoque nostro cum dolore, ad vos ferimus, propterea quòd urbes nostras ab hostibus capi, dirui, teneri, regiones vastari, populos dissipari, cives nostros aut interfici, aut in servitutem abduci multò pejus est, quàm hanc munerum mercedis portionem pro sua quemque parte reipublicæ remittere, quæ adhuc mala & acciderunt, & deinceps accidere necesse est, nisi bellum magno apparatu, magnis opibus gesserimus. opes autem hæ pecunia comparantur. *Minius*, qui vobis, ut legem repudietis, suadet, illa suadet ut perpetiamini, dum, ne pecunia comparari possit, nititur efficere. Ego verò hujus sum animi atque sententiæ, ut à fanorum & templorum adytis aurum atque argentum sacrum omne nummis cudendis auferamus, quibus bellum commodius administrari possit, potius quàm ea, quæ commemorata sunt, perferamus, remque publicam periclitari, atque hoc imperium proteri ab hoste impurissimo, deterrimoque permittamus: idque nos Diis ipsis libentissimis, quorum templa spoliabuntur, facturos puto. Verùm adhuc quidem ad id nos descendere nulla res cogit, modò vos hoc, quod multò est æquius, quodque vobis facere nulla religione impeditis licet, quod ordo amplissimus probavit, vestris hodie sententiis, vestra in patriam liberalitate pietateque jubeatis. Nam quòd *Minius* Deos nobis esse iratos commemoravit, mihi quidem dubium non est, quin qui malè atque perperam agunt, ii Deorum sibi iram pariant: itaque præfecti nostri, qui improbè rempublicam gesserunt, partim interierunt, partim exilio ignominiaque mulctati, Deorum numen suis infensum rebus, dignitatibus, rationibus habuerunt. Vos, si quæ decet, quæ tempus exigit, quæ status reipublicæ turbulentus, quæ pecuniæ cogendæ difficultas in præsentia postulat, statueritis, nihil ab Diis immortalibus timetote: prospera nobis omnia ab illis secundaque advenient. Quid, quòd vos injustitiæ *Minius* insimulat, quos lege jussa in magistratibus obeundis jurisdictiones vestras ad quæstum conversuros putat? conjecturam scilicet de aliorum moribus à se ipse capiens, qui linguam atque ingenium, ex quo primum loqui cœpit, usque ad hos annos, atque senium in lucro & quæstu semper habuerit, atque opes sibi amplas ea tantum ratione compararit: quasi nesciat, qui naturâ boni sunt, magistratibus initis in rebus difficilibus meliores porrò fieri, qui pravi & mali, eos à Triumviris, vel qui ad urbem sunt, vel quos querelis populorum cognoscendis in provincias mittitis, ad urbana judicia deduci, quibus à judiciis improbè factorum pœnas luant: ita fit, ut suopte ingenio cives duris in rebus afflictati, tanquam in cote virtutem subigant & exacuant suam: aut metu judiciorum à maleficiis nullo non tempore aut rerum casu absterreantur. Ausus etiam tu quidem es *Mini* tria esse genera nostrorum civium dicere, locupletum, mediocrium, tenuiorum: atque hæc inter se dissidere ostendisti, dum à divitibus in tributa nihil penditur, à reliquis onera omnia sufferuntur. regnare etiam illos dixisti, hos servire, atque in ea civitate, quæ, ex quo nata est, libera & sui juris semper fuit. Id te non puduit in concione esse mentitum. Hoc quidem, esse tria genera, nihil impedio: id enim omnibus in civitatibus accidere consuevit: neque aliter propemodum se habere hominum conventus ullus atque societas potest. Divites verò nihil conferre, cæteros omnia, hoc falsum & injuriosum est: nulli enim homini parcitur: omnes peræque, quod fisco debent, etiam solvunt: aut, si id per se non faciunt, ab iis qui præsunt, facere coguntur. quære à fisci magistratibus rationes: subduci jube: reliqua civium inspice: nihil eorum reperies, quæ dixisti. An, quòd bona locupletum minus hastæ subjiciuntur, mediorum autem & tenuiorum quotidie, propterea tu divites conferre nihil existimas, reliquos omnino unos omnia? malè tu quidem urbis nostræ mores & rerum conditionem dispicis, aut te dispicere simulavisti. Divites, quia solvendo sunt, sua distrahi non sinunt, sed in ærarium sponte conferunt. quod cum reliqui non faciunt, sæpe fit, ut eorum insulas, fundos, prædia, magistratus ad licentes transferant. Sed quid illud tandem est, quòd tu servitutis & regni nomina in hanc rempublicam induxisti? alteramque civium partem in alterius invidiam trahere his impuris vocibus excogitavisti? an, qui ab urbe condita uni atque iidem semper fuimus, ut dissideamus inter nos, ut secessiones facere incipiamus, tibi uni esse optabile & conducibile existimas? Id vis, id postulas, id efficere conaris. Vos appello magistri *Decemvirûm*, qui sedetis, cui antiquitus magistratui cives improbos coercendi omnis est potestas attributa, vos ab eo hujus rei causam reposcite. Bello, quod cum *Liguribus* quartum gessimus, *Italis* populis atque in

in reipublicæ temperatione conſtitutis, æra-
rio exinanito, majores noſtri edixerunt, ſi quis
rempublicam pecunia juviſſet, eum ſe civitate &
jure comitiorum muneraturos: itaque bello con-
fecto, eam ob cauſam triginta homines ad rem-
publicam admiſerunt, ii totidem familias in nobi-
litatem intulerunt, quæ noſtro jure, noſtris mu-
neribus, noſtro imperio deinceps ſunt uſæ. No-
bis hoc tempore bellum cum barbaris nationibus,
cum gente à noſtra vitæ ratione, à noſtris mori-
bus alieniſſima, cum rege infeſtiſſimo ferociſſimo-
que gerentibus, vos hujus reipublicæ alumnos, ut
patriæ laboranti ſuccurratis, ejus pecuniæ, qua
unà cum magiſtratibus ab ipſa republica donami-
ni, mediam partem eidem reipublicæ pigebit re-
ſtituere? Illi ſuam civitatem, nobilitatem, jura,
imperia in exteros, propterea quòd in ærarium
contuliſſent, libenter transfuderunt: vos veſtro-
rum ſtipendiorum partem veſtræ patriæ, veſtræ
aris atque focis, veſtris liberis cedere gravamini?
nam nunc quidem, ut veſtri liberi ne ſerviant, eſt
à vobis cautio atque curatio adhibenda. Quis hoc
in animum, niſi hujus urbis, horum templorum,
hujus comitii atque curiæ hoſtis & everſor, poſ-
ſet inducere? Inventus tamen eſt *Minius*, qui hoc
vobis ſuadere ſit conatus. Sed illum ſua mens,
ſuus animus, ſui mores punient. Vos autem cives,
quos ſcio veſtræ ditionis atque imperii, quemad-
modum ſemper eſtis participes, ita nunquam non
amantes fuiſſe, ne deſinite, quod ſemel libentiſſi-
mè feciſtis, legem iterum velle jubere, iterum
pro veſtra in patriam charitate hoc, quicquid eſt
incommodi, alacri animo annum alterum ſuffer-
re & perpeti, dum hæc reipublicæ procella de-
cedat, quæ longinqua eſſe, niſi me meus fallit a-
nimus, non poteſt. confirmate veſtris ſententiis
illud, quod eorum, qui ad gubernacula republi-
cæ ſunt poſiti, ſententiis optimum eſſe factu vi-
detis, ſtatuite hoc judicio, quàm cuique chara
eſſe debeat ſuæ patriæ libertas, cùm ipſi veſtræ
libertatis cauſa, veſtra vitæ præſidia reipublicæ
condonetis. oſtendite provincialibus, atque iis,
qui veſtris legibus parent, quid ipſi facere debeant,
quando vos, qui cæteros cogere poteſtis, com-
munis omnium utilitatis cauſa, leges vobis unis
detrimentoſas imponitis. nemo erit hac in urbe,
nemo in reliquis, ubi nomen *Venetum* viget, qui
non vos ſummis laudibus efferat, atque omnibus
regendis populis & gentibus dignos putet, cùm
intelliget, nihil vos muneris aliis præcipere, quin
prius alterum tantum, eóque multo amplius, vo-
biſmet imperaveritis.

Lex de ſtipendiis magiſtratuum dimidiis accipiendis confirmata.

Hac à *Lauredano* concione habita, ubi ille con-
ſedit, lex eſt ferri cœpta. Erant omnino in co-
mitio judices mille quadringenti quadraginta
duo: ex iis mille octoginta octo legem probave-
runt, trecenti quadraginta ſeptem rejecerunt: qui-
bus non liqueret, fuerunt ſeptem. Itaque magno
conſenſu civitatis lege juſſa, *Lauredanum* omnes
laudare, bonum eſſe principem dicere, cui reſpu-
blica curæ eſſet.

Antonius Minius in exilium mittitur.

Poſtridie autem ejus diei *Minius* ob concionem
ſeditioſam à *Decemviris* condemnatus eſt, ut in
Arba Illyrici inſula, quoad viveret, exularet, tri-
ginta auri libris ei, quicunque illum extra inſulam
captum magiſtratibus tradidiſſet, ex ejus bonis
conſtitutis: eique rei bona ſunt pignori addicta:
ipſi, ut laqueo vitam finiret, pœna addita.

Triremium præfecti ignominia notati, & ob quam cauſam.

Illis diebus ignominiæ notam, qua *Piſaurus* in
triremium præfectos quinque uſus fuerat, Patres in
foro promulgari voluerunt. Ea nota erat ejuſmo-
di: Dum claſſem *Gallicam Piſaurus* conſequi cu-
peret, *Paulus Nanus*, *Georgius Triviſanus*, *Mar-
cus Antonius Decanalis*, *Nicolaus Barbadicus* è
colonia *Cretenſi*, *Petrus Capitellus Apulus*,
A ejus miſſu ad *Maleam* profecti, quòd *Galli*
eſſe illis in locis dicebantur, in biremes *Thra-
cias* ſeptem inciderunt, quæ navem onera-
riam hominum *Cretenſium* à ſe captam remulco
trahebant. Ea re animadverſa, biremes aggredi
communi conſilio ſtatuerunt, itaque incitatis re-
migibus ad illas contenderunt. Sed cum eis ap-
propinquaſſent, timore impediti remiges inhibu-
erunt, ſeſeque turpiter à congreſſu dimicatione-
que continuerunt. Accidit autem paulò pòſt, ut
naves triremes aliquot è claſſe *Gallica*, quæ non
longè aberat, idem conſpicatæ, biremes *Thra-
cias* magno animo aggrederentur, quæ quidem
B res auxit illorum dedecus, quòd eos reipublicæ
hoſtes, quos propter formidinem ipſi dimiſerant,
Galli, quorum minus intererat, virtute eſſent
atque animi præſentia conſequuti. ob eam imbe-
cillitatem atque formidinem *Piſaurus* annos quin-
que à præfecturis omnibus illos removit, ſtipen-
diaque ab iis emerita fiſco addixit.

Lucretiæ Borgiæ nuptiæ.

Iiſdem diebus *Gabrielem Maurum*, *Andream
Foſculum*, Senatus legatos creavit, qui *Ferrariam*
proficiſcerentur *Lucretiæ Borgiæ Alexandri* filiæ,
quam pater *Alfonſo Ateſtino Herculis* filio in ma-
trimonium ſpoponderat, *Roma* ad illum venien-
ti, & ipſi ſoceroque eis de nuptiis reipublicæ
C nomine gratulatum.

Turcæ à *Pannoniis* victi.

E *Pannonia* verò crebriores allatæ literæ, *Tur-
cas* pluribus locis fuſos à regiis ducibus occidio-
ne, & præda ingenti facta, Senatui attulerunt:
neque tamen ob eas res claſſis curam ulla ex par-
te *Bajaſetes* intermittebat: quam quidem curam
cum magnopere agitaret, reficique naves vete-
res ſuis ducibus mandaviſſet, atque id ei tardius
negligentiusque agi ab illis atque adminiſtrari vi-
deretur, arcum ſibi afferri & ſagittas imperavit:
quibus adductis, ſtantem ante ſe illum ipſum du-
cem, qui priore apud ſe erat loco, indignabun-
dus transfixit.

Turcæ tyrannis.

Cives *Veneti Byzantii* libertati reſtituuntur.

D Reſtituerat idem rex paulò antè ad libertatem
cives *Venetos*, quos belli initio *Byzantii* in vin-
cula conjectos, in turri ad fretum ſervandos mi-
ſerat: ii ſe libris auri centum redemerunt: quo-
rum è numero *Andreas Grittus* Idibus Martiis ad
urbem rediit: eique eſt univerſa civitas gratula-
ta. Attulit is ab *Admete Bajaſetis* duce literas ad
Senatum, cum mandatis, ut ſi bello, quod in-
ter ipſos & *Bajaſetem* vigebat, vellent finem im-
ponere, mitterent *Byzantium* aliquem ad pacis
conditiones tractandas: ei ſe adjutorem futurum.

Metaurenſium ducis regnum à *Cæſare Borgia* inſidiis occupatur.

Interea *Cæſarem Alexandri* filium augendi reg-
ni cupiditas magnum in ſcelus & proditionem
E impulit. Nam cum *Guidi Ubaldi Metaurenſium*
ducis regnum, quod unum ei deerat ad omnem
Flaminiam obtinendam, propter mirificum po-
pulorum in illum amorem aggredi aperto bello
non auderet, neque *Venetos* ſibi permiſſuros ut
illum expelleret, arbitraretur, neque ullam ha-
beret ſuſcipiendi belli cauſam, *Guido Ubaldo* om-
nibus in patrem ſuum obſequiis, in ſe officiis be-
nevolentiſſimique hominis planè functo, velle ſe
bellum *Camertibus* inferre ſimulavit, ut ad fines
Urbinatium, quà iter erat ei faciendum, ſine
Guidi Ubaldi ſuſpicione, tanquam aliò tendens,
cum exercitu accederet: atque ut bono ſe in il-
F lum eſſe animo fidem ei majorem faceret, & ſuis
eum opibus exueret, ne tueri ſeſe poſſet com-
munitior, à *Guido Ubaldo*, ut auxiliares ad id
bellum copias cum tormentis muralibus ad ſe mit-
teret, pro amicitiæ jure per legatos poſtulavit.
Iis impetratis, atque miſſis, cùm ad fines regni
veniſſet, repentè in illos hoſtiliter irrupit, &
magna celeritate adhibita, quòd neminem ob-
vium habebat, *Urbinum* contendit, parumque
abfuit quin *Guidum* ipſum *Ubaldum* caperet. Sed
is

Guidi Ubaldi fuga.

is paucarum horarum beneficio, in jumentis agricolarum, & veste rustica, itineribus deviis, quòd omnia nota loca per *Cæsaris* milites obsessa tenebantur, fugiens, *Ravennam* se recipit, atque inde *Mantuam* est profectus, quam ad urbem paulò antè uxor ejus *Elisabetha*, *Francisci Mantuanorum* ducis soror, pudicissima lectissimaque se contulerat, cùm officii causa *Alexandri* postulatu *Lucretiæ Borgiæ*, ad maritum proficiscenti, comes itineris fuisset. Ea re permotis Patribus, equites quingenti, pedites mille *Ravennam* sunt missi, ut cum iis copiis, quæ ibi erant, conjuncti, oppidi præsidium augerent, si quid à *Cæsare* consilii, cui fides haberi nulla poterat, contra rempublicam iniretur.

Uladislai regis Pannoniæ cum Anna Candala connubium.

Neque multò pòst *Anna Candala*, natione *Aquitana*, *Aloisii* regis *Gallorum* propinqua, ad *Uladislaum Pannoniæ* regem, cui erat nuptui per legatos tradita, proficiscens *Venetias* venit cum magno utriusque regis comitatu. Ei fines reipublicæ ingressæ, sumptus est publicè atque largiter factus. Ad urbem ubi fuit, omnia in illam liberalitatis & benevolentiæ officia profusè collata, ut, cùm exacto mense discederet, *Lauredano* Principi dixerit, tum primùm se reginam sibi ipsi visam, cùm apud illum fuit: postea vero quàm in *Pannonia* regiam exercere dignitatem cœpit, amica & benevola reipublicæ omnibus in rebus semper fuerit.

Aloisii regis Galliæ in Italiam adventus.

Interim *Aloisius* rex domo discesserat, ut in *Italiam* se conferret, *Neapolitano* bello, quod cum *Hispaniæ* regibus propter finium controversiam gerebat, auxilia comparaturus. Ea *Mediolani* finibus appropinquante, Senatus *Bernardum Bembum* patrem meum e prætura *Veronensi*, qua in prætura tunc erat, legatum misit, ut *Aloisio*, reipublicæ nomine salvere jusso, de adventu gratularetur. Is regi ad *Vigevenum* oppidum occurrit, estque apud illum commoratus, dum is *Mediolani* fuit: sed rege in *Liguriam* profecto, ad auxilia in regnum *Neapolitanum* mari transmittenda, *Veronam* rediit.

Classis Venetorum ad Leucadiam oppugnandam.

Dum hæc domi administrantur, à *Pisauro* apud *Chrysopolim*, atque in sinu *Thessalonico* depositis militibus damna sunt plurima illata, prædæque ingentes factæ tum in *Ægæo* captæ naves onerariæ duodecim, biremes undecim. atque is ad *Maleam* cùm venisset, naves triremes *Rhodiorum* tres, onerarias duas, regis *Gallorum* triremes quatuor ad se missas reperit. Neque multò pòst *Jacobus Pisaurus*, *Alexandri* legatus, suas triremes cum *Pisauri* classe conjunxit. Erat autem universæ classis navium omnis generis numerus ad septuaginta: quibus cum navibus de legatorum consilio ad insulam *Leucadiam* oppugnandam se convertit. Eò cùm appropinquaret, Pontificis legatum præmisit, qui per vada eo ab latere, quod ad orientem spectat, oppidum aggrederetur. vadis autem ea parte insula maximè cingitur. Is accelerans per *Dioricium* in vada sese inferens, duodecim biremes, quæ ibi stationem habebant, eaque maria percurrentes, *Venetorum* navibus infensissimæ diu fuerant, & tunc, ut aditu classem prohiberent, occurrebant, omnes fugavit, paulóque pòst vacuas hominibus occupavit, cùm ii sese raptim in littus ejecissent: quos oppidani fugientes receperunt. Iis captis, quòd illis in vadis erat à continenti ad oppidum via aquis tecta, sic, ut equites commeare ea possent, ibi naves aliquot disposuit: quibus navibus *Thracum* turmas equitum tres, qui per illam viam, ut essent oppidanis auxilio, vicinis ex locis adventabant, repulit: cùm tamen antea munitionem pro tempore, quæ transitum impediret, media in via effecisset. Ea *Thraces* munitione retardati, dum perrumpere conantur, tormentis se navium vulnerandos præbuerunt: amissisque perpluribus, duce eorum equo dejecto, nulla parte munitionis perrupta, unde venerant redierunt. Atque idem interea legatus suorum militum partem equitesque omnes, quos in navibus eam ad rem habebat, cùm primo adventu in terram exposuisset, atque in oppidum contendere jussisset, illi itinere, quod quidem erat passuum millium quatuor, celeriter confecto, circumvecti audacissimè pugnantes, eo ipso die prooppidum capiunt. *Pisaurus* præfectus, quem mari reliquam classem ventis non secundis, qui eo die flaverant, circumducere oportuit, postero die ad oppidum oppugnandum sese contulit, ac muros quatere tormentis cœpit. Erant in oppido milites *Thraces* quingenti, qui se acerrimè unà cum oppidanis defendebant: ii cum magna tormentorum vi, oppugnatione non intermissa, premerentur, septimo die deditionem facere voluerunt. is fuit dies ad diem tertium Calendarum Septembris. Sed dum inter se ea de re consulunt, militibus irrumpentibus oppidum capitur. ipsi atque oppidani captivi facti, præda omnis viritim divisa. Hostes prima oppugnationis die *Gabrielem Superantium*, triremis præfectum, interfecerunt, capite pila ferrea disjecto. Ejus frater *Hieronymus* adolescens nullo reipublicæ munere antea functus, paucis pòst diebus quàm id est *Venetias* allatum, magno comitiorum favore in Senatu allectus est, præteritis quamplurimis, qui & magistratus gesserant, & ætate longè præstabant.

Leucadia à Venetis capta.

Patres ut primùm ex *Admetis* literis in spem pacis venerunt, propterea quòd hyems suberat, *Pisauro* mandarunt, ut triremibus viginti apud se retentis, classem reliquam domum remitteret. atque ad regem *Pannoniæ* literas dederunt, quibus litteris, quid ab *Admete* habuissent, certiorem illum fecerunt, velleque se suum hominem *Byzantium* mittere significaverunt, atque ab eo petierunt, ut & ipse suum hominem eodem mitteret, quo majore cum dignitate pax æquioribusque conditionibus tractari conficique posset. *Uladislaus* intellecta re, Patrum consilium probavit, facturumque quod vellent, de legato se recepit. Illi *Zachariam Frescum*, *Decemvirûm* scribam, ire *Byzantium* jusserunt.

Pacis tractatio inter Venetos & Thraciæ ducem.

Guidus Ubaldus regno amisso ad *Aloisium* regem *Galliæ Mediolanum* sese conferens, auxilia in *Cæsarem* postulatum, ubi nihil in eo probitati & innocentiæ, contra perfidiam & crudelitatem esse præsidii cognovit, cum uxore *Venetias* venit. Patres eum lubentes exceperunt, & domo pro illius dignitate publicè tradita, bono esse animo jusserunt: qua ex domo paulò pòst, cum *Metaurenses*, *Cæsaris* arcium præfectis & militibus interfectis, oppidisque aliquot receptis, ejus imperio se subtraxissent, suum in regnum facilè rediit: atque in eo ab *Ursinæ* gentis principibus adjutus, devictis hostibus, suam dignitatem aliquot menses obtinuit.

Guidus Ubaldus Venetias secedens Ursinorum auxiliis regno restituitur.

Ea rerum mutatione plerique se populi reipublicæ commendaverunt, orantes ut se in deditionem reciperet. Est in *Ariminensium* finibus mons excelsus, duplici jugo, quà mare prospicit, præruptus: alia parte declivitatem habet latè in occasum patentem, vinetis & segetibus uberem. Illis in jugis duæ arces sunt summa in crepidine, quibus oppidum subjacet, civitasque montanorum hominum, qui rempublicam administrant, neque ulli regi serviunt, *Crepidines Pinnæ Marinianæ* appellantur. Ii & ipsi, ne ab *Cæsare* in servitutem redigerentur, cùm magnopere timerent, Senatui eo tempore significaverunt, velle se sub ejus imperio esse: mitteret ad se aliquem reipublicæ nomine, se illius dicto audientes futuros, imperataque facturos. Sed neque hos, nec cæteros,

Populi quidam Reipublicæ Venetorum se dedere volentes rejiciuntur.

Crepidines Pinnæ Marinianæ.

ros, qui se reipublicæ dedere cupiebant, Patres recipiendos censuerunt.

Hispaniæ regum legatio.

Miserant inter hæc reges *Hispaniæ* ad Senatum *Laurentium Suarem*, illum eundem, qui legatus eorum bello *Gallico* apud rempublicam fuerat: is clam itinere per *Galliam* confecto, paucis ante Calendas Decembris diebus ad urbem venit: atque illi auri libra singulis est mensibus in sumptum à Senatu constituta. In primis apud *Lauredanum* Principem & Patres sermonibus *Suares* de *Aloisio* rege *Gallorum* questus, quòd fœderi cum suis inito regibus non stetisset, ut cui neque sua, neque aliena satis essent: ab ejus amicitia Patres avertere modis omnibus est conatus, illum affirmans propterea *Cæsaris* rebus tanto studio favisse, ut esset qui reipublicæ finibus immineret, neque quiescere illam sineret. gaudere implicitam esse bello *Thracio* civitatem. quam ad eos classem miserit, ad speciem, non ad ullam reipublicæ frugem misisse. id eventu patuisse, quòd obfuerit potius, quàm ulli usui fuerit. *Hispaniæ* regum voluntatem omni tempore cum reipublicæ voluntate consensisse, quoniam utrique fidem & pietatem colerent: si se ii fœderibus unà firment, neminem nocere eis posse. Hæc & his similia de *Suare* non semel à Patribus audita, tametsi vera esse pleraque cognoscerent, illos tamen non moverunt, ut quod ipsis cum *Aloisio* fœdus intercedebat, ulla ex parte violarent: tantùm dicere, sese *Hispaniæ* regum fidem atque virtutem, & propensum in rempublicam animum, plurimi sanè facere, semperque facturos: cum *Aloisio* fœderis conditionibus se teneri: molestè ferre bellum inter ipsos exerceri potius, quàm vigere pacem: si quid possent ad reconciliandam inter eos gratiam, de eo si admoneantur, se non defuturos, amicissimorumque hominum officio in utrumque functuros.

Aloisius rex *Venetis* suspectus redditur.

Transactio cum rege *Pannonia*.

Cum *Uladislao* autem *Ponnoniæ* rege, de legati ad *Bajasetem* missione diem ex die ducente, propterea quòd pace cum illo à Senatu inita, nisi novæ sponsiones intercederent, stipendiis reipublicæ carendum ipsi erat: ne res tanta differretur, legati reipublicæ pacti sunt, uti mille auri libræ, regi annis singulis ab Senatu bello *Thracio* dari solitæ, ad tercentum redigerentur, quoad *Bajasetes* viveret, tribus item pensionibus persolvendas.

Guidus Ubaldus iterum regno pellitur.

Alexander cùm vidisset *Guidum Ubaldum Ursinæ* gentis studiis regnum suum recuperavisse, orando, territando, magna pollicendo, ejus familiæ principibus in suas traductis partes, fœdus cum illis percussit. Simul ab *Aloisio* missis ad se auxiliis *Cæsar*, magnisque copiis undique comparatis, *Guidum Ubaldum*, quem quidem sine spe, sine opibus destitutum amici deseruerant, iterum regno expulit, cùm tamen ille munitissimum naturà totius regni oppidum, misso ad id custodiendum *Octaviano Fregosio* adolescente, sororis suæ filio, cum militibus, & omnium rerum pro tempore copia, communitius factum obtineret. *Urbinatibus* receptis ad *Senogalliam* oppugnandam *Cæsar* primis anni diebus rectà profectus, ubi civibus sine mora se dedentibus, oppido est potitus. *Ursinæ* gentis principes eos ipsos, cum quibus paulò antè fœdus percusserat, quique secum unà venerant, omnes in vincula conjecit: eaque de re *Alexandrum* patrem mira celeritate certiorem fecit. Ille statim *Baptistam Ursinum* Cardinalem, qui fœderis autor fuerat, magna apud suos autoritate, nihil ejusmodi verentem, ad se vocatum custodiæ tradidit: qua in custodia paucis pòst diebus est mortuus, conjectis ab *Cæsare* in vincula partim nocte proxima, reliquis in *Senensium* fines adductis, quò *Cæsar* cum exercitu contenderat, laqueo gula fracta. Idem vitæ finis *Venantio* & *Octaviano* adolescentulis, *Camertium* regis liberis, captis à *Cæsare*, *Pisauri* datus. Pater eorum regno amisso clam elapsus, paulò pòst ad urbem venit. Ob eas *Cæsaris* actiones, qui cum *Camertibus Ariminum* etiam in suam ditionem redegerat, Senatus, uti suos fines magis communiret, *Livianum Caracciolumque* cum equitibus & militibus *Ravennam* misit. *Guidus Ubaldus* hostem fugiens cùm se *Pitilianum* in *Hetruriam* contulisset, diesque complures ibi fuisset, *Cæsare Pitilianum* bello aggredi velle dictitante, ut illum interciperet, magno cum periculo per *Senarum* & *Florentinorum* agrum in fines reipublicæ, atque ad urbem se recepit: cui à Senatu libra auri dono in sumptum singulis mensibus constituta.

Baptista Ursinus in carcere moritur.

Cæsaris Borgiæ sævities.

Ubaldus Venetias redit.

Quoniam autem libido ea inter cives creverat, ut quamplurimi sacerdotia, quæ habere bonis artibus non poterant, *Romæ* coëmerent, qua in urbe ejus rei consuetudo facultasque ab *Alexandro* instituta latè palámque invaluerat. *Decemviri* sanxerunt, si quis in posterum id faceret, ejus bona fisco inferrentur, ipse ab urbe atque urbis finibus quamdiu viveret exul esset.

Lex in Sacerdotia ementes.

Neque multò pòst *Joannes Michael* civis *Venetus* Cardinalis, qui *Pauli* secundi Pontificis Maximi sororis filius fuerat, *Romæ* veneno interiit, quod ei *Alexander* à præfecto *Michaelis* epularum dari jussit. Causa interficiendi hominem fuit aurum atque argentum, quod is habere existimabatur, quarum omnino rerum inexplebilis *Alexandri* animum cupiditas ad omnem iniquitatem incendebat, uti filio pecuniam exercitibus alendis suppeditaret, quo is *Italorum* principum regna occupare celerius posset, se jam sene. Minister veneni haud multò pòst, *Julio* Pontifice Maximo, re per indicium enuntiata, in vincula conjectus, quæstione habita sui sceleris pœnas persolvit.

Papa veneno Cardinalem tolli jubet.

Alexandri Pontificis avaritia.

Bajasetes interim induciis cum *Sophi Armeniæ* rege initis, cum quo sibi atrox bellum intercedebat, ad bellum *Venetum* solutior factus, animos, quos dejecerat, sumpsit, deque pace cum republica nihil se facturum dixit, nisi *Veneti Leucadiam* sibi insulam restituerent. Patres de eo per *Admetis* ad *Andream Grittum* literas, perque nuntios certiores facti, ne diutius eo bello contererentur, pacem cum *Bajasete* fecerunt, *Leucadiamque* insulam, cujus oppidum magna impensa *Pisaurus* longè firmius jam communitiusque fecerat, *Bajaseti* restituendam curaverunt, *Pisauro* domum reditione permissa. Ea de pace uti Diis immortalibus gratiæ agerentur, atque auri libræ tres dono in sacerdotum collegia distribuerentur, Senatus censuit. Et quoniam *Bajasetes* legatum suum unà cum *Zacharia* domum redeunte ad urbem miserat, ut quando ipse legato reipublicæ jusjurandum dederat, fore de pace, uti pollicebatur, ita is dando item à *Lauredano* principe jurejurando præsens adesset: Senatus *Andream Grittum* legavit, qui ad *Bajasetem* cum eodem legato, reverti properante, proficisceretur. cui legato vestis aurea, & item serica, cum ternis auri libris dono data. Eadem est pax aliquot post menses à *Bajasete* cum *Uladislao* rege *Pannoniæ* inita.

Bajasetis pax cùm *Armeniæ* rege & *Venetis*.

Legatus *Venetorum* ad *Bajasetem*.

Bajasetis pax cum *Uladislao* rege *Pannoniæ*.

His rebus ita constitutis, ab *Aloisio* rege *Galliæ* missus ad Senatum legatus paucis ante Calendas Quintiles diebus postulavit, uti novum suo cum rege Patres fœdus sancirent. Is fuit *Joannes Lascaris Byzantius*, Græcis literis eruditus. atque id ea de causa rex procurandum sibi & contendendum statuerat, ut quoniam *Consalvus*, *Hispani* dux exercitus, in *Brutiis* suum exercitum interfecto duce fuderat, fugaverat, regnumque *Neapolitanum* propè omne sub regum suorum imperio

Gallia rex novum cum *Venetis* fœdus sollicitat.

perio redegerat, renovato fœdere *Veneti* cum *Hispaniæ* regibus bellum unà facere tenerentur, atque ut ad eam rem Patres animum inducerent, amplissimæ ab *Aloisio* conditiones proponebantur: quas omnes Senatus respuit, veteri se fœdere contentum dictitans.

Alexander Pontifex proprio parato veneno perit.

Alexander veneno, quod furtim dari *Adriano* Cardinali familiari suo jusserat, cujus in hortis unà cum *Cæsare* filio cœnabat, per ministri imprudentiam epoto, quintodecimo Calendas Septembris excessit è vita. *Cæsar* eodem haustu penè absumptus, difficilem in morbum incidit. qua in re Deorum immortalium mens & voluntas visa est magnopere adfuisse, cùm ii, qui plurimos & *Romanæ* reipublicæ principes, & clientes suos, ut eorum opibus & thesauris potirentur, veneno necaverant, & tunc suum hospitem atque alumnum adjungi ad reliquos, necarique mandaverant, eo ipso in ministerio semet pro illo interficerent.

Benedicti Pisauri obitus.

Illis diebus *Benedictus Pisaurus* classis præfectus, vir egregia virtute, cùm se ad reditum compararet, valetudine impeditus *Corcyræ* interiit.

Rerum mutatio post Pontificis obitum.

Patres ob *Alexandri* mortem id, quod re evenit, existimantes fore, ut multa oppida, malis artibus ab *Cæsare* capta, ejus imperium essent detrectatura, præfectis aliquot *Revennam* missis copiarum, quæ ibi erant, numerum duplicaverunt. pauloque pòst *Decemviri Christophorum Maurum*, unum ex quinqueviris, qui res bellicas in Senatu procurant, legatum creaverunt, atque in *Flaminiam* contendere jusserunt, ut, si quod ex *Cæsaris* oppidis sponte reipublicæ se dederet, ab eo reciperetur. Cùmque complura jam *Romanorum* principum castella pagique ejectis aut interfectis *Cæsaris* ministris, ad priores dominos rediissent; *Pisaurum*, *Ariminum*, *Camerinum*, *Senogallia*, etiam *Populonia*, cujus regem *Cæsar* expulerat, oppidumque ceperat, idem factura dicerentur, *Guidus Ubaldus* & ipse suum ad regnum recuperandum à popularibus accersitus, triginta auri libris à Senatu mutuò acceptis, viæ se dedit, eóque adveniens omnibus ab oppidis magna gratulatione est receptus. *Cæsar*, non tam quòd esset morbo implicitus, quàm propter *Romanorum* civium in sese odia vitæ suæ metuens, quicquid equitum & militum habebat, in urbem introduxit.

Guidus Ubaldus in regnum redit.

Cardinalium in eligendo Pontifice sollicitudo.

Ea re accidit, quòd accidere erat necesse, ut Cardinales, qui jam propè omnes convenerant, ad novum Pontificem legendum, ne facere id possent, *Cæsaris* exercitus timore impedirentur. qua intellecta re Senatus literas ad eos dedit, si ita opus esse ducerent, se celeriter omnes suas copias *Romam* missurum, quibus facilius *Romanæ* reipublicæ majestatem, & suam dignitatem tueri, & quæ ex usu essent, administrare liberè ac sine metu possent. *Antonius* etiam *Justinianus* legatus coràm idem est pollicitus Senatus reipublicæque nomine: quod quidem illis tam suspecto tempore gratum ac peropportunum fuit: ea enim re permotus, ut in se rempublicam incitaret, *Roma* cum suis omnibus egressus copiis *Cæsar*, *Vaticanum* sacro Senatui reliquit. Interim à *Guido Ubaldo* nuntius ad Senatum venit, sese regnum & salutem suam illi acceptam referre, cupere cum equitibus gravioris armaturæ centum, levioris, qui sagittis uterentur, centum & quinquaginta, stipendia reipublicæ facere: milites se habere paratissimos numero ad duo millia, quibus sine stipendio mensem eoque amplius Senatus uti possit: rogare, ut in ejus fidem recipiatur. Cognitis his postulatis, satis est ei omnibus in rebus ab Senatu factum, atque auri libræ centum annuæ in stipendium constitutæ.

Pius tertius Pontifex creatur & moritur. Julius secundus eligitur Pontifex.

Cardinalium collegium, *Cæsaris* abitu liberum factum, Cardinalem *Senensem* Pontificem Maximum creavit, qui se *Pium* tertium appellari voluit. Huic ante mensis exitum vitiatæ tibiæ doloribus mortuo successit *Julius* secundus *Ligur*, quem respublica Pontificem fieri majorem in modum concupiverat, eique rei omnem suam operam adhibuerat. Sed *Pio* vita fruente, *Jacobus Venerius*, *Ravennæ* præfectus, *Cesenam* ab ejus oppidi civibus accersitus, qui se reipublicæ dedere volebant, cum militibus noctu se contulit frustrà, propterea quòd non ea, quæ inter ipsos convenerat, sed nocte postera eò venit: illi autem cùm se superiori nocte ad illum recipiendum comparavissent, neque is se ostendisset, studium & diligentiam remiserunt.

Oppida quædam Flaminiæ deduntur Reipublicæ Venetorum. Fori Livii arx.

Accidit autem ob ejusmodi moram, uti *Cæsaris* militibus res in suspicionem veniret, qui ad portas & in muris stationes habuerunt: itaque *Venerius* infectâ re *Ravennam* rediit. Paucis pòst diebus *Petri Remiri Hispani*, qui *Fori Livii* arcem munitissimam *Cæsari* custodiebat, nuntius *Ravennam* ad legatum venit, si respublica eam arcem velit, *Remirum* illam traditurum, modò ei liceat, quæ in arce sit supellex *Cæsaris*, *Ravennam* atque ad urbem asportare: tum ab Senatu præfecturam habeat equitum quinquaginta, totque in urbe insulas, quibus ex insulis duarum auri librarum fructus annuus ad sese redeat. Eâ intellectâ re, Senatusconsultum factum est, legato licere præfecto arcis fidem dare reipublicæ nomine, fore, quemadmodum velle se ostendisset, arcemque ab eo accipere, atque ea de causa *Forum Livii* accedere cum ea copia, quam ex usu esse reipublicæ statuisset: néve quis eam rem enuntiaret, à Senatoribus omnibus cum *Pandulphum Malatestam*, qui *Ariminum* à *Roberto* patre traditum aliquot annos injustè regnans obtinuerat, & ab *Cæsare* ejectus oppido fuerat, eò cum copiis accedentem oppidani repulissent: *Guidus Ubaldus* per legatum suum Senatui significavit, *Pandulphum* cupere, ut, quoniam oppidani adduci non poterant ut ei sese dederent, reipublicæ autem imperium magnopere optarent, Senatus oppidum reciperet: sperare sibi ab republica non defore vitæ pro dignitate traducendæ facultatem: itaque si Senatus jubeat, ipsum eam rem curaturum, quo *Ariminenses* magnopere confiderent. quamobrem Senatus censuit legato respondi oportere: si *Guidus Ubaldus*, uti *Ariminum* oppidum reipublicæ se dederet, suo studio & autoritate, quam cum illa civitate habeat, effecisset, eam rem Senatui gratam fore. postremò cum *Guidus Ubaldus* aliquot pagos & castella ex *Ariminensium* & *Cesenatium* finibus valde vel communita, vel propter agrorum bonitatem opportuna, vi expugnavisset, & Senatui significavisset, ea se omnia reipublicæ traditurum, modò id se non nolle ostendat, alterum Senatusconsultum factum est, ea recipi Senatui placere. Tum *Faventinis* civibus aliquot, qui *Ravennam* ad legatum venerant, reipublicæ sese dedere cupientibus idem uti legatus eis ostenderet, imperatum. & quoniam *Arimini*, *Faventiæ*, *Forique Cornelii* arces munitissimæ singulatim à præfectis *Cæsaris* obtinebantur, quorum pars reipublicæ eas vendere cupiebat: latum, uti de conditionibus cum eorum nuntiis legatus ageret. *Russium* præterea in *Faventinorum*, & *Archangelianum* ac *Savinianum*, in *Ariminensium* finibus pagi frumentarii, & magna uterque fertilitate, itemque castellum *Urbinatibus* finitimum summo in jugo, quod incolæ *Montisflorem* appellant, reipublicæ deduntur. Etiam *Faventiæ* ager propè universus unà cum arce oppidi egregia, legato cum copiis accedente, in fidem recipitur.

Ariminum.

Montisflos.

Quo ferè die allatum est, *Julium* Pontificem Maximum esse factum: itaque in urbe omnes magnopere lætari, oppido egregio ad reipublicæ imperium accedente, & *Julio* Pontifice, in quem Senatus largiter omnia sua studia atque officia contulisset, lecto. ipse verò *Julius*, cum ad eum gratulatum *Antonius* legatus accessisset, hominem hilariter complexus, omnia se reipublicæ debere profiteri: nihil esse quod de se Senatus polliceri sibi non posset. Cúmque ab legato sermo de *Cæsare* institutus esset, propterea quòd nonnullis ab hominibus prædicabatur, illum ab *Julio* fotum ac defensum iri: legato, ut nihil ejusmodi vereretur, fidem fecit. Illud etiam se dixit cupere, ut quæ *Cæsar* possideret in *Flaminia* oppida, ea illi eriperentur. quæ quidem certè oratio gratissima civitati fuit. Inter hæc *Pandulphus*, nonnullorum factione inter eos excitatâ, ab *Ariminensibus* recipitur.

Julius Pontifex favet Reipublicæ *Venetorum.*

Florentini quod ægrè ferrent *Faventiam* in reipublicæ potestatem venire, copias miserant, quæ civium parti, qui secum sentiebant, auxilio essent, ut sibi potius, quàm reipublicæ se dederent. Ea pars milites & agrestes homines in oppidum introduxerat: ab iis reliqui perterrebantur, ne portas legato aperirent: itaque milites, quos *Guidus Ubaldus* Senatui pollicitus fuerat, legatus ab eo accersit: alios comparat, & delectum habet: tormenta adduci imperat, equites mittit, qui *Florentinorum* copias in montibus morentur & repellant.

Florentini quales in *Venetos.*

Dum hæc foris administrantur, Senatus legatos creavit, qui *Romam* proficiscerentur *Julio* Pontifici Maximo gratulatum, ob propensam in illum reipublicæ voluntatem, octo: quod ante eam diem nunquam acciderat, ut tot legati ad Pontificem non *Venetum* mitterentur.

Legati *Venetorum Romam* missi.

Florentini, cum potiri *Faventia* non possent, per *Franciscum Soderinum* civem suum Cardinalem egerunt, ut is suspectam *Julio* rempublicam faceret: omnes ejus oppidi fines, arcemque oppidi jam in reipublicæ potestate esse: oppidum etiam brevi futurum: id illam, non tam ut ab *Cæsare* malè parta extorqueantur, quàm ut sibi acquirat, contendere, & tantopere conari: quod semel *Veneti* ceperint, nunquam eos reddere consuevisse: ipsum eam rem serò cogniturum, cùm jam ii rerum domini ejus permissu fuerint. De eo *Antonius* legatus certior factus ut Senatum purgaret, *Julium* adiit, rogavitque ne reipublicæ calumniatoribus aures tribueret, quos non defore sciebat. cúmque quod visum fuit in eam sententiam dixisset, *Julius* neque se quicquam credidisse iis, qui maledictis rempublicam insectati essent, respondit, neque in posterum crediturum: scire, se amari à *Veneta* civitate, ejusque rei permulta haberi indicia: & ipsum contra amore summo erga illam affici: gaudere etiam, cum quis ob id non *Ligurem*, sed *Venetum* appellet: quod quidem jam fieret ab iis, qui tantam ipsius & reipublicæ conjunctionem, & inter ipsos benevolentiam molestè admodum ferunt. Sed quod ad *Cæsaris* regnum ditionemque attinet, cupere se, ut quæ in reipublicæ imperio ante illum erant oppida, eidem reipublicæ restituantur. Hoc sermone habito ab se legatum dimisit.

Florentinorum artes.

Pontifex *Venetum* se appellari gaudet.

Inter hæc *Pandulphus* ad urbem venit: qui, cum vereretur sese *Ariminum* propter civium infensam in se voluntatem obtinere diutius non posse, ad id, quod per *Guidum Ubaldum* paulò antè Senatui proposuerat, rediit, atque *Ariminum* reipublicæ certis conditionibus tradidit. Itaque *Dominicum Maripetrum* legatum, qui oppidum, & *Vincentium Valerium*, qui arcem reciperet, Patres *Ariminum* miserunt, *Pandulpho* posterisque ejus *Citadella* oppidum

Ariminum Venetis traditur à *Pandulpho Malatesta.*

A in *Patavinorum* finibus, & paulò pòst civitas cum jure comitiorum ipsi & *Carolo* fratri ejus data. *Pandulphus* etiam in reipublicæ militiam receptus, eique præfectura equitum attributa, uxori & fratri *Carolo* quinque auri libræ annuæ utrique constitutæ: alteri ex liberis duobus sacerdotia liberiora promissa, quot petierat. ipsi datæ dono in præsentia auri libræ centum. Ea de re per *Antonium* legatum Senatus *Julium* certiorem facit, qui in eo perseverat, ut velle se ostendat, quæ fuerint Romanæ reipublicæ oppida, ei restitui: itaque petere à Senatu, ut auxilio suo atque opibus ad ea recuperanda sese juvet.

B Miserat ante illos dies Senatus alterum *Faventiam* legatum *Nicolaum Fuscarenum*, ad oppidi oppugnationem majore studio & celeritate procurandam, lentè adhuc administratam existimans. Jusserat etiam, ut *Nicolaus* copiarum reipublicæ præfectus cum iis *Faventiam* contenderet. Is statim viæ se dedit. Sed antequam *Ravennam* perveniret, muro tormentis percusso, legatisque proponentibus se oppidum ad prædam militibus daturos, si cives deditionem differant, ante diem tertiumdecimum Calendarum Decembrium *Faventia* deditur. *Venetias* ubi de eo est allatum, Senatusconsultum fit, ne *Julii* animus irritetur, C nihil oppidorum *Cæsaris* recipi amplius ab legatis oportere: satis in *Arimino* atque *Faventia* reipublicæ factum. Deinde legatorum alter jussus *Ariminum* se conferre, honestandi oppidi causa.

Faventia à *Venetis* oppugnata capitur.

Iisdem diebus *Andreas Grittus*, quem Senatus ad regem *Thraciæ* miserat, pacis conditionibus aliquot in reipublicæ utilitatem recognitis, ipsâ rectè firmatâ, domum rediit.

At cùm paulò pòst *Româ Antonii* legati literis Patres intellexissent, multorum sermonibus confirmari, *Julii* permissu *Cæsarem* ad suum in *Flaminia* regnum propediem reversurum: proximo Senatusconsulto rescisso, literæ sunt ad legatos ab D Senatu datæ, ut quidquid possent, de *Cæsaris* ditione reipublicæ addere capereque festinarent. Ea re evenit, ut *Meldulam* in *Ariminensi* agro, & *Tossinianum* in *Foro Corneliano*, pagos muris arcibusque communitos, missi ab legatis equites ad reipublicæ imperium libentissimos adjecerint.

Post hæc *Angelus* Episcopus *Tiburtinus*, qui *Alexandri* legatus aliquot annos apud rempublicam fuerat, eoque mortuo *Romam* redierat, iterum missu *Julii Venetias* venit eodem legati nomine. Is primo adventus sui die salvere ab *Julio Lauredanum* Principem & Patres jussit humanis-E simis amantissimisque verbis: eisque gratias ingentes agere illum dixit, quòd in se juvando, ut Pontifex Maximus legeretur, multum operæ studiique contulissent: plurimumque ex eo se debere Senatui libenter profiteri, neque unquam ejus officii memoriam abjecturum: amare insuper sua sponte *Venetam* civitatem, remque publicam optimis utentem & institutis, & legibus: itaque omnia ei omni tempore tributurum, quæ ex dignitate sua tribui amicissimis hominibus possint. Hoc sermone habito appellatis suo nomine Patribus, quibuscum priore legatione assueverat, dis-F cedit, mandata reliqua, quæ longioris essent moræ, in aliam se differre diem pronuntians. Ea dies ubi venit, secretò apud illos, *Decemvirûm* adhibitis magistris proponit, velle *Julium* & petere, uti *Ariminum* & *Faventia*, quæ interceperint de *Romana* ditione oppida, ea ipsi restituantur: rogare etiam, ut ad reliqua recuperanda eum juvent: decrevisse enim, ne ulla *Cæsari* turricula, cui imperet, relinquatur, sed omnia eò redeant, unde recessere.

Legatus Pontificis ad Rempublicam *Venetorum.*

Pontificis postulata.

Patres questi, non esse hoc illud, quod ob suam in

Venetorum responsa. in *Julium* pietatem & studium ab eo expectarent, rem ad Senatum deferunt. Senatus censuit legato respondi oportere, quòd *Ariminum* & *Faventiam* respublica ceperit, ea ab *Cæsare* homine importunissimo crudelissimoque cepisse, *Julio* ipso, antequam Pontifex Maximus fieret, hortante, facto autem permittente atque assentiente: eaque oppida, uti à vicariis obtineri solita, rempublicam modò sua fecisse, reliqua non attigisse: quæ si voluisset, non fuisse difficile capere, atque retinere: eorum duorum oppidorum nomine se vicariam *Romanæ* reipublicæ velle esse, ut priores domini fuissent. quid in eo *Julius* amitteret? quare, ea sibi esse retinenda, statuisse. quod ad eum ad reliqua juvandum attineret, suas omnes copias atque opes polliceri: eis ille tanquam suis uteretur. Hæc responsi lex.

Julii Pontificis in Venetos consilia. Illud autem hortatorem *Julium* ejus negotii fuisse, verissima Senatus oratio fuit: nam cùm apud *Julium Antonius* legatus *Pii* Pontificis regno in eum sermonem esset ingressus, ut de *Cæsaris* injustissima *Flaminiæ* possessione quereretur, autor reipublicæ ejus magnopere consilii *Julius* fuerat. Is de rebus sæpe ultro citroque datis ad legatum *Romam* literis & acceptis, *Julio* à sententia non recedente, affirmante interdum potius, quoniam sibi ad bellum cum republica gerendum vires non suppeterent, se à Christianis regibus auxilia contra eam imploraturum, quos sciret *Romanæ* reipublicæ opes eorum egenti nunquam defuisse. *Antonio* autem legato ipsum illum ab eo nondum Pontifice habitum secum sermonem repetente, atque ut ejus reminisceretur, ab illo postulante, cujus omnino rei *Julius* satis idoneam afferre excusationem non poterat: tantum inquiebat, quæ non Pontifex dixerit, ea se expendere non oportuisse. Annus ad exitum labitur: itaque prima insequentis anni die *Antonius* oratione apposita & leni *Julium* satis hilarem aggressus familiariter petiit, ut, quoniam ea die clientibus atque amicis dari munera consuevissent, ipsi dono reipublicæ tam illi deditæ, tam affectæ atque amanti daret, ut *Ariminum* & *Faventiam* eo libente obtineret, quo ipse vellet nomine. Ad quæ subridens *Julius* ita respondit: Ageret ipse cum republica ut *Tossinianum*, quod esset in *Fori Cornelii* finibus postremo captum, ante omnia restitueret, post id de *Arimino* atque *Faventia* peteret, aliquid fortasse impetraturum. Hoc *Julii* sermone ad Senatum *Antonii* litteris celeriter perlato, dum de eo Patres consulunt, resque altercatione magistratuum ex die in diem rejicitur, *Angelus* legatus literas *Julii* Patribus reddit: quibus literis omnem illis spem *Julius* adimit, aliter inter se remque publicam non posse convenire, quàm si ablata restituantur: id ni fecerint, Deos se & homines in auxilium vocaturum, atque ad omnia descensurum minatur. *Pontificis literæ minaces.* Tum verò Patres magnopere turbari, idque se ab *Angelo* magis, quàm ab *Julio* agnoscere, qui de Senatus in illum voluntate perincommodè sæpe scripserit, cùm moderatius atque sedatius agere debuisset, *Juliique* animum, quem quidem cùm iracundum per se, tum calumniis malevolorum incitatum & succensum, restingui bonis verbis oportebat, digna atque indigna congerens malis persuasionibus inflammavisset. eoque magis indignabantur, quod omnia, quæ in Senatu secretò agitabantur, idem cognoscere modis omnibus nitebatur, dabatque operam ut ea quamprimùm *Julius* intelligeret, odiosasque ad eum literas dabat.

Illud etiam Patribus ad hanc molestiam accedebat, quòd *Julius* suum hominem legatum ad *Aloisium* regem *Galliæ* miserat questum de reipublicæ injuriis, auxiliaque contra illam postulatum, idemque apud *Maximilianum* per oratoris ipsius scribam *Jacobum Bannisium Romam* missum fieri procurarique mandaverat, scriptis ad eum literis acerbioribus ea de re, decimamque fructuum ex sacerdotiis *Germanicis*, quam quidem *Maximilianus* ab eo magno studio petierat, ultrò illi deferens, si se juverit. *Pontifex Principum auxilia & favorem amplis promissionibus tentat.* Apud quem utrumque, Senatus ab legatis reipublicæ facti excusationem afferri jussit: se *Ariminum* & *Faventiam* non ab *Romanis* Pontificibus, sed ab latrone omnium teterrimo avertisse: alterum, ne à *Florentina* civitate, sibi propter recentem *Pisani* belli memoriam inimicissima, quæ eò suas copias miserat, interciperetur: alterum, permutatione oppidi cum ejus regulo facta in reipublicæ finibus, ea oppida ante *Cæsarem* per vicarios obtineri consuevisse: *Venetorum excusatio.* si se illorum vicarium fieri Senatus velit, nihil novi petere: id pro ejus plurimis in rempublicam Christianam meritis æquum esse ei tribui, quod sæpe aliis nihil merentibus sit datum: neminem in *Flaminia* vicarium, neque ad eam ipsam reliquaque *Romanæ* ditionis oppida defendenda firmiorem, quàm Senatus sit, neque qui majori illi usui, si res exigat, possit esse, hac *Julium* tempestate habiturum, quænam invidia sit, quod temerè cuilibet, ac sine ullo usu condonatur, id & præteritis reipublicæ promeritis & spei futurorum, cùm se occasio dederit, proventuum & commodorum pernegari? Ipsum præterea *Julium* suasorem Senatui per legatum abripiendi ab *Cæsare Flaminiam* extitisse: post id, præter illud, cujus ipse hortator fuit, nihil novi accidisse: ut non tam *Julius* habere causam, cur à sententia recedat, quàm quonam modo reipublicæ noceat, quærere ac meditari videatur, petere itaque rempublicam ab *Aloisio* quidem, ne fœderis religionem, quod ei cum Senatu est, propter *Julium* tam injustè se efferentem violet: à *Maximiliano* autem, ut amicus reipublicæ, quæ finitima illi est, atque benevola semper fuit, bona in causa malit esse, quàm *Julio*, qui longè ab ejus regno abest, in periniqua, si fides inter homines atque constantia suum jus obtineant. qua accepta excusatione, uterque à se reipublicæ causam apud *Julium* defensum iri liberaliter pollicitus, Senatum paulo quietiorem reddidit.

Illis diebus, propterea quòd *Nicolao Ursino*, qui *Ravennæ* erat, reipublicæ copiarum præfecturæ tempus explebatur, ob ejus fidem atque constantiam, quòd à compluribus civitatibus & regibus, ut ipsorum stipendia faceret, magnis pollicitationibus invitatus, rempublicam deserere noluerat, per triennium imperatorium ei nomen cum stipendio annuo auri librarum quingentarum Senatus dandum censuit. *Nicolao Ursino imperium prorogatur.*

PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI SEPTIMI

EPITOME.

Franciscus Maria à *Guido Ubaldo* adoptatur. *Aloisii* cum *Maximiliano* Cæsare fœdus. *Tronus Venetiis* ob proditionem suspenditur. *Joannes Pisaurum* obtinens *Venetiis* uxorem ducit. *Isabella Hispaniæ* regina moritur. *Herculis Atestini* obitus. *Germanorum* domus *Venetiis* conflagrata, magnificentius à Senatu iterum ædificatur. Senatus controversiæ cum *Julio* Pontifice compositæ, & legati octo ad eum missi. *Alphonsi Atestini Venetias* adventus. *Aloisii* cum *Ferdinando* fœdus. Piraticum bellum. *Tunetani* regis ad Senatum legatio & munera. *Norimbergenses Venetarum* legum exemplum petunt. Senatus *Alexium Thracio* regi tradit. *Sabellici* obitus. *Ægyptii* regis legatus componendarum controversiarum caussa *Venetias* venit. *Philippi Austrii* in *Hispaniam* profectio & obitus. *Ferdinandi* regis *Neapolim* adventus. *Julii* Pontificis literæ à Senatu rejiciuntur. *Joannes Bentivolus* à *Julio* Pontifice *Bononia* pellitur. Senatusconsultum in eos, qui principum legatorúmve favore uterentur, latum. *Petri Barotii* obitus. *Liguribus* petentibus civitas & securitas datur. *Aloisii* in *Italiam* adventus. *Genuæ* expugnatio. Ejusdem cum *Ferdinando* rege colloquium, & in *Galliam* reditus. Milites ex agris à *Venetis* instituti. *Maximiliano* petenti itineris cum exercitu facultas denegata. Reipublicæ ad bellum apparatus. *Germanorum* in *Rhetos* & *Carnos* irruptio. Eorundem ad *Cadoras* clades. *Tergeste* cum multis aliis oppidis à *Venetis* expugnatur. *Venetorum* cum *Maximiliano* induciæ. Terræmotus in *Creta* ingens. *Contarenus Camalis* naufragio perit. Lex in eos, qui largitione magistratus quærerent, lata. Pax *Maximiliano* petenti denegatur. Novi homines in *Britannico* Oceano capti. *Cameracense* fœdus. *Venetorum* ad bellum apparatus. Pulvis tormentarius & Urbana navalia fulmine tacta. *Hispani* regis fraudes. Belli contra *Venetos* initium. Fœdus cum quatuor *Helvetiorum* pagis à *Venetis* ictum. *Galliæ* rex *Venetis* bellum indicit. Pontifex *Venetis* aqua & igni interdicit. ejusque progressus. *Galliæ* regis *Mediolanum* adventus, ejusque copiæ. *Venetorum* cum *Gallis* ad *Abduam* pugna.

LIBER SEPTIMUS.

Vincentii Naldii meritorum præmia.



EODEM fere tempore, quòd *Vincentius Naldius Faventinus*, magna in oppidi finibus gratia, omne studium & diligentiam adhibuisset, ut *Faventia* in deditionem potestatemque reipublicæ redigeretur, ei militiæ insignia cum veste aurea, aurique libræ viginti sunt à Patribus dono datæ, tum quinque in annos singulos constitutæ pensionis nomine, immunitate omnium rerum, quam hæredes ejus sequerentur, addita, primis quoque proximi ordines militum belli tempore promissi: ejus etiam propinquis quatuor victus annuus attributus. neque multò pòst cædem honestates, donaque totidem, quot in *Vincentium* Senatus contulerat, in *Dionysium* item *Naldium* ejus consobrinum sunt collata.

Franciscus Maria à Guido Ubaldo adoptatur.

Aestate verò inita cùm *Guidus Ubaldus Julii* suasu *Franciscum Mariam*, sororis suæ filium, cui fuerat pater *Joannes Julii* frater, *Senogalliam* obtinens, adoptavisset, eam adoptionem *Julius* de collegii sententia magno studio comprobavit. qua una quidem re suam in *Venetos* iracundiam injustiorem reddidit, cùm videri posset, quod illis juris in *Romanæ* reipublicæ oppida tam obstinatè pernegaret, suis facilè propinquis tribuisse.

Legati Maximiliani ad Venetos.

Maximilianus autem suscepti paulò antè reipublicæ apud *Julium* patrocinii planè jam immemor, duos legatos *Venetias* misit, qui Senatum hortarentur, uti *Julio Faventiam* atque *Ariminum* restitueret: eam in primis curam ad se spectare, suique esse muneris *Romanæ* reipublicæ Pontificisque rerum procurationem: id si nolit, causam ad judicium remittat: se curaturum, ut item ab *Julio* remittatur: quod si se arbitrum velint ejus disceptationis facere, se non recusaturum, & pro rei æquitate sententiam laturum. Iis legatis *Lauredanus*, consulto Senatu, cùm omnes ejus rei causas, quas quidem *Maximiliano* civitatis legati antea ostenderant, enumera- **A** visset, unum modò respondit, reipublicæ jus illis in oppidis satis esse clarum atque notum per sese: itaque nolle Patres id in ambiguum vertere. Eo responso accepto, legatorum alter *Romam* discessit, altero apud Senatum relicto, eique sumptus publicè factus, quoad apud Patres fuit. *Julius* interim arcem *Forolivianam* auri libris centum quinquaginta, quas ab *Cæsare* acceperat, *Remiro* præfecto traditis, unáque oppidum obtinuit, cùm antea *Cesenam* & *Cornelium Forum* iisdem propè artibus suæ potestatis fecisset. Præfectus arcis *Forolivianæ* cum *Cæsaris* supellectili *Venetias* venit.

Forolivianá arx Pontifici comparata.

Fœdus inter Maximilianum & Aloisium regem.

B Post hæc inter *Aloisium Gallorum* regem & *Maximilianum* fœdera sunt firmata, cùm de eo per legatos diu multumque disceptavissent. quibus confectis *Joannem Lascarem Byzantium Aloisius* iterum ad Senatum misit, qui diceret, hortari sese Patres, ut aliquam cum *Julio* inirent ad concordiam & consensionem viam: qua inita unanimi omnes studio ea de bello *Thracio* cogitare possent, quæ jampridem cogitanda atque agenda sunt. adderet & illud sibi cum *Maximiliano* convenisse, pacemque & benevolentiam inter ipsos esse constitutam, non illam quidem, ut cuipiam nocerent, sed suarum utriusque rerum & regnorum tuendorum causa. **C** Patres auri libra in sumptum mensibus singulis legato regio à quæstoribus dari jussa, nihil se fecisse reliqui dixerunt orando, pollicendo, uti *Julium* placarent: descendisse enim etiam ad illud, tametsi *Alexander Faventiam* & reliqua oppida *Cæsari* libera immuniaque dederit, velle tamen se stipendiarios *Romanæ* reipublicæ fieri, *Faventiæ Ariminique* nomine: legem ipse stipendiorum diceret, nihil se recusaturos, auroque *Veneto* recenter signato annis omnibus ea libenter persoluturos: neque quicquam tamen profecisse. cæterùm lætari se, duorum tantorum regum animos ab odio exercendo **D** ad pacem & benevolentiam esse conversos. verùm,

rùm, propterea quòd in fœdere, quod reipublicæ cum *Aloisio* intercedebat, caput unum erat ejusmodi, neutri sine alterius voluntate fœdus ullum cum rege ulli facere licere, scire Patres cupere, cur de eo rex nihil antea Senatui significavisset. Ad ea legatus, cùm aliquandiu siluisset, tandem se scire nihil respondit, nisi unum, ei fœderi tempus quatuor mensium esse præstitutum, quos uterque velit, sibi socios & fœderatos nominandi: itaque posse adhuc quidem regem ei fœderi inserere rempublicam. Qui legati tamen sermo Patrum animos, quibus quidem ea pax, Senatu non appellato, confecta suspicionem haud parvam afferebat, nihil leniit.

Tronus proditor *Venetiis* suspenditur.

Post hæc *Decemviri* certiores facti servi indicio, qui ab eo vapulaverat, *Hieronymum Tronum* (qui bello *Thracio Naupacti* arcem, quam reipublicæ nomine custodiebat, hostibus tradiderat, eamque ob rem exul aliquot annos fuerat) id quod fecerat de tradenda arce, pretio accepto fecisse: *Tronum* ab exilio domum redeuntem in vincula conjecerunt, paulóque post quæstione habita, è superiore curiæ porticu, quæ in foro est, inter rubri lapidis columnas reste suspenso carnifex gulam fregit.

Isabellæ Hispaniæ reginæ obitus.

Legati *Venetorum* ad *Philippum* regem *Hispaniæ*.

Atque ultimis ferè anni diebus *Joannes Pisaurum* obtinens, *Matthæi Teupoli* filiam duxit uxorem, nuptiis in urbe per legatos institutis. Tum literæ ex *Hispania* ad Senatum venerunt, *Isabellam* reginam, *Ferdinandi* uxorem, magno animo excellentique fœminam, è vita excessisse: ejusque generum *Philippum Maximiliani* filium, in *Belgis* regem, testamenti tabulis permagna *Hispaniæ* terræ parte auctum fuisse, quibus duabus de causis *Vincentius Quirinus*, vir in philosophiæ studiis clarus, ad *Philippum* legatus à Senatu lectus est, ut illi & de socrus morte reipublicæ molestiam ostenderet, & de regni accessione gratularetur. Paulóque pòst *Hercules Ferrariensium* dux item moriens *Alphonso* filio regnum reliquit.

Germanorum Venetiis domus conflagrata, restauratur.

Erat in celeberrima urbis regione ad *Rivum altum* domus reipublicæ perampla, quæ antiquitus à *Germanis* mercatoribus incoli consueverat: in eam illi cujusque modi res, quas quidem vendere cuperent, advectas suis ab oppidis inferebant, & civitati emendas proponebant: quasque in urbe ipsi coëmebant, ut in *Germaniam* conveherent, eòdem congerebant, quoad essent deportandæ. Ea domus, ut erat mercium omnis generis plenissima, insequentis anni initio magna cum plurimorum honestorum hominum jactura conflagravit: quam tamen domum illo ipso anno civitas à fundamentis, fornicibus inædificatam, ne ignis nocere posset, magnificentiore multò forma commodioreque restituit. Ejusdem initio anni *Bartholomæo Liviano*, qui in republica peracto stipendiorum tempore, Patribus non permittentibus, discesserat, ut illatas suæ inprimis genti, reliquisque *Romanis* principibus ab *Alexandro* atque ab *Cæsare* cædes & vastitatem vindicaret, *Hispaniæque* regum militiam fecerat, iterum recipi postulanti, præfectura equitum, cum stipendio annuo librarum auri centum quinquaginta, est à Senatu data. Cúmque *Cesenæ*, *Fori Livii*, *Forique Cornelii* legati apud *Julium* questi essent, se à *Venetis* magna agri parte spoliatos, angustis uti finibus, atque inopia multarum rerum premi, *Julius* per *Guidum Ubaldum Antonio* legato proposuit, si Senatus eos fines sibi restituat, de *Faventia* atque *Arimino* se deinceps verbum non facturum, reique publicæ oppida illa in omne tempus uti retineat, permissurum. Ea *Guidi Ubaldi* oratione *Antonii* literis ad Patres perlata, Senatus, ne cuipiam obstinatior videri posset, *Antonio* rescripsit: si ei *Julius* fidem

Senatus *Veneti* cum *Julio* Pontifice controversia, & transactio.

A faciat, ita fore, uti *Guidus Ubaldus* ei dixit, se fines illos restituturum, legatosque, quos creasset, octo ad illum missurum, suumque in eum studium & observantiam præstaturum. Quo responso accepto, *Julius* & *Antonio* de *Arimino* atque *Faventia* liberaliter est pollicitus, & magnam se ex eo voluptatem cepisse, apud suos familiares præ se tulit. Senatus de eo certior factus, oppidula decem numero cum eorum finibus uti *Julio* restituerentur, censuit: in quibus *Cesenæ* portus, qui est in maris littore, *Savinianum*, *Tossinianum*, *Archangelianum* fuere. Iis *Julii* internuntio, quem ad id in *Flaminiam* miserat, per legatos reipubli-
B cæ restitutis, *Julius* rem ad collegium deduxit, laudatusque ab omnibus, quòd se ad concordiam cum Senatu dedisset, magnum consilii fructum tulit. Unus *Franciscus Soderinus* Cardinalis, cum & ipse *Julium* verbis honorificis extulisset, addidit, eò se magis illum laudare, quòd quemadmodum fines illos recuperavisset, ita etiam *Ariminum* ab eo atque *Faventiam* brevi recuperatum iri confidebat. Legatio postea, de qua suprà dictum est, *Romam* missa ab *Julio* libentissimo recipitur: ii fuerunt *Bernardus Bembus* pater meus, *Paulus Pisanus*, *Hieronymus Donatus*, *Nicolaus Foscarenus*, *Andreas Venerius*, *Andreas Grit-*
C *tus*, *Leonardus Mocenius*, cujus pater *Joannes Venetorum* dux fuerat, & *Dominicus Trivisanus* templi *Marci* procurator. Ejus legationis *Bernardus Bembus* propter ætatem principem locum tenuit. *Andreas Grittus* & *Nicolaus Foscarenus* è sexviris, qui principi assident, legationem inierunt. *Antonio* autem, cùm diu *Romæ* in ea legatione fuisset, reique publicæ singulari suo studio atque prudentia magnopere satisfecisset, domum est reditio permissa. Atque hæc Vere medio eum, quem diximus, eventum habuerunt.

Legatio *Venetorum Romam* missa.

Æstate verò inita, *Alfonsus Atestinus*, ut *Lauredanum* Principem & Patres regni suo initio sa-
D lutaret, magno comitatu ad urbem venit, honorificéque acceptus, & auri libra diebus singulis in sumptum à Senatu donatus, gravi cum Patribus benevolentiæ fœdere amicitiaque arctiore constituta, domum rediit.

Alfonsi Atestini Venetias adventus.

Patres sub hæc de adventu in *Italiam Maximiliani*, qui *Romam* se velle ire dictitabat, ut Imperii insignia à Pontifice Maximo acciperet, sæpe consulti, ejus legatorum postulatis amicè & benevolè sunt polliciti. Decembri demum mense de confectis ab *Aloisio Gallorum* rege *Ferdinandoque* inter se fœderibus cognoverunt: quæ omnino res susceptam ab illis jam antea de *Aloisii* in
E sese animo suspicionem facilè auxit, propterea quòd is nihil antè de ea quoque re Senatui significavisset. *Ferdinandus* quidem per legatum suum Patribus ostendit, propter nova illa inita cum *Gallorum* rege fœdera, nihil se de vetere sua cum ipsis benevolentia diminuere, quam non retinere modò atque alere, sed augere etiam studiis atque officiis in dies singulos cuperet. nullos eventus eam sibi mentem erituros.

Aloisii cum *Ferdinando* fœdus.

Anno insequente, ob nonnullos mare *Ægeum* atque *Jonium*, demum etiam *Adriaticum* navigantibus infestum reddentes piratas, Senatus quamplurimas triremes non uno tempore arman-
F das curavit: quibus à triremibus capti aliquot latrociniorum pœnas reipublicæ dederunt.

Piraticum bellum.

Eo tempore *Tunetis* regis legatus ad Senatum missus, equos miræ pernicitatis more *Punico* ephippiatos quatuor, aquilasque aucupio idoneas totidem, & canes venaticos Patribus dono attulit, petens, ut naves longas ad mercatum eò mitterent: velle enim regem suum amicitiam cum republica instituere. Is legatus liberaliter acceptus, domumque cum muneribus remissus, opti-

Tunetani regis ad *Venetos* legatio & munera.

optimam in regem civitatis voluntatem reportavit.

Norimbergenses à Venetis legum exemplar petunt.

Etiam *Norimbergenses*, ampla & florens, atque in primis libera suique juris in *Germania* civitas, missis ad urbem legatis, exemplum *Venetarum* legum à Patribus petierunt: velleque sese eis uti legibus ostenderunt: quod quidem illis Senatus frequens concessit.

Alexium Bajaseti restituitur à Venetis.

Petente autem ab Senatu arroganter *Bajasete* rege ut *Alexium* in *Illyrico* insulam, bello *Thracio* captam, sibi restitueret, obstinatis ejus atque assiduis postulationibus Patres victi, ne is pacem, quam cum illo fecerant, si rejiceretur, frangeret, ab *Alexio* incolis omnibus emigrare jussis, aliis in locis collocatis, rebus asportatis, arce diruta, eam inanem atque vacuam importuno regi relinquendam censuerunt.

Sabellici obitus.

Erat paucis ante id Senatusconsultum diebus *Marcus Antonius Sabellicus*, qui res *Venetas* conscripsit, ipsa in urbe mortuus: laudaveratque illum *Egnatius*.

Ægyptii regis legatus ob controversias componendas Venetiis.

Quoniam verò civibus *Venetis*, qui tunc in *Ægypto* mercaturam exercebant, multa incommoda rex *Alexandrinus* intulerat, auctis præter morem *Indicarum* mercium pretiis, ipsorum bonis vi direptis, aliquot in vincula conjectis, Senatusque ea de re per legatos apud regem questus fuerat: regis legatus ad Senatum venit ejus controversiæ dirimendæ atque componendæ gratia, *Tangavardinus*, homo *Hispanus*, qui multos annos *Alexandriæ* fuisset. ei est sumptus de mercatorum pecuniis, æquis portionibus æstimatis, datus.

Literæ Pontificis per Regem Senatui offeruntur.

E *Gallia* etiam ab rege literæ *Julii* literas ad Senatum datas attulerunt, quibus litteris, quoad *Julius* viveret, *Ariminum* & *Faventiam* retinendi reipublicæ facultas dabatur. Eas literas *Julius* ad regem miserat, ut per illum Senatui redderentur, quo major autoritas intercederet, quòd intelligebat, illarum scripto multò minus se præstare quam id erat, quod pactus cum republica fuisset, legatoque ipse *Veneto* suamet oratione confirmavisset. Id ubi Patres de legato regio intellexerunt, magna eos indignatio tenuit, ingrato animo esse *Julium* prædicantes, nullaque constantia, qui tantis receptis finibus, tot ad se missis una legatione civibus, quot nemini unquam externo, tam insignibus in illum civitate functa officiis, tamen nunc conditionibus à se uno positis non stet, nisi tenuissima ex parte, atque ejus quidem partis rege internuntio, ut illius autoritate res, quemadmodum quidem vult, minore negotio transigatur. Eas ob regis litteras coacto biduum Senatu, decernitur, literas *Julianas* non esse accipiendas.

Julii Pontificis levitas.

Ferdinandi in Italiam adventus.

Ferdinandus interea rex classe *Neapolim* adventabat, ut, quoniam ad *Philippum* generum omnis propè *Hispaniæ* nobilitas confluebat, atque ipsum pristina populorum gratia, dignitasque apud eas nationes destituebant, id in regnum se conferret, cujus ille particeps non esset. Eam ob rem Patres *Georgium Pisanum*, *Marcum Dandulum* legatos creaverunt, qui *Neapolim* ad *Ferdinandum* proficiscerentur, de ejus in *Italiam* adventu gratulatum. atque is nequedum *Neapolim* attigerat, cùm *Philippus* in *Hispania*, quò socru mortua mari è *Belgico* venerat, pituita interiit: ita sunt magna incepta spesque ingentes unà cum vita juveni abruptæ. Eam ob filii mortem *Maximilianus* pater suum in aliud tempus *Romanum* iter distulit, quique jam præmissi ab eo in *Alpibus Germani* erant milites, domum revocati redierunt.

Philippi Austrii obitus.

Julii Pontificis conatus.

Julius autem, qui omnes suos conatus eò intenderat, ut oppidum *Bononiam* in suam ditio-

A nem atque imperium revocaret, cujus quidem oppidi regnum tametsi *Romani* juris esset, à *Joanne* tamen *Bentivolo* obtinebatur, comparatis rebus omnibus, quæ ad bellum usui essent, *Roma* cum exercitu & collegio in *Flaminiam* æstate jam confecta discesserat, ut illum oppido expelleret. quod omnino longè facilius, quàm hominum opinio ferebat, propter ingens civitatis in illum odium, adductis in fines oppidi, quas & ipse habebat, & ab rege *Gallo* acceperat, copiis, mense Octobri est assecutus. Ea illi de re ab *Dominico Pisano* legato, qui *Antonio* successerat, reipublicæ nomine gratulatio est facta: tametsi ipse

Joannes Bentivolus Bononia pellitur.

B quoque *Julius* suum tabellarium cum literis ad Senatum miserat, quæ illum iis de rebus docerent.

Ultimis anni diebus propterea quòd sæpe fiebat, ut qui impetrare magnam aut difficilem rem aliquam à magistratibus cuperent, regum & Pontificum maximorum legatis uterentur, qui eos Principi Patribusque commendarent, interdum etiam ipsorum regum principumque civitatum ad urbem venientium patrocinio nitebantur, quorum autoritati Patres propè negare nihil poterant: Senatusconsultum factum est, cui quid à Patribus impetrare sit necesse, is neque virum

Lex de Principum Legatorum intercessione.

C principem, neque legatum adhibeat, cujus commendatione apud eos niti possit, pœna pro genere hominum iis, qui Senatusconsultum neglexissent, constituta.

Petri Barotii obitus & liberalitas insignis.

Primis verò ineuntis anni diebus *Petrus Barotius*, *Patavinorum* Episcopus, moritur, vir politioribus literis & sacrarum ac multarum disciplinarum doctrina insignis, moribus, vitaque sanctiore, quique sublevandis egestate pressis civibus sacerdotii sui fructus omnes largiebatur, ut unius illius liberalitate non parva oppidanorum pars viveret: itaque mortuo neque nummi neque supellex pretiosa ulla inventa, præter bibliothecam.

D eas ob res sepulchrum ei marmoreum in templo *Patavino* faciendum publica pecunia, Patres conscripti censuerunt.

Liguribus civitas & securitas data.

Paulòque pòst cùm cives plurimi *Ligures* emigrare domo, atque urbem velle incolere sese Patribus ostendissent, modò tuti publicè fierent, si quid in *Venetos Ligur* quispiam deliquisset, sua bona ea re non teneri: Senatusconsultum factum est, quo eis civitas atque securitas est data, navigatione mercaturæ causa in Orientem excepta.

Aloisii regis in Italiam adventus.

Sub idem tempus *Aloisio Gallorum* rege in *Italiam* properante, ut *Genuensium* civitati, quæ ab eo defecerat, seseque in libertatem vindicave-

E rat, bellum inferret, *Dominicum Trivisanum*, *Paulum Pisanum Patavinorum* magistratum Senatus legatos ad regem de adventu gratulatum misit. Ille autem recepta paucis diebus *Genua*, *Mediolanum* se contulit, ibique eum legati convenerunt. Sed cum in *Galliam Transalpinam* rediens, apud *Astam* cognovisset *Ferdinandum* regem, qui *Neapoli* classe in *Hispaniam* revertebatur, ex itinere *Genuam* appulisse, convenireque se cupere, ei præsto ad *Savonam* oppidum fuit, magnoque illum honore excipiens, cum unà dies aliquot fuissent, *Ferdinando* abeunte, ipse in *Galliam* profectus est, legati domum reverterunt. Eum ab

Genua expugnatio.

F *Aloisii* tam celerem in *Italiam* adventum, cùm illum, si inimico esset in rempublicam animo, non longinquitas itineris, non reges interpositi, non denique *Alpes* moraturæ viderentur, quin, cum vellet, in citeriorem *Galliam* parvo negotio trajiceret: tum etiam quòd rumor increbuerat, *Maximilianum* in *Italiam* cogitare: ne respublica ad ejusmodi casus imparatior offendi posset, Senatusconsultum factum est, in *Veronensium* finibus eorum, qui arma ferre possent, certus agrestium homi-

Milites ex agricolis à Venetis lecti.

hominum numerus conscriberetur, qui rei militari assuefierent: iisque immunitas reliquarum rerum daretur, quo paratiores ad obeunda belli munera essent, & cùm vocarentur ad signa, è vestigio convenirent. Ea militum ex agris deinceps institutio ad reliquos reipublicæ fines, ut est usus omnium magister, brevi permanavit: itaque nunc quidem cujusque oppidi, vici, pagique partem habent suorum, qui ei rei student, ut armati paratique sint, nullo ut interposito temporis spatio ad bellum prodire, reique publicæ celerem navare operam possint, hosque omnes uno nomine milites pro ordinibus appellaverunt.

Pax cum *Alexandrino* rege confirmata.

Rex post hæc *Alexandrinus* controversiis, quas habebat cum republica, fine facto, ad justitiam & æquitatem sese dedit: itaque triremes ad mercatum eò remissæ cum magistratu *Veneto*, qui *Alexandriæ* moram traheret, cumque legato regio, de quo suprà dictum est: cui proficiscenti vestis aurea cum pretiosis pellibus, aurique libræ decem sunt à Senatu dono datæ: comitatuique ejus omni indumenta honestiora tradita.

Maximilianus cur in *Italiam* iter susceperit.

Interim à *Vincentio Quirino* legato, quem ad *Maximilianum* Patres miserant, acceptis sæpe literis significabatur, *Maximilianum* spreta, quam superiore anno fecerat cum rege *Gallorum*, pace, neglectisque fœderibus, quibus illum non stetisse conquerebatur, de *Germaniæ* consilio statuisse, in *Italiam* cum exercitu accedere, ad speciem ut tutò *Romam* se conferret, re, ut *Mediolani* regno illum ejiceret. Senatus novis equitatus & peditatus copiis munire rempublicam decrevit: itaque præfecti sunt equitum adlecti quamplures, in iis *Vitellius Tifernas*, & *Guidus Vainus* è *Cornelii Foro* cum militibus sexcentis, equitibus quinquaginta ambo. *Jacobusque Siccus* è *Gallia Cisalpina*, & *Lucius Malvetius Bononiensis*, cum turma equitum uterque gravioris armaturæ centum: tum, ut milites numero ad decem millia conscriberentur, latum, qui sub tribunis & centurionibus in castris versarentur, quique per oppida præsidii causa disponerentur, ad quinque millia. equites etiam levioris armaturæ tercentum quadraginta *Nauplia* & *Zacyntho* accersiti urbano in littore, quò appulerant, à magistratibus lustrati, stipendio accepto se *Taurisum* contulerunt.

Maximiliano petenti itineris cum exercitu facultas denegatur.

Iis rebus confectis, *Maximiliani* legati tres ad urbem veniunt postulatum: propterea quòd rex eorum iter haberet nullum aliud, uti *Romam*, quò eundum illi erat, per fines reipublicæ regi exercituique regio itineris faciendi Senatus facultatem daret: recipere *Maximilianum*, fidemque suam in eo interponere, sese sine maleficio atque injuria per eos fines iter facturum, exercitumque ducturum. quòd si propter eam, quam haberet respublica cum rege *Gallorum*, amicitiam, Senatus id se minus rectè posse facere existimet, monere Patres *Maximilianum*, atque apertè profiteri, nullam esse in eo rege fidem, nullam constantiam: id se esse sæpenumero expertum: itaque rectius facturum Senatum, si nihil in illo sibi præsidii putet esse constitutum: sese Patribus fœdera, quæ pepigerit, vita sua diligentius servaturum. Ea re ad Senatum relata, cùm plures sententiæ dicerentur, essentque nonnulli ex magistratibus & principibus civitatis, qui *Maximiliano* credi oportere contenderent, vicit tamen ea sententia, quæ legatis in hunc modum uti responderetur, censuit: si *Maximilianus* pacatè sineque exercitu velit iter facere, rempublicam ei quod peteret libentissimè concessuram, legatosque missuram, qui illum exciperent, omnibusque honoribus prosequerentur: sin cum exercitu proficiscatur, à pace, quam cum rege *Gallo* habeat, non posse discedere

A Senatum sine perfidiæ crimine. itaque nihil ei permissurum.

Rex *Gallorum* reipublicæ *Venetorum* auxilia sollicitat.

Atque his ipsis nondum ab urbe profectis legatis, *Gallorum* rex novam legationem ad Senatum misit, mentem ac voluntatem reipublicæ si *Maximilianus* ei bellum inferat, sciscitatum: magno enim timore afficiebatur, propterea quòd fama vulgaverat, *Germaniæ* populos *Maximiliano* ingentes copias subministraturos, ne ab eo tanta in re tam unanimi illarum nationum consensu Patres perterriti deficerent, aliorum mores hominum, ut plerumque fit, suorum morum modo atque consuetudine metiens. Senatus autem omnes rei-

B publicæ facultates legatis ad regem defendendum est pollicitus: quæque *Maximiliani* legati à republica petiissent, quod ad illa responsum habuissent, amico eis animo aperuit.

Reipublicæ ad bellum contra *Maximilianum* apparatus.

Patres post hæc venientem ad urbem *Nicolaum Ursinum* imperatorem ab ipsis accersitum, ut cum eo & *Liviano* & *Carraciolo*, qui utrique jussu eorum venerant, de bello consilium caperent, ei obviam in navi *Bucentauro* profecti civitate circumvecta exceperunt: insequentibusque diebus quibus in locis *Maximiliano*, quamque ante diem, copiæ reipublicæ essent opponendæ, unà cum his constituerunt: eosque è vestigio reverti, &

C quam quisque partem reipublicæ finium tuendam suscepisset, ad eam illum contendere jusserant. certiores enim facti tractari arma in *Maximiliani* finibus, militesque pluribus in locis cogi, nihil sibi reliqui ad exercitum comparandum, copiasque partiendas fecerunt, ut in tempore occurri posset. Ubi *Maximilianus* de legatis suis cognovit, nolle Senatum ei armato per fines reipublicæ iter dare, *Vincentium Quirinum* ab se dimisit, profectus ille cùm in primis reipublicæ finibus subsedisset, ne injussu Patrum propius accederet, Senatu permittente domum rediit. Patres tametsi Decembri appetente mense multis verisimile non

D fieret, *Maximilianum Alpes* esse cum exercitu trajecturum, tamen *Georgio Emo* legato ab Senatu declarato, qui in fines *Veronensium* cum copiis accederet, eo se ab latere celeriter munire decreverunt: præsertim quòd intelligebant, *Germanorum* militum certam jam manum adventare, ut illis ex *Alpibus* se demitteret. quæ quidem manus neque dum munitis itineribus & saltibus facilè trajecit, sine ullo tamen reipublicæ maleficio, pacataque in *Mantuanorum* se fines contulit. Ii erant milites circiter mille ducenti. Paucisque pòst diebus cùm nullo accepto in *Italia* stipendio domum redire statuissent, *Emusque* interea legatus exerci-

E tu adducto itinera clausisset, ut reverti ejus voluntate sibi liceret, ab eo petiverunt. Ille armis depositis iter facere jussit. Sed cùm iisdem in locis atque in *Vicetinorum* saltibus anno insequente inito *Germani* sæpenumero se ostendissent, ut in fines reipublicæ irrumperent, omnino neque in eo perfecerunt quicquam ipsi, neque à *Venetis* ulla est res paulò illustrior gesta: neque oppidum quodpiam nobilius captum, aut cædes aut fuga hostium memorabilior facta: tametsi *Aloisius* rex, qui sæpe Senatum per legatos oratione magnifica confirmaverat, sese eum nunquam deserturum, ipsum etiam, si necesse sit, reipublicæ auxilio venturum, *Triultium* cum copiis in castra *Veneta* mi-

F sisset, & Senatus *Andream Grittum* legatum magna cum manu eòdem accedere jussisset. Nam cum duos uno tempore legatos Senatus creavisset, *Grittum* & *Georgium Cornelium*, ut alter in *Rhetos*, alter in *Carnos* proficisceretur (inde enim etiam in reipublicæ ditionem velle perrumpere *Germanos* literis nuntiisque afferebatur) iis uti sorte imperia partirentur, Patres permiserunt: tum *Gritto Rheti*, *Cornelio Carni* provincia obtigit: atque in *Rhetis* qui-

quidem hunc unum res eventum habuerunt, ut repressi & repulsi sæpe hostes ex reipublicæ ditione atque imperio nullum sibi iter patefecerint, nihil omnino ceperint, amiserint autem potius ultimis belli diebus montanum oppidulum *Agrestam.* At in *Carnis*, quà nihilo secius *Germani* aditum in reipublicæ fines tentaverant, *Livianus*, qui exercitui præerat & *Cornelius* legatus, rem sanè publicam naviter atque feliciter gesserunt.

Germanorum in *Rhetos* & *Carnos* irruptio.

Nam cùm mense Februario rumor increbuisset: hostium non parvam coactam in *Carnis* manum, eo ab latere bellum illaturam, adventare, *Daniel Dandulus Feltriam* à Senatu missus est, rebus, quæ ex usu essent, procurandis, commeatuque exercitui, qui eò venturus erat, durissimo anni tempore locis impeditissimis subministrando. *Gradiscas* quoque castellum apud *Sontium* flumen, arte atque opere communitum, *Justinianus Maurocenus*, Senatu jubente, iisdem cum mandatis est profectus. Tum *Cornelius* & *Livianus Bassiano*, in *Alpium* radicibus ad *Medoaci* ripam sito, quod ad oppidum multis è reipublicæ finibus exercitum cogebant, jussi cum copiis ad *Germanos* reprimendos contendere. Interim repentino hostium adventu, qui per devia asperaque *Alpium* juga, præcipitesque declivitates ferratis pedibus iter confecerant, centurionem cum militibus sexaginta *Clusæ* pagi angustias servantem profugisse, *Cadorasque* oppidulum ad flumen *Plavime*, quod ab *Clusa* quinque millia passuum abest, unà cum arce & *Petro Ghisio* prætore in hostium venisse potestatem, nuntiatur. Ea intellecta re in castris, *Livianus* celeritate adhibita cum duobus familiaribus ad vicina hostibus loca sese contulit speculatum, relicto *Cornelio*, qui cum copiis paratioribus diurnis nocturnisque itineribus subsequebatur.

In urbe *Donatus Lagius* à *Sena* lectus est, qui *Cividale Carnicum* contenderet, daretque operam ne quid incommodi respublica eo in oppido acciperet. In *Forolivienfibus* autem *Hieronymus Saornianus*, de quo suprà commemoravimus, vir egregia fide atque virtute, princepsque civitatis, primò paucis cum equitibus è sua familia ad eos fines est profectus, quibus in finibus hostes impressionem fecerant, magnaque celeriter auxilia reipublicæ conventura confirmans, earum regionum incolas labantes jam, ad imperataque *Maximiliani* facienda pronos, in officio continuit. deinde coactis hominum duobus millibus quingentis, equitatu etiam addito, iter impeditissimum faciebat, ut contra hostes cum legato exercituque reipublicæ illa cum manu se conjungeret.

Legatus *Maximiliani* ad *Venetos.*

Dum hæc agitarentur, *Lucas Renaldius Maximiliani* legatus ad Senatum venit, illud idem postulatum, de quo antea sæpe rex egerat, iter *Romam* per fines reipublicæ repetens: regem suum propterea velle armatum incedere, quòd se tutum ab suis hostibus aliter fore non confidebat: reipublicæ nihil ab eo nocitum iri, omnibus illum modis confirmaturum: vel Senatus obsides ei daret, nociturum esse illi neminem: hoc si præstet, sine armis regem iturum. Ad hæc *Lauredanus* respondit: Scire regem, quàm propensa semper fuerit reipublicæ erga *Federicum* imperatorem patrem suum seque ipsum voluntas: quo magis indignum esse, bellum ab eo inferri non unis reipublicæ finibus, prædas abigi, castella expugnari: de eo se magnopere conqueri, deosque testes adhibere, non esse ita de rege meritam rempublicam, sed rem se ad senatum relaturum, deque ejus sententia responsurum. Nam quòd à *Cornelio* literæ venerant, confidere *Livianum*, propéque recipere, hostes sibi pœnas citò daturos, Patres re-

A spondendi *Maximiliani* legato tempus interponere volebant, dum à *Carnis* aliquid confecti afferretur. Legato autem socii sunt atque custodes dati, ne quis eum alloqui posset, cui Patres id non permisissent.

Livianus adductis ad se militibus mille octingentis, quorum erat dux *Petrus Montius*, vir magna virtute, equitibusque levis armaturæ ex *Epiro* propè ducentis, quibus præerant *Palæologus* & *Busichius*: tum ex iis qui sagittis utebantur, alteris ferè totidem, graviorisque armaturæ ex ipsius & reliquorum turmis paulò plus ducentis: *Saorniani* literis ac nuntiis de locorum

B situ, de hostium numero, deque belli rationibus admonitus, qui quidem jam adventabat, atque ab altera montis parte in trium pontium loco *Germanos* observare, eisque occurrere statuerat, prima luce hostes aggredi constituit. Is erat Martii Calendarum dies. Sed propterea quòd nix ea nocte plurima ceciderat, prælium in aliam rejectum est diem: quod quidem secundissimum postridie fuit. Nam cum *Germani*, redeundi domum itineribus præseptis, ad se veniri certiores facti, ne intercluderentur, *Venetos* aggredi viamque ferro sibi aperire statuissent, atque in editiorem proximæ vallis partem cum impedimen-

C tis & tormentis se collegissent numero ad duo millia quingenti, ut è loco superiore in *Venetos* subeuntes impetum facerent (erant autem è *Maximiliani* comitatu, quamplurimis centurionibus viris fortibus interjectis) ipse acie instructa per nives rectà progressus prælium audacissimè commisit: eosque primò fortiter pugnantes, pòst impedimentis exutos, tormentisque abreptis, desperatis rebus non magnopere resistentes concîdit, præter illos, qui projectis armis pacem suppliciter petiverunt. pauci fuga in montes elapsi, ab *Epirotis* equitibus eundem casum subierunt, capitaque sunt eorum in castra rela-

Germani exercitus clades ad *Cadoras.*

D ta, pro quibus singulis *Livianus* pecuniam pollicitus interfectoribus fuerat. ex *Venetis* desiderati sunt sanè pauci. Nocte ea, quæ secuta est, exercitui ad quietem data, *Livianus* ad *Germanos*, qui arcem *Cadorarum* custodiebant, amplius sexaginta misit, imperans uti arcem traderent. Ii trium dierum spatium ad eam rem sibi dari petiverunt. *Livianus* eorum postulatione rejecta, ad arcem expugnandam est profectus: quam cùm diem totum omni missilium genere, tormentisque in adverso jugo positis continenter oppugnavisset, magnamque propugnatorum partem interfecisset, muro etiam propugnaculi

Cadoræ oppugnatæ & captæ.

E subrupto, reliqui postridie deditionem fecerunt. In ea oppugnatione *Carolus Malatesta* adolescens, saxo ab arce percussus, cum nonnullis viris fortibus interiit. Captivi, qui arcem tradiderant, unà cum prioribus deditiis, omnes quingenti armis cæterisque rebus exuti, *Liviani* permissu domum redierunt.

Harum rerum primis in urbe nuntiis acceptis, idem est responsum legato *Maximiliani* à Senatu datum, quod superioribus legatis Patres antea dederant: neque quicquam cum illo de cæde *Germanorum* communicatum. ac, ne quid ei redeundi ab armatis in *Rhetico* noceretur, co-

F mites sunt ducesque itineris per fines reipublicæ attributi. Ubi ex literis *Cornelii* legati de prælio, deque arcis expugnatione singula ordine civitas intellexit, *Livianique* & consilium, & celeritas, & virtus laudari vocibus omnium cœpit: Patres, ut & illius animum alacriorem in posterum ad belli munia redderent, honorum insignibus, & magnitudine præmiorum excitatum, & reliquorum voluntates accenderent ad bene de republica promerendum, cùm vide-

Liviani ducis merita remunerata.

viderent fortes industriosque viros ab ea fieri plurimi, præfecturam omnium reipublicæ copiarum *Liviano* detulerunt. Ea est amplissima post imperatoris nomen dignitas, quæ pro eorum meritis ab Senatu militaribus viris tribui consuevit, auctusque est equitum illius numerus, qui erat sexcentorum, ad integrum mille. auctum quoque stipendium ab auri libris centum quinquaginta, ad ter centenas libras: tum decem in præsentia dono datæ cum iis tormentis bellicis, quæ hostes è *Germania* secum attulerant, quæque ipse ob rei bene gestæ memoriam à Patribus sibi dari cupere in sermonibus cum legato habitis ostenderat: *Caroli* autem *Malatestæ* uxori ac duobus liberis infantibus illa ipsa pensio annua, qua is vivens à republica donatus fruebatur, in victum tradita.

Præfectura omnium copiarum qualis dignitas.

Deinde cum Patribus nuntiatum esset, à *Maximiliano* copias in Carnis comparari, tum incursiones in reipublicæ ditionem à *Goritianis* fieri, quod est oppidum in monte ultra *Sontium* flumen situm: Senatusconsultum factum est, ut milites ter mille celeriter conscriberentur, atque ad legatum mitterentur. Cæterum quòd erant plerique magistratus, qui bellum inferri *Maximiliano* censebant oportere, atque in ejus fines exercitum introduci volebant, *Dominicus Maurocenus* templi *Marci* procurator, vir re atque cognomine sapiens, ætate valde proclinata; erat enim annos natus nonaginta, Patres monere ac rogare cœpit, ne id fieri permitterent: *Germaniæ* civitates, quæ liberæ suique juris essent, ægrè ferre à *Maximiliano* arma contra rempublicam exerceri, cum pace frui possit: easdem, si ei bellum inferatur, molestè id laturas, neque passuras sui regis nomen dignitatemque convelli ac proteri: non magnas esse ab illo injurias in rempublicam illatas, de iis tamen deorum immortalium benignitate pœnas ipsum reipublicæ dedisse: omnem illam in *Carnis* manum concisam deletamque esse, *Cadoras Clusamque* recepta: in *Rhetis* nihil amissum, neque ullam contumeliam acceptam: quòd si eo contenti, inquit, erimus, magnum nos fructum continentiæ laturos, *Germaniæ* totius benevolentiam: quæ quidem certè *Germania* commeatibus asportandis, mercibusque reciprocandis, & rerum plurimarum communicatione ita est conjuncta nobiscum & consociata, ut magni inde proventus in rempublicam portorii nomine, magnæ privatim utilitates in omne genus civium inferantur. Laudabile profectò esse hostes bello superare, propagare imperii fines: multò autem laudabilius, seipsos continere ac vincere, justitiæ, moderationis, gravitatis opinionem apud omnes homines auxisse, latéque promovisse. Bellorum eventus à fortuna plerumque administrari, quæ fluxa atque incerta sit: prudentiæ consilia stabilem habere exitum, semperque plus proficere constantia & maturitate, quàm illa impetu usum ex sese præbuerint.

Consultatio de bello Maximiliani finibus inferendo.

Dominici Mauroceni prudens consilium.

Germania reipublicæ Venetorum perquàm utilis & commoda.

Hæc cum senex sapiens dixisset, ardor ille magistratuum ad bellum gerendum parumper restinctus est, itaque nihil latum, nisi uti ea de re Patres amplius consulerentur.

Alfonsus post hæc *Ferrariensium* dux ad urbem familiariter se contulit Patribus purgatum, quòd suspectus eis fuerat literas nuntiosque ad *Maximilianum* misisse societatem ineundi, seque cum illo conjungendi causa, confirmans nihil se unquam ejusmodi cogitavisse: cupere autem & statuisse, unà cum republica omnem fortunam experiri, neque ullo tempore à Senatus autoritate velle recedere, Patres eam orationem auribus libentissimis acceperunt, collaudatumque, atque ut omnia summæ benevolentiæ officia à Senatu expectaret, confirmatum domum remiserunt.

Alfonsus Ferrariæ dux Senatui se purgat.

Interim nulla in *Rhetico* belli cessatione à *Maximiliano* fieri cognita, in *Carnis* milites non unis in locis cogi rumore nuntiisque afferentibus, Senatus suam in illum lenitatem frustra adhibitam sentiens, pridie Nonarum Aprilium constituit, uti bellum omnibus à partibus *Maximiliani* finibus inferretur. itaque non legatis modò *Gritto* & *Cornelio* id Senatusconsultum celeriter est missum, sed omnino etiam *Hieronymo Contareno*, qui cum classe aliquot triremium legatus in *Istris* tunc erat, literæ sunt à Senatu datæ, uti maritima *Maximiliani* oppida, quà vellet, aggredi capereque conaretur: se alias paucis diebus triremes ad illum missurum. Senatusconsulto ad *Cornelium* perlato, voluntateque civitatis *Liviano* reliquisque principibus declarata, magnum iis studium, magna omni exercitui alacritas innata est belli gerendi: quam ob rem tormentis muralibus adductis, quod oppidum *Cormonse*, citra *Sontium* flumen natura atque arte communitum, monti enim impositum muro prælalto cingebatur, opportunum hostibus receptum dabat, omnibus ad id copiis accesserunt, magnaque vi aggressi, dejecta muri parte, celeriter ceperunt, quod cùm diriperetur, *Cornelius* mulieres omnes uno in templo compulsas ab injuria militum defendit: suppellectilemque sacram, ipsis ab adytis abreptam, fanis & sacerdotibus restituit. Inde ad arcem expugnandam eodem impetu cùm perrexissent, ac tormentis quatere cœpissent, à propugnatoribus deditio est facta. Ea intellecta r e, tria se castella spontè legato dediderunt. *Portus* autem *Naonis* civitas legatos de deditione ad Senatum misit. eos legatos liberali oratione Patres prosequuti, ad *Cornelium* rejecerunt, ut cum illo agerent, cui ea omnia mandaverat Senatus. *Cornelius*, cùm ad illum legati venissent, oppidum in fidem deditionemque accepit.

Belli in Maximilianum apparatus.

Cormonse oppidum expugnatum.

Eodem tempore *Lucas Renaldius* à *Maximiliano* ad urbem remissus cum tabellis, regis manu subscriptis, Patres adiit: quibus in tabellis, certas *Maximilianus* induciarum conditiones reipublicæ proponebat: quarum erat una, ut annuas secum inducias Senatus faceret, quo tempore de suis cum *Gallorum* rege controversiis in communi *Germaniæ* concilio disceptari & cognosci posset. Eas patres inducias legato sese paratos esse facere dixerunt, dum eadem induciarum conditione fœderati reipublicæ includantur: neque enim sine iis quicquam posse conficere Senatum. *Renaldius* his cum mandatis tantùm discesserat, cùm majoribus comitiis haberi cœptis, literæ nuntiique à *Cornelio* venerunt, qui dicerent: Posteaquàm ponte, quem hostes resciderant, in *Sontio* flumine celeriter confecto, exercituque traducto, *Goritianos* duabus maximis uno die impressionibus *Livianus* oppugnavisset, qua in oppugnatione centum milites amisisset, velletque postero die acrius vehementiusque idem facere, oppidanos perterritos sese ei dedidisse. Eæ litteræ, antequam suffragia inirentur, comitiis recitatæ sunt, magnaque ab iis gratulatio Patribus est facta. Erat in oppido arx, quam milites ducenti custodiebant: ii cùm pulvere ad tormenta exercenda carerent, neque se arcem tueri posse sine iis confiderent, pro eis armamentis reliquoque commeatu libras auri quadraginta sibi datum iri fide accepta, quatriduo intermisso, arcem tradiderunt. ante quos quidem dies *Belgradum* facta deditione legati præfectum introduxit: itemque *Vipaum*, admodum elegans & ipsum oppidulum, quod abest ab *Goritia* millia passuum viginti *Japidas* versus. *Contarenus* quatuor triremibus Ter-

Legatus Maximiliani ad Venetos.

Goritiani victi.

Vipaum oppidum.

Tergestinos magno animo aggressus, quarum erant duæ medii inter bellicas generis atque eas triremes, quibus ad mercaturam civitas utitur, quas *Nothas* appellabant, muros tormentis dejicere instituit, qua parte mari oppidum alluitur. Et tormenta ejusmodi tum erant, ut ex ære tota confecta pedes vicenos binos in longitudinem protenderentur, acclinataque in priore navis parte sic, ut cauda malo proxima ore proram contingerent, pilam ferream librarum centum, si nihil impediret, bis mille atque octingentorum passuum spatium impellebant: itaque muris vicina vehementi eos impetu concutiebant. Id tormenti genus *Basilium* appellabatur: neque sustineri propter pondus, nisi à magnis triremibus, aut à *Nothis* poterat, duasque in partes divisum, ut tractari facilius posset, collectione inter se mutua circumvolutum ita introrsus conglutinabatur, ut esse unum & continens videretur, nihilque aëris per spiras admitteret. Ea instituta oppugnatione *Duinum* maritimum castellum deditur: quatuorque triremes ejusdem, quo priores, generis missæ à Patribus *Contareni* classem duplicaverunt: Senatusque ad *Cornelium* scripsit, si ei è republica esse videretur, cum exercitu ad *Tergeste* oppugnandum accederet. *Cornelius* ea de re *Livianum* consuluit: ille *Contareni* conatus terrestribus adjuvandos esse copiis magnopere existimans, cum tormentis muralibus, quæ mari deportanda curaverat, celeriter eò venit, atque ad *Contarenum* primùm omnium navicula perlatus, belli consiliis cum illo communicatis, ad muros oppidi omnibus à terræ partibus demoliendos rediit.

Tormentum bellicum *Basilium* vocatum.

Inter hæc, propterea quòd *Aloisius Galliæ* rex valde se cupere ostenderat, ut in eodem, quod secum & cum republica fœdus intercedebat, *Ferdinandus* rex *Hispaniæ* particeps esset, novaque cum illo societas, iisdem tamen legibus, institueretur: res agitari cœpta hanc difficultatem habuit, ut, quoniam Senatui longum atque impeditum videbatur id, quod in priore fœdere erat, se nullam pacis conditionem, quæ plerumque in parvis temporum momentis existeret, posse à suis hostibus accipere, nisi prius, dum eant in *Hispaniam* tabellarii, dúmque redeant, expectarit, caput illud Patres ita refici censebant oportere, uti qui pacem facere vellet, sociorum modò nomina insereret fœderi scribendo, ne multorum dierum itinere literis mittendis, & responsis præstolandis, occasionem pacis amitteret. veruntamen ut id regum voluntate fieret, tempus intermitti placuit, dum id sciri posset. itaque fœderis confectio in alium rejecta est diem.

Regis *Galliæ* postulata de fœdere cum *Hispano*.

Contarenus classe aucta, ad quem etiam naves duas tectas Patres miserant, quæ muris se subjicere auderent, iis ab eo latere oppidi majore multo impetu percussis, ædificiisque nonnullis intra urbem dirutis, *Livianus* parte altera perforatis dejectisque oppidi mœnibus tormentorum impulsione non intermissa, *Tergestinos* ad deditionem compulerunt: itaque pridie Nonas Majas unà cum arce oppidum receptum est, nulla conditione interposita, nisi ut militibus, qui oppidum atque arcem custodierunt, recedere armatis liceret. Oppidani, ne diriperentur, libris auri centum quinquaginta exercitui persolvendis, se suaque omnia redemerunt, *Liviano* & legatis procurantibus, quibus erat oppidum nobile diripi permolestum. Ejus rei literæ lætitia & gratulatione civitatem impleverunt. *Livianus*, *Cornelius*, *Contarenus* omnium ordinum studiis certatim laudati, quod tantam rem tam celeriter confecissent, magnam sunt ex eo virtutis atque industriæ gloriam consequuti. atque iis statim literæ à Senatu datæ sunt, in eam cogitationem incumberent, ut *Pisinum Flumenque Maximiliani* oppida sub reipublicæ imperium redigerentur: quorum alterum mediterraneum est, abestque à littore millia passuum XVI. multoque maximam inter *Istros* habet autoritatem: *Flumen* ad mare plurimarum rerum copiam subministrat, estque illis gentibus & regionibus opportunissimum. Prætor etiam *Tergestinis* declaratus *Franciscus Capellus*, arcis præfectus, *Aloisius Zenes*: *Vipao*, qui utrumque munus exerceret, *Marcus Antonius Erizius*: qui *Duino*, *Nicolaus Baldus*: qui *Cormonsi*, *Trojanus Bonus*, paulò pòst ad magistratus obeundos in provinciam abierunt, cùm antea *Dominicum Grittum*, qui arcem custodiret, Senatus *Goritiam* misisset: nam opido *Justinianus Maurocenus* à legato datus præerat, Senatusconsulto accepto cùm *Pisinum*, quod est in monte tribus à partibus valde præcipiti situm, *Contarenus* classiarios suos & *Liviani* equitatus, peditatusque magnam partem cum tormentis adduceret, castello *Trevisa*, quod est in via quinque millia passuum à *Pisino*, seque magno animo ad defensionem comparaverat, vi capto atque direpto, omnes celeriter ad *Pisinenses* oppugnandos contenderunt: tormentisque prima vesperi positis, eam muri partem, quæ una ex quatuor adiri poterat, velle dejicere cœperunt. Id cùm mane postero die acrius continentiusque fecissent, ac portæ turrim propè apparuissent, oppidani una salutis conditione impetrata deditionem fecerunt. In ejus oppidi finibus castella erant decem septem, quorum sexdecim sub reipublicæ ditionem sunt redacta. at cùm *Vipaum* indiligentius custoditum hostes recuperavissent, præfectumque cepissent, *Vipaenses* postea, missis eò militibus, iterum capti ac direpti sunt. Præsidio *Pisinensibus* relicto, *Contarenus* ad *Phanatici* sinus insulas se contulit, atque ex *Apsoro Crespa Vegio* reliquisque plus mille armatis hominibus naves longas conscendere jussis, ad *Flumen* oppugnandum rediit: cúmque mille passus ab oppido abesset, hominem, qui oppidanos uti se dederent postularet, misit: si se cingi ab exercitu sinerent, quem postridie affuturum confirmabat, non fore liberam se dedendi potestatem.

Flumen oppidum.

Pisini oppugnatio.

Flumen oppidum à *Venetis* occupatur.

Id cùm illi magnopere timerent, pacti ne quid ex suis rebus amitterent, eo die *Contarenum* intromiserunt. Ea confecta re, quòd erat oppidum mediterraneum illis in finibus, non postremæ apud *Istros* autoritatis, *Postoina*, *Cornelius* & *Livianus* eò exercitum converterunt, atque ad vicinos ei oppido pagos equites levis armaturæ plus ducentos præmiserunt. Illi præda passim abacta, nullis è *Postoina* exire ausis, cujus ad muros incursionem fecerant, in vico sese proximo receperunt: ibi cum noctu armis positis sine vigiliis quieti se dedissent, hostes *Postoina* silentio emissi equites circiter centum quinquaginta, quorum erant duces *Bernardinus Rainicher* oppidi præfectus, & *Christophorus Friapanes*, homo ferox acerque, eos inopinantes aggressi partim interfecerunt, partim ceperunt: paucos in fugam conjectos noctis umbra occuluit. Ea re nuntiata, *Livianus* majorem hostium numerum veritus, unà cum legato *Goritiam* exercitum reduxit. Hostibus eo successu elatis, castellisque omnibus, quæ circum se amiserant, nisi ad se redirent, bellum & direptionem denuntiantibus, magnus est ab iis concursus ad legatum factus, orantibus uti se tueretur, neque diripi, propterea quòd se reipublicæ dedidissent, sinerent. quam ob rem non parvo armatorum hominum

Venetiani cæsi.

minum numero in *Forojulienſibus* celeriter imperato, atque ad ſe adducto, *Cornelius* ad *Poſtoinam* oppugnandam eſt profectus. Eo itinere nondum confecto, iidem illi hoſtes *Poſtoina* egreſſi, ad *Premium* municipium, quod eſt in *Tergeſtinorum* finibus, animati armatique, id ut caperent atque diriperent, acceſſerunt. quod cùm ſe magno animo defenderet, forte fortuna ignis tormentorum pulvere ſuccenſo, omnem locum atque arcem, qua ex arce propugnabatur, ita corripuit, itaque fœdavit, ut *Ludovicus Contarenus* præfectus, *Hieronymusque Saornianus*, qui omnibus illis in rebus totoque bello egregiam operam reipublicæ navaverat, *Premiumque* tunc propè unus defendebat, ne comburerentur, aut fumo necarentur, ſeſe hoſtibus dediderint. Legato poſt hæc & *Liviano Poſtoinam* cum pleno exercitu accedentibus, tormentiſque poſitis, ubi ea murum quatere cœperunt, *Rainicher* præfectus, ne diriperetur, ſe atque oppidum tradidit: cui ſtatim comites dati, qui illum abeuntem in tuto ſiſterent.

Premium tormentorum pulvere incenſo diruitur.

Dum hæc in *Iſtris* geruntur, *Pauli Lichtenſtenii* ſuaſu, prudentis in primis hominis, & recti ac temperati viri, qui magna erat apud *Maximilianum* regem gratia, atque ab eo impetraverat, ut ſe ad pacem cum republica converteret, *Tridentinorum* Epiſcopus Senatum per litteras certiorem facit, cupere *Maximilianum* inducias cum republica facere: quòd ſi nunc eadem eſt ei mens, quæ paulò antea fuit, mittat aliquem, quo cum ipſe regis nomine agere, quæ tractanda erunt, poſſit. Senatus ea intellecta re, *Zachariam Contarenum* legavit, qui eò dandis induciis proficiſceretur. *Contarenus* cùm in *Rhetos* veniſſet, cum Epiſcopo, tribuſque viris principibus, quibus omnino quatuor eam rem mandaverat, *Maximiliani* juſſu *Lichtenſtenius*, in regis & reipublicæ finium loco medio colloquutus, cauſam ſatis quidem perplexam atque difficilem *Gritti* legati conſiliis explicuit, ut vellent illi trium annorum inducias cum republica facere, cúmque ejus fœderatis *Galliæ Hiſpaniæque* regibus, atque iis, qui in *Italia* ſocii aut ipſius, aut illorum regum eſſent: nam cum *Tranſalpinis* uti facerent, adduci nullo modo potuerunt. Id cùm Senatus cognoviſſet, adhibitis regum legatis quæſivit, num id illis caput placeret, quibus annuentibus, facultate ſic conſciendi per literas celeriter ei miſſa, *Contarenus* octavo *Idus Junias* induciis triennalibus cum rege factis, ſcribendo adfuit reipublicæ nomine. quod quidem gratiſſimum Senatui fuit, qui pacem, quàm bellum & onerum vacationem dari civibus, quàm ab iis tributa exigi quotidie, malebat. tum illud etiam verebatur, ne *Maximiliani* oppida capi ac diripi ſentiens frænum *Germania* momordiſſet, tam forti nationi, tantæque multitudini reſiſti ab ſeſe, & illarum gentium ferociſſimarum bellum reſpublica defendere ſuſtinereque non poſſet. Erant in *Rhetico* exercitu *Joannes Jacobus Triultius*, ut ſuprà dictum eſt, & *Guifredus Carolus*, conſiliariorum *Mediolanenſium* magiſter, quem præfectus regius *Mediolano* miſerat rogatum ab Senatu, ut aliquem regis ſui nomine in *Rhetis* vellet conficiendis induciis adeſſe: uterque eas inducias fieri niſi prius ea de re ab rege literæ veniſſent, noluerat, atque in eo perſeveraverat: itaque fœderi ſcribendo neuter eorum adfuit. *Triultius* poſtridie ejus diei cum ſuo comitatu *Mediolanum* abiit: ei *Grittus* legatus per omnes reipublicæ fines Patrum juſſu comes fuit. *Nonis* autem *Juniis*, qui dies poſtridie quàm induciæ firmarentur, fuit cùm *Aloiſius* rex in fœdere, cum *Ferdinando* rege, cumque republica ſanciendo id pertinaciter caput inſeri voluerit, ſe non admonito nullam omnino pacem fieri poſſe: uti ſocietas ea lege firmaretur, fœduſque conficeretur, Senatus tandem cenſuit. Pauloque pôſt, quoniam induciis in *Rhetico* firmatis, *Poſtoinam* in *Iſtris* oppidum *Cornelius* legatus ceperat, uti oppidum *Poſtoina Maximiliano* reſtitueretur, idem Senatus, petentibus *Germanis*, juſſit.

Venetorum cum Maximiliano induciæ tractantur.

Triennales induciæ.

Germania fortis natio.

Interim milites equiteſque è *Rhetis* & *Carnis* in hiberna ſunt deducti, oppidaque capta præſidiis communita: muri eorum, quos tormenta dejecerant, atque arces in meliorem multò formam uti reficerentur, cura præfectis tradita. quorum omnium ratione habita, oppidorum fines centum millia paſſuum in longitudinem patere, *Cornelius* legatus in Senatu dixit. Poſt quem, redeuntem ad urbem *Livianum* in *Bucentauro* navi *Lauredanus* & Patres exceperunt: paulóque pôſt & *Portus Naonis* oppidum, & jus comitiorum ei poſteriſque ejus ſunt ob rempublicam bene geſtam dono data. *Cornelius* etiam illum lautioribus in epulis, cum principibus civitatis, & fœminarum nobiliſſimarum choro, diem unum domi ſuæ habuit.

Geſta in Carnis & Rhetis.

Cognitis *Aloiſius* rex induciis, vehementer perturbatus queſtuſque eſt cum legato reipublicæ *Antonio Condulmerio*, non ſe id ab ea meruiſſe, ut reſponſo ab ſe non expectato, ullas cum *Maximiliano* Senatus inducias faceret: nihil ad ſe, in *Italia* fœderatos aut amicos illis induciis eſſe incluſos, pertinere: unum *Menapiorum* ducem *Maximiliani* potentiæ non objici ſe tantummodo voluiſſe: id ereptum ſibi eſſe ab republica à qua juvari in primis debuit: ſibi tamen auri libras eſſe paratas decies millies, iis illi auxilio ſe futurum, neque paſſurum, ut fœderatorum ſuorum injuria opprimi ab ullo poſſit. Ea oratione iracundiæ ſuæ impetu apud legatum pronuntiata, cum ſe id feciſſe pœnituiſſet, ad tranquillitatem ſe converſum poſtea ſimulavit, mitioreſque ſermones habuit, præſertim cùm *Antonius* legatus reipublicæ factum excuſaviſſet: Senatum id reſpexiſſe, ne *Maximilianus* induciarum tempore *Mediolani* res perturbare, atque ei moleſtiam id ob regnum inferre poſſet: neque cum illo rempublicam ulla alia, niſi *Italicarum* rerum cauſa, eſſe conjunctam. quid enim ei cum *Tranſalpinis*? ſed qui jam antea non amico in rempublicam animo eſſet, ejuſque ſecundis rebus magnopere invideret, facile eam ob rem ſuccenſus, clàm ad malas cogitationes ſe dedit: tametſi ſuo chirographo ſe inducias comprobaturum *Antonio* legato confirmaviſſet.

Aloiſius rex inducias cum Maximiliano improbat.

Iiſdem ferè diebus, quibus ea intellecta ſunt, *Hieronymi Donati*, *Petri Marcelli* magiſtratuum *Cretenſium* literis Patres cognoverunt, tantos terræ motus ea in inſula fuiſſe, ut magna ædium & fanorum pars corruerit: ipſorum domos in oppido *Candia*, tum reliquorum propè omnes, quas modò tremor ſolo non æquaverit, ea vitia feciſſe, ut lapſuræ jamjamque videantur: mortuos ſub ruinis ad eam diem eſſe repertos circiter quadringentos, in quibus ſint ex coloniæ nobilitate non pauci: arcem in *Lyctiis* dejectam eſſe: omnes patresfamiliâs cum uxoribus & liberis ſub dio degere, ejus rei periculo perterritos. Huic ingenti malo reipublicæ illud etiam eſt incommodum adjectum, quòd *Contarenus* cognomine *Camalis*, triremium & ipſe reipublicæ præfectus, dum è *Corcyra* domum reverteretur, duabus ex ſua claſſe navibus, quarum in una erat ipſe, tempeſtate disjectis, atque in *Piceni* eliſis littore, unà cum XL. hominibus periit. Itemque *Carratius*, militum reipublicæ præfectus, homo impiger egregiaque virtute, in agro *Veronenſi* equo inſidens ab homine cive ſuo, de quo nihil verebatur, interfectus

Terræmotus in Creta inſula.

Contarenus Camalis naufragio perit.

Carratius præfectus occiſus.

fectus est gladio renibus infixo. De sicario, quem *Mantuanorum* dux suis in finibus captum magistratui *Veronensium* tradiderat, pœna sumpta. Is, dum ea de re quæstio haberetur, se propterea *Carratium* occidisse, quòd sibi olim maledixerit, magistratui confirmavit. tanta est homini in hominem tamque diuturna parvula sæpe de re suscepta iracundiæ vis & indignatio. Sub hæc, æstatis exitu, quoniam magistratibus comitiis majoribus creandis leges jubent, ut ii, quibus id sorte munus obtigerit, ut nomen alicujus civis ad honores publicos suffragiis provehendi palàm ederent, optimum quemque civem renuntient, ac nonnulli, divites ex civibus qui essent, nonnihil donarent eis, qui illos ad suffragia legissent, quo proniores ad eos in posterum renuntiandos fierent: legem *Decemviri* tulerunt, Qui civi cuipiam, qui eum ad suffragia legisset, uti magistratus crearetur, pecuniam aut quid aliud ob eam rem dederit, donaverit, qua in insula *Decemviris* placebit, exul esto: eo relicto loco captus, fœdiore in urbis carcere vitam producito, ac relinquito: eam pœnam minorem, nisi omnibus ad unum suffragiis, collegium ne facito: qui facere volet, ei decem auri libræ mulcta esto.

Lex in eos qui largitione magistratus quærerent, lata.

Paucisque post diebus *Maximiliani* regis consiliarius *Joannes Raublerius*, nullo comitatu, secretò ud urbem venit, *Zachariamque Contarenum* adiit, seque ad illum ab rege missum ostendit, petens, ut quemadmodum is induciis conficiendis paulò antè operam dedisset, ita nunc eadem opera vellet efficere, ut aliqua pacis tractatio regem inter atque rempublicam iniretur. *Contarenus*, quæ secum regius interpres communicavisset, Senatui exposuit. Senatus *Paulum Pisanum* legit, qui, quæ *Raublerius* afferret, ab eo Senatus nomine cognosceret: nam *Contarenus* re exposita *Cremonam* prætor statim abierat. Cum itaque *Raublerius* cum *Pisano* ageret, confirmavit velle regem pacem cum Republica facere: utque ea fieret, multis rationibus conatus est suadere. Et *Pisanus* ostendit, salva fide reipublicæ, cui cum *Aloisio* rege firma pax esset, id confici non posse: contraque suadebat eam concordiam, pacemque ineundam esse, quæ Christianis omnibus communis esset. Denique cùm *Raublerius* sibi à Patribus responderi peteret, Senatus paucis respondit, illum quidem libenti lætoque animo exceptum fuisse, tum regis sui causa, quem respublica unicè diligeret atque observaret, quemadmodum etiam cunctos illius majores amaverat colueratque, tum ob proprias hominis virtutes: verùm longè magis ob eam rem, ob quam in primis missus fuerat, ut scilicet de pace concordiaque ageretur, quam respublica magis cæteris omnibus rebus semper coluerat, atque hoc tempore multo libentius amplecteretur, si modò omni ex parte ea firma perpetuaque constitueretur: id quod facilè evenire posse sperabat: namque exploratum ei erat, *Aloisii*, itemque *Ferdinandi*, *Galliæ Hispaniarumque* regum sibi sociorum animos pronos ad pacem esse: quamobrem eum hortari, ut regi suo hujusmodi pacem persuaderet, quæ Christianis rebus securitatem dignitatemque esset allatura, regi verò laudem & gloriam sempiternam: tempus maxime ad id opportunum esse: ad eam pacem tractandam omni opera studioque rempublicam paratam esse, modò compertum sit illam communi regum omnium consensu probari: tunc verò constituere, qua ratione, quove loco, aut quibus arbitris ea tractanda sit, haud magnum negotium futurum. Hunc *Raublerii* adventum, responsumque eidem redditum, mandatum fuit *Condulmerio* reipublicæ legato, ut *Aloisio* regi declararet, eademque cum *Albione*

Legatus *Maximiliani* à Republica *Venetorum* pacem petit.

Pax qualis inter *Venetos* & *Maximilianum* esse possit.

A *Ferdinandi* apud regem legato communicaret: quæ omnia etiam utriusque regis legatis *Venetiis* agentibus initio declarata fuerant. Censuit enim Senatus, se legibus amicitiæ fœderisque, quod cum iis regibus percusserat, teneri, ut ea faceret. Illa quoque ratio huc accedebat, ut scilicet regum animos ad tuendam pacem magis firmos Senatus redderet.

Interim è *Flaminia Petrus Landus Faventiæ* magistratus Senatui significavit, *Franciscum Mariam*, *Metaurensium* ducem, *Julii* Pontificis Maximi copias proximis in finibus coegisse lustrandi exercitum, ut ajebat, causa: itemque *Florentinos* mandavisse, uti sub eorum ditione quilibet paterfamiliâs, aut omnino quæque domus hominem unum armatum legato ipsorum mitteret certum ad locum, ubi essent milites recensendi: neque cur id fieret, proponebatur: itaque darent Patres operam, ut *Faventia* communitior fieret, ne quid incommodi respublica, si quid *Julius* contra eam moliatur, accipiat. Patres iis acceptis nuntiis, pecuniam ad milites legendos *Petro Lando* celeriter mittendam, *Lactantiumque Bergomatem*, qui se *Carnico Istricoque* bello fortiter atque amanter gesserat, omnibus militibus, quos ibi esse respublica juberet, præponendum censuerunt. Equites quoque utriusque armaturæ non pauci cum præfectis *Faventiam* è vestigio contendere sunt jussi.

Julius Pontifex milites conscribit.

Non me piget inter hæc ejusdem temporis rem dignam propter novitatem, quæ legentibus nota sit, scribere. Navis *Gallica* dum in Oceano iter non longè à *Britannia* faceret, naviculam ex mediis abscissis viminibus arborumque libro solido contectis ædificatam cepit: in qua homines erant septem mediocri statura, colore subobscuro, lato & patente vultu, cicatriceque una violacea signato. hi vestem habebant è piscium corio, maculis eam variantibus. coronam è culmo pictam septem quasi auriculis intextam gerebant. carne vescebantur cruda, sanguinemque uti nos vinum bibebant, eorum sermo intelligi non poterat, ex iis sex mortem obierunt: unus adolescens in *Aulercos*, ubi rex erat, vivus est perductus.

Homines novi in *Britannico* Oceano capti.

Aloisius rex, cupidus imperii sui fines in *Italia* propagare, intelligensque id se consequi non posse, nisi prius sibi *Maximilianum* adjungeret, quo cum diffidebat, neque quibus illum artibus, multis infensum veteribus recentibusque injuriis, sibi amicum facere posset, omnia cogitans reperiebat: iis rebus ab legato cognitis, quæ Patres à *Raublerio* acceperant, ratusque eam optimam esse occasionem *Maximiliani* animum sibi conciliandi, ad eum legatos misit, qui ut illum in rempublicam accenderent, ei declararent, se quidem ab legato reipublicæ edoctum fuisse omnibus de rebus, quas *Raublerius* ad eam attulisset, omniaque consilia sibi patefacta: ex quibus *Maximilianus*, quantum hujuscemodi hominibus credendum esset, qui illum tam apertè despicerent, ac, quo erga eum animo iidem essent, facilè cognoscere posset: totumque hoc factum rex ex animi sui libidine composuit, auxitque. Neque ipsum cogitatio fefellit: nam ubi ea *Maximilianus* ab rege excepit, iis omnibus fidem planè adhibens, perinde ac si vera fuissent, magnopere exarsit, atque animum, quem in rempublicam benevolum ad eam diem semper habuerat, his rebus commotus ad *Aloisium* transtulit. Id cùm *Aloisius* cognovisset, magnis illum pollicitationibus atque illecebris quotidie captum fovens, agere cum *Julio* Pontifice Maximo, & cum *Ferdinando* rege cœpit, quos quidem oppidorum, quæ respublica ex eorum ditione in *Flaminia* atque *Apulia* obtinebat, recuperandorum cupiditate alterum magnopere teneri sciebat, alterum pro animi sui motu

Aloisius rex *Maximiliani* animum lucratur astu, & in *Venetos* stimulat.

ac

ac propensione duci vehementer existimabat (nam *Ferdinandus* ipse nullam ejus rei ostensionem fecerat) uti secum & cum *Maximiliano* contra *Venetos* fœdere inito bellum sumerent. quanquam sunt qui affirment, agitatum de eo ab *Aloisio* multò antea cum utroque fuisse, & cum *Ferdinando* quidem eo maximè tempore, quo ei *Neapoli* classe in *Hispaniam* redeunti *Aloisius* in *Liguria* obviam se obtulit, diesque aliquot cum illo fuit. Utcunque autem illud ceciderit, ea re ab neutro repudiata, *Alberto Pio* homine vafro callidoque, & qui *Carpis* oppido circumpadano ejectus, quod hereditario jure ad se spectare dictitabat, ad *Aloisium* regem auxilii petendi causa se contulerat, *Gallicas* partes fovente, ac magnopere adnitente, propterea quod, si res ad exitum perduceretur, sese domum rediturum confidebat, inter eos omnes fœdus est percussum ultimis Octobris diebus apud *Cameracum Belgarum* oppidum: quo in oppido *Margarita Maximiliani* filia, quam *Carolus Gallorum* rex repudiaverat, cœlebs eas nationes regebat, eique rei omne studium adhibuerat, tametsi non parvam etiam operam in eo navaverat *Georgius Ambosius* Cardinalis *Rotomagensis*, *Aloisii* legatus: qui, quòd *Romæ* comitiis Pontificalibus *Alexandri* sexti morte præteritus, eam repulsam reipublicæ acceptam referebat, eximio erat in illam odio: & *Nicolaus Frisius*, homo *Germanus*, *Italis* imbutus moribus, *Maximiliano* perfamiliaris, qui ad utrosque non semel ventitaverat cum mandatis, fœderique demum feriendo adfuit *Maximiliani* nomine. Fœderis lex præter cætera fuit, uti omnes uno tempore reipublicæ bellum inferrent: quo si *Veneti* bello victi essent, quæ ab iis ultra *Veronæ* urbis fines ditione tenebantur, *Gallorum* regi cederent: *Verona*, quæque ab ea usque ad mare *Adriaticum* pertingunt, *Maximiliano*: *Flaminiæ* oppida, quæ reipublicæ tunc essent, *Julius*: *Apuliæ*, *Ferdinandus* obtineret. Tanta verò fuit *Gallorum* regis cura, ne quid eorum, quæ in concilio statuissent, enuntiaretur, ut diu nihil certi rescire potuerit, *Aloisiusque* ipse *Antonio* reipublicæ legato ab eo societatis jure quærenti, ecquodnam *Cameraci* fœdus percussisset, affirmans dixerit, se amicum reipublicæ esse, neque quicquam fieri contra illius dignitatem permisisse: *Antoniusque* Senatui scripserit, nihil omnino actum quod reipublicæ nocere posset, fidem sibi regem suam non semel interposuisse.

Cameracense fœdus.

Lex fœderis.

Erat *Mediolani* reipublicæ nomine *Joannes Jacobus Caroldius* Senatus scriba, cui fidem regii ministri sæpe fecerant, dum in concilium ab legatis iretur, deque ea re sermo frequens esset, regem omnino nunquam ab republica dissensurum, omnibusque rebus charius reipublicæ amicitiam semper habiturum: scire enim eam conjunctionem magno sibi & usui & ornamento esse: is, quòd *Giufredum Carolum*, de quo suprà commemoravimus, confecto statim fœdere inter suos gloriantem dixisse intellexerat, sese brevi sui civis mortem cumulatè vindicaturum, deque iis, qui eum interfecissent, pœnas sumpturum, *Carminiolam Venetorum* imperatorem avorum nostrorum memoria publicè ab iis ob proditionem capite mulctatum, eo involucro verborum designantem: utrique enim eadem tellus patria fuit: id, quod erat ratus, Senatui primus omnium per literas denuntiavit, eo ab fœdere sibi caveret: habere se, contra rempublicam fuisse ictum, indicia. Sed confecto, ut dictum est, fœdere, *Julius* tametsi cupiditate ferebatur *Arimino Faventiaque* potiundi, quia tamen & *Gallorum* regem magnæ per se potentiæ multò majorem suo permissu fieri nolebat, & cùm illam nationem, tum *Germaniæ* populos in possessionem *Italiæ* venire, optimæque ejus partis atque populosissimæ dominos fieri, sibi reliquisque *Italis* detrimentosum existimabat futurum, ut ab illis *Venetos* opprimi sineret, adduci propè non poterat. Itaque cùm videret ab *Aloisio* exercitum reliquaque ad bellum idonea per hyemem magno studio comparari, ut primo pabuli tempore *Alpes* trajiceret, seque ab eo per legatos perque literas sollicitari animadverteret, ut suas & ipse copias paratas haberet ad reipublicæ fines eodem tempore à *Flaminiæ* latere infestandos, atque in ejus ditionem irrumpendum, ne sui colligendi aut omnino resistendi reipublicæ facultas daretur: *Constantino Cominato Epirotæ* non postremæ apud *Maximilianum* autoritatis, qui *Romæ* tunc erat, quoque ipse familiarissimè utebatur, mandavit, ut in occulto *Joannem Baduarium* reipublicæ apud se legatum alloqueretur, quæque ab eo dici vellet, ei ostendit. *Constantinus*, qui à *Gallis* regno pulsus, quod quidem aliquot antè annis uxorio nomine in *Salassis* obtinuerat, magno illos odio prosequebatur, adhibita diligentia noctu amotis arbitris, legatum alloquitur, atque omnia *Aloisii* regis consilia ei aperit, quæque reipublicæ impendeant proponit. addit, si Senatus *Ariminum* atque *Faventiam* restituere *Julio* velit, propterea quòd is reipublicæ vastitatem non æquo animo ferat, confidere sese ab eo impetraturum, ut unà cum *Maximiliano* à *Gallis* desciscat, detque operam ne quid ab illis reipublicæ noceri possit. Legatus *Constantino* collaudato, quòd tanta secum de re sermonem habuerit, nihil sibi spei esse reliquum dixit posse se ad id perducere Senatum: sed quæ ab eo cognoverit, uti ad *Decemvirûm* magistros quam celerrimè perferantur, se curaturum pollicetur.

Veneti de fœdere Cameracensi moniti.

Julii Pontificis providentia.

Decemviri, qui jam de fœderis conditionibus aliunde cognoverant, neque oppida illa ab se dimittere ullam ob causam in animum induxerant, nihil omnino ad legatum, qui ad eos literas dederat, iis de rebus rescripserunt: sed ad *Maximilianum*, de quo porrò ad eos afferebatur, posse illum adhuc quidem ab amicitia *Aloisii* regis abstrahi (nondum enim eam rem ob vetus erga illum odium, plurimasque odii causas in ejus animo coaluisse) *Joannem Petrum Stellam* Senatus scribam, qui aliàs ad *Maximilianum* ventitaverat, eratque illi admodum familiaris, secretò miserant, ut illum quibuscunque posset modis Senatui reconciliaret. Is cùm ob nimium conficiendæ rei studium immatura festinatione se apud *Maximiliani* familiares patefecisset, sic, ut ejus adventus *Aloisii* regis legatis, qui apud *Maximilianum* erant, celari non potuerit, nulli reipublicæ usui fuit. *Leonardus* quoque *Vicetinus*, ex nobili *Portorum* gente, vir & clari in bonarum artium disciplina nominis, & reipublicæ amantissimus, magnis itineribus summa hyeme ad amicos suos *Maximiliani* familiares, qui se ei obtulerant, à Senatu missus, ut per illos regis animum leniret, nihil profuit. *Decemviri* enim certas pacis conditiones, quæ ab illo proponebantur, quod ex reipublicæ dignitate non essent, re inter ipsos agitata respuerunt.

Venetorum legatus ad Maximilianum.

Quin etiam illud accidit: nam quod erant *Romæ* duo reipublicæ legati, *Joannes*, de quo dixi, *Baduarius*, homo lenissimis omnino moribus, & *Georgius Pisanus* morosi admodum ingenii, cum *Julio Centum cellas* petente *Pisanus* in comitatu fuit, *Baduario Romæ* ob valetudinem relicto. Ibi cùm *Julium* tranquillo mari navicula exhilaratum, qua una illa re magnopere delectabatur, *Pisanus* de eo ipso reipublicæ in *Flaminia* negotio alloqueretur: quin tu, inquit *Julius*, non cum Se-

Julii Pontificis callidum consilium.

Senatu tuo agis, ut is aliquem ex suis civibus mihi proponat, cui ego *Ariminum*, *Faventiamque* dem *Romanæ* reipublicæ nomine obtinenda stipendiariumque illum meum faciam? ita & habebitis re vos à me oppida illa, & ego ad speciem non amisero. Ad quem quidem *Julii* sermonem *Pisanus* respondisse dicitur: non consuesse rempublicam quempiam ex sua civitate regem facere: tumque nihil de ea re ad Senatum scripsit: neque quicquam cum collega postea communicavit suo, ita sive casu, sive fortuna, sive deorum immortalium voluntate, qui rempublicam florentem opibus, egregiam & illustrem fama, pollentem autoritate, in finitimorum regum invidiam adduxerint, ut ex adversis ejus rebus animos hominum erudirent, quæ civitas, quodque imperium annos plus mille octoginta semper creverit, posse id unius diei spatio vehementer conteri ac debilitari.

Venetorum ad bellum sibi imminens apparatus.

Patres pacis spe deposita, ad bellum propulsandum ingenti animo se converterunt. Itaque uti equites gravioris armaturæ supplerentur numero ad decem millia. levioris ad tria millia quingenti, quorum essent ab *Epiro* duo millia, militesque ad millia tredecim conscriberentur. Senatus statim jussit, tum ut ei quoque rei prospiceretur, si quid reges mari molirentur, naves triremes quindecim, quarum essent *Nothæ* quatuor, ut in urbe *Cretaque* insula armarentur, classique reliquæ conjungerentur, latum. Missus quoque ab *Decemviris* ad regem *Britanniæ Andreas Baduarius*, qui multos annos ea in insula fuerat, linguamque illam callebat, ut eum reipublicæ amicum faceret.

Legati utrinque dimittuntur.

Interim & *Lascaris Gallorum* regis legatus, Patribus valere jussis, ab urbe in *Galliam* discessit ultimis Januarii diebus: & *Antonio* legato reipublicæ uti domum reverteretur, regii in *Gallia* interpretes edixerunt, cùm ei prius torquem aureum dono regis nomine attulissent. *Antonius* autem non egere se inimici regis muneribus pronuntians, torque repudiato viæ se dedit. *Caroldius* etiam *Mediolano* dimissus cum *Triultium* discedens salutavisset: ille verò, pudet me, inquit, *Caroldi* hujus belli, quod parari video, nam injustum est: nulla enim in re violatam à vobis *Gallorum* societatem possumus dicere: nam quod rex de induciis queritur, id quidem nihil est: Senatus enim illi ob res modò *Italas* tenebatur, reliquis in rebus erat liber.

Paucis autem pòst diebus cùm parum esse superioribus Senatusconsultis provisum exercitu comparando Patribus videretur, additum ad illa est, uti equitum levis armaturæ mille, militum quina millia advenarum nationum scriberentur, sagittariique è *Creta* insula mille, ex *Acroceraunis* alteri mille cujusque modi armorum accerserentur. quodque *Genuæ* atque provinciæ portubus naves innumerarum amphorarum quatuor, triremesque non paucas armari ab rege Patres intellexerunt: naves triremes duodecim, quarum essent *Nothæ* duæ, prioribus addendas censuerunt.

Cremonæ arx munitior redditur.

latum etiam, ut *Cremonæ* arx ad sustinendos hostium impetus longè munitior fieret. itaque mille operæ ei rei à magistratibus addictæ, opus ante inceptum bellum perfecerunt. reliqua etiam eorum finium oppida castellaque, quibus id usui esset, communitiora fieri, magna cura atque impendio cœpta sunt. Ea dum *Nicolaus* imperator inviseret, *Bergomumque* adire, quod postremum erat, die dicta statuisset, re per exploratores *Mediolani* præfecto nuntiata, noctu ejus equites ducenti cum militibus totidem, quos singuli singulos suis in equis imposuerant, *Abdua* flumine trajecto, se in sylvas abdiderunt, ut imperatorem,

A qui nihil ejusmodi veritus cum paucis itineri se dederat, de via interciperent. quorum de insidiis cùm esset *Bergomum* per agricolas earum regionum magistratibus nuntiatum, tabellarii nuntiique citatis ad imperatorem equis missi ab iis, parvo illi spatio ex hostium manibus erepto, saluti & incolumitati fuerunt.

Pulvis tormentarius & urbana navalia fulmine tacta.

Iis rebus foris administratis, domi claro ac sereno die urbanis in navalibus dum pulverem ad tormenta exercenda confectum in arculas ligneas operæ infarciunt, ictu mallei favilla emicuit: ea ingentem ejus pulveris acervum comprehendit, disjectisque immani cum fragore ac tonitru, B terræque motu ejus conclavis, in quo asservabatur, parietibus & tecto, ut lateres, tegulas, asseres, tignaque ipsa longo per aëra tractu volantia ignis vis atque impetus in diversa tulerit, fumo & caligine urbem totam puncto temporis integens civitatem perterrefecit: Senatusque qui habebatur, miraculo exterritus in forum frequens descendit. eo igni & cadentibus passim iis, quæ sublimè ierant, fragmentis, ex fabrûm collegio quamplurimi, magisterque ipse fabrûm, & honesti homines aliquot interierunt: habitaque pro ostento res fuit.

Hispaniæ regis fraus & dolus.

Regis sub hæc *Ferdinandi* legatus Patres adiit, C regem suum eo se fœdere, quod ictum *Cameraci* esset, uno modo capite, quo sit bellum *Thracibus* inferendum, cum *Aloisio* rege conjunxisse: velle enim, quod cum republica fœdus habeat, in eo amantissimè permanere: cupere autem, propterea quòd fiat certior ab *Aloisio* arma in rempublicam parari, scire à Patribus, quænam sit ejus rei causa: demum, quicquid aut opibus, aut benevolentia valeat, id omne reipublicæ polliceri. Ejusmodique sermonem ipse in *Hispania* rex cum reipublicæ legato *Francisco Cornelio* habuit, ut Senatus ea, quæ multis autoribus aliunde cognovisset, de *Ferdinandi* ab se alienatione, falsa esse crederet. ita D sunt prona hominum ad fallendum ingenia, non quorumlibet modo, sed regum quoque.

Belli contra *Venetos* initium.

Ubi patres de insidiis imperatori factis in agro *Bergomati* ab *Gallis* equitibus intellexerunt, ea re belli factum initium rati, duos ad id legatos legerunt, illos ipsos, qui paulò ante bellum *Rheticum Carnicumque* administraverant, *Andream Grittum*, *Georgium Cornelium*. atque is, antequam proficisceretur, majoribus comitiis templi *Marci* procurator lectus est, *Dominici Mauroceni*, qui mortem obierat, de quo suprà commemoravimus, loco. Erat *Cornelius* annorum LV. neque post *Franciscum Foscarum*, qui dux *Venetorum* fuerat, quenquam minorem E natu illum magistratum esse adeptum constabat: adeò uni senectuti eo creando ferè semper honos fuit. Præfectus quoque à Senatu lectus est *Epirotis* equitibus *Justinianus Maurocenus*: quæque ad eam diem in nobilitatem aditum nunquam habuerat, *Vincentio Valerio* tormentorum cura tradita. Proficiscentibus autem ab urbe legatis, quæstor est exercitui *Paulus Nanus* declaratus.

Galli è ditione *Venetorum* edicto evocantur.

Quoniam verò magistratus regii edictum *Mediolani* proposuerant, ut cùm ejus urbis cives, tum verò etiam *Ligures*, aut omnino *Galli*, qui in ditione reipublicæ eo temporis moram traherent, viginti dierum spatio domum re- F verterentur, id qui non fecisset, mors ei pœna esset, ejusque bona publicarentur: qua ex re fiebat, ut perplurimi, qui vel mercaturam faciebant, vel plebeias artes exercebant, domiciliaque in urbe habebant, emigrare cogerentur:

Edictum Reipublicæ *Venetæ*.

legem contrà Patres jusserunt, qui ea de causa urbem reliquisset, quive illum navicula evexisset, aut comes itineris fuisset, ejus bona fisco inferrentur, aliquandoque captus annum in carcere teterrimo conficeret. ea pœna proposita, omnes, quibus qui-

quidem aut insulæ, aut fundi, aut omnino res aliqua familiaris esset, emigrare veriti restiterunt. Iis rebus bellicisque apparatibus, & *Maximiliani* cum *Aloisio* rege nova ex fœdere conjunctione, *Germani* mercatores, qui in urbe erant, permoti, concilio coacto à Patribus petierunt, uti se tutos, si quid reipublicæ ab suo rege accidat, velint esse. quod quidem illis Patres libentissimi concesserunt: amplissimaque iis facultas est omnia, uti consueverant, in tota reipublicæ ditione liberrimè agendi tradita.

Germanis mercatoribus agendi facultas libera concessa.

Classium apparatus.

Comitiis deinde majoribus præfectus est classis *Angelus Trivisanus* declaratus, jussusque à Senatu quamprimum conscendere: nam præter eas naves, quæ à *Gallorum* rege armabantur, *Ferdinandum* quoque regem parare classem, quam in *Siciliam* & *Tarentum* mitteret, reipublicæ apud illum legatus ad Senatum scripserat. tametsi ejus legatus Patribus fidem faceret, *Africanarum* rerum causa eas opes comparari: nil omnino esse, quod eo ab rege sibi verendum existimarent, qui esset reipublicæ amantissimus.

Ea res, & quòd *Julius* exercitum & ipse in *Flaminia* ex *Hetruria* & *Umbria* & *Piceno* cogebat, & *Galli* magna manu *Alpes* jam trajecerant, longè majore aut unà cum rege in dies trajecturi dicebantur, & *Maximilianum* omnes homines idem per se facturum existimabant (misceri enim & tractari arma ex *Germania* rumor attulerat) Senatum solicitum fecerat, quonam pacto unus tot tantorumque hostium impetus terra marique sustineret, præsertim cùm *Julius Roma*, suisque omnibus ab oppidis & finibus manum ullam ad reipublicæ stipendia venire non permitteret, edictis durioribus interpositis: ut, qua ex parte plurimi se duces reipublicæ obtulerant, multumque copiarum secum adducturos se receperant, resque publica magno eos usui sibi futuros confidebat, ab ea illam parte spes omnis atque opinio destitueerit. Quæ cùm ita se haberent, præstare Patribus visum est, uti ad Senatum de restituenda *Julio Faventia* referretur, si fortè illum eo munere avertere ab incepto possent: verùm *Georgio Emo* rem vehementer refellente, nihil latum.

Consultatio de Faventia Pontifici restituenda.

Legatis *Brixiam Cremonamque* profectis, templi *Marcii* altera procuratio, quo in magistratu *Marcus Antonius Maurocenus* mortem obierat, *Andreæ Gritto* comitiis majoribus est delata, ut eo munere ad bene de republica promerendum rebus tam dubiis accederetur, *Andrea Venerio* cive prudente, publicique juris retinente, octo suffragiis præterito: qui eo anno Patribus autor fuerat uti *Aloisii* regis societate, suspecta illa quidem ac planè dubia, repudiata, cum *Maximiliano*, magnopere id efflagitante, se conjungerent. *Petrum* interim *Landum Faventiæ* magistratu decedentem, in *Flaminia* legatum Senatus jussit esse. Is *Ariminum* profectus detecta proditione ab *Julio* instituta, qua ejus militibus noctu oppidi portam tradi convenerat, de proditore pœnas sumpsit.

Fœdus Venetorum cum quatuor pagis Helvetiorum.

Miserant ad *Helvetios* superioribus diebus Patres *Hieronymum Soarnianum* societatis instituendæ causa: atque is quatuor eorum pagis persuaserat, uti se cum republica conjungerent: fidemque ab iis acceperat, si per decennium ducentæ quinquaginta auri libræ annis singulis à Senatu eis dentur, se cum republica futuros, atque in *Galliam* transalpinam è vestigio contra regem erupturos. ea intellecta re, uti ita fieret, à Senatu lex est lata.

Belli prænuntii.

Duo sub hæc nuntii *Venetias* allati, magno timore pro belli initio civitatem affecerunt: quorum alter, *Franciscum Mantuanorum* principem *Casale* municipium in *Padi* fluminis ripa, sibi finitimum, collecto equitatu & peditatu repenti-

A no impetu cepisse, Patres certiores faciebat: ab altero, *Gallorum* magnas copias *Abdua* trajecto *Trevium* oppidum aggressas, cùm illis obviam, qui in oppido erant, equites & milites exissent, omnem illam manum fudisse, ex militibus non parvum numerum interfecisse: *Paulum Memmium* prætorem, & *Justinianum Maurocenum* unà cum filio, præfectosque tres captivos fecisse, atque oppidanos ad deditionem compulisse, confirmabatur: equites tamen *Epirotas* ducentos, quibus *Maurocenus* præerat, reliquis fusis fugatisque, conglobatos per mediam hostium aciem sese incolumes in tutum recepisse, neque eos lacessere ex
B hostibus ausum quenquam fuisse, idem nuntius adjecerat.

Galliæ rex Venetis bellum indicit.

Regis etiam *Gallorum* præco ad urbem venit, ut bellum reipublicæ indiceret. Ab eo Patres, semotis aliis, ne civitas re nova permoveretur, se adiri voluerunt: itaque porta de via in vestibulo curiæ admissus, veste liliis aureis intertexta sese induit: tum curiam ingressus ante Patrum subsellium stans, Bellum, inquit *Lauredane Venetorum* dux, ceterique hujus urbis cives, *Ludovicus Gallorum* rex indicere me vobis jussit tanquam infidis hominibus, Pontificisque Maximi & reliquorum regum oppida per vim perque in-
C juriam capta possidentibus, omniumque omnia dolo malo sub vestram ditionem rapere atque redigere festinantibus. ipse ad vos armatus ea repetiturus venit.

Lauredani ducis responsum Gallorum præconi datum.

Ad hæc *Lauredanus* Patrum medius sua in sella sedens ita respondit: Res hæc publica *Galle*, quam adiisti, nihil injustè possidet: nam jure agit, neque fidem cuiquam fallit: quam certè fidem nisi valde plus justo regi ipsi servavissemus tuo, ille verò ubi pedem in suo poneret, in *Italia* non haberet. Sed præstat nos vel cum periculo esse qui semper fuimus, dum *Aloisius* æquè arrogantia atque perfidia polleat. bellum quod de-
D nuncias, propulsaturi cum diis immortalibus sumus, quos ille vindices habiturus est, aut hîc aut apud manes, rupti per scelus fœderis.

Hoc responso accepto est dimissus: ac ne quis eum violaret, quos itineris comites à reipublicæ magistratibus adveniens habuerat, iidem sunt reducere, atque in regis finibus sistere illum jussi.

Brixianorum fides & solertia.

Brixiani, ubi de captis oppidis & præfectis nuntiatum est, concilio civitatis coacto, milites sex mille sua pecunia legere decreverunt, atque ad legatos mittere. civisque unus ex iis *Aloisius Auogarius* sexcentos milites se celeriter confecturum, magistratibus est pollicitus, eosque sine
E ullo reipublicæ impendio menses quatuor in exercitu habiturum. quod quidem *Brixianæ* civitatis factum, plenum fidei atque benevolentiæ, postea *Veronenses* æmulati, quinquaginta auri libras exigi ab sese, atque in milites ad exercitum mittendos stipendii nomine distribui, concilio coacto statuerunt.

Veronensium studium.

Galli turpiter fugati.

Galli eo successu cohortati inter se *Caravagium* capere aggressi, ubi oppidanos, quique oppidum custodiebant, milites apertis exire ad prælium portis magno cum clamore ingentique tubarum sono è propinquo viderunt, veste atque argento temerè ubi consederant relicto, sese fugæ man-
F daverunt.

Tributa alia indicta.

Domi autem Patribus pecunia in bellum eroganda solicitis præter tributa alia de hoc quoque Senatusconsultum factum est, & quidem solido fieri superioribus in bellis altero tanto gravius, uti à magistratibus urbanis sex mensium stipendia integra reipublicæ remittantur: reliquorum verò compendiorum, quæ omnino ex jurisdictione ipsa, vel ex portoriis fraudatis, vel quacunque alia ex re ad eos redeunt, media pars in æra-

rium inferatur, quadragintaviralibus judiciis exceptis, quibus unis media stipendiorum pars maneat, propterea quòd aliunde nihil lucrantur: magistratus autem provinciales, & arcium præfecti, intra sinum *Phanaticum* qui sunt, mediam stipendiorum partem reipublicæ remittant, reliquis in rebus eadem, qua urbani, lege teneantur. Horum autem magistratuum urbanorum & provincialium omnium juris interpretes, & scribæ, ministrique mediam & ipsi cùm stipendiorum partem, tum compendiorum tribuant reipublicæ *Veronæ*, *Brixiæ*, *Bergomi*, *Cremæ*, *Cremonæque*, atque *Flaminiæ* magistratibus item exceptis, & iis, qui ultra sinum *Phanaticum* sunt missi, qui omnes quartam modò partem earum utrarumque rerum conferant: satis enim magna alteris incommoda bellum esse ipsum allaturum, alteris iter longum & impeditum jam attulisse, ne aliis etiam oneribus ferendis æquè ac cæteri affligentur.

Eam legem, uti dictum est, cùm Senatus jussisset, majora quoque comitia triduo pòst habita pari studio jusserunt. Latum est etiam, uti exules illatæ fortuitò mortis causa, qui unà cum quatuor bello idoneis hominibus militiam reipublicæ menses quatuor sua pecunia fecerint, ab exilio revocentur. Legatus deinde *Bergomatibus* datus *Marinus Georgius*, *Ariminensibus Aloisius Armerius*, qui eis in oppidis administrando bello præsint.

Exules revocantur.

Interim cum à *Petro Lando* Patres certiores facti essent, ab *Julianis* copiis incursiones in reipublicæ fines fieri, abigique prædas, & agrestes homines vulgo interfici, vel captos in vinculis abduci, eadem est in *Julii* finibus patrandi exercitui reipublicæ à Senatu facultas tradita: *Laurentiusque Sagredus*, præfectus classis in *Flaminiæ Picenique* littoribus, suis cum navibus *Ariminum* contendere est jussus. Cúmque hostium numerus in *Cremonæ* finibus *Abduæque* ripis vehementer augeretur, castellaque ad eos & pagi aliquot defecissent, uti naves aliæ adverso *Padi* flumine in *Galliam* mitterentur, aliæ in lacu *Benaco* armarentur, lex est lata: præfectique alteri classi *Sebastianus Maurus*, alteri *Zacharias Lauredanus* dati. *Gaspar* etiam *Severinas*, qui *Cesenæ* erat, seque reipublicæ obtulerat, & *Antonellus Neapolitanus* cum turmis equitum ad reipublicæ militiam sunt conscripti: atque hic quidem, quòd erat planè dives, confectis in urbe testamenti tabulis, templi *Marcii* procuratores ex asse sibi hæredes instituit, atque ad bellum profectus est. *Leonardus* etiam *Pratus*, è *Lupis Apuliæ* oppido, ex societate *Rhodiorum* militum, se ad rempublicam contulit, homo & gentis nobilitate, & rei militaris scientia clarus: cui paulò pòst, ut virtuti ejus honos haberetur, equites levis armaturæ centum quinquaginta, reliquorumque omnium ejusdem modi equitum præfecturam Senatus tradidit. Is quoque *Leonardus* cum ad urbem quinquaginta auri libras domo secum attulisset, Patribus dixit, tanto se auro in præsentia non egere: decemque ex ea summa suos in usus retentis libris, reliquas quadraginta eis obtulit, atque à curia in diversorium abiens statim misit. tam prono in alieno homine atque advena liberalitas cum benevolentia in rempublicam extitit.

Julii Pontificis Exercitus incursiones.

Venienti autem ad urbem *Hannibali Bentivolo*, Patribusque pollicenti, si favore suo velint opibusque sibi præstò esse, brevi se unà cum fratribus & suorum factione, *Bononiam* ab *Julio* aversurum, magnamque illi plagam, quà nihil timeat, inusturum: Senatusconsulto sunt omnia, ut petierat, permissa, literæque ad præfectos in *Flaminiam* datæ, rem omni studio juvarent: atque ipsi equites quingenti, *Hermeti* fratri ejus milites sunt bis mille cum pecunia pro re, quam parabant, traditi. Equiti etiam *Vulpio* è *Cornelii Foro*, ob seditiones civitate ejecto, equitum gravis armaturæ turma data: *Herculique Tiberto Cesenæ* item exuli milites quingenti spe novandarum rerum suo in oppido ab utroque: quibus revocatus motibus *Julius*, suisque rebus timens, ab incepto bello desisteret.

Hannibalis Bentivoli institutum.

Inter hæc binas auri libras sacris virginibus Patres dono dari à quæstoribus curaverunt, ut preces diis immortalibus tam duro tempore pro republica facerent: perque omnia urbis templa sacerdotes à Pontifice jussi numina, quorum sub tutela *Venetum* imperium est, votis supplicibus, & solemni ritu placare.

Supplicationes *Venetorum* pro consequenda victoria.

Verùm enimvero cum belli facies quotidie formidolosior fieret, éque *Gallia* transalpina operæ fabrique magno numero *Mediolanum*, *Laudemque Pompeii* advenissent, pontesque tres diversis locis in *Abdua* flumine ab hostibus instituerentur, regemque ipsum multo maxima cum manu paucis diebus adfuturum, fama nuntiisque vulgavissent, atque à *Flaminiæ* latere *Julii* exercitus modò *Ariminum*, modò *Faventiam* invasurus magnopere urgeret, ob ingentes autem tot tamque præsentibus in rebus factas impensas pecunia rempublicam deficeret, quod profectò malum omnium maximum plerisque videbatur: coacto Senatu *Lauredanus* dux auri libras decem mutuò se daturum reipublicæ pollicitus, cives reliquos, quibus non deesse facultatem sciebat, idem pro se quisque uti facerent, est cohortatus: itaque eo die posteroque plurimæ auri libræ mutuò in ærarium collatæ, eo metu civitatem liberaverunt. *Tauriso* deinde reliquisque ditionis *Venetæ* locis, urbe excepta, restitutus est ab exilio *Jacobus Collaltus* (cujus exilii damnatus ob necem patrui fuerat) dum is in exercitu reipublicæ, quemadmodum quidem Patribus se obtulerat facturum, cum turma equitum centum, menses quatuor sua pecunia militiam faciat.

Aerarii publici exhausti remedium.

Jacobus Collaltus ab exilio restitutus.

Erat tunc in sermone civitatis haud modico *Faventia*: quo in oppido detecta proditio fuerat *Francisci Brixiani* equitum turmæ præfecti, deque eo pœna sumpta: oppidi enim portam noctu *Julianis* se militibus aperturum cum eorum interprete pepigerat, atque insigne *Julianum* cum quercu aurea & coronis, quod in muris manè poneret, ab eo traditum domi suæ custodiebat. Illi autem, patefacta re, in *Faventiæ* se fines intulerunt, ut oppidum montanum *Brisigeliam*, cui civitas propter optimum genus militum, ex eo educi solitum, magnopere confidebat, expugnarent: jamque *Tartarum* Centurionem reipublicæ, qui *Brisigeliam* cum tribus cohortibus præsidii causa se conferebat, insidiis positis interceperant, pauloque post cùm oppidum tormentis cinxissent, eo sunt potiti, prætore, quæque cum eo erat copia, & *Joanne Paulo Manfronio* equitum præfecto magna virtute, qui tuendi oppidi causa eò cum paucis equitibus per medios hostes sese inferens venerat, in arcem se recipientibus: quos tamen omnes multis oppugnatos præliis, arce etiam dejecta, captivos fecerunt: & *Faventia* frustrà tentata, in *Ravennæ* fines ad *Russium* oppidulum oppugnandum se contulerunt.

Francisci Brixiani proditio detecta.

Eas ob res civitate perturbata, cùm lentius tributa exigerentur, Senatus censuit, ut qui jure comitiorum præditi die sibi præstituta in ærarium non intulissent, eorum nomina comitiis majoribus recitarentur, ut ab universa civitate cognosci posset, qui cives non amantes patriæ essent. quod si ob eam contumeliam alia præstituta

Edictum contra negligenter tributa inferentes.

tuta die non inferrent, tum verò à Senatu atque à collegiis secretioribus, demum ab omnibus reipublicæ muneribus arceantur, eorum loco alii subrogentur, ipsi ad ferenda suffragia ne admittantur. Hæc tum fuit nobilitati pœna multiplex constituta. Plebi verò id unum, ut in ærarium non inferens, à publicis & ipsa muneribus amoveatur: quæ cùm plurima quidem sunt, tum certè etiam perutilia, ut magna pars civium ea se re alat perliberaliter. Eam legem majora comitia primùm habita comprobaverunt, acerbitate temporum civium animos frangente, ut quod aliàs non tulissent, neque unquam latum antea meminissent, tum quidem non perferrent modò impositum patienter, sed ipsi quoque sibimet imponerent perferendum.

Medelaci castellum captum.

Lege lata *Bergomo* literæ venerunt, hostes in oppidi finibus *Medelaci* castellum, magna vi oppugnatum, cepisse: omnes qui in eo erant interfecisse: non mulieribus infantibus pepercisse: ut civitas perterrefacta, tuendi oppidi auxilium à legatis petat.

Liviani alacritas in hoste aggrediendo.

Interim magna ex parte collecto ab imperatore *Livianoque* reipublicæ in *Gallia* exercitu, ad quem quidem equites *Epirotæ* perplures modo allati se contulerant, magnaque vi optimorum tormentorum à *Valerio* adducta, cùm de *Abdua* flumine transeundo sententiæ ab iis, atque ab legatis, & reliquis præfectis dicerentur, *Livianus* autem magnopere transitum probaret: multum enim, si transeant, posse ipsos proficere nondum collectis hostibus, rege non præsente, populis adhuc in ambiguo utram sequi partem præstet, constitutis: audacia & celeritate plurima confici, cùm sua hostibus consilia impediantur, ipsis animi augeantur: sed reliquis eam rem non probantibus, quòd fines reipublicæ hostibus direptioni, si & ipsi *Abduam* transissent, essent relinquendi, *Livianus* ad legatos conversus, Agite, inquit, si cunctari hic volumus, scribite ad Senatum, decies millies auri libras paratas habeat, quibus producere bellum possit. qua de contentione Senatus certior ab legatis factus, petentibus ut quid fieri malit imperet, literas ad illos dat, eam se rem imperatori *Livianoque* permittere, qui rebus omnibus intersint: & moram se & fluminis trajectum ita probaturos, uti ipsum alterutrum è reipublicæ commodo susceperint.

Pontifex Julius Venetis aqua & igni interdicit.

Interim *Julius*, qui *Ursinæ* gentis duces, ne ad reipublicæ militiam accederent, partim minis, uti suprà demonstratum est, edictisque terruerat, partim per filiam suam *Felicem*, quæ *Joanni Jordano* ejus familiæ principi nupserat, precibus & fœmineis consiliis ab itinere instituto revocaverat, stipendiaque sibi ab reipublicæ legatis *Romæ* curata ne restituerent, interdixerat, data eis venia jure illa retinendi, fideique præstandæ religione sublata: præter quod exercitum in fines reipublicæ introduxisset, ad illud etiam pertinaciter descendit, ut *Lauredano principi*, Senatuique omni *Veneto*, & civibus singulis aqua & igni interdiceret: ejusque rei literas omnibus hominibus vulgandas proponeret maledictorum & execrationum plenas, nisi die præstituta non *Faventiam* modò atque *Ariminum*, sed *Ravennam* quoque *Cerviamque* sibi tradiderint: quæ quidem oppida centum fermè annos in reipublicæ imperio fuerant, neque ullus ea Pontifex Maximus in dubium revocaverat, quin jure à republica possiderentur.

Venetæ Reipublicæ à Papa ad Concilium appellatio.

Qua intellecta re, ne plebs ejusmodi literis, plus quàm tempora & reipublicæ difficultates postularent, permoveretur, Senatus cavit, ne reciperentur, neve, qui afferrent, admitterentur. appellavit etiam de eo futurum concilium, missis *Romam* affixisque in templorum foribus publicæ

A expostulationis literis: missis etiam in *Pannoniam* ad *Thomam* Cardinalem *Strigoniensem*: nam ei propter Patriarchatum *Constantinopolitanum*, cui præerat, unà cum tribus Episcopis concilium cogenti jus potestasque antiquitus erat attributa.

Strigoniensis Cardinalis autoritas.

Supplicationes publicæ.

Has ob res & belli *Gallici* pericula supplicatio decreta est, aurique tantundem, uti paulò ante, sacris virginibus publicè datum, placandi Deum causa.

Edictum Neapoli propositum.

Patres interea certiores facti edictum *Neapoli* propositum fuisse, ne quis ad reipublicæ stipendia se conferret: cogi verò exercitum à Prorege, qui cum in *Apuliam* ad reipublicæ oppida expu-B gnanda contenderet: exspectari autem ab eo *Roma* milites quingentos, quos Legatus apud *Julium* regius in urbe conscripserit: reliqua omnia esse jam parata, ut viæ sese det: adhibito legato apud se item regio, ea quæ non ambiguis autoribus intellexerant, exposuerunt: questique sunt, non esse hoc illud, quod sæpe reipublicæ sit pollicitus. Ille verò confidenter pernegare, rogareque Patres, ne quid ejusmodi crederent: agi à Prorege illa omnia muniendi regni causa, propter *Gallorum* in *Italiam* adventum, non autem ut reipublicæ bellum inferat, suis cum regibus fœdere atque benevolentia conjunctissimæ. quæ tametsi C Patres quorsum dicerentur, haud obscurè cognoscerent, dissimulanda tamen sibi esse statuerunt, dum de belli exitu cum rege *Galliæ* sciri posset. At cùm aliquando de *Abdua* flumine non transeundo, nisi prius quæ oppida & castella *Galli* jam ceperant, ab ipsis expugnarentur, ne post se hostes relinquerent, inter duces *Venetos* convenisset, aliquot ex iis parvo negotio castellis receptis, *Trevium* se cum exercitu contulerunt: quod oppidum equites militesque ex optimo *Gallorum* genere bis mille custodiebant: muroque tormentis celeriter dejecto, hostes ad deditionem compulerunt, nulla conditione interposita, nisi ut iis, D equis detractis, rebusque reliquis abreptis, cæteris sacramento ab ipsis dato, eo se anno bellum reipublicæ non facturos abeundi facultas permitteretur: duces captivi tamdiu essent, quoad eorum, quos ex *Venetis* eo in oppido *Galli* cepissent, cum his permutatio fieret. Ab ea oppugnatione uti *Venetos* repellerent, *Galli* magno numero vicinis ex locis coacti ad eorum quidem castra venerant, manus autem conserere non sunt ausi, ut penè in eorum conspectu oppidum captum sit: quod quidem *Liviani* permissu statim direptum atque incensum est: qua in direptione mulieres virginesque propè omnes à militibus vim passæ E ac violatæ, oppidi casum inhonestiorem reddiderunt.

Trevium expugnatum, & miserè direptum.

Eo negotio confecto *Hispaniæ* regum legatus *Lauredanum* Patresque gratulatum adiit, scire se affirmans, suos reges magnam ex eo voluptatem percepturos.

Casaboldum castellum, à Mantuanis obsessum, Veneti liberant.

Pauloque pòst *Mantuani* ducis equites quatercenti, milites sexcenti, *Alexio* duce ad castellum *Casaboldum*, quod abest ab *Asula* oppido in *Brixianorum* finibus millia passuum quatuor, cum tormentis, id ut caperent, improvisi accesserunt. Pagani, qui in eo erant, armis captis fortiter se defendere cœperunt: simul ad *Federicum Contare-F num* à *Decemviris* legatum, *Asulanis* præesse jussum, miserunt, auxilium imploratum. *Federicus* confestim quingentis militibus, quos habebat fortes viros, ut eò contenderent, petentibusque opem ferrent, imperavit. Ii celeriter itinere confecto, prælium cum *Mantuanis* commiserunt, eorumque partem interfecerunt, partem ceperunt, reliquis in fugam conjectis, tormentisque abductis, nullo ex suis desiderato, vulneratis perpaucis, læti *Asulam* ad *Federicum* reverterunt. Ea clades *Mantuæ* nuntiata

tiata magnos luctus excitavit: erant enim in ea manu honesti cives permulti, quorum pars major interierant.

Veneti, quòd *Trevio* capto, oppidum militibus diripiendum tradiderant, haud levem ex ea re jacturam fecerunt: plurimi enim milites Tribunis & Centurionibus relictis cum præda vulgò domum profugerunt: ut magna illos perturbatio tenuerit.

Regis *Galliæ Mediolanum* adventus, & cum exercitu valido progressus.

Eo incommodo ad regem ab exploratoribus perlato, qui *Mediolanum* Calendis Maji venerat, pauloque antea ex oppidi & suorum deditione graviter commotus, quò utiliter belli consilia verteret, non reperiebat, omnibus suis coactis copiis *Cassianum* venit, ut cùm vellet, flumen trajiceret. Habebat autem lectissimorum millia quindecim, quibus duces clari nominis præerant militum triginta: eorum pars *Helvetii*, *Vascones* reliqui erant, ad hæc omnem ferè totius *Galliæ* nobilitatem sibi stipendiariam secum ducebat, postremò, quicunque in *Gallia* citeriore aut princeps suæ civitatis, aut ampla familia natus, aut magnis opibus, aut omnino aliquo apud suos loco esset, eos omnes nominatim evocaverat. quæ duæ quidem res ad reliquum equitatum adjectæ, & numerum, & robur, & certè faciem ac splendorem exercitus majorem in modum adaugebant.

Venetorum exercitus.

Venetus erat exercitus equitum graviorum millium sex, leviorum quatuor, militum trium & triginta: tametsi nequedum omnino omnes nostræ in castra copiæ venerant: nam & *Lucius Bononiensis*, & *Leonardus Apulus* præfectus leviorum equitum reipublicæ suis cum turmis, qui quidem erant *Brixiæ* à magistratibus retenti, ut eos fines tuerentur, in quos *Mantuanorum* dux invasurus putabatur, & equites *Epirotæ* perplures, tum demum appulsis ad urbana littora navibus egressi, & milites non pauci, quos *Brixianorum* civitas cogebat, exspectabantur, abierat etiam ex legatis *Cornelius*, qui paulò antea calculo & urinæ vitio vitæ suæ diffidens *Brixiam* se contulerat. Erat autem is exercitus qui convenerat, ita florens etiam sine iis, ita instructus, & animo, ut videbatur, paratus ad decertandum, cùm ut rempublicam defenderet, tum verò etiam, ut quam *Italiæ* partem *Galli* occupaverant, in libertatem vindicaret (id enim propè palam profitebantur, ejusmodique voces eorum creberrimè ab hostibus exaudiebantur) ut nullo tempore aut meliores, paucis equitum ductoribus exceptis, aut omnino ampliores copias respublica suis in exercitibus habuerit: &, nisi duces illis defuissent, nihil omnino videbatur eorum aut claram victoriam, aut pacem honorificam fuisse interpellaturum.

Aloisius rex *Venetorum* copias miratur & timet.

constat enim *Aloisium* regem, ubi is prope se hostium exercitum habuit, atque ex captivis & numerum & alacritatem copiarum ad pugnandum cognovit, suis ducibus dixisse, nunquam se tantas *Venetorum* opes atque copias existimavisse: haud sibi tum sui exercitus victoriam satis exploratam esse: fœdus se cum *Maximiliano* reliquisque regibus ad *Venetos* eodem tempore opprimendos fecisse: decrevisse, si ita illis videatur, non decertare, atque ad legatos *Venetos* mittere, qui nuntiet, posteaquam reliqui fœderati nihil in commune conferant, ut se ad bellum juvent, velle sibi rempublicam amicam esse, cumque ea fœdus renovare potius, quàm congredi: verum ab suis ducibus suasum, ut ea de re prolixius sibi esse cogitandum statueret: loco esse propter flumen ejusmodi, ut elici invitus ad pugnandum non possit: semper *Venetos* eum nuntium libenti animo accepturos: rem in alium diem distulisse. hæc ab illis, qui concilio interfuerant, Patres postea cognoverunt.

A

Cassianum oppidum.

Cassianum est oppidum in *Abduæ* fluminis ripa loco paulò editiore: pontemque habet ante portam ad fluminis trajectum planè commodum. trans flumen locus est ad semicirculi propè formam, quamvis magnarum copiarum capax: eum omnem locum aqua fluminis in altitudinem pedum sex, in latitudinem circiter viginti, à superiore parte derivata, inque flumen rediens claudit communitque, arboribus etiam impedita, ut introspici non facilè possit. *Cassiani* rex biduo confecto, cujus bidui tempore *Mantuanorum* dux ab eo accersitus cum equitibus quingentis ad illum venerat, flumen magno silentio exercitum

B

trajecit, atque in eo, quem diximus, loco castra posuit: inter quæ & nostrorum castra planities tria passuum millia patebat. In ea planitie parva utrinque ab equitibus prælia fiebant, quibus in rebus ob *Epirotarum* celeritatem atque virtutem *Galli*, quàm *Veneti*, sæpius interficiebantur & capiebantur, aut omnino repellebantur. verùm propterea quòd *Galli* tormentis, in *Cassiani* arce positis, illam planitiem longè latéque verberabant, nostri non modò ad hostium castra propius accedere prohibebantur, sed neque num rex flumen trajecisset, planè cognoverant. His ita constitutis rebus regi nuntiatur, *Revolutam*

C

oppidum suis ab castris abesse millia passuum paulò plus trium: in eo esse hostium milites ad tercentum: perfacilè capi posse, si eò celeriter se conferat: itaque de media nocte castris cum exercitu egressus, sese itineri secundùm flumen dedit. *Livianus*, qui nequedum etiam sciebat *Gallos Abduam* trajecisse, ab exploratoribus certior factus, ex tumultu strepituque carrorum, quem exaudierant, *Gallos* loco se movisse, atque iter secundùm flumen facere, cum equitibus levissimis quatercentis sub lucem castris est profectus, ut quid hostes agerent, cognosceret, & si citra flumen essent, moraretur dum reliquus exerci-

D

tus accederet. Caligo verò ita densa eo manè campis incubuit, ut *Livianus*, qui citatus ferebatur, temerè in *Gallorum* incideret agmen, eosque tum demum & *Gallos* esse, & flumen transisse cognosceret: sed illos lacessere tantis in tenebris non ausus, properè ad *Revolutanos*, quò regem iturum suspicabatur, misit, qui diceret, si ad se hostes accederent, parumper sustinerent, sese omni cum exercitu confestim affuturum, auxiliumque eis allaturum. His datis mandatis ad imperatorem recurrit, motisque statim castris, aciebusque dispositis, ad *Revolutanos*, si fieri posset, tuendos exercitui dux fuit. Sed ea in re,

E

Revoluta oppidum à *Gallis* capta.

quòd moram interposuerat, nulli usui cùm fuisset (*Galli* enim confecto interim itinere, tormentisque ad muros positis, parvo temporis spatio deditione municipium ceperant) nostri castra quingentos prope hostes passus suo loco posuerunt: ibique diem alterum uterque se exercitus continuit. Postero die autem, qui dies fuit pridie Nonas Majas, rex, ut *Pandinum* municipium item caperet, bene mane secundùm flumen acie disposita iter facere cœpit, ea spe, ut si *Cremonæ* appropinquare, ad oppidique muros se ostendere cum exercitu posset, nonnihil confideret se oppidum, civibus tradentibus, quorum volun-

F

tates antea cognoverat, in suam potestatem redacturum. qua in re sua illum spes atque opinio fefellisset, si *Veneti* se continuissent, neque prælium commisissent: erant enim loco editiore, ac ferè medio regionum earum: quo ex loco omnibus eorum oppidis, ne quid aggredi contra reipublicæ voluntatem auderent, una tanti exercitus fama facilè prospiciebatur, quamcunque se in partem rex incitavisset: quem si, ut facillimum factu erat, paucos modò dies elusissent, propterea

quòd

quòd laborare commeatu cœperat, qui ad ejus exercitum, *Abdua* flumine interposito, tum *Epirotis* equitibus omnia diripientibus, atque in castra reipublicæ trahentibus, magna difficultate afferebatur, ipsa necessitas flumen iterum trajicere, *Laudemque Pompeii* aut *Mediolanum*, nulla re confecta, illum reverti coëgisset. Quem rerum exitum metuens *Triultius*, homo jam senex, atque in rebus bellicis exercitatus, regi autor fuerat, ne *Abduam* exercitum traduceret: cúmque nihil profuisset, *Gallique* transire flumen jam inciperent, inter suos, video inquit hodie *Triultius Venetos Italiæ* dominos nobis imperium tradentibus fore. Alia ex parte imperator senex & ipse, multaque rerum experientia in bellis eruditus, eundem res eventum habituras tum existimans, modis omnibus, ut à pugna se abstineret, *Livianum*, quem ardere committendi prælii studio cognoverat, hortabatur. *Gallos* inopia coactos sua sponte brevi se in suos fines recepturos, confectum bellum, & victoriam sine sanguine partam dictitans. Itaque cùm esset nuntiatum, hostes loco se movisse, *Livianusque* eorum se consilia sua celeritate anteventurum imperatori recepisset, petiissetque ab eo, ut cùm ipse ad illum mitteret, cum reliquo exercitu subsequi maturaret: minimè, inquit imperator, me accersieris, nisi tam longinquis hostibus, ut congredi non possint: hoc unum mi fili! néve te animi magni tui confidentia ulterius, quàm oportet, provehat, etiam atque etiam abs te peto: si enim gladiis reconditis vincimus, quid nos attinet belli fortunam periclitari? Hæc imperator idcirco dixerat, quòd non multum equitatui confidebat: quo in equitatu nonnullos esse præfectos, qui *Gallicis* partibus occultè faverent, non obscurè cognoverat: eósque pugnam detrectaturos, si esset confligendum, majorem in modum verebatur. tum *Gallorum* naturam ejusmodi esse sciebat, ut primo impetu sustineri ægrè possent, multaque recentes conficerent, quæ spatio interposito non essent præstaturi: fieri enim illis omnia in dies duriora ac difficiliora, quòd moram ferre nequeant. Sed profectò longè aliter res, quàm ipse existimaverat, cecidit, propter *Liviani* cum eo disceptationum atque invidiæ suscepta pridem semina, qui non superiorem modò sibi illum esse, sed ne exæquari quidem imperio ac dignitate patiebatur, sumptis ab iis rebus animis, quas anno superiore in *Carnis* atque in *Istris* gesserat: itaque spreto prudentiore consilio *Livianus*, tum longissimè abiisse hostes confirmans, imperatorem ad insequendum incendit: non cunctando, neque sedendo reipublicæ consuli, quæ se suaque omnia ipsorum fidei commiserit: frustrà tantum confectum exercitum, tantos thesauros insumptos, si ante ipsorum oculos imperii municipia, nullo defendente, capiuntur: suum hoc esse dedecus, non reipublicæ.

Triultii consilium malè negligitur.

Imperator Veterus Liviani præcipitantiam coercere frustra nititur.

Ambitio militaris.

His vocibus impulsus *Nicolaus*, castra moveri, & signa tolli imperat, suoque loco relicto, in demissiores, atque impeditiores campos exercitum instructum producit. quatuor nostrorum

A erant acies equitum militumque numero ferè pares, quæ ita jam processerant, ut prior ab extrema, cui *Livianus* præerat, tria millia passuum abesset. Rex de eo certior factus, cùm esset inter utrosque fossa ab incolis ad derivandas aquas confecta, in longum porrecta terræ spatium, alta lataque, ut trajici ab alterutris sine magno discrimine non posset: ad extremam ejus partem agmen sistit, atque ab itinere continet eousque, ut tres nostrorum acies suum exercitum prætergressas sciret esse: tum agmen & tormenta retorqueri, atque in ultimam nostrorum aciem impetum fieri imperat: aciemque pleniorem suam, cui magnopere confidebat, in impeditos atque inopinantes immittit. B *Veneti* primùm omnium frequentes ab *Gallis* missas tormentorum pilas exceperunt: interfectisque non paucis, in quibus fuere legati comites aliquot, qui ante ipsum dejecti ejus modò sanguine os non respersserunt, ut temporis exiguitas patiebatur, conversi quantum poterant pugnaverunt: sed quod erat magna eorum pars ex proordinibus, neque multum rei militaris usum habebat, facilè omnes interfecti fugatique sunt. erant autem numero ad millia quatuor. Apud hos ea in acie cùm esset *Petrus Montius*, de quo suprà dictum est, C cum militibus, qui sub eo merebant, mille is hostium impetum excipiens cùm fortissimè, & quantum humana vis poterat, pugnavisset, magnumque hostium numerum interfecisset, reliqui fessi vulneribus jam cederent, submissis ab rege multis optimorum militum millibus, qui prælium restituerunt, cum octingentis suorum in media hostium acie confossus occubuit. Erant apud illum *Saccoccius Spoletinus* cum septingentis militibus, *Citolusque Perusinus* cum ferè totidem, viri & ipsi magna excellentique virtute: horum alter interfectus est: *Citolus* multis vulneribus acceptis, in hostium potestatem venit: ex reliquis, ea in acie qui erant, militibus perpauci D *Gallorum* impressionem paulisper sustinuerunt. *Livianus* pugnæ initio, prælium commissum conspicatus, alio ab latere cum sua turma in hostes se injecit: atque ab ipsis, equo defesso, ut in recentem se inferret, cum desiluisset, vulnere sub oculis accepto, captus est, captique qui cum illo prælium inierant, fortes viri, & claro loco nati sanè plurimi: apud quos *Francus Bargius*, equitum sagittariorum turmæ præfectus, acriter pugnans occubuit, reliquus equitatus cùm præfectorum proditione, tum timore pugnandi, nulli omnino reipublicæ usui fuit: neque ulla ex E tribus aciebus, quæ antecesserant, pugnanti quartæ auxilium attulit. ita parvo temporis spatio *Galli*, quos quidem magna hostium exercitus formidine affectos paulò antè valde pœnituerat bellum reipublicæ intulisse, quos timuerant, in fugam conjecerunt: nemo enim ex omni reipublicæ copia, fusis fugatisque iis, se continuit: ingentique optimorum tormentorum vi, quam *Vincentius Valerius* præfectus ministrique incustoditam mediis in campis fugientes prædæ hostium reliquerant, sunt potiti.

Venetorum cum Gallis congressus.

Livianus temeritatis pœnas solvit.

PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI OCTAVI

EPITOME.

Venetorum post cladem consilia, & successus. *Brixiani* se regi dedunt. *Veneti Apuliæ* oppida *Ferdinando* regi offerunt. *Julio* Pontifici itidem *Flaminiæ* oppida tradunt, & *Cæsari* quæ ad *Romanum* imperium spectant. *Georgiani* sacerdotes *Venetiis Ferrariam* se conferunt. *Julii* Pontificis & *Alphonsi Atestini* perfidia. Multæ civitates sese *Gallis* dedunt. *Veneti* ad urbis propugnationem consilia sua convertunt. *Taurisani* sub *Venetorum* imperium redeunt. *Alphonsi Atestini* in *Venetos* injuriæ. Captivorum *Venetorum* cum *Gallis* permutatio. *Antonius Grimanus* ab exilio revocatur. *Cremonæ* arx à *Gallis* capitur. *Julius* Pontifex interdictum in *Venetos* abrogat, ac pacem cum eis init. *Maximiliani* Cæsaris in *Venetorum* fines irruptio. *Venetorum* Legati quomodo à *Julio* accepti. *Patavium* à *Venetis* recuperatur.

LIBER OCTAVUS.



UBI nuntii literæque de ea re ad Senatum venêre, tantus repentè dolor omnes tenuit, nunquam ut aliàs Patres majorem animo ægritudinem contraxisse civitas meminerit: feréque omnes tam inexpectatum reipublicæ casum graviter dolebant. Nam ex *Liviani* litteris, qui eos bono animo esse jusserat, & læta prosperaque multa non semel fuerat pollicitus, victoriam de *Gallis* propè certa spe animo conceperant: quam si essent consecuti, neque *Julium*, qui in ipsos nova interdicti forma usus fuerat, neque omnino quenquam timuissent: nunc se victos, exercitumque reipublicæ fusum & profligatum esse, gravissimè ferebant: & reflantem patriæ fortunam & difficultates, in quas incidere posset respublica, animo volutabant. quanquam aliis super alias acceptis literis, neque imperatorem neque legatos cum multò majore exercitus parte prælio interfuisse cognovissent, tamen quòd eisdem quoque literis admonebantur, omnium mentes timore prosternatas jacere, peditesque in primis, qui retineri non poterant, quin vulgò dilaberentur, seque à signis subtraherent, difficilè omnino videbatur reipublicæ oppida vel à victore rege, vel à *Julio* posse defendere.

Pauli Barbi oratio in senatu.

Erat in templi *Marcii* procuratorum collegio *Paulus Barbus*, cives sanè prudens, diuque multa cum laude in republica versatus: is, quòd erat senio confectus, à publicis muneribus abstinens domi suæ aliquot se menses continuerat: huic *Lauredanus* princeps misit, qui cladem exercitus nuntiaret, & Senatum cogi diceret, ipsumque adesse, si posset, hortaretur. quod ubi senex audivit, vestem senatoriam poposcit, atque in curiam membris trementibus sese trahens, orationem, quam tempora poscebant, habuit: venisse in Senatum sese corpore infirmo, nullis viribus, ut eam sententiam diceret, quam præsens rerum status pateretur: quotum enim quemque esse, qui in tanta tam repentè offusa urbi caligine possit quid fieri expediat, rectè dispicere? gravem esse reipublicæ casum, illius opes fractas debilitatasque esse: exterorum auxilia unde peti possint, non videri: verùm esse Deos immortales, quos ruptis fœderibus hostes violaverunt,

A eosque neque arma hominum vereri, neque posse decipi ab iis, qui nos in necessitudine ac fide illorum requiescentes, plurimisque nostris maximis atque perpetuis benevolentiæ officiis constantiaque fretos prodiderunt: eos tanti sceleris vindices futuros, reique publicæ auxilium laturos, se confidere.

Consultationes Venetorum de clade accepta facienda.

Hæc ille cum dixisset, ad ea quæ essent procuranda atque statuenda, orationem convertit, quod idem multi magistratus fecerunt. pluribus igitur dictis sententiis, ut in tam dubiis rebus cuique aliud fore usui succurrebat, primùm omnium pecunia legatis, qui se ex fuga apud *Bri-*
B *xiam* receperant, ad exercitum instaurandum decreta est: nam *Cornelius* ex morbo paulisper recreatus, dum in castra se referret, clade audita unà cum fugientibus eò redierat. tametsi eis è stipendio, ante prælium exercitui dato, non minimum pecuniæ supererat. deinde ad *Dominicum Grimanum*, & *Marcum Cornelium*, *Georgii* legati filium, qui utrique in Cardinalium collegio *Romæ* tunc erant, datæ literæ, uti *Julio* ea, quæ ipsemet petierat edicto suo, ex reipublicæ ditione oppida intra eos, quos præstituerat, dies iri ei traditum Senatus nomine pollicerentur: rogarent, ne rempublicam conteri à barbaris
C exercitibus permitteret: quam si unam pessundabunt, tutum illum reliquosque deinceps *Romanos* Pontifices ipsa in urbe non futuros: id quàm sæpe aliàs experta *Roma* sit, nescire porrò neminem: decere ipsum, qui in *Italiæ* præclara parte natus cœlum hauserit, reliquos *Italos* tueri potius, quàm exterarum nationum plusque nimio per se appetentium vires opesque, quibus vastitatem *Italiæ* inferant, augere.

Legatus Venetorum ad Maximilianum.

Latum etiam, ut *Antonius Justinianus*, qui *Cremam* legatus à Senatu lectus proficiscebatur, ad *Maximilianum* rectà contenderet, & cum illo, si posset, pacem quantumvis duris conditionibus
D faceret: *Tergestéque* oppidum, & *Portum Naonis*, reliquaque municipia, quæ respublica ex ejus ditione superiore anno ceperat, Senatum ei paratum esse restituere, ac quæ oppida ex *Romanorum* imperatorum ditione in *Carnis*, & *Gallia* & *Venetia* respùblica possideret, ea se omnia illi tanquam accepta relaturum nuntiaret: nisi enim ab altero eorum aliquid auxilii afferatur adversus *Gallorum* audaciam atque impetum, nul-

nullum satis firmum obicem futurum esse verebantur.

Legati lecti ad reipublicæ defensionem.

Demum lecti legati ad exercitum duo priorum legatorum loco, *Georgius Emus*, *Paulus Capellus*, legationibus renuntiatis propter alios magistratus, quos obibant, ex quibus magistratibus ad alia munera invitos evocari non licebat, magnam Senatus, magnam totius civitatis invidiam subierunt: neque eorum loco quisquam sublectus postea fuit, quòd jam de priorum legatorum diligentia, quæ Senatus vellet, nuntiarentur. Rogatio tantùm in *Decemvirûm* collegio lata, ne cui deinceps ulli ullam ob causam adversis reipublicæ rebus cuipiam sibi delato muneri rejiciendi facultas sit. Lecti post hæc legati duo, *Petrus Duodus*, *Christophorus Maurus*, quorum qui plura suffragia tulisset, *Brixiæ*, *Veronæ* alter præesset. Horum prior clarè, Senatu audiente, pronuntiavit, se id vehementer cupiisse, ut suam reipublicæ tam tristi ejus tempore navare operam posset, quando lætiora non dabantur: itaque legationem libentissimè obiturum. *Maurus* autem ante *Lauredani* subsellium progressus Patribus dixit, post Deum immortalem suam se vitam reipublicæ devovisse, ea, uti vellet, uteretur: læto se illam animo patriæ, à qua acceperit, redditurum. quorum oratio ab omnibus laudata, multorum Senatorum patriæ charitate implente dulcedine animos, lachrymas elicuit. atque ii statim profecti sunt. *Dionysio* autem *Naldio*, qui prælio interfuerat, cujusque centuriones militesque perplures & capti à *Gallis* & interfecti fuerant, ipse fortiter pugnans repulsis hostibus se receperat, omnium reipublicæ militum præfectura est à Senatu tradita. Auxere Patrum dolorem inter hæc è *Flaminia* nuntii, *Joannem Græcum*, hominem impigrum, & spectata fide, equitum sagittariorum turmæ præfectum, cum ea, quæ *Ravennæ* erat, manu hostes aggressum, ut eos ab obsidione *Russi* averteret, quod abest municipium ab *Ravenna* passuum millia XV. diuque ab *Julianis* oppugnabatur, equi lapsu captum fuisse, eoque ab hostibus ad murum oppidi producto, *Russianos* unà cum prætore sese illis dedidisse: eorum exercitum jamjamque ad *Ravennam* oppugnandam affuturum.

Ejusmodique nuntiis alii è *Rhetis* nuntii successere, qui dicerent, manus illis in locis & *Maximiliani* finibus cogi: tormenta *Tridentum* afferri: commeatus comportari: certam esse famam, bellum inferri à *Maximiliano* reipublicæ. Ex *Carnis* item & *Tergeste* Patres certiores fiebant, milites ad octo millia in *Alpibus* probè conscriptos esse; qui reipublicæ ditionem aggrediantur. Ex castris quoque ab legatis literæ afferebantur, regem *Caravagio* esse potitum: *Jacobumque Siccum* ejus oppidi municipem, equitum reipublicæ præfectum, eò cum suo equitatu contendisse, regique sponte se atque illos tradidisse: nullum vicinorum municipiorum exercitum *Gallorum* expectare: omnes illas regiones in timore magno esse. *Brixianos*, qui antea & fidem & audaciam reipublicæ præstabant, timere suis rebus & diffidere cœpisse, quòd scirent prætores suos uxores & liberos & supellectilem domesticam ad urbem misisse: quæ res vehementer reprehendebatur: itaque sese in difficultate plurima versari rerum omnium: milites enim vel imperia recusare, vel accepto largiter stipendio, tamen perfugere: tormenta eis deesse, quibus oppidum tueri possint, si rex eò veniat: quamobrem vereri, ne *Veronam* se recipere cogantur. Sed quod ad *Caravagianos* attinet, eam rem postea intellectum est ita cecidisse. Nam quòd oppidani, ne diriperentur, statuerant regem, qui cum exercitu aderat, recipi ab ipsis oportere, *Ludovicus Michael* arcis oppidi præfectus, qui se celeriter & militibus & commeatu communierat, prætore in arcem recepto, se ab *Gallis* magno animo defendebat. *Galli* cùm triduum tormentis innumerabilibus arcem continenter verberavissent, neque multum profecissent, accidit ut ignis in cellam, qua tormentorum pulvis asservabatur, temerè illatus, omnem illam defendendæ arcis facultatem præfecto puncto temporis ademerit: qua re milites perterriti, se atque arcem & præfectum & prætorem regi dediderunt: ipsisque est ea tantum conditione interposita salus data. Cives autem ii *Veneti* duo jussi se ad mortem comparare, à sacerdote *Franciscino*, precibus regi suppliciter adhibitis, (nam ei cum rege in *Gallia* familiaritas intercesserat) vitam modo non amiserunt, atque in *Galliam* captivi missi sunt, in custodiaque diu habiti.

Brixianorum trepidatio.

Caravagianorum arx casu expugnata.

Patavinorum in rempublicam Venetorum fidelitas.

Patavini cum viderent rempublicam omnibus à partibus premi, concilio civitatis convocato, rogationem tulerunt, ut quingentæ auri libræ confestim exigerentur, atque ad urbem mitterentur, omniaque se facturos ad eam juvandam, quæ imperarentur, quæve ipsi per se cognoscerent profectura, legati statim legendi Patribus renuntiarent. quæ res sanè grata illis fuit, non tam quidem quòd ea magnopere levarentur, quàm propterea quòd exemplo aliis civitatibus esse poterant amanter se in rempublicam gerendi. At cùm ad urbem venisset *Gasparis Severinatis* scriba, exposuissetque Patribus, magna illum difficultate propter *Julii* edictum ad vicinos *Cremonæ* oppidi fines sese unum in veste pastorali contulisse (nam suos equites secum adducere nequaquam potuisse) quæsissetque quid illum facere Patres vellent, responderunt, uti, quantum posset, ipsorum ad exercitum suum adventum maturaret: statutum enim sibi esse, *Liviani* equites ei tradere. Ille verò spreta reipublicæ conditione, ad regem *Galliæ* postea se contulit rogatum, uti se *Maximiliano* commendaret, peteretque ab illo, ut in *Citadellæ* principatum, quem pater suus obtinuerat, se restitueret: scire enim, nihil illi *Maximilianum* negaturum.

Ferrarienses Venetis insultant.

Ferrariæ verò Prodominus *Aloisius Mula* Patribus significavit, clade exercitus reipublicæ cognita, magnæ voluptatis signa cives illos misisse, plebemque omnem vocibus procacioribus & tympanorum sonis lætam atque hilarem per oppidum cucurrisse: *Alfonsum* autem ducem, quem ipse adierit, nolle se tutum sua in urbe præstare, propterea quòd dicat incitatæ plebis studia non posse contineri: itaque illi, ut discederet, suasisse: redire postea posse, cùm belli fervor, & interdicti *Juliani* acerbitas atque injuria resederit. Quibus rebus cognitis, *Mula* Senatusconsulto revocatus, medio è magistratu decedens domum rediit.

Veneti denuo milites conscribunt.

Jamque regi omnibus ferè populis se dedentibus, quòd à reipublicæ copiis nullum eis præsidium afferebatur, Senatus jussit, uti milites ad decem millia, quo celerius fieri posset, conscriberentur, quorum tribuni, centurionesque partim à magistratibus in civitate, reliqui in castris legerentur: equites ad tria millia utriusque armaturæ conficerentur. Ea postea res quòd nullum propè habitura exitum in tanta rerum omnium perturbatione videbatur; nam neque in urbe, qui vellent dare nomina, reperiebantur: imperatoris autem & legatorum jussa vulgò despiciebantur: pleraque omnia privatim administrabantur. Patres veriti brevi fore, ut omnis *Italiæ* continentis pars, quam tenerent ipsi, à republica deficeret: ad urbem tuendam, & commeatibus

tibus classibusque muniendam animum adjecerunt. Confirmavit hoc eorum consilium cùm *Brixianorum* civitas, quæ copias reipublicæ intra oppidum recipere noluerat, quod diceret nolle se ab exercitibus conteri, satis sibi ipsos præsidio futuros: tum quòd intelligebant classem à *Ferdinando* rege in *Sicilia Calabrisque* esse comparatam, qua ab classe frumenti ad urbem convectiones facilè prohiberi posse videbant, nisi respublica majores ad resistendum opes objecisset: ita latum, ut classi supplementum adderetur, ut essent omnes ad triremes quinquaginta. Ab annonæ quoque magistratu edicta sunt proposita, quibus frumenta facilius omnibus à locis ad urbem comportarentur. literæque ad *Cyprios* datæ, ut quantum maximum possent, frumenti numerum navibus imponerent. navesque perplures ad eos missæ, ne navigiorum indigentia convectiones tardarentur: imperatumque ut quæ ab insula naves sale onustæ jam solvissent, ubicunque essent, ejus salis jacturam facerent, & in *Cyprum* reverterentur, frumentoque complerentur. Missæ etiam in *Epirum* cum mercatoribus, pretiaque iis, qui adduxissent, ampliora lege facta. Latum etiam, ut quæ leges prohiberent, ne advenarum navibus frumenta reliquique commeatus *Venetias* afferrentur, quo civium naves majora lucra facerent, eæ leges abrogarentur, dum de bello decernatur, liceretque quibuscumque hominibus suis cum navibus commeatuum causa ad urbem sine anchorario accedere.

Classis aucta.

Frumenti comportatio.

Iisdem diebus *Ferdinandi* legatus Patribus exposuit, regis se literis in *Hispaniam* revocari: qua de re coacto Senatu lex est lata avertendi ab inferendo reipublicæ bello ejus regis causa, ut legato *Lauredanus* princeps diceret, Senatui placere, quæ haberet in *Apulia* respublica oppida, regi oblatum iri: Patres missuros, qui ea, cùm volet rex, ejus ministris tradat. His cum mandatis legatus postero die abiit. *Alfonsi* etiam legatus salutatis Patribus domum rediit. His permoti rebus Patres, & quod exercitu redintegrando eos omnia deficiebant, neque multum in *Nicolao* imperatore spei repositum, diminutis ejus copiis, ad rempublicam tuendam habebant, rogationem jusserunt, ut certus homo ad *Prosperum Columnam* mitteretur (is in finibus regni *Neapolitani* tunc erat) qui ei nuntiaret, si reipublicæ velit præstò esse, Senatum ei nomen imperatorium cum stipendio auri librarum sexcentarum singulis annis daturum, modò is equites mille ducentos secum adducat: rogare, uti & conditionem acciperet, & profectionem, quantum posset, maturaret.

Prospero Columnæ Imperatoris munus offertur.

Interim rex à *Brixianis* intra mœnia recipitur: arcibusque duabus, quas ii dolo à præfectis interceperant, suos ministros præficit, *Sebastianus Justinianus* prætor, quòd in oppidanos magna continentia & moderatione usus fuerat, cùm unà cum reliquis magistratibus captivus factus esset, publica civitatis commendatione à Rege libertati restitutus, *Gallorum* comitatu in castra ad Legatos sese contulit.

Brixiani se regi dedunt.

Cremenses quidem cùm oppidum haberent munitissimum, jam ante hos omnes *Sonzinii Benzonii* eorum municipis, turmæ equitum reipublicæ præfecti, suasu in *Gallorum* partes transierant: nam cùm in clade exercitus *Grittus* legatus, qui eò se recipere cogitaverat, *Benzonium Cremam* præcurrere jussisset, civitatique nuntiare bono animo ut esset, se jamjamque affuturum, eique præsidio futurum: ille ad cives suos advolans, uti portas legato clauderent, neque illum neque quenquam *Venetum* intromitterent, oratione sua dedecoris perfidiæque plena, & autoritate, qua

Cremenses in *Gallorum* partes transeunt.

A pollebat, perfecit. Quibus intellectis rebus imperator legatique *Pischeriæ*, municipio in *Mintii* fluminis ripa, ubi è *Benaco* exit, posito, equitibus levis armaturæ trecentis, militibus nongentis ex itinere præsidio relictis, *Veronam* se recipiunt, castrisque in campo, qui appellatur Martius, ad muros oppidi positis, rerum exitum expectare constituunt. Omnes equitum ad quina millia, milites mille quingentos redacti: nam quod rex edictum vulgaverat, omnes ex *Gallia*, quam ipse ceperat, qui reipublicæ militiam facerent, nisi ad suam quisque patriam decem dierum spatio rediissent, eorum se bona pu- B blicaturum, atque ipsos hostium loco habiturum: præter cætera plurimi eam ob rem etiam Legatis permittentibus discesserant. eorum adventu solicita civitas, ut plebs ad exercitum juvandum pronior fieret, portorium frumento molendo exigi vetuit, quoad bellum esset confectum. Ad id ut Senatus voluntas accederet, cùm eadem civitas per Legatos petiisset, Patres in ejus gratiam portorium in omne tempus sustulerunt.

Iisdem diebus templorum aliquot urbanorum sacerdotes edicti *Juliani* metu, quo iis omnibus aqua & igni interdicebatur, nisi è ditione reipu- C blicæ recederent, atque imprimis *Georgiani*, quorum est celeberrimum in insula è regione comitii fanum, cum supellectili aurea argenteaque *Ferrariam*, atque in *Mantuanum* agrum profugerunt, ut urbs eo genere hominum pene destitueretur, civitasque in primis rei divinæ assueta, magnam ex eo molestiam caperet. *Antonii* etiam *Justiniani* literæ ex *Alpibus* datæ Senatum certiorem fecerunt, *Tridenti* Episcopum se audire noluisse, quòd diceret ab aqua & igni interdictorum sermonem atque aditum esse defugiendum. itaque paucis pòst diebus cùm nihil impetrare potuisset, Senatus permissu domum re- D diit. Miserant in *Flaminiam* Patres *Joannem Jacobum Caroldium*, uti *Ravennam* urbem, & *Cerviam*, & *Ariminum*, & *Faventiæ* arcem (nam oppidani se dediderant) reliquaque *Venetæ* ditionis in *Flaminia* municipia abductis tormentis, receptisque iis, quos bello captivos hostes fecerant, Senatus autorite *Julii* ministris traderet. Ii cùm fide scripto data, sese & tormenta asportari permissuros, & captivis libertatem donaturos, & præter hæc, quod erat primum atque maximum, uti è vestigio interdictum antiquaretur, curaturos, oppida ipsa recepissent, in nullo eorum, quæ pepigerant, perstiterunt, re- E tentis tormentis, & captivis *Romam* missis, non iis modò, qui bello capti fuerant, sed illis quoque, qui præfecti oppidorum atque arcium illà ipsa pacatè tradiderant, civibus *Venetis* undecim, quos in ipso negotio circumventos in vincula conjecerant, & interdicto non rescisso. Ea *Julii* fides, ea pietas in supplices fuit, atque omnino in eosdem, qui paulò antea *Romæ*, ut is Pontifex Maximus fieret, omnes suas opes, omnem autoritatem, gratiam, studia publicè contulissent.

Georgiani sacerdotes *Venetiis Ferrariam* migrant.

Julii Pontificis insignis perfidia.

Non absimili injuria *Alfonsus Ferrariensium* dux *Rodigianos* apud *Padum* flumen positos, quod op- F pidum bello *Ferrariensi Veneti* ceperant, atque ex pacis fœdere postea tenuerant, parva manu eò adducta in deditionem recepit. qua intellecta re, *Antonio Bragadeno* prætori, qui se in oppidi arcem intulerat, Patres per literas mandaverunt, ut tormentis abductis arcem duoque reliqua ejus regionis municipia *Alfonso* restitueret, sed is antequam eæ ad eum literæ perferrentur, captus ab hostibus unà cùm arce, *Ferrariamque* perductus, paucis pòst mensibus in custodia interiit. Itemque ad *Sebastianum Maurum*, qui decem & sep-

Alfonsi Atestini perfidia.

septem navibus in *Athesim* missus fuerat, literæ sunt à Senatu datæ, ut in tutum se reciperet: is cum ab agricolis in reditu ab utraque ripa omni telorum genere premeretur, ac propter siccitates contractiore aqua minus se subducere celeriter posset, ejectis aliquot in flumen tormentis gravioribus, incitatisque remigibus *Bebiam* rediit.

Civitates aliæ se Gallis dedunt. *Cremona.* At in superiore *Padi* fluminis ripa *Cremonenses Gallis* equitibus & militibus in oppidum admissis, sese regi tradiderunt: eoque biduo nuntius ad Senatum venit, *Pischeriam* municipium rege oppugnante captum: milites oppidanosque ad unum cæsos: *Andream Ripam* arcis præfectum reste ad arborem exanimatum fuisse. *Pischeria.* Ea re audita *Zacharias Lauredanus* in *Benaco* præfectus, simul quòd omnia ejus lacus municipia partim ad regem, partim ad *Maximilianam* deficiebant, trireme & bireme, quibus præerat, incensis, unà cum suis omnibus hostibus adventantibus se subripuit.

Veneti ad summam angustiam redacti. Patres ob hæc perspecta difficultate quicquam in *Gallia* atque in *Rhetis* oppidorum retinendi, legatis mandarunt, ut in agrum *Patavinum* exercitum reducerent: *Veronensibusque* permiserunt, si *Maximilianus* ad eos mitteret, qui uti se dederent postularet, ne recusarent. Cùmque *Taurisani* tumultu civitatis & plebis excitato, plerisque non idem sentientibus, per legatos, quid se vellent Patres facere, à Senatu petiissent: id unum quod conducere sibi ipsi existimarent, legatis responderunt. Scripsere etiam ad suos in *Carnis* atque *Istris* magistratus, ut quæ oppida superiore anno è *Maximiliani* ditione respublica ceperat, ea omnia, armamentis commeatibusque publicis abductis, regiis petentibus ministris restituerent.

Postremò, quòd ab ea cogitatione non longissimè aberant, ut urbi quoque ipsi timendum putarent, docti à præsentibus rebus, quantam reipublicæ diuturnitas & incrementum in se unos omnium regum invidiam atque odium concitavisset, *Decemviri* duodecim legerunt cives dignitate præditos, qui vada urbana atque littora, adhibitis ejus rei peritis hominibus, diligenter inspicerent, ut aditus, si qui essent apertiores, castellis munirentur. *Veneti* ad urbis propugnationem consilia convertunt. Tum auctus operarum publicarum numerus: jussumque ut omnes insulas & domos vicorum magistri perlustrarent, quantaque esset in urbe advenarum multitudo, quanta armorum privatim ab his comparatio, cognoscerent: edictumque pœna capitis propositum, ne quis armatus incederet. vigiliæque noctu vicatim & præfecti cum militibus dispositi, ne quis temerè tumultus exoriri posset. etiam lex lata, ut triremes octo urbis præsidio armarentur. missusque multò maximus frumenti numerus ab annonæ magistratu ad molas farinarias in *Taurisanos* fines domi molitus adservandus, ne, si eæ ab hostibus molæ interciperentur, civitas farinæ inopiâ laboraret, molæque aliquot, quas naves sustinebant, è *Pado Athesique* ad urbem perductæ: cogitatumque ut molæ aliæ, quas vertere ventus quiret, in suburbanis insulis fabricarentur: puteique perplures in portus litore foderentur, ut si à fluminibus aqua propter hostes circumfusos peti non posset, iis puteis civitas uteretur. Molæ farinariæ. Missi etiam publicè lecti cives ad arborem in *Medoaci* ripis cædendam, atque ad urbem devehendam, ut materia civibus ad munitiones in propugnatione suppeteret, & hostibus ad oppugnandam vel obsidendam urbem deficeret. Materia ad munitiones exstruendas.

Vicetini Maximiliano se dedunt. Dum hæc domi administrantur, *Vicetini* cum intellexissent *Veronæ* se Urbem *Maximiliano* dedidisse, omniaque in *Alpibus* castella & municipia ejus civitatis præjudicium secuta idem fecisse, neque à Senatu impedirentur quo minus consilium pro tempore & pro necessitate caperent, ad *Leonardum Trissinum* civem suum, quem *Veneti* exulem fecerant, quique à *Maximiliano* præmissus in eorum fines se intulerat, miserunt, se paratos esse deditionem facere: cúmque is ad oppidum paucis cum militibus accessisset, certis conditionibus interpositis sese regi dediderunt.

Patavini se dedunt Maximiliano. *Patavini* autem, quorum erant nonnulli cives, qui rebus novis magnopere studebant, coactis inter se privatim conciliis, eidem se regi dedere statuerunt: itaque magistratibus primùm quidem nolle se exercitum, qui adventabat, intra mœnia recipere denuntiaverunt: portasque ipsi, ejectis qui in statione erant, tenuerunt: deinde, ut abirent domum, neque plebis impetum expectarent, eos monuerunt. postremò agrestes homines armatos in oppidum introduxerunt, ut illi Senatu primò jubente, pòst etiam nolente, discedere cogerentur. quamobrem Patrum jussu exercitus *Patavium* prætergressus, & ponte in *Medoaco* decem millia passuum supra eum locum, ubi munitione ad naves transportandas à maris aqua flumen discluditur, navibus imposito traductus, atque ad *Mestre* municipium progressus, ibi castris positis substitit. *Patavini* ad *Leonardum Trissinum* missis interpretibus, ei *Patavium* cum honesto comitatu venienti se tradiderunt, imperataque fecerunt.

Interea cùm *Roma* literæ ab *Grimano* & *Cornelio* Patribus significavissent, nisi novam legationem ad *Julium* misissent, nihil spei esse illum à sua in rempublicam pertinacia recessurum. Senatus sex legatos creavit ex principibus civitatis, *Dominicum Trivisanum*, *Leonardum Mocenicum*, *Paulum Pisanum*, *Hieronymum Donatum*, *Paulum Capellum*, *Aloisium Maripetrum*, qui *Romam* proficiscerentur: ab *Julioque* peterent, ut ea, quæ reipublicæ polliciti ejus ministri fuerant, repræsentaret. Legatio *Venetorum* ad Pontificem. quibus de rebus nonnulli ex civibus dolore affecti, in eos, qui Senatum regebant, voces plenas querelarum privatim jaciebant, fortasse non percipientes hujusmodi decreta bonis rationibus facta esse, ac ne populi, qui reipublicæ parérent, eorumque urbes & regiones hostium prædæ exposita essent, quorum viribus impetuique eo tempore cedere è re omnium esse videbatur, lætioremque fortunam expectandam: ea flante, recipi tunc posse, quæ vitandarum populationum causa desererentur, quemadmodum Diis bene faventibus evenisse postea compertum est. Populus *Venetorum* contradicit Senatui. Hi igitur, qui non satis propè rem intelligerent, querelas graves amarasque adversus eos, qui civitatem regebant, spargere: non adeò timidè rempublicam administrari oportuisse: non tot egregia oppida tradi hostibus ita facilè debuisse: neque enim majores nostros tantis impensis, tot exercitibus, tantis suis laboribus & sanguine, tot annorum longinquitate ea imperio adjecisse, ut paucis post diebus sponte amitterentur: errare qui mitiores futuros hostes crederent: propterea quòd respublica tam facilis in illos fuerit, ut quæ nulla certa cum spe, maximisque sumptibus bello agere statuerant, pacatè ab iis propeque nictu oculi sint confecta: augeri potius ea re eorum audaciam, quòd debiliorem multò ad resistendum armis rempublicam offenderint, quàm putarant: itaque invitari eos jam allicique, tanta confecti belli celeritate, ad majora appetenda: id effectum esse hujusmodi decretis formi-

midine plenis, ut vereri amplius, & pejora præteritis timere nunc cogantur. quòd si regi *Gallorum* propter exercitum victorem cedendum fuit (quanquam si majorum pristina virtus in viventium civium animis resedisset, non is tam propitios habuisset sanè Deos) quid attinuit vel *Maximiliano*, nullos exercitus contra rempublicam mittenti, tot oppida ultrò dedisse? vel *Julii* exercitum, antequam ille pactis stetisset, reipublicæ oppida in *Flaminia*, firmata munitionibus propugnatoribusque recepisse? nunc etiam legatos esse ad illum *Romam* mittendos, ut & ab republica suppliciter adiri se permittat, & interdictum abrogare velit.

Senatus sententia populo opposita. Hæc & his similia cùm jactarentur, una *Matthæi Prioli* sententia, quam in Senatu dixerat, à prudentioribus repetebatur, atque iis opponebatur. Ea erat ejusmodi: Quemadmodum gubernatores boni atque industrii solent, qui cùm vim tempestatis ferre nequeunt, naufragiique periculum propter mercium, quas in navi habent, pondus gravitatemque imminet, jacturam partis earum faciunt, ut navi è fluctibus emergente, ipsam reliquasque res, & vitam unà suam tueantur: sic in reipublicæ turbulentis his temporibus fuisse faciendum, ut quando ejus exercitu fortunæ magis turbine quàm telis hominum disjecto, populi municipiaque omnia, quibus præsidia mitti non poterant, arma hostium timerent, dederent ipsi per se Patres, traderentque illis ea, quæ captui essent propiora atque opportuniora, ut ea re illorum cursum atque impetum sisterent, potius quàm frustrà suas vires jam infractas opponentes, tamen illa ipsa unà cum libertate imperii amitterent.

Forojuliensium legati. Inter hos sermones & querelas legati à *Forojuliviensibus* ad Senatum venerunt auxilium rogatum, quo se tueri, si quid hostes molirentur, & bellum propulsare possent: velle enim omnes è reipublicæ imperio non recedere. ad quos *Epirotarum* equitum turmam militesque ab exercitu legati Patrum jussu statim miserunt. idem *Justinopolitani*. *Justinopolitanis* postulantibus milites trecenti sunt ad eos missi, equitesque centum quinquaginta, qui illis diebus ab *Epiro* venerant. Requie exercitui ad *Mestre* municipium data, libras auri septingentas à Quæstoribus urbanis Senatus legatis curari jussit: utque ii recognito copiarum omnium numero, stipendioque eis dato, quas esse idoneas ad bellum gerendum, & virtute ac fide præditas cognoscerent, eas omnes retinerent, reliquas dimitterent, imperavit. Triremes quoque uti quatuor in *Illyrico* armarentur cura est à magistratibus adhibita. *Crespa* videlicet, *Aschrivio*, *Jadera*, *Pharo*: itaque & naves vacuæ cum armamentis, & stipendium, & præfecti eò ab urbe missi.

Venetorum in urbis propugnatione assiduitas. At in navalibus nulla cessatio fiebat: materia undique convecta importabatur: triremes novæ biremesque instituebantur, veteres reficiebantur: navigia humiliora viginti tormentis per vada ferendis ædificabantur: cratesque ex malis navium contexebantur: scaphæ cum festucis ad palos in æstuariis figendos, qui munitiones sustinerent, accelerabantur: ipsa ex ære fusili tormenta magno numero, armamenta omnis generis, tela omnia parabatur: fabri, qui suppeterent, ex urbis officinis privatisque navalibus accersebantur: etiam machinationes ad molas frumentarias vertendas inchoatæ plurimæ perficiebantur. In his agendis ab omnibus diligenter administrabatur, ut ne festis quidem diebus quicquam eorum intermitterent. *Bassiano* *Scala* castrum. *Maximiliani* interpretibus tradito, *Scala* in

A *Alpibus* castellum, quod *Federicus Michael* præfectus timore animi incustoditum reliquerat, Regis insignia sustulit. quod ubi *Feltrini* cognoverunt, prætore ipsorum *Federico Mauroceno* item profecto, ne diriperentur, idem fecerunt. *Feltrini.*

Senatus certior factus *Taurisanorum* civitatem præter paucos, qui *Maximiliani* partes sequebantur, in officio cum republica velle esse, literas ad eos dedit, quibus literis immunitas omnium rerum annos quindecim civitati dabatur, portoriumque frumento molendo removebatur. *Taurisani* in officio cum republica manent.
B Iis rebus cognitis cives plebsque omnis in primis magna voluptate affecti, ad propugnandum summo se studio confirmaverunt. quam eorum voluntatem *Petrus Duodus* legatus, quem Senatus *Verona Vicetiaque* abeuntem eò miserat, magnopere auxit, tabulis, in quibus fisci rationes & civium reliqua erant scripta, publicè abolitis, atque in foro, plebe aspectante, igni absumptis: pauloque pòst milites quingenti ab exercitu Senatus jussu ad eos præsidio missi, cupidissimis omnibus in oppidum recepti sunt. Quòd autem etiam *Cividale Belunianum Maximiliano* nolle se tradere perseverabat, cumque *Cividale Belunianum.*
C republica omnes casus experiri statuerat, Senatusconsultum factum est, uti *Epirotæ* equites ducenti *Paulo Contareno* præfecto *Cividale* mitterentur.

Non tanta in rempublicam, cujus stipendia faciebat, virtute ac fide *Pandulfus Malatesta* est usus, qui non salutatis legatis *Citadellam* profectus in partes *Maximiliani* sese transtulit. *Alfonsus* autem *Ferrariensium* dux *Ateste* municipio, à quo antiquitus originem ducebat, quodque abest *Patavio* passuum millia quindecim, in suam potestatem redacto, omnibus probris rempublicam afficere est aggressus, ejus insignibus è foro aliisque locis fœdè abreptis, & fundis do- *Alfonsi Atestini in Venetos injuriæ.*
D mibusque *Venetorum* civium sub hasta positis. Idem tamen haud ita multò pòst, quòd ab *Gallis* suo ipse regno timuisset, ejusque rei suspicio sermonesque non infimorum hominum in vulgus emanaverant, quas sui milites domos *Venetorum* civium *Rhodigii* atque *Atestæ* diripuerant atque diruerant, eæ uti publicè restituerentur, imperavit: literasque à domesticis suis dari ad amicos, quos in urbe habebant, voluit, quibus literis certiores eos facerent, *Alfonsum* ducem quæ in *Venetos* hostiliter egisset, timore *Gallorum* coactum atque invitum fecisse: animo autem esse in rempublicam uti semper fuerit, amico, de-
E que adversis ejus rebus molestiam capere, quòd sciret, detrimenta reipublicæ in universam esse *Italiam* atque in omnes bonos brevi recasura.

Miserat ad regem *Galliæ* Senatus unum ex iis, qui captivi ab exercitu reipublicæ *Caravagio* recuperato facti, *Venetiasque* perducti fuerant, ut cum rege ageret, ut si vellet suos omnes dimitti, unum *Livianum* restitueret. Is ab rege tum redierat cum mandatis ejusmodi, ut certos cives *Venetos*, & Tribunos ac præfectos ex captivorum, quos habebat, numero pro suis se dimissurum rex diceret, de *Liviano* nullam se conditionem accepturum confirmaret. Ajebat is *Venetorum captivorum cum Gallis permutatio.*
F etiam, in eo, quem secum rex habuerat, sermone regem sibi dixisse, singularem in prælio *Venetorum* militum fuisse virtutem, quam si equites præstitissent, pelli se atque superari parvo negotio potuisse: aut etiam, si à pugna *Veneti* paucos se dies continuissent, futurum fuisse ut ipse non sine ignominia *Mediolanum* recederet: magno enim timore multò maximam sui exercitus partem perculsam à dimicatione abhorruisse. *Citolus* quoque *Perusinus* tribunus militum ab *Calamitatis Venetorum causa.*

ab iis, qui eum in pugna multis vulneribus penè confectum ceperant, nummis traditi dimiſſus, ſecundo *Padi* flumine ad urbem venit: quem quidem Patres omni ſtudio curari mandaverunt, neque dum enim vulnera coaluerant. hujus de prælio ſermo apud *Lauredanum* habitus, cum ſermone *Galli* congruebat: *Gallos* pugnæ initio fugæ ſeſe dare decreviſſe: idque futurum ſine dubio fuiſſe, non modò ſi *Veneti* equites, uti debuerant, depugnaviſſent, ſed omnino etiam, ſi ſe loco non moviſſent: eorum temerè fuga cœpta fieri, hoſtes retentos ſe confirmaviſſe, atque ita nòn tam ulla ſua virtute, quàm ingenti equitatus *Veneti* formidine atque perfidia viciſſe. At Senatus ea, quam ſuprà commemoravimus, de captivis accepta conditione, quos habebat ex *Gallis*, regi reſtituit: atque ille, quos pollicitus fuerat, ex *Venetis* miſſos fecit: in quibus *Naldius*, *Braccius*, *Vitellius* fuerat.

Patres interea cùm ſtatuiſſent reipublicæ exercitum eſſe omni cura atque impenſa retinendum, & quod ejus miſſis ad *Tauriſanos* & *Belunienſes* præſidiis decreverat, eſſe reponendum, centurionibus non paucis, qui poſt prælium è *Gallia*, quique poſt reſtituta *Julio* oppida è *Flaminia* redierant, uti novos milites conſcriberent, mandaverunt. Verumenimvero, propterea quòd magna civium parte in tributa non conferente, pecunia eos deficiebat, *Decemvirûm* decreto decem cives lecti ſunt, qui exigendæ pecuniæ omni cum poteſtate atque imperio præeſſent: eosque qui majori eorum parti ſolvendo eſſe ſatis ſuffragiis cenſerentur, modis omnibus cogerent ad ſtipem conferendam: in reliquos mitius quidem agerent, aliquid omnino tamen etiam ab iis conſequerentur, atque ii peracto magiſtratu, qui quidem eſſet annus, quo tempore ſenatoriam dignitatem exercere eis liceret, annum alterum in Senatu eſſent. eaque re pecuniæ poſtea exigendæ ratio Patribus aliquanto facilior atque explicatior fuit.

Tributorum exactio.

Rogaverant illis diebus demiſſiſſimè *Antonii Grimani* exulis liberi *Bernardum Bembum* patrem meum, *Marinum Juſtinianum*, *Aloiſium Gradonicum*, Triumviros ex advocatis reipublicæ, vellent ob reliqua totius patris ſui vitæ in rempublicam officia & ſtudia eum civitati aliquando tandem reſtituere, ut qui eſſet jam conclamata ſenectute, in patria ſaltem ſepeliri ſua poſſet. quam quidem rem adjuvabant *Dominici* Cardinalis adhibitæ *Julio* pro republica aſſiduæ diligentiſſimæque preces: tametſi adhuc quidem propter naturæ illius illiberalitatem atque inclementiam parum profuiſſent: tum perturbatis atque adeo tantopere inclinatis civitatis rebus ad lenitatem dari ſeſe, profectò æquiſſimum magiſtratibus videbatur: itaque Triumviris legem majoribus comitiis ferentibus, ante diem XV. calendarum Quintilium, *Antonius* ab exilio frequentibus ſententiis revocatus, reique publicæ reſtitutus, paucos poſt dies *Roma*, ubi aliquot annos fuerat, domum rediit, cùm illum Patres etiam nunc abſentem in Sexvirûm, qui rempublicam in Senatu procurant, collegium pluribus quàm ceteros ſuffragiis adoptaviſſent.

Antonius Grimanus ut ab exilio revocatus in patriam redeat, petentibus conceditur.

De legatis à Senatu lectis, qui ad ſe venirent, & nuntium *Julius* læto animo accepiſſe præ ſe tulit, & literas de ea re ad *Aloiſium* & *Maximilianum* ſtatim dedit: quibus literis eos certiores faciebat, velle ſe rempublicam eam, quæ ante bellum ſecum intercedebat, neceſſitudinem benevolentiamque recipere. Id autem ea de cauſa ſcire eos voluit, ne quid amplius contra illam cogitarent: ſibi ipſe ſuiſque rebus, ſi ii rempublicam oppreſſiſſent, poſſe idem accidere non

Julii Pontificis in Venetos animus anceps.

A temerè exiſtimans. quòd ſi id minus erat extimeſcendum, omnino ſe coactum iri imperata eorum facere, ſubactis deletiſque *Venetis*, pro explorato ducebat. Senatui autem per *Dominicum* & *Marcum* Cardinales ſignificavit, ubi legati *Romam* veniſſent, ſe interdictum remoturum: quam ob rem à Senatu juſſi ſunt naves triremes quamprimum conſcendere, *Anconamque* proficiſci, ut *Flaminiam* evitarent, quam respublica turpiter amiſerat.

At apud *Meſtre Cornelius* legatus certior factus, in *Tauriſanis* civibus eſſe nonnullos, qui tum quoque novis rebus ſtuderent, eò cum quingen- B tis equitibus *Epirotis* profectus duodecim eorum in vincula conjectos ad *Decemvirûm* collegium miſit, munireque oppidum inſtituit: paulóque pòſt ex tribus legatis, qui erant in exercitu, *Gritto*, *Cornelio*, *Mauro*, *Cornelius* à Senatu revocatus domum rediit.

Tauriſani ſeditioſi.

Concupiverat *Aloiſius* rex *Maximilianum* regem alloqui, ut illum in rempublicam accenderet: valde enim deliberatum ei erat, quicquid eſſet reliqui ex reipublicæ ditione in continente, urbemque ipſam, ſi res procederet, capere: id autem ſine *Maximiliani* voluntate, quibus poſſet modis, quibus artibus conſequi, non videbat: C itaque ut hoc illi perſuadere coram poſſet, ſuum interpretem Cardinalem *Rotomagenſem Tridentum* ad illum miſit, qui ab eo peteret, ut de magnis utriusque rebus colloqui ſecum vellet: tempus & locum ipſe diceret: ſe, qua die, quoque loco vellet congredi, ad illum venturum. *Maximilianus*, qui neque hominem amaret, & majorem ac potentiorem nollet fieri, ſatiſque haberet, quæ reſpublica ſuperiore anno ditionis ſuæ oppida ceperat, ſibi reſtitui, & ſe præter hæc *Verona*, *Vicetia*, *Patavio* eſſe potitum, cùm, quam ob rem colloquium peteretur, haud dubiè cognoſceret, fictis quibuſdam abeundi cau- D ſis, colloquio evitato interius in regnum ſe recepit, perque ſuum legatum queſtus apud *Aloiſium* eſt, pagos nonnullos & municipia in *Veronæ* finibus, quæ ad ſe ſpectarent, illum occupaviſſe. quibus intellectis rebus *Aloiſius*, *Piſcheria*, quam munire cœperat, diſcedens, in *Brixianos* fines rediit.

Aloiſius rex *Maximilianum* in *Venetos* irritare ſatagit.

Cremonæ interim arx militum, qui in ea erant, ſcelere atque perfidia *Gallis* deditur, *Aloiſio Mula*, *Zacharia Contareno* urbis prætoribus, *Sebaſtiano Maripetro* quæſtore, qui in ea ſe receperant, *Marco Lauredano*, *Andrea Dandulo* arcis præfectis in prædam hoſtibus traditis, *Mediola-* E *numque* abductis. quæ ſanè res magno dolori civitati fuit: nemo enim verebatur, quin omnem *Gallorum* impetum & obſidionem, ſi modò viri eſſent, quamdiutiſſimè ſuſtinere potuiſſent. Ea capta, rex *Cremonam* ſe contulit.

Cremonæ arx à *Gallis* occupatur.

Illis diebus quòd venerant *Baſſianum* milites è *Germania* quatuor mille (id autem eſt oppidum in *Medoaci* ripa ſub *Alpium* jugis, abeſtque *Patavio* paſſuum millia vigintiquatuor) *Maurus* legatus cum parte exercitus in *Tauriſanos* fines profectus, ea loca tutiora & quietiora reddidit. *Aloiſius Cremonæ* dies paucos moratus, cùm ibi *Triultium* oppidi præſidio reliquiſſet, *Galeatium* F *Palavicinum Brixiam*, *Antonium Mariam* ejus fratrem *Bergomum*, *Palitiæ* principem *Cremam* miſiſſet, *Mediolanum* rediit.

Julius Aloiſio profecto, exercituque ejus propè dimiſſo, nihil jam gravius ab illo metuens, neque *Maximilianum* per ſeſe magnum quicquam atque arduum contra rempublicam auſurum exiſtimans, per *Dominicum Grimanum* ſuadere Senatui cœpit, ut *Tauriſum*, & *Forum Julii*, quæ duo quidem oppida ex fœdere, quod is cum *A-*

Julii Pontificis poſtulatio.

loisio percusserat, ad illum spectarent, pacatè ac lubentes ei traderent potius, quàm bello atque inviti paulò pòst amitterent tamen. Id an propterea sit aggressus, quòd cuperet nihil reipublicæ reliqui in continente esse, ne vires ad illa recuperanda, quæ ipse ex ejus ditione in *Flaminia* ceperat, redintegrare posset: an ut *Italiæ* cladibus ea re finis imponeretur, quo facilius bellum in *Thraces*, perdiu illud quidem cogitatum, atque adeo sermonibus agitatum, unanimi omnium regum consensu opibusque sumi posset, quod unum præ se ferebat, quia nobis nihil liquet, in ambiguo relinquimus. Sed omnino Patribus molestissima ea *Julii* suasio fuit, qui sæpius jam, qua via eorum oppidorum, quæ *Maximiliano* se dediderant, recuperari aliquod posset, quàm ut ex iis quæ haberent in continente reliqua, quicquam ei traderent, cogitabant: itaque legatis, qui *Anconam* classe appulsa iter *Romam* pedibus faciebant, scripserunt, darent operam, cùm ad Urbem essent, mandataque reipublicæ confecissent, ut ab ea cogitatione *Julium* abducerent.

Joannes interim *Baduarius*, *Georgius Pisanus*, qui legati *Romæ* fuerant, domum redierunt. Patres cum ab *Gritto* intellexissent, propter *Maximiliani* milites, qui *Bassianum* venerant, aliosque permultos, qui pluribus in *Alpium* municipiis civitatibusque cogebantur, atque ipsum in primis *Maximilianum*, quem cum exercitu *Feltriæ* appropinquare nuntii venerant, tutius futurum si copiæ reipublicæ *Taurisum* ducerentur, ita uti fieret, censuerunt: præmissique *Taurisum* sunt virtute & fide præditi ac probati Patribus viri è plebe tres cum suis quisque militibus, qui tribus oppidi portis præessent, easque ad omnes casus custodirent. Ad *Castellum novum* autem, quod est in *Alpibus* supra *Taurisanos* fines in regione *Querio* appellata, natura & artificio communitum, milites *Germani* cùm venissent, & tormentis murum quatere cœpissent, atque *Andreas Rimundius* præfectus, qui eum locum sibi tuendum à Senatu sumpserat, turpiter se fugæ mandavisset, castello sunt potiti. *Maximilianus Feltriam* venit. Ea re ad *Maurum* legatum per cives *Patavinos*, amicos reipublicæ, confestim delata, qui illi magnum esse *Germanorum* militum cum rege numerum significaverant, *Maurus* nocte intempesta omni cum ea manu, quam habebat, ad imperatorem, qui *Mestre* nondum abierat, se recepit: castellumque *Francum*, quo in municipio erat *Maurus*, regi se è vestigio tradidit. His interjectis diebus dato ab omnibus jurerando, se in fide atque officio cum republica futuros, exercitus *Mestre* eductus, *Taurisumque* perductus est, quò tubicen *Maximiliani* venerat, petens ut regi se oppidani traderent, nisi diripi atque interfici mallent. Ei consulto Senatu ab legatis est responsum datum, velle se oppidum tueri reipublicæ, atque in eo cives omnes consensisse: neque direptionis aut mortis metu absterreri posse, ne fidem præstent, quam semel pepigerunt: virtuti nullam vim fieri: nullum incuti timorem iis, qui honestè occumbere, quàm turpiter vivere satius atque prius putant. Iisdem legatis deinde certioribus factis hostium copias ad *Citadellam* convenire, ut in illas impetum faceret, *Grittus Tauriso* cum *Leonardo Apulo*, cumque *Epirotis* equitibus ad vicina ei municipio loca sese contulit.

Castellum novum à Germanis capitur.

Francum castellum.

Andreas interim *Fusculus*, qui *Byzantii* reipublicæ negotia procurabat, Patres facit per literas certiores, clade reipublicæ cognita *Regem Thracium* sibi ostendisse, magnam se ex ea re molestiam accepisse: questum etiam apud illum fuisse, quòd non secum de hostium consiliis apparatibusque communicarit, atque auxilium in tempore petierit: quod quoniam factum non sit, suas nunc opes terra marique amico se animo atque benevolo reipublicæ polliceri: petere, ut id quamprimum *Lauredano* principi significet.

Turca Venetis subsidium offert.

Vix eæ literæ in Senatu recitatæ sunt, cùm ab legatis *Roma* item literæ perferuntur, in quibus erat scriptum: ubi ipsi ad urbem appropinquavissent, misisse *Julium* qui diceret, velle se eos *Romam* noctu ingredi sine ulla obviam itione civitatis, neque ei sacra administrari, quoad se convenerint: ipsum autem *Julium* statim se *Hostiam* contulisse, ut illi interim in contemptu & squalore diutius manerent. Cum autem is ad urbem aliquot pòst dies rediisset, uno ex legatis *Hieronymo Donato* ad se vocato ostendisse, placere sibi uti fœderis, quod *Cameraci* percussum sit, capita omnia impleantur: si *Taurisum Forumque Julii* respublica *Maximiliano* tradiderit: si juri, quod in *Ferrariæ* urbis dominatu, quodque in sinu *Adriatico* habeat portorii ab omnibus, qui eo mari navigent, *Venetiis* solvendi renuntiarit: si sacerdotia non modò provincialia, sed etiam urbana Pontificibus Maximis remiserit, ipsa nullam eorum partem tributis exigendis interceperit: si se in ipsum deliquisse fassa fuerit, ejusque rei veniam subjectissimè petierit, tum se interdictum remoturum: eorum si quid facere Senatus recusarit, suas se copias *Maximiliano* traditurum, regemque *Galliæ* idem facturum, ut is rempublicam opprimat. Adjuvisse autem eam rem totam ejusdem regis *Galliæ* magnopere legatos, qui ab *Julio* diligentissimè petierant, ne ad se legatos *Venetos* admitteret, néve interdictum aboleret, aut rempublicam sublevari pateretur: ita enim illum reliquis *Italis* principibus, & regum cæterorum omnium animis & cupiditatibus arbitratu suo moderaturum, si reipublicæ non frænum modò, sed etiam vincula injecisset. His recitatis literis, nullus ordo in Senatu fuit, qui non *Julium* omnibus probris & maledictis fuerit prosecutus: nemo, qui non se ipse magnopere damnaverit, quòd legem de legatis ad illum mittendis suo suffragio comprobarit: ea lege sex civitatis principes reliquis civibus, qui captivi contra fas, contra pactiones, contra fidem datam *Romæ* sint, adjectos in reipublicæ ludibrium, *Julii* iracundiæ traditos: itaque omnes magistratus ira indignationeque ardere, reliquos fremere, atque in illos invehi: neminem profectò scire jam, quid agi, quid tentari oporteat. Unus *Laurentius Lauredanus*, *Leonardi* principis filius, clara voce, Cur non, inquit, ad regem *Thracium*, qui nobis sese obtulit, legatos statim mittimus auxilium contra istum non Pontificem Maximum, sed carnificem omni crudelitate præditum, imploratum? Hac à plerisque sententia probata, nonnullis mitius & temperatius agendum statuentibus, neque fine consiliorum reperto, jussis Patribus ea in re diligenter cogitare quid præstaret, Senatus dimittitur.

Julii Pontificis in Venetos feveritas & conditiones iniquæ oblatæ.

Venetorum in Pontificem concitati animi.

Laurentii Lauredani consilium.

At in *Carnis* oppido *Sacilio* ab hostibus, qui primo id impetu ceperat, civitate eos expellente recuperato, *Joannes Vitturius* civis egregia virtute à Patribus statim præsidio cum militibus & equitibus est illò missus. Ab *Gritto* etiam legato *Franciscus Beraldius Patavinus*, equitum reipublicæ centum & quinquaginta præfectus, qui ad hostes profugerat, aliisque item præfecti equitum tres, quorum erat unus *Busichii Epirotæ* fratris filius, capti ad urbem in custodia perducuntur. Nam cùm *Epirotæ* propè trecenti ab legato

Sacilium oppidum recuperatum.

to præmissi, hostibus qui *Citadella* exierant, appropinquavissent, fuga simulata in apertos ante villam *Cornelianam* campos & planitiem eos pertraxerunt: tum repentè conversis equis, impetuque in illos facto, quinquaginta ex iis interfecerunt, sexaginta captivos fecerunt, duces reliqui *Mercurius Bua*, *Ranerius Saxeta*, *Pandulfus Malatesta* fugere perseverantes se in tutum receperunt.

Legatus *Venetorum* ad *Maximilianum*, Electores & civitates Imperii.

His rebus agitatis, propterea quòd ab amicis reipublicæ Patres cognoverant, *Maximilianum* cupere, ut Senatus civem aliquem ad se mitteret, qui cum agere de communibus utriusque rebus posset: *Aloisium Mocenicum*, unum ex quinqueviris Senatu regendo legerunt, qui ad illum proficisceretur. Literæ quoque ad eos, qui creandi *Romanorum* Imperatorem jus habent, tum ad liberas *Germaniæ* civitates datæ sunt: quibus literis Senatus petebat, ne *Maximilianum* sævire contra rempublicam, quæ in illum tam liberalis fuisset, ulterius permitterent.

Patavinæ Reipublicæ status.

Neque tamen propter hæc intermittebant Patres in eam cogitationem incumbere, ut *Patavium*, quod planè oppidum ante oculos esset civitas, improviso magis & repentino incursu, quàm aperto bello recuperarent. Accendebat eorum animos illorum magnopere avaritia, qui *Patavium* regebant, quòd nulli *Venetorum* civium, qui in eo agro fundos possessionesque habebant, qui quidem erant plurimi, fructus suos evehendi facultas ab iis permittebatur, sed ipsi eos inter se pro libidine distrahebant. Multæ in oppido insulæ, domusque, quas jure & more majorum privatim *Veneti* ab oppidanis emerant, aut ipsi ædificaverant, ab illis direptæ possidebantur: multa prædia villæque alienissimis hominibus vulgò donabantur. Itaque Patres antequam ad alia descenderent, *Franciscum Capellum*, quem quidem virum *Leonardus Trissinus*, de quo suprà commemoravimus, quòd in legatione *Gallica* aliquot antè annos in ejus comitatu adolescens fuerat; locumque apud illum penè filii obtinuerat; magno cultu prosequebatur, *Patavium* miserunt ad speciem, ut legatus ad *Maximilianum* proficisceretur: re, ut *Leonardum* conveniret, eique polliceretur, si *Patavium* reipublicæ restituat, exilii se legem rescissuros: tum ei, liberis, posterisque ejus civitatem, & jus comitiorum, & *Citadellam* municipium, quod *Pandulfus Malatesta* proditione amiserat, cumque iis præfecturam ipsi equitum ducentorum rempublicam dono daturam. *Capellus Patavium* subvectus, dum oppidum ingreditur, cognitus ab iis, qui portam custodiebant, ab oppidanisque retentus alloqui *Trissinum* secretò non potuit: cúmque se apud eos legationis jure defenderet, suffragiis egerunt, num illum interficere, quòd *Patavium* furtim venisset, an domum remittere deberent, quòd legati munere fungeretur. Octo erant ex nobilitate cives, octo ex plebe, qui suffragium ferebant. Septem ex iis *Capellum* condemnaverunt, novem absolverunt. ita in magno vitæ periculo à fortuna versatus, tantuloque discrimine sententiarum ab eadem servatus, multis ab civibus pro ejus dignitate ac nomine ad oppidi portam, qua venerat, flumenque perductus conscendit, ad urbemque rediit. Patres eo consilio depulsi, ad aliam se cogitationem converterunt. nam quòd erant eo in oppido cives duo Centurionis reipublicæ fratres, quibus ambobus cum portæ oppidi præfecto summa necessitudo intercedebat, petiit ab iis per occultos internuntios centurio, darent operam, ut ea porta legato reipublicæ aperiretur. Re complures dies agitata, cùm demum inter ipsos convenisset, *Aloisius Molinus* Quinquevir Senatu regendo Patribus proposuit, tantas hostium injurias ulterius non esse perferendas: sperare sese atque confidere, si *Patavium* exercitus de improviso mittatur, civibus iis portam tradentibus, qui se reipublicæ obtulerunt, oppidum capi facilè posse: neque enim satis esse communitum: itaque ad *Grittum* legatum scribi oportere, ut eam rem quamprimùm suscipiat.

Consilia *Venetorum* de *Patavio* recuperando.

Lauredani oratio.

Ad ea *Lauredanus* princeps, videri sibi periculosum respondit; *Aloisio* rege *Galliæ* reipublicæ nervis ac sanguinis magnopere imminente, *Julio* Pontifice Maximo ad civitatis perniciem atque interitum omnia moliente, *Maximiliano* mediis in imperii finibus visceribusque grassante, *Ferdinando Hispaniæ* rege, quasi quarto scriptis tabulis hærede, in possessiones reipublicæ se inferente, *Patavium* velle recipere: quam quidem paulò antè urbem unà cum aliis plerisque oppidis & municipiis, ut hujus belli tempestatem à suo capite averteret, Senatus *Maximiliano*, tanquam de manu tradidit: valde enim se timere, id si fit, ne hostes reipublicæ, qui ea Senatus liberalitate victi nihil ultrà propè cogitant, magnam redintegrandi belli causam se habere statuentes, iterum in rempublicam universi convertantur, neque *Patavium* modò brevi recipiant, sed reliquam imperii partem, quæ in continente est, etiam suam faciant: nam vires ad eos repellendos reipublicæ suppeditaturas, neminem tam stultum esse, qui sperare audeat: neque esse credendum, qui pares illis integri non fuerint, fractos ac debilitatos superiores fore: civium privatim jacturam; qui fructus suorum prædiorum in agro *Patavino* amittant, tantam non esse, ut rempublicam periclitari malint; si amantes patriæ sint: quòd si alia mens eorum est, non esse in civium habendos loco, qui rempublicam sua potiorem charioremque non habeant: majores ipsorum opes suas maritimis auxisse rebus, atque imperium longè latéque ea tantùm ratione promovisse: si ad illum unum maris exercendi morem atque consuetudinem redeundum sit; bene cum ipsis fortunam agere, omnes rectè sentientes existimaturos, quod quæ artes imperio constituendo profuerunt, eisdem etiam usquequaque vel crescat propageturque artibus imperium, vel optimè tutissiméque retineatur. Cùm ea ita se habeant, tamen *Taurisum Forumque Julii* adhuc quidem in reipublicæ ditione contineri: ea ne amittantur, magis providendum ipsis esse, quam ut aliquid acquiratur: id autem facile fieri moderatione, si iis contenti sint: neminem enim jam reipublicæ magnopere invidere illam partem, quòd si *Patavium* receperint, verendum in primis esse (dicat ne, an sileat? sed non silebit, quæ prævisa omnibus multumque cogitata debent esse) ne cum fines in continente reliquos amiserint, urbs quoque ipsa parens altrixque civitatis, de qua paulò antè ipsi non obscurè timuerint, in hostium suorum potestatem, quod Dii omen obruant! redigatur: sæpe enim accidisse, ut qui nimia pertinacia in iis, quibus carerent, appetendis rebus essent, etiam earum, quas habebant, quibusque pacatè frui poterant, amissione plecterentur, suæque eos intemperantiæ vehementer pœniteret.

Molini oratio.

Hac oratione ab *Lauredano* habita, plerique magistratus in ejus facilè sententiam abierunt: pauci cum *Molino*, rei bene gerendæ occasionem non esse amittendam, perseveraverunt: nonnulli tum dubia in re, quid probarent, & eligerent, propè ipsimet se nescire fatebantur: itaque magna inter eos altercatione orta, cum finis rei nullus reperiretur, *Molinus* ad Senatum conversus ejusmodi orationem habuit: Non tam se quidem

ea re angi ac dolore confici, quod hoc tempore fortuna, quæ plerumque res humanas administrat, plures potentioresque quam unquam antea hostes in rempublicam armaverit, fato enim id, necessitateque accidisse, itaque moderatè esse ferendum: quàm propterea, quòd ipsa sibi respublica desit, quodque ex iis, qui eam regunt, nonnulli sint, qui dum immodico terrore opprimuntur, plus detrimenti civitati important, quàm ii, qui ei bellum intulerunt. quid autem se potissimum commemorare, ac conqueri? quatuorne *Flaminiæ* oppida communita *Julii* ducibus aperire portas jussa, interdicto non rescisso? civésne perplures eorum atque arcium præfectos B proditos, atque abductos in servitutem? séxne legatos principes civitatis ultrò *Romam* missos in dedecus Reipublicæ? an verò *Apuliæ* optimam fertilissimamque partem *Ferdinando*, antequam de ea verbum faceret, condonatam? an *Vicetiam* atque *Patavium*, præclaras nobilissimasque urbes, *Maximiliano* non petenti, nihil armorum paranti traditas, & inculcatas? nam quòd *Taurisum* retentum sit, id virtute factum, atque constantia ejus oppidi civium, qui soli fermè, & destituti, ob eorum tamen in rempublicam studium manere in fide atque officio voluerunt. Egò verò, inquit, ô Patres, qui tantopere formidatis, ad vos C nunc tantum orationem me convertere, operæ pretium est. Maris quidem artes atque studia deserenda nobis esse non existimo, sed omni studio diligentiaque percolenda, dum ne id imperium, quod in continente majores nostri suis laboribus, suo nobis sanguine pepererunt, nostrorum animorum debilitate amittamus: quod quidem certè malum semel nostro vitio si contractum est, an nunc etiam à nobis, cùm ex parte corrigi potest, negligatur? ac obloquendi occasio hac ratione omnibus hominibus facilè præstetur, non tam fortunæ vi atque impetu nos, quàm nostra ipsorum imbecillitate victos esse? At etiam additis, civium privatim damna tanti non esse, ut ea D de causa Respublica in periculum adducatur. quòd si unà cum privatis rebus salva esse potest publica, nonne in multò justius accendamini, quàm si res quidem publicæ saluti esse valeamus, privatæ nequeamus? præsertim cùm privatæ nostrorum civium opes maximè ad rempublicam pertineant, quæ suorum civium pecunia maxima ex parte bella gerere & sustinere consuevit. Atque hoc eo libentius dico, quòd nulla mihi prædia in *Patavino* agro sunt, ne quisquam meis me commodis ductum existimet ad legem ferendam, E ut *Patavium* recipiatur. Res me publica impellit, quæ mihi est mea vita charior: ad quam unam cùm meorum civium commoda atque utilitates adjungantur, quid est quod aut me, aut quemquam civem bonum atque industrium deterrere à suo suffragio probanda lege debeat? Superest pars illa plena formidinis, ut negotio capessendo desistamus, ne si ea re hostes nostros irritaverimus, illi inter se ad reliqua nostræ ditionis adorienda iterum parati atque animati conveniant: quasi aut facillimum eis sit, tantos exercitus comparare atque cogere: aut ex regia dignitate videatur esse, *Aloisium*, qui suum in regnum se recipit, statim in *Italiam* recurrere, ut F *Maximiliano* præstò sit: aut ignoremus *Ferdinandum* nostris potitum oppidis ne unum quidem nummum ulterius in bellum insumpturum: aut *Maximilianus* abundare thesauris consueverit ad copias contrahendas, qui duorum mensium spatio pauculas cohortes propè nudas ad *Veronam*, *Vicetiam*, *Patavium* tuendum vix ægréque miserit: aut *Julius*, quo demissius atque abjectius cum illo agimus, eò nonmajores sumat in nos spiri-

A tus, duriorem seque atque implacabiliorem multò præbeat, quòd si intelliget *Patavium* receptum, nobisque pristinam inesse virtutem ac vim sentiet, non despiciet tam arroganter eos, quos obesse sibi posse aliquando verebitur. At etiam veremini, hæc ne urbs parens nostra in hostium nostrorum potestatem redigatur? quid, vos quæso, interest, urbs ne ipsa in potestate sit hostium, an ejus incolæ ac cives, quique illam regimus, omnia quæ hostes nostri velint, atque optent, statuamus? optabile illis est *Patavium* non recipi, ut eo ipsi oppido unà cum reliquis pacatè frui possint: optabile etiam est, ut *Taurisum Juliique Forum*, tractumque hunc *Venetiæ*, qui nobis reliquus est, ipsis, ut alia multa tam præclara dedimus, etiam tradamus: vos eis morem gerere vultis. hocne hanc urbem servire non est? hoc non est eam suorum hostium esse factam? non est libertatem reipublicæ, quæ unà cum hujus urbis parietibus semper crevit, quam majores nostri nobis integram atque intactam reliquerunt, prorsus atque omnino perdidisse? Si majores iidem nostri ab ea cœli regione, in qua beatissimi sempiternam vitam agunt, hìc existant, atque ad vos conversi ejusmodi sermonem habeant: Nos urbem vobis dedimus cùm liberam, tum eo situ & natura loci, ut nisi ipsi vobis desitis, nemo cogere vos possit: cur quæ hostes vestri optant, facere didicistis, homines maximè omnium, qui hodie sub cœlo degunt, liberi? cur imperium pulcherrimum, quod vobis constituimus tam formidolosè regitis? cur *Patavium* malè ab hostibus custoditum, quòd penè vestris sub oculis est, vosque appellat atque obtestatur, non recipitis? quid illis obsecro respondeatis? primum scilicet, uni vos servisse tempori, quodque tempus postularit, id fecisse. Jam istud vobis omnes concedimus: tempori enim hostium perpulchrè inservitum est: de hac urbe autem timere vos, ne amittatur, dicere non audebitis: neque opinor tam timidè in Senatu locuti essetis, nedum etiam apud illos ipsos majores vestros optimos fortissimosque viros, qui sciunt urbem hanc capi non posse, ejusmodi proferre quicquam audeatis: reposcent enim statim vos, repetentque à vobis parta gravibus verbis: quodque tam pusillo animo fueritis, conquerentur, qui, ne hoc imperii domicilium vestris ab hostibus tueri possetis, pertimueritis. Sed de eo plura me dicere minimè necesse esse arbitror: urbs enim pro se ipsa satis loquitur, quæ obsessa vadis undique, neque à justis classibus, neque à terrestribus exercitibus adiri se permittit. Itaque ad vos omnes revertar Patres: tota enim hæc vestra causa est: nam propterea quòd imperio retinendo timidiores nos, quàm par erat, præstitimus, quum & nunc in recuperando acres atque fortes esse, ut eam infamiam, quam formidine contraximus, animi robore atque præstantia deleamus. *Aloisium* regem copiis dimissis *Galliam* ulteriorem petere, certiores facti sumus. *Maximiliano* quàm prompta sint quæ in bellum requiruntur, sanè cognoscimus. *Julius* in alios quàm sit largus, quàm munificus, satis superque exploratum nobis est. quàm hinc longè absit *Ferdinandus*, etiam videmus: qui tamen ipsi velint, si festinent bellum nobis facere, ut *Patavium* recuperent, æstas abierit: ita hyemis beneficio res in annum alterum differetur. quid vultis amplius? quam occasionem aptiorem, opportuniorem à diis immortalibus postulatis? quod tempus ad hanc rem paratius atque accommodatius esse potest? quamquam quæ simultates, odiique semina in illorum regum animis jam dudum insita radices altas habent, quæ fortunæ, ac rerum humanarum vices sunt, sperandum nobis est, neque illos amplius

plius conventuros, & nos brevi magnam reliquorum oppidorum partem facilè recuperaturos: ita enim cum his civitatibus ac populis, quos à nobis habuerunt, hostes se nostri gerunt, nihil ut malint jam, quàm illorum jugum suis à cervicibus excutere, nostramque in se benevolentiam indulgentiamque requirant. Est autem prudentiæ vestræ, Patres, hæc, si Deorum beneficia sunt, qui nobis ea, quæ fœderatorum nostrorum scelere perfidiaque amisimus, reddere statuerint, sive temporis, quòd illorum dominatum in satietatem atque invidiam subjectorum populorum verterit, planè non despicere. semel, aut iterum homines ad regendum imperium natos, maximis in rebus timidè lapsos esse, humanum fortasse sit, veniaque non indignum: usquequaque autem sine causa eosdem illos omnia vereri, neque dignum venia est, nec excusatione: ad interitum enim tendit qui id agit. satis obdormivimus Reipublicæ, satis longos dies in pavore, inertiaque jacuimus: expergiscamur jam, timoremque hunc nostrum, nocturnum atque umbratilem, aliquando tandem exuamus. copias, quantis opus est, habemus proximas atque paratissimas. agrestes homines universi nobis favent, nos expectant, morari conqueruntur. oppidani etiam accersunt nos, rogantque ne sui obliviscamur, néve se barbaros perpeti dominos addiscere servitutis longinquitate cogamus. *Patavium* verò ipsum ejusmodi est, ut si receptum semel sit, amitti amplius propè non possit, cùm & custodire ipsi illud municipium, tanquam domum suam quilibet, ob propinquitatem facillimè queamus, & ob reipublicæ utilitates, quas ex eo percipere consuevit, & facti laudem atque gloriam maximè debeamus, & propter privata civium commoda, fructuumque copiam, & villarum amœnitates, magis ut velimus, adducamur honestissimè. Unum Patres moneo, ut ne tempus ullum rei gerendæ interponatur, ne, si parumper distulerimus, hostes se interim muniant, atque ab iis conatus nostri omnes retundantur. nihil est in bello celeritate conducibilius, nihil omnino victoriarum efficientius: ea & qui utuntur alacriores facit, quòd in hostes imparatos impetum se facturos vident: & hostes ipsos imbelles reddit, propterea quòd sæpe imprudentes nec opinantes offenduntur, ut arma capiendi, seque defendendi tempus facultatemque non habeant. Postremum est, ut Deos omnes orem, teque in primis *Marce* urbis hujus parens & conservator, cujus templum inauratum atque augustum ante curiam majores nostri antiquitus ædificaverunt, omnique pietate semper coluerunt, quodque nunc persanctè ipsi adimus atque incolimus quotidie, ut si ipsi hanc mihi mentem dederunt, ut legem ad vos ferrem *Patavium* recipi è republica esse, neque enim aliunde recta hominibus consilia, quàm à Diis immortalibus veniunt, & vos eam Patres conscripti vestris suffragiis hoc vesperi sanciatis, & ipsi mihi, & vobis, ac civitati, & reipublicæ totum negotium faustum, felix, fortunatum velint esse.

Lex de *Patavio* recipiendo.

Hac oratione habita, cùm nonnulli magistratus ad *Molini* se sententiam adjunxissent, lex est perlata, ut ad *Patavium* recipiendum *Grittus* legatus è vestigio contenderet, datumque omnibus jusjurandum, ne quid ejus quis enuntiaret. De ea re perlatis statim ad *Grittum* Senatus literis, ille cum equitibus mille, militibus item mille *Tauriso* profectus, medio itinere ad *Novale* municipium se continuit: eodemque die *Decemviri* cymbas suas cum armatis hominibus ad omnia itinera diligenter custodienda miserunt, ne quis *Patavium* ejus rei nuntius ab urbe mitti posset.

A Postero die autem, qui fuit dies decimus sextus Calendarum Sextilis, noctu reliquo itinere confecto, legatus ante lucem prope oppidum substitit: interim carri aliquot frumento imposito, quos legatus ad id præparaverat, cum bubulcis ante portam se contulerunt, atque, ut sibi aperiretur, paulisper expectaverunt. apertis portis, quæ ad priorem *Medoaci* fluminis alveum sunt, quo tum alveo naves permeabant, ac demisso ponte, & carris in transmissu commorantibus, legati pedites levissimi adveniunt, portamque capiunt, pauloque pòst legatus cum reliquo agmine in oppidum irrumpit: profectusque ad interiorem oppidi portam, qua murus item alter postremo longè altior atque solidior unà cum altero *Medoaci* alveo tanquam circino circumductus urbem reliquam tuebatur: ea refracta ad forum omnes magno cum clamore ac tubarum sono rectà contendunt. quibus obviam progressa gens *Parmensis* (id erat fratrum illorum ac Centurionis familiæ nomen, quæ se ad hoc ea nocte comparaverat) armata cum legato læta atque hilaris se conjunxit. Eo tumultu excitus *Brunorus Saregius Veronensis*, clara gente natus, qui stipendia *Maximiliani* faciebat, eóque biduo *Patavium* venerat, cum turma equitum ducentorum, *Venetos* qui forum jam omnesque vias atque aditus obsederant, repellere aggressus, amissis perplurimis ex suis, ab iis capitur. *Germani* quoque milites ad prætorium qui erant, cum præfectis regiis eòdem accurrerunt, sed commisso prælio repulsi, se in arcem oppidi fugientes intulerunt. Oppidani magna pars se legato, qui eorum prætor summa cum laude paulò antea fuerat, gratulantes dediderunt. ita parvo temporis spatio *Patavium* recipitur eo ipso die, quo primo captum fuerat, anni ab urbe condita nongentesimi octogesimi secundi, cùm binos & quadragenos dies in *Maximiliani* partibus fuisset. Miserant ea nocte *Decemviri* magnam armatorum hominum manum cùm ex plebe urbana, & navalibus, quorum omnes propè operas eduxerunt unà cùm eorum præfecto *Nicolao Pascalico*, qui eas regeret, tum ex suburbanis municipiis, *Torcellio*, *Majorbio*, *Buriano*, *Muriano* evocatum suis cum naviculis, ut *Medoaco* flumine superato, *Patavium* legato auxilium ferentes mane accederent: ii celeritate adhibita, turri etiam, quæ in *Strata* pago flumini adjacet, expugnata: is abest pagus à *Patavio* millia passuum quinque: à qua remulco subvehi, *Germanis* militibus, qui in ea erant, lapides & tela conjicientibus, non permittebantur, progressi, in oppidumque recepti, unà cum legati militibus *Judæorum*, fœneratorum domos valde quidem plenas, quarum erat magnus numerus, universas spoliaverunt. à quibus digressi, nonnullas etiam eorum civium, qui reipublicæ adversissimi fuerant, vitæ inquilinorum parcentes, diripuerunt. verum edicto legati proposito, ut prædandi finis fieret, & luminibus singulis in domibus è fenestris tota nocte ardere jussis, ne tenebræ licentiam peccandi adderent, stationibusque in foro atque ad portas dispositis, ipso etiam legato cum militibus oppidum perambulante, non tamen quorumdam *Venetorum* civium, qui spe prædæ privati *Patavium* venerant, audacia comprimi potuit, quin cum armatis direptiones exercerent, atque in legati milites, à quibus prohibebantur, impetum facerent. Ea de re ab legato ad *Decemviros* datis literis, quòd statuere ipse in cives *Venetos* non auderet, *Hieronymum Quirinum* magistrum suum, *Marinum Maurocenum* triumvirum ex advocatis reipublicæ *Decemviri Patavium* celeriter miserunt: hi re-

Patavium à *Venetis* stratagemate recuperatur.

Judæorum domus spoliatæ.

Margin letters: B, C, D, E, F

retentis nonnullis atque in vincula conjectis, tumultum sedaverunt.

Arx *Patavina* expugnata.

Proximo verò die tormentis ad arcem oppidi positis, & magna circumfusa armatorum multitudine, demum parte propugnaculi dejecta, dum de deditione hostes agunt, milites superatis per ruinas muris arcem capiunt: in qua captivi facti *Leonardus Trissinus* præfectus vulnere in capite accepto, & *Manfredus Facinus*, vir egregia virtute, qui complura stipendia, A multisque in exercitibus reipublicæ magna cum laude meruerat, & *Germani* viri fortes & claro loco nati sex, civesque *Patavini* tres, iique omnes Patrum jussu sunt ad urbem missi, *Facino* excepto, quem *Grittus* legatus cùm magnopere diligeret, liberaliterque appellatum, quòd cum tot annos reipublicæ militiam fecisset, tam duro ejus tempore in hostium numero esse voluisset, nullo accepto incommodo statim dimiserat.



PETRI

PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI NONI

EPITOME.

M*Aximilianus Tridentum* redit. Multa oppida à *Venetis* recipiuntur. *Venetorum* ad *Patavii* propugnationem, & hostium ad oppugnationem apparatus. *Franciscus Mantuanorum* dux à *Venetis* capitur. Senatus in suos pietas & liberalitas. *Patavium* à *Maximiliano* oppugnatur. *Hieronymi Saorniani* res pro republica gestæ. *Maximiliani* à *Patavii* oppugnatione discessus. Ut omnia circa *Patavium* exscinderentur lege constitutum. Res in *Liburnis*, *Illyrico*, *Istris*, *Carnis* & *Forolivienfibus* gestæ. *Vicetia* à *Venetis* capitur. Bellum à Senatu in *Alphonsum Atestinum* decernitur & geritur. Reipublicæ exercitus *Veronam* frustrà mittitur. Multa oppida à *Venetis* recipiuntur. Classis in *Alphonsum* missæ progressus. Classis *Veneta* ab *Alphonso* fracta. De parente, filia pro concubina utente, supplicium sumitur. *Julii* placandi ratio à Senatu inventa.

LIBER NONUS.

Maximilianus Tridentum redit.



PATAVIO recepto, *Monsilice*, *Ateste*, pleraque alia agri *Patavini* municipia parvo negotio ad rempublicam redierunt, *Maximilianus*, qui *Marosticæ* tunc erat (id est municipium in primis *Alpium* jugis, abestque *Patavio* millia passuum vigintiquatuor) veritus ne interciperetur, è vestigio *Tridentum* abiit.

Rustici immunes.

Senatus sex ex plebe homines fide præditos à Patribus legendos censuit, qui sex *Patavii* portas custodirent cum triginta militibus quilibet. & quòd magnum rusticorum hominum studium in rempublicam extiterat, eos immunes annos quinque jussit esse, fisci reliquis etiam remissis.

Dum hæc decernerentur, à *Maximiliano* literæ ad Senatum venerunt, pridie quàm *Patavium* reciperetur, datæ: quibus literis rex petebat, ut *Aloisium Mocenicum* ad se *Marosticam* Patres mitterent. *Aloisius* Patrum jussu postero die *Taurisum* profectus, quòd rumor attulerat, *Maximilianum* suos se in fines recepisse, præmisso tabellario, qui, ubi rex esset, quoque se venire vellet, sciscitaretur: alteris regis literis certior factus est, nolle amplius *Maximilianum* cum eo colloqui: itaque *Taurisi* paucos moratus dies, à Senatu revocatus domum rediit. *Gaspar* etiam *Severinas*, de quo suprà dictum est, ab incolis in oppidum *Citadellam* introductus, dum se ad *Maximilianum Pandulfus Malatesta* contulisset, missis ad urbem internuntiis Senatui se obtulit: neque tamen est receptus, ob levitatem atque inconstantiam, qua nimia usus fuerat.

Oppida quædam à Venetis recipiuntur.

Serravallium interea, castellumque *Francum* recipiuntur, pulsis ab altero non sine cæde prope quingentis *Maximiliani* militibus, in altero omnibus ad unum interfectis. Erant autem ex *Hispania* milites centum quinquaginta: & sunt oppida *Patavio* in septentriones versus: A meridie fere autem *Montanianum* in *Patavinis* finibus, & *Lemniacum*, quod est ad *Athesim* flumen, in agro *Veronensi*, ejectis hostibus reipublicæ insignia sustulerunt. equitatusque ab *Alfonso Ferraria* emissus, ut ejus oppidis præsidio esset, à militibus reipublicæ & agricolarum manu disjectus interfectusque est, eorum duce capto, ad urbemque misso. *Lemniacum*, petente civitate, per legatos ab imperio *Veronensium*, in quo erat, liberum à Senatu factum est: permissumque iis, ut à magistratibus ab urbe ad se mittendis regerentur. Prætor quoque, qui jus *Patavinis* diceret, comitiis majoribus creatus est *Petrus Balbus*, civis prudentia moderationeque insignis, qui haud multò antea illum ipsum magistratum obierat.

Julii Pontificis simulatio.

Julius Pontifex Maximus cognitis magna cum molestia reipublicæ prosperis rebus, *Dominico Grimano*, *Hieronymo Donato* ad se vocatis, animi ægritudinem dissimulans, ostendit cupere se, ut *Taurisum Forumque Julii* respublica ne amitteret: seque ejus rei autorem apud *Maximilianum* fore pollicetur: atque ad sacra legatos reliquos, qui domi detinebantur, admittti imperat. Ac tum quidem ex *Pannonia Guidotii* Senatus scribæ, qui reipublicæ negotia procurabat, literis Patres certiores facti sunt, *Aloisium* regem *Galliæ*, *Juliumque* Pontificem Maximum omni studio apud *Pannoniæ* regem egisse, ut is reipublicæ bellum inferret: perfacile esse, propterea quòd respublica omnes suas opes amisisset, essetque ad extremum redacta casum, ejus oppidis omnibus, quæ in *Istris* atque in *Illyrico* essent, illum potiri: regem tamen aures eorum hortationibus non adhibuisse, neque quicquam contra rempublicam aggredi aut statuere voluisse.

Aloisii regis & Julii Pontificis animus in Rempublicam Venetorum.

Interim quòd *Maximiliani* copiæ augebantur, eratque *Vicetiæ* ejus præfectus *Constantinus Cominatus*, de quo superioribus libris sermonem habuimus, qui manus cogere dicebatur: Senatus jussit, ut *Citolus* & *Lactantius* suorum militum numerum & ipsi augerent, ut essent utriusque ad octingentos. *Lucioque Malvetio Bononiensi* equitum cataphractorum centum præfecto auctus numerus ad CL. cum liberali stipendio: auctusque *Meleagro Foroliviensi*, *Tadeoque Vulpio Forocorneliensi*, qui se amanter fortiterque gesserant. *Alexandrino Bigolo* autem uni ex *Patavinis* civibus, qui in *Citadella* obsidenda hostibusque vexandis cum agricolarum manu egregiam operam navaverat, uti equites levis armaturæ centum, milites ducentos conficeret, cura data, & stipendium à Senatu missum. *Lancilloto* etiam *Soncinio* patri liberisque sex, *Patavinis* item civibus, qui in partibus reipublicæ constantissimè sem-

Venetorum ad Patavii propugnationem, & hostium ad oppugnationem, apparatus.

per fuerant, fundi aliquot eorum, qui à republica defecerant, dono permissi: tum *Saccardo* uni ex iis equitum cataphractorum centum, & eorum, qui sagittis uterentur, viginti, præfectura tradita. Et quoniam cum *Prospero Columna* confici nihil potuit, *Populæ* dominum, qui in *Brutiis* tunc erat, cum equitibus cataphractis trecentenis Senatus conduxit libris auri vicenis & trecentenis annuis: qui tamen postea, *Ferdinando* rege id ei non permittente, domi se continuit. Centuriones etiam & præfecti equitum, qui ad urbem se conferebant, ut stipendia reipublicæ facerent, perplures à Senatu sunt recepti, jussique ut se quamprimum cohortibus turmisque confirmarent, *Pataviumque* proficiscerentur. Inter hæc *Cividale Belunianum* ad rempublicam rediit.

Civitates quædam ad Rempublicam redeunt.

Id cum *Feltrini* cognovissent, & ipsi sponte idem fecerunt. quod quidem etiam in *Noricis* aliquot populi civitatesque imitatæ, se ad rempublicam pari studio retulerunt. At *Maurus* legatus, qui, ut *Citadellam* interciperet, eò cum copiis properaverat, reque frustrà dies aliquot tentata, quòd oppidum à magna *Hispanorum* militum manu defendebatur, *Taurisum* redierat, præsidio ad oppidum tuendum relicto; cum Imperatore & reliquo exercitu Senatus jussu se *Patavium* contulit. Magnæ enim manus hostium pluribus in locis ad eam urbem obsidendam comparabantur, *Maximilianumque* ipsum eò brevi venturum fama vulgaverat. Eas ob res pedites quatuor mille ex plebe urbana sunt conscripti, quos *Patavium* Patres mitterent.

Cives quidam suspecti detinentur.

Ex *Patavio* cives permulti, quorum fides atque animus suspectus erat Patribus, ad urbem nominatim evocati, jussique inde, quoad de bello decernatur, non recedere. Idem post dies aliquot de *Taurisanis* civibus nonnullis imperatum.

Hieronymusque Saornianus, qui jam antea Patrum missu ad *Helvetios* profectus, eos ad rempublicam juvandam propè armaverat, sed clade exercitus nuntiata, impetrare ab illis nihil postea potuit, quique tum ad urbem redierat, in *Carnos* patriamque suam à Senatu missus est, ut illis in finibus legatis reipublicæ præstò esset. ad quos etiam equitatum Patres miserant, quòd hostes eo quoque ab latere impetum facturi dicebantur. Atque ii paucis post diebus ad *Cividale Carnicum* oppugnandum sunt profecti, tribusque præliis frustrà oppidum aggressi, *Joannem Paulum Gradenicum* in *Forolíviensibus* legatum, qui eò venerat, ut ab obsidendo municipio illos averteret, vulnere illato repulerunt. *Tiberto* è *Purliliarum* principibus equitum levis armaturæ ducentorum præfecto, benemerito de republica homine, & *Camillo Malefacto Patavino* totidem militum Centurione cum plerisque viris fortibus interfectis, è vestigioque abierunt. nam dum ii ab oppido digressi in *Gradenicum* impetum faciunt, oppidani egressi hostium tormenta clavis ferreis confixerant, ut eis uti eo tempore non possent. quibus abeuntibus *Portunacenses* ad *Gradenicum* miserunt, seque reipublicæ reddiderunt.

Res gestæ in Carnis.

Ex *Benaci* autem ripa vallibusque homines quingenti sponte, ut reipublicæ opem ferrent, se *Patavium* intulerunt: quos *Grittus* legatus liberaliter appellatos, stipendioque dato *Taurisum*, cujus agrum hostes depopulabantur, earum regionum auxilio statim misit: quò etiam *Maurus* legatus cum equitibus mille ea de causa redierat. *Maximiliani* verò manus, pluribus ex finibus coactæ, fugatis in *Alpibus* reipublicæ copiis primò *Castellum novum*, deinde *Feltriam* recuperaverunt, prædaque ingenti facta atque abducta, oppidum incenderunt. Eo incendio turris portæ oppidi imminens concidit: qua in turri carmen solido in lapide legebatur, antiquitate mira præditum: is lapis igne absumptus haud parvo civitatis desiderio interiit. Carmen erat ejusmodi:

Feltria incendio vastatur.

A

> Feltria *perpetuo nivium damnata rigori*,
> *Fortè mihi posthac non adeunda, vale.*

Carmen antiquitatis.

Supra carmen *Julii Cæsaris* nomen erat inscriptum.

Cretensibus, ubi de *Gallorum* victoria deque defectione oppidorum est allatum, magno ex ea re mœrore affecti, domi se universi plures dies continuerunt: scriptisque ad illos à præfecto classis literis, uti vellent ad *Cyprum* insulam firmandam, nequis eam vicinorum regum aggredi audeat, tam afflictis reipublicæ rebus præstò esse, ex sese libras auri centum sexaginta ad triremes, gripos, reliquasque naves armandas, atque in *Cyprum* celeriter mittendas curaverunt.

Cretenses.

B

Inter has jactationes alternosque fluctus reipublicæ *Franciscus Mantuanorum* dux à *Maximiliani* ducibus stipendio *Veronæ* accepto, quod quidem illi à civitate nullo more perque vim exegerant, cum equitibus sexcentis octavo Iduum Sextilium sese *Mantuam* referebat. Ea de re *Grittus* legatus ab amicis reipublicæ antea certior factus, *Lucium Bononiensem* cum equitibus sexcentis, ex quibus erant *Epirotæ* ducenti, & *Citolum Perusinum* cum militibus octingentis, transverso itinere *Lemniacum* præmisit: qui eò ejusdem diei sole abeunte cùm venissent, missis qui vias custodirent, ne quis ad *Franciscum* nuntius afferretur; ante Solis ortum interius in fines *Veronensium* ad pagum, quo in pago erat dux, magnis itineribus contenderunt: impetuque facto illum seminudum, ut se repente expergefactus domo ejecerat, atque in milii segetem abdiderat, agricolarum indicio repertum, unà cum suo comitatu omni, interfectis iis, qui se defendere instituerunt, & equorum peregrinorum magno numero, & majore stipendii parte ad libras auri octoginta, argentique in mensam affabrè cælati gravi pondere: statimque cum præda captivisque reliquis *Patavium* adduxerunt, Præda inter omnes divisa: ipse *Venetias* perductus, atque in Comitii turricula custoditus, haud minimæ civitati lætitiæ ex inopinato fuit. Neque multò pòst *Hieronymo Pompeio Veronensi*, qui cum equitibus levioribus stipendia reipublicæ faciebat, quòd is à fratribus, qui *Veronæ* erant, de *Mantuanorum* ducis abitu cognoverat, legatoque indicaverat, equites gravis armaturæ à Senatu additi: agricolisque, qui illum latitantem reipublicæ militibus ostendissent, immunitas pensioque annua, quas posteri eorum sequerentur, dono datæ. ipsi veste liberaliter induti, aurique libra itineri domum inter eos divisa. Deinde cùm *Pompejus* ipse ad urbem venisset, uti ei fratribusque ejus quinque auri libræ, sex singulis annis curarentur, castellumque *Lasium*, cujus in finibus prædia eorum erant, dono eis daretur, *Decemviri* sanxerunt. *Marco* etiam *Ariminensi* Centurioni reipublicæ, *Lemniaci* qui erat, ad eamque rem conficiendam & studio & diligentia usus fuerat, duæ auri libræ pensionis nomine annis item singulis, quoad viveret, constitutæ: auctusque militum numerus ad alteros totidem. Latum etiam, ut ei Centurioni civi *Patavino*, cujus fratres legato oppidi portam aperuerant, ex eorum bonis, qui hostes reipublicæ fuissent, proventus annuus attribueretur, quo se liberaliter familiamque suam aleret. Idem munus ex *Taurisanorum* reipublicæ hostium bonis, domusque percommoda in oppido, atque immunitas onerum omnium,

C Franciscus Mantuanorum dux à Venetis capitur.

D

E Reipublicæ Venetorum in benemeritos pietas & liberalitas.

F

omnium, quam posteri ejus sequerentur, *Marco Pelliciario* civi *Taurisano*, cujus virtute ac fide civitas in officio erga rempublicam se continuerat, utque ipse in suæ civitatis Senatum extra ordinem legeretur, datum. Atque ad hæc Senatusconsulta illud quoque Patribus frequentissimis est additum: cujuscunque rebus atque fortunis damnum aliquod ab hostibus aut illatum jam sit, aut deinceps inferatur, rempublicam spondere ac polliceri, sese ei bello confecto æquis factis æstimationibus omne detrimentum sarcituram. Cujus rei edictum, publicè *Patavii* propositum, ubi est ab hominibus auditum, Senatusque in suos ea pietas & liberalitas cognita, tantus subitò cives plebemque omnem atque ipsum etiam exercitum benevolentiæ in rempublicam sensus atque lætitia tenuit, ut magna alacritas oppidi defendendi omnium sit animis innata, omnesque ad omnia pericula subeunda multò audentiores & paratiores fierent.

Maximiliani copiæ *Patavium* oppugnandum aggrediuntur.

Maximiliani copiæ, reliquis municipiis eo ab latere captis, ad vicum *Aggeris* profectæ, qui abest *Patavio* vicus duo millia passuum, à *Medoacoque* flumine intersecatur, pontem qui in vico est, occupaverunt, atque ex iis nonnulli equites usque ad oppidi portam cucurrerunt, repulsique sunt à reipublicæ militibus, qui in porta stationem habebant. Est ad *Medoacum* sex mille ab oppido passus, quà flumen dividitur, parsque fluminis altera recto cursu *Venetias* versus, altera pars *Patavium*, circum interque vecta ambæ ad *Stratam* vicum se conjungunt, atque in unum redeunt, arx antiquitus instituta, ne repentinis hostes incursionibus illam fluminis partem, quæ *Patavium* tendit, derivare in alteram possent: quod quidem non difficile factu est, nisi arx impediat, propterea quòd ea fluminis pars, quòd multò breviorem cursum habeat, trabibus in flumine infixis, ac mole lapidea inter trabes excitata retinetur, quoad per trium fermè cubitorum rimam perviam, quæ visa est, aquæ pars delabatur, reliqua sustineatur ad *Patavium* irrigandum: ea si moles non sit, omnis fluminis vis in breviorem alveum, qui demissior est, sese fundat, neque pars aquæ ulla *Patavium* perveniat. Is locus pagusque *Limen* appellatur. Ad arcem itaque *Liminis* capiendam omnis hostium exercitus, ad quem jam *Maximilianus* venerat, paucos se post dies contulit. Erant in arce milites CL. Ii, quòd arx satis communita non esset, dum quid agant consulunt, hostes intromissi eos propè omnes interfecerunt. Arce capta *Maximiliani* milites mercede proposita molem interscindere aggressi, cùm partem ejus dejecissent, flumenque pro ea portione averteretur, constaretque omnibus, si pergerent dejicere, totum flumen ea descensurum: *Maximilianus* operas ab incepto revocavit, imperavitque, ne quis molem ulterius dejiceret: neque tamen quisquam scire potuit, quam ob rem *Maximilianus* id jussisset, ita ea fluminis pars, quæ *Patavium* defluebat, nunquam postea defluere universa desiit. Cæterum cùm vidissent *Bachilionem* etiam flumen, quod in agro *Vicetino* ortum habet, quinque millia à *Patavio* passuum ad pagum, qui *Longare* appellatur, dividi, ejusque partem *Ateste*, partem *Patavium* deferri: uti hæc quoque pars *Ateste* deflueret, eam intercipere sunt conati, ne quà *Veneti* ejus fluminis aqua ad *Patavium* tuendum uti possent: sed ab equitibus reipublicæ sæpe vexati, sæpe commeatibus interceptis, sæpe captis non gregalibus modò ex ipsis magno numero, sed præfectis quoque, incepto destiterunt. Inter captos *Manfredus Facinus* fuit, qui spreto jurejurando, quod legato *Gritto* dederat, iterum cum hostibus se conjunxit: ei est ob perjurium *Patavii* laqueo gula fracta.

Arx Liminis.

Manfredus Facinus perjurus suspenditur.

Hostes post hæc, quòd erat eo ferè ab latere municipium *Monsilice*, quod abest *Patavio* decem millia passuum, monti præcelso adjacens, in cujus summo vertice est arx, quæ muro ab utraque parte ducto cum oppido conjungitur: cùm *Ateste*, quod nemo defendebat, antea cepissent, se *Monsilice* contulerunt, oppidumque magno impetu aggressi ceperunt singulari *Hispanorum* militum virtute, qui ad arcem per montis crepidines repserant, elusis reipublicæ qui in ea erant militibus præfectisque, arcem posse capi non verentibus; ii enim cùm ad priorem ejus partem, quam tormentis antea perforaverant, se ostendissent, per posterioris angulum, qui nudus à propugnatoribus relictus fuerat, pauci se in murum improvisi intulerunt, deque muro in arcem dejecerunt: ad quos reliqui convolantes perterritis omnibus magna cæde facta, arcem tenuerunt, oppidumque diripuerunt: *Danielemque Maurum*, & *Petrum Gradonicum*, quorum alter *Atestinis* prætor fuerat, captoque municipio fugiens *Monsilice* se intulerat, alter ibi magistratus erat, captivos fecerunt.

Municipium *Monsilice* à *Maximiliani* militibus occupatur.

Eo successu fretus *Beraldius Patavinus*, qui stipendia *Maximiliani* faciebat, *Montanianum* municipium cum militibus accedens, uti se dederent, oppidanos est hortatus. Ii velle se imperata facere simulantes, *Beraldium* cum iis, quos visum est, equitibus intromiserunt, portæque rete ferreo repentè demisso, ipsum vulneraverunt, captivumque cum plerisque fecerunt: reliquos interfecerunt.

Montanianum municipium.

Glassium quoque *Pium* in *Patavinis* montibus cum sua equitum turma & *Maximiliani* militibus iter facientem, agrestes homines congressi occiderunt. equites XX. & milites LX. captivi facti. *Nicolao* imperatori, quòd ejus stipendiorum cum republica renovandorum tempus appetebat, eadem est in annum potestas dilata, decemque auri libræ singulis mensibus in victum à Senatu constitutæ.

Maximilianus, qui tormenta gravi ære permulta ad muros *Patavinos* verberandos domo ad se comportari imperaverat, dum ea per *Alpes* magna difficultate convehuntur, modò ad hanc, modò ad illam suburbani agri partem exercitum circumtulit, ne frustrà tempus terere videretur: vel etiam, ut plerique crediderunt, ne cognoscere *Veneti* possent; quo ab latere ille quatere oppidum vellet, ut dum omnia latera omnesque muri partes munitionibus firmandas sibi esse intelligunt, pro oppidi magnitudine diligenter muniant. Ea res, quòd flumina omnibus regionibus agrum intersecant, pontesque sæpe erant reficiendi, magnam difficultatem atque moram afferebat: simul equites *Epirotæ*, quorum erat cùm magnus in oppido numerus, tum virtus atque industria singularis, improvisis incursionibus neque die neque nocte ullam hostibus quietem relinquebant, quotidieque cum præda, cumque captivis in oppidum revertebantur. Unum fuit magno usui, quòd plurima eo tempore ad *Maximilianum* auxilia convenerunt: nam & *Aloisius* rex duce homine impigro, qui *Palitiæ* principatum obtinebat: & *Julius* Pontifex Maximus & *Alfonsus Ferrariensium* dux magnos equitatus & peditatus ad illum miserunt. His præerant ab *Julio Ludovicus Picus*, qui bello *Mirandulam* fratris oppidum occupaverat: ab *Alfonso Hippolytus* ejus frater, qui erat in Cardinalium collegio, magna animi ostentatione vir, magna sui confidentia, bellicarum rerum non ignarus. Venerant eòdem præter hos omnes fere *Itali* aliarumque nationum principes suis expulsi regnis cum ea copia, quam cogere majorem potue-

Maximiliano auxiliares copiæ.

fuerunt: præfecti Centurionesque cum turmis cumque militibus sua etiam sponte plerique. Ex *Germania* verò *Galliaque Maximilianus* ingentes copias adduxerat cum ex omnibus propè regionibus, tum verò ex *Sequanis* optimum & plenissimum equitatum: ut universum ejus exercitum octogies millies hominum numerum supergressum opinio tenuerit. ad quem quidem *Veneti* sustinendum nihil non curæ diligentiæque jampridem adhibuerant: nam & sat magnam bonorum militum manum ad se confluentium, & equitatum utriusque armaturæ, quanto opus erat, *Patavium* intulerunt, eisque tribunos & præfectos fortissimos lectissimosque homines dederunt: & omnes ferè navalium urbanorum operas, quas antea oppido recuperando eorum magistratus *Patavium* subvexerat, iterum eò redire voluerunt, permanereque quoad oppidum defendi opus esset. Præter hos sagittariorum è plebe urbana, atque ab *Epiro Græciaque* plurimis cohortibus evocatis, dato stipendio idem uti facerent mandaverunt: ut essent milites omnes numero ad millia quatuordecim, equites cataphracti ad sexcentos, *Epirotæ* ad septingentos, qui sagittis uterentur ad quingentos. Ex nobilitate quoque primarii adolescentes permulti reipublicæ hortatu se in oppidum inferre non dubitaverunt cum suo armatorum comitatu singuli: ut plerique Senatorum & magistratuum liberi ea obsidione, quos oportuit, militiæ labores & ærumnas forti animo pertulerint. *Lauredanus* quidem dux princepsque civitatis duos ibi filios & ipse in armis habuit: quos perplures item ex nobilitate cives comitati, haud parvum clientum militumque numerum secum adduxerunt. Ad priores etiam legatos *Grittum Maurumque* tertium legatum *Joannem Paulum Gradonicum*, cui ex vulnere ad *Cividale Belunianum* in vitæ periculum adducto *Franciscus Capellus* legatus successerat, Patres addiderunt, qui labores & vigilias inter se partirentur. Postremò tormenta omnis generis, arma omnia, vectium, ligonum, reliquique ad terram fodiendam instrumenti vim ingentem, cumque iis frumenti magnum numerum, cæterosque abundè commeatus ad inopiam levandam *Patavium* importari curaverunt. quibus rebus omnibus accessit, ut quoniam agrestes homines, quòd essent reipublicæ amantissimi, passim ab hostibus diripiebantur, vulgoque in vinculis atque in omni supplicio detinebantur, ut plerique vitam cruciatibus amitterent, non parvus eorum numerus, ut tuti esse possent, se in oppidum intulerit, qui munitionibus instituendis magno reipublicæ usui ad celeritatem fuit. Illa quoque non postrema Patres cura cogitatioque tenuit, propterea quod existimabant ea bina flumina, quæ *Patavium* inferuntur, de quibus suprà dictum est, esse hostes primo quoque tempore aversuros: ne tanta hominum multitudo farina deficeretur, uti molæ frumentariæ, quas jumenta verterent, omnibus in oppidi regionibus & vicis ædificarentur: nam plurimæ, antiquitus in oppido quæ erant, aqua subtracta ulli esse usui non poterant. demum, quòd omni ab oppidi latere omnesque ad portas erant prooppida in agrum porrecta longo pleraque tractu ongisque viis, quorum partem *Patavini Venetique* cives animi causa magno sumptu exædificaverant, cum sacris ædibus ac fanis: ea prooppida, ne hosti receptacula munitionesque præberent, legati dirui mandaverant. Sed ea res parva erat ex parte confecta, cum *Maximilianus* singula oppidi latera quinis fluminum alveis transmissis circumvectus, urbis situ undique perspecto, uno in loco omnes suas copias continere, ut à captivis cognitum est, oppidumque aggredi collectis viribus statuerat. Quod ubi

Venetorum apparatus militaris, & exercitus.

A Patres intellexerunt, alios decem ex nobilitate cives *Patavium* miserunt, qui cum obæratis & clientibus suis fide præstantibus, ad omnia obeunda munera legatis præstò essent. Iis oppidum ingressis ratio inita est, qui numerus nobilium ad obsidionem sustinendam se *Patavium* intulerit: ii fuerunt centum septuaginta sex: quique item ex plebe optimorum civium: sed is exiguus fuit. Iidem Patres, quòd ægerrimè ferebant ab *Alfonsô Hippolytum* fratrem magna cum manu ad *Maximilianum* auxilio missum, omnemque ei commeatum ab illius finibus, omnes ad tormenta exercenda res *Ferraria* subministratas, triremes quinque à B *Tergestinis*, quos obsidebant, evocatas, atque è navalibus navigiola perplura educta atque adornata, fossam *Clodianam* progredi jusserunt, ut *Pado* subvecti in *Alfonsi* fines impetum facerent. Progressis, quoniam *Maximilianum* omnem suam copiam, omnes opes, *Patavium* ut caperet, brevi explicaturum constabat, Senatus ad earum præfectum *Hieronymum Contarenum* misit, ut *Patavium* legatis auxilio cum classiariis contenderet: atque is statim naviculas conscendens, flumenque *Medoacum*, ubi in mare influit, ingressus, eo festinanter superato, armatos homines quingentos, ex quibus erant sagittarii Cretenses plerique, ex sua classe in oppi- C dum intulit: Iisdem diebus *Petrus Pascalicus* à Senatu lectus est, qui ad regem *Pannoniæ* in fœdere, quo cum republica plures annos fuerat, continendum proficisceretur: valde enim illum & *Julius*, & *Aloisius*, uti suprà demonstravimus, & cum iis unà *Maximilianus* per internuntios, perque literas hortabantur, atque obtestabantur, ut bellum inferret reipublicæ.

In *Forojuliensibus* autem, & in *Carnis*, ab hostibus, qui *Goritia* reliquisque *Maximiliani* ex finibus earum regionum coacti reipublicæ ditionem invaserant, nihil est cessatum: pluraque oppida & castella, cùm incursionibus & vicorum incendiis, D tum castris & tormentis positis sunt ab iis tentata, nonnulla capta & diruta: molestique sæpe nuntii ad urbem in *Patavinum* bellum suspensam & occupatam, præfectorum & legatorum literis allati, graves tumultus & querelas excitaverunt.

Res in *Carnis* gestæ.

Quibus in rebus præclara *Hieronymi Saorniani* virtus fuit, qui suorum clientum & agrestium ac montanorum hominum manu omnes ferè hostium impressiones atque impetus audacissimè sustinuit, itaque postea pridie calendarum Octobrium, quo die antiqua consuetudine cives sexaginta majoribus comitiis creantur, qui annum in E Senatu sint, eum is honorem est adeptus, atque ita quidem adeptus, ut omnes cives principesque civitatis suffragiorum numero vicerit: quæ res antea nunquam acciderat, ut cujus majores domicilium extra urbem semper habuissent, ipse in urbem suis modò temporibus, ac per occasiones, ventitarit, in Senatum legeretur. Ut autem pluribus etiam suffragiis, quàm ullus alius, eam rem consequeretur, id verò magnopere mirum omnibus atque inauditum fuit: sed etiam comitiorum & civitatis in illum benevolentiam paulò pòst ea res etiam auxit, quòd is *Castellum Novum*, egregium in *Carnis* municipium, peropportu- F nè ab hostibus custoditum, magno animo aggressus, tormentis celeriter prolatis, muroque verberato, ad deditionem, nulla neque rerum neque salutis conditione interposita, compulit.

Hieronymi Saorniani res pro republica fideliter gestæ.

Erat *Fori Julii* æger *Franciscus Capellus* legatus, neque exercere se poterat: quod ubi Patres cognoverunt, *Aloisium Delphinum* ei legatum è vestigio submiserunt.

Aucta verò paulò pòst suspicione, *Patavio* ma-

Taurisum.

magnopere communito, *Maximilianum* suas copias ad *Taurisum* obsidendum velle convertere, Patres *Aloisium Mocenicum* magna cum potestate legatum eò miserunt, oppidumque rebus omnibus munire decreverunt. quod cùm esset difficilius, exhausta & pecunia & militibus & plebe ad bellum idonea civitate, magnam ea res perturbationem afferebat: quam tamen sublevabat, Patres certiores esse factos, aquam *Silis* fluminis, quòd non longè ab oppido multis fontibus largiter ex terra exit, posse munitionibus adeò sustineri, ut quingentos eoque amplius circa oppidum passus majori ex parte ager sub aqua redigatur, ne hostibus ad murum accedendi facultas sit: easque munitiones propè confectas esse.

Maximilianus autem, sive id nunquam in animum induxerit, sive desperarit posse ad exitum perduci, exercitus sui partem ad eam agri *Patavini* regionem, quæ ad *Fossam Clodiam* mareque pertingit, fertilissimam scilicet pecorisque plenissimam, quòd sua illò reliquarum regionum homines armenta contulerant, prædatum misit: qua ex re tanta agrestium multitudo cum conjugibus ac liberis, cumque ea, quam subitò abripere secum suppellectilem potuerunt, missis ad eos publicè naviculis, fuga se in urbem contulit, loca ut publica omnia porticusque ac fana & privatæ domus plurimæ ea turba complerentur. Iis Senatus reipublicæ pecunia commeatum dari jussit, quoad hostium discessu liberum illis reverti domum fuit.

Post hæc ad *Medoaci* munitionem, quà cymbæ ad urbem transmittuntur, omnesque ad illud vadorum urbanorum latus hostes plurimas incursiones multis & illatis & acceptis detrimentis cùm fecissent, castra quamproximè potuerunt ad muros *Patavinos* à Septentrionibus posuerunt, & tormentis oppidum quatere verberareque cœperunt, tametsi à militibus reipublicæ haud parva cum clade repulsi sæpe fuerint. *Maximilianus* ipse in templo *Carthusiano*, quod templum oppidani non diruerant, medio ferè castrorum spatio consedit. Erat ab ea regione portæ oppidi proxima turris terrea muro conjuncta, sed in agrum exporrecta, quantum ejus spatium in latitudinem patebat, pedes propè quatercentum, quam magna celeritate ac diligentia imperator legatique excitari mandaverant, ut esset toti ei lateri contra hostium exercitum munitio ad eorum impetus repellendos: ad eamque conficiendam non agrestes modò homines militesque reipublicæ operam navaverant, sed cives etiam ex nobilitate *Veneti*, atque ipsius *Lauredani* principis liberi suis terram manibus convexerant. Ei turri *Citolus Perusinus* cum militibus mille præpositus, *Gallos* atque *Germanos* ex hostium copiis aditum incursionesque tentantes, sæpe rejecerat. quod ægrè passus *Maximilianus*, *Hispanis* militibus ad se vocatis, magnis propositis præmiis eos incendit, ut aggredi capereque munitionem vellent. Erant autem milites ii ex omni numero virtutis opinione facilè principes: qui re magno animo suscepta, quinque signis ad munitionem se audacissimè contulerunt: reliquæ copiæ in armis non longè ab illis se continebant, ejus rei finem opperientes, si negotium ab *Hispanis* perficeretur, sese in oppidum confestim illaturæ. *Citolus* suos silentio adhibito intra munitionem versari jubet, resque ad ignem celeriter comprehendendum idoneas in vallo disposuit: atque in illos, qui scalis positis, nemine repellente, omnibus a partibus se in munitionem inferebant, ubi constitere, ignem succendit: à quo plurimi correpti sunt: reliquos acerrimè invadit, omnesque interficit, dejicitque: simul tormentis in proximos emissis, eos fugæ dat, ut se ad *Maximilianum*, magna clade accepta, retulerint. Etiam *Lactantius* egredi ausus usque ad hostium munitiones accessit, cædeque facta, & tormentis hostium confixis, pulvereque ad ea exercenda partim succenso, partim abducto, nullo ex suis desiderato, in oppidum rediit. Is eventus rerum certam propè spem inclusis attulit, nihil regem in ea obsidione profecturum.

Patavium à Maximiliano machinis oppugnatur.

Stratagema Citoli Perusini.

A

At legati, quòd stipe, quam darent exercitui, plures dies caruerant (nam propter hostium excursiones suspectaque omnibus à regionibus itinera nihil afferri poterat) missis tandem ad Senatum internuntiis, quo id pacto fieret, constituerunt, itaque Senatus aurum in stipendia ad *Medoaci* ostium, quod est ad *Fossam Clodiam* quinque millia passuum, in *Decemvirûm* naviculis misit: ibi equites *Epirotæ* ex oppido noctu emissi trecenti eam stipem acceperunt, atque inter se ita diviserunt, ut qui velocioribus equis uterentur, eorum quisque ejus pecuniæ partem ferret, ut si hostes in reditu eos adorirentur, reliqui prælium committerent, impetumque sustinerent, ii se fuga hostibus eriperent, atque in oppidum contendere perseverarent. *Epirotas* autem equites *Lucius Bononiensis* cum equitibus gravioris armaturæ ducentis, paucis est pòst horis subsequutus, ut cum illis revertentibus se conjungeret. atque ut hostes, si se adorirentur, eluderet, duos magnopere valentes mulos sacculis arenæ plenis ad speciem atque similitudinem pecuniæ dorso impositis medio in agmine secum duxit: qui quidem muli magno ei usui fuerunt: hostes enim per exploratos de ea equitum reipublicæ profectione certiores facti, medio ferè in itinere ingenti equitatu circumfuso ita se undique in nostros redeuntes intulerunt, ut iis, qui stipendium ferebant, facultas fugiendi non daretur, sed omnes peræquè sese defendere, manusque conserere cogerentur. Verumenimvero ubi illos in mulis sacculos hostes medio in prælio viderunt, eam illam esse prædam, quam petebant, rati, magna se pars ad eos capiendos convertit, ut reliquis minus negotii ad se defendendos relinqueretur. *Epirotæ* autem qui cum mulis erant, neque numos ferebant, ut hostes longissimè ab reliquis abducerent, quemadmodum *Lucius* initio constituerat, fugæ se sinistrorsum per campos unà cum illis raptim dederunt: quos quidem hostes plura passuum millia consequuti, tanta celeritate uti tamen non potuerunt, ut eos assequerentur, quoad emissus oppido ab legatis, id futurum opinantibus, equitatus recentissimus saluti atque præsidio illis fuit. *Lucius* ea de re atque consilio magnam ab legatis atque ab omnibus laudem, optimum sui laboris fructum, tulit.

Stratagema aliud.

B C D E

Milites deinde *Hispani* LX ex *Maximiliani* exercitu perfugæ in oppidum à legatis recepti sunt, stipendiumque eis datum. Diebus autem insequentibus non semel eam, de qua suprà dictum est, turrim *Maximiliani* milites omnium gentium aggressi, præterquàm quòd *Citolum* vulneraverunt, eundem reliquis in rebus eventum habuerunt, quem *Hispani* antè habuerant. Et murus oppidi eo ab latere diu multumque verberatus, tametsi longissimo spatio conciderat, tamen & hostibus ipsa ejusmodi ruina ascensum impediebat, & oppidani eodem tempore intra murum fossam & vallum efficiebant: quibus rebus muro ipso longè tutior ab iis defendendi sese ratio institutioque comparabatur. Uni tamen tormentorum generi adhiberi remedium non potuit, ne urbi noceret: quod quidem erat ejusmodi, ut pilam lapideam sesquipedis crassitudine

F

Tormenti genus maximè nocens.

ne in sublime ad fastigii speciem magno cœli tractu propelleret: ea intra oppidum pila ex alto cadens domorum tecta contignationesque perforabat, latéque vastabat, cum eorum, qui suberant, interitu, ruinamque inopinantibus afferebat. Sæpius tamen accidit, ut in vias atque in fora & aperta ædium eæ pilæ, quàm in tecta cœtusque hominum deciderent. Quas ad res omnes *Maximilianus* illud etiam addidit, ut literas sagittis alligatas intra oppidum mitteret, quibus literis oppidanos hortabatur, ut à republica deficerent, plurima eis atque ingentia pollicitus, si ita fecissent: sed cùm ea quoque re nihil proficeret, singulis autem diebus plurimi ex ejus exercitu vel tormentis interficerentur, vel ab *Epirotis* equitibus caperentur, commeatusque interciperentur: timeret etiam propterea quòd perpetua serenitate usus fuerat, si pluviæ, ut plerumque accidit, cùm perdiu cœlum siccum fuit, magnis tempestatibus deciderent, fore ut relinquere tormenta *Patavio* decedens cogeretur, quæ reportari impeditis itineribus non possent (ita fiunt brevi tempore imbribus cadentibus lutosæ omnes circa oppidum viæ) ad diem sextum Nonarum Octobrium sublatis castris *Medoacum* ad vicum *Aggeris* trajecit, pontemque rescidit: deinde itinere lentissimo *Vicetiam* se contulit, atque à civitate honorificentissimè receptus, manere tamen in oppido noluit. At *Alfonsi* copiæ cùm domum versus cum impedimentis iter facerent, equites levissimi *Patavio* emissi impressione in eos ad castellum *Bovolentiam*, quod abest *Patavio* passuum millia duodecim, cædeque facta, milites ex iis centum, equites sexaginta, centurionemque ipsum, qui castellum custodiebat, & præfectum equitum captivos fecerunt. *Alfonsi* frater vix ægréque fuga se hostibus eripuit. castelloque capto, magno frumenti numero, magno multarum rerum commeatu, tormentisque triginta cum jumentis curribusque sunt potiti: iisque *Patavium* adductis, frumentum omne, ut esset agrestibus hominibus inopiæ levamen, ibidem dereliquerunt. *Joannes Græcus* ab *Julio* dimissus, vulnere levissimo accepto, eam rem confecerat. *Hippolytus Montanianum*, ut eo in loco reliquum eventum rerum opperiretur, se contulit.

Literæ sagittis alligatæ.

Maximiliani à Patavii oppugnatione discessus.

Patavini hostium prædâ potiuntur.

Discessu in urbe *Maximiliani* cognito, ob agrestium in rempublicam fidem Senatus jussit, ut annum totum nemo ex iis qui deberet, à creditoribus ad solvendum cogi posset: agrestesque in urbe qui erant, triduo reverti domum jussi. Hostibus progressis, animadversum est eos sub terra tabernacula habuisse, ut tormentorum ex oppido verberationes evitarent: cuniculosque perplures, ut occultè muro appropinquarent, effecisse. Tellus ipsa odore tetro infecta, sanguinem necemque redolens, cadaveraque omnibus in locis jacentia horridum spectaculum habitumque toto ab eo oppidi latere ac regione multos dies præbuerunt.

Senatus ubi cognovit templum *Carthusianum*, cujus diruendi facultatem legati non habuerant, magno usui *Maximiliano* fuisse, firmæque ei munitionis & castelli instar præbuisse, arborumque magnam vim sæpe hostes reipublicæ militibus occultavisse, sæpe à tormentorum ictibus defendisse, legem scivit, ut à portis mœnibusque mille & quingentos circa *Patavium* passus quoquoversus ædificia omnia eorum domini solo æquarent, arboresque cujusque generis succiderent, lateres, tegulas, marmora, ferramenta, materiam aridam viridemque, quò vellent, asportarent: qui id intra dies præstitutos non fecisset, illius ejusmodi fisco omnia cessura: maximè enim voluit, ea ut planities spatiumque ab omni re, quæ umbram faceret, essetque solida ac resistens, nudum vacuumque permaneret, ne *Patavium* ullo cum hostium commodo, aut præsidio amplius obsideri posset: eaque postea lex ad hoc usque tempus sancta inviolataque semper fuit.

Lex de ædificiis & arboribus circa *Patavium* removendis.

A

Eodem tempore, quòd hostes in *Liburnis* reipublicæ fines longè latéque vastabant, *Raspumque* municipium ceperant, rogatio est in Senatu lata, ut *Aloisius Delphinus*, in *Forojuliensibus* legatus, cum *Epirotis* equitibus & manu reliqua eò celeriter contenderet. Interim *Angelus Trivisanus* ab *Illyrico* ad *Istros* classem triremium quindecim, cui præerat, à Senatu jussus contulit: *Flumenque* municipium, quod superiore anno captum respublica *Maximiliano* restituerat, audacissimè aggressus, interfectis repulsisque propugnatoribus, & scalis ad murum positis, paucarum horarum spatio cœpit. milites remigesque illati cæde facta oppidum diripuerunt: qua in direptione cùm vidissent reipublicæ insignia, quæ in foro posita fuerant, fœdè diruta deletaque ab oppidanis fuisse, indignatione perciti oppidum incenderunt. Idem de arce, cujus præfectus eodem se die dedidit, animorum ad ulciscendum ardore nequedum sedato, fecerunt.

Res gestæ in *Liburnis*, *Illyrico*, *Istris*, *Carnis* & *Forojuliensibus*.

B

C

Iisdem diebus cum ad urbem *Hieronymus Saornianus* venisset, in Senatu cum reliquis, qui eo munere fungebantur, affuit: nam (ut suprà diximus) senator suffragiis declaratus fuerat. Accidit autem, ut eo ipso tempore eum magistratum à Senatu creari necesse esset, qui magistratus rationes tabulasque militares conficit, quibus in tabulis nomina eorum, qui stipendia reipublicæ faciunt, continentur, exercitibusque conscribendis, aut omnino recensendis, probat, rejicitque quos vult: quem Collateralem appellant *Veneti*: creaturque perpetuus: quas ob res magna est is apud exercitum autoritate, magnoque apud rempublicam in honore, & nomine. Eum magistratum cùm legere Patres vellent, omnia fere Senatorum suffragia *Saornianum* renuntiaverunt, hominis honori dignitatique faventium: qui Senatui parens, ad exercitum munere obeundo *Patavium* est profectus. At in *Tergestinorum* finibus noctu manus hostium, quæ prædatum oppido exierat, interfecta est à reipublicæ militibus, & capta: pauci silvarum & noctis auxilio se occultaverunt, cladisque nuntium oppidanis attulerunt.

Collateralis magistratus perpetuus.

D

E

Cognita interim cùm *Maximiliani* mora medio inter *Vicetiam Veronamque* itinere, tum *Hippolyti* ad *Montanianum* oppidum cum suis copiis sessione, legati *Lemniaco* veriti, quod inter utrosque ferè erat, milites quos oportuit eò miserunt, oppidumque munierunt. Id *Hippolytus* intelligens linguam non continuit, questusque est, gravi addito ad querelam maledicto, ejus rei, quam se brevi posse consequi confidebat, eventum sibi è manibus ereptum fuisse. ea hominis in rempublicam maledicentia Senatus cognita, *Alfonsique* studium obsidendo *Patavio* adhibitum repetens, ad illam cogitationem rediit, ut utriusque plena odii facta atque consilia quamprimum vindicanda omnibus sibi esse modis statueret: itaque literæ secretò ad *Angelum* præfectum classis datæ, *Fossam Clodiam* classem celeriter adduceret: atque uti navigia minora *Pado* flumine subvehenda in navalibus confestim ædificarentur, præfectis eorum imperatum, ad simulationem *Tergestinis* obsidendis: utque is sermo in vulgus efferretur, ne cognito reipublicæ consilio suos fines *Alfonsus* præmuniret, Patres curaverunt. tametsi *Angelus* propterea quòd ad *Raspum* recuperandum *Delphinus* legatus & *Franciscus Pascalicus*

F

licus equitum *Epirotarum* præfectus cum suorum manu & classiariis eo se tempore conferebant, quod quidem paulò pòst primo impetu ceperunt, tardior ad eam rem fuit.

Maximiliani discessus.

Maximilianus missis ad *Gasparem Severinatem*, quem *Vicetiæ* oppidi præsidio reliquerat, militibus *Germanis* tribus millibus, *Veronam* adiit, pauloque post cum paucis equitibus se *Tridentum* contulit: ad quem uxor ejus eòdem venerat. De ea re Senatus per exploratores certior factus, simul reipublicæ amicorum literis admonitus, *Vicetinos* ob *Maximiliani* præfectorum quotidianas direptiones, quas quidem propterea, quod nulla eis ab rege stipendia persolvebantur, in oppidanos exercebant, ita esse animatos, ut si ad eos exercitus reipublicæ mittatur, fore ut eum in oppidum recipiant: pluribus biduo dictis sententiis, uti legati ad *Vicetiam* recuperandam omni cum exercitu proficiscerentur, tandem censuit. quodque ad eas res quæ parabantur, magno auri pondere respublica indigebat, legem scivit, quam postea majora comitia probaverunt, uti magistratus omnes sine ulla stipe reique publicæ impensa sex à Calendis Novembris menses obirentur: nam tributa quidem exigi amplius propè non poterant, excussa prorsus jam tot in ærarium collationibus, tot privatim dispendiis civitate: constabat enim subductis rationibus undecies millies in id bellum auri libras rempublicam insumpsisse: multumque per sese civium plurimos, obsidione *Patavina* sustinenda, multum suorum fructuum direptionibus, & propinquorum, quos captivos hostes fecerant, redemptionibus amisisse. Imperator legatique Senatus voluntate intellecta, recenso exercitu, qui erat præter equites, militum octo millium, *Citolo*, qui ex vulnere nondum convaluerat, & *Lucio* & *Joanne Græco* oppidi præsidio relictis, *Patavio* exierunt, atque ad *Camisanum* vicum in *Vicetinis* finibus castra posuerunt: cum quibus *Tauriso* profectus *Petrus Marcellus* legatus, milites mille, equites *Epirotas* tum quinquaginta, copiasque alias conjunxerat. postero die omnes ad eam oppidi portam, qua *Patavium* aditur, se ostenderunt: & quòd murus eo ab latere vetustate dirutus propè intermittebat, fossæ aqua, quæ pluviis creverat, magna difficultate superata, paucis *Germanis* defendentibus, *Naldius* cum suis militibus se in prooppidum injecit: *Gasparemque Severinatem*, qui ut *Venetos* repelleret, cum turma equitum eò properaverat, prælio commisso, disjectis primo impetu quamplurimis militibus, interfectis perpaucis, tandem in oppidum repulit: *Naldiique* peregregia ea in re virtus fuit. alio ab latere *Lactantius* muro tormentis perforato, atque immissis per foramina militibus, magnum timorem *Germanis* propugnantibus injecerat: quæ quidem prælia nox diremit: & nisi diem totum ingentes pluviæ vias omnes fœdavissent, fossas oppleviffent, difficilioremque militibus pugnandi rationem, & murum verberandi tormentariis effecissent, urbs eo die capi facilè potuisset. *Naldius* tamen & *Lactantius* cum suis cohortibus, ab iis ubi pugnaverant locis, ea nocte non discesserunt, portasque oppidi atque fossas obsederunt. Erat unus intus civis *Guidus* nomine, qui, dum ea sic agerentur, magno reipublicæ amore incensus, tribus cum liberis aliquotque amicis suis prooppidi portam, quæ *Berga* appellatur, cepit: missoque ad *Venetos*, qui rem significaret, polliceretur que eis se portam illam traditurum, armatus ut eos exciperet expectabat. Legati equites *Epirotas* quinquaginta eò miserunt, qui rem cognoscerent, ad seque reverterentur. *Guidus* è summa turri visis equitibus,

Veneti Vicetiam recuperare satagunt.

A magna voce appellare eos cœpit, valvasque aperuit: illi se intromiserunt, paulumque progressi milites, *Germanos* offenderunt, qui facto in eos impetu, extra oppidum, quà venerant, universos repulerunt: portaque capta, cum *Guidus* reliquique de superiore loco se defenderent, neque *Germani* expugnare illos possent, dato ab eis jurejurando nihil sibi nocituros *Germanos*, sese eis dediderunt, statimque omnes ad unum contra fidei religionem partim ab illis interfecti sunt; partim se è turri præcipitaverunt, atque ita interierunt. Ea nocte à *Germanis* concilio civitatis coacto, cùm illi nihil præsidii ab animi fortitu-

B dine peterent, timore autem propè omnia trepidationeque administrarentur, eorum voluntate legati tres è civitate ad imperatorem & legatos missi, oppidum se reipublicæ tradituros pacti sunt, ea conditione interposita, ut quibus antea legibus sub reipublicæ imperio *Vicetini* fuissent, eisdem etiam deinceps uterentur: *Maximilianique* militibus nullum ab exercitu detrimentum inferretur, liberumque illis esset suis cum rebus proficisci. His firmatis conditionibus *Hieronymus Saornianus* præfectique aliquot cum parte exercitus temperatiore manè in oppidum recepti sunt: reliquus exercitus est ingredi prohibitus, ne ur-

Vicetia à Venetis recipitur.

C bem nobilem opulentamque diriperet.

Hostes eodem die *Germani* milites quatuor mille quadringenti, optimè armis instructi, ipsi & ætate & corporibus spectari maximè & timeri digni, & nisi animus eorum ducibus defuisset, ad eam urbem tuendam præclarè idonei: equitesque LX. cum tormentis & impedimentis, & magno fœminarum & calonum numero abierunt, *Gasparque Severinas* cum equitibus paucis: atque ii cum *Veronam* petere vellent, *Bassianum* iter facere sunt jussi. Postremi equites *Juliani* CXX. qui unà cum reliquis imperata *Maximiliani* faciebant, oppido egressi *Ferrariam* profe-

D cti sunt. quibus emissis omnibus, imperator & legati se in oppidum intulerunt: quos civitas incredibili lætitia excepit, ut propè ab interitu erepti esse omnes viderentur.

Senatus iis de rebus certior factus, cum legati ad eum scripsissent, imperatori esse in animo ad *Montanianum* reliquaque eo ab latere municipia, quæ ab hostibus tenebantur, exercitum ducere: eo consilio improbato, literas ad eos dedit, victoriæ ipsorum ad magnas res conficiendas cursum levioribus iis occupationibus non esse interpellandum: nec fortunæ reipublicæ afflanti, & præstò ei esse properanti, moram afferri oporte-

E re: itaque ad *Veronam* recipiendam statim contenderent: fore enim, si eò celeriter se conferrent, ut hostes imparati offendantur, civitasque & amico per se in rempublicam animo, & hostium durissimis imperiis lacessita, oppido non communito, primo aggressu sese dedat, ut *Vicetina* fecerit. Atque ut exemplo ejus reliquæ civitates optimam de republica spem caperent, *Vicetiæ* atque agri ejus finiumque incolis quinque annos omnium rerum atque onerum levatio est permissa: utque ii, qui debent, annum ad solvendum cogi nequeant, ei legi additum. *Aloisio* etiam *Porto*, è *Vicetina* nobilitate fortis ac præ-

Consilium de Verona recuperanda.

F stantis animi adolescenti, ob ejus in rempublicam studium, ad equos levis armaturæ, quos ei Senatus antea dederat, alteri totidem sunt ab eodem Senatu additi. etiam ut legati edictum proponerent: si cives, qui in hostium partibus fuissent, intra dies XV. *Vicetiam* redierint, veniam illis à Senatu datum iri, præter paucos, quorum nomina recitata sunt, Patres sanxerunt: *Christophoroque Mauro* legato, ne *Vicetia*, reliquis tribus ne ab exercitu discederent, mandaverunt.

Inte-

Angeli præfecti consilium de Pisauro & Ancona recipiendis.

Interim *Angelus* præfectus classis, qui *Fossam Clodiam* triremes duodecim adduxerat, tribus in *Istria* relictis, Senatus permissu ad urbem venit, Patresque monuit, *Pado* flumine classem subvehi sine magno periculo non posse, munitionibus in ripa, ut ferebatur, ab *Alfonso* institutis, aqua propter siccitates exigua, nullo exercitu, qui à terra classi præsidio sit: præstare autem, eas omnes, quas haberent, copias *Veronam* magna cum rei bene gerendæ spe ac tutò mitti, quàm incerto eventu earum ullam partem in *Ferrariæ* finibus periclitari: esse *Pisaurum*, esse *Anconam*, quæ ipse oppida si Senatus velit, posse capere non diffidat: habere enim se ab eorum nonnullis civibus internuntios, qui totum munus civitates concitandi, reique publicæ se dedendi sibi deposcant, modò ipse classem reipublicæ ad illa oppida ex inopinato afferat. esse *Fanum*, *Senogalliamque*, quas diripere atque incendere nullum negotium sit, quòd si à *Romanæ* reipublicæ municipiis abstinendum sibi esse Patres statuant, posse se in *Apuliam* paucis horis ex *Illyrico* trajicere, ibi materiam sibi non defore, neque etiam fortunam Diis volentibus defuturam, reipublicæ injurias à *Ferdinando* rege illatas ulciscendi.

Bellum à Venetis in Alfonsum Atestinum decernitur.

Hoc sermone apud *Decemvirûm* magistros habito, *Angelus* ad classem rediit. *Decemviri* paulò pòst reliquis repudiatis rebus, classis in *Alfonsi* fines profectionem deferri è republica esse, legem jusserunt. Alia deinde lex ab eisdem *Decemviris* jussa, ut eorum *Taurisanorum* & *Patavinorum* & *Vicetinorum* civium, qui hostes reipublicæ fuissent, bonorum possessiones reipublicæ nomine caperentur: Duumvirique ad eam rem *Joannes Cornelius*, *Antonius Condulmerius*, qui ambo ex Quinqueviris Senatu regendo erant, lecti, quibus binæ centesimæ ex iis, quæ fisco addixissent, cederent. Classis itineri mora à *Decemviris* adhibita senatoribus sermonem dedit, querentibus, tot *Alfonsi* contra rempublicam plena odii scelerumque facta non vindicaturi: frustrà triremes classemque ex *Istris* evocatam, frustrà classem alteram biremium & parvorum navigiorum ad *Padum Athesimque* flumina facilius enaviganda jam esse comparatam: tantum pecuniæ temerè impensum, si *Decemviri* profectionem impediant. quibus illi vocibus permoti rem Senatui permiserunt. Senatus pluribus dictis sententiis literas ad magistratus *Patavinos* dedit, *Fossam Clodiam* ad præfectum classis milites quingentos statim mitterent. *Angeloque* mandavit, ut iis in naves receptis militibus ostio *Carbonaria Padum* ingrederetur, prædas abigeret, regiones quas posset ab utraque ripa popularetur. posteroque die in foro edictum publicè propositum, qui vellent ad diripiendos *Ferrarienses* suis privatim navibus cymbisque proficisci, per rempublicam licere, dum præfecto classis dicto audientes sint: quam quisque prædam faceret, suam fore. Ea re magnus plebis numerus suis in navigiolis se ad classem contulit.

Edictum de Ferrariensibus diripiendis.

Venetorum ad Veronam occupandam exercitus mittitur, sed frustra.

Dum hæc administrantur, imperator legatique *Veronam* cum exercitu vadentes, *Suavium* municipium in plano ad primam *Alpium* declivitatem ita positum, ut arx in jugo sit, præmisso equitatu & *Gradenico* legato receperunt, interfectis hostium militibus non paucis, qui à *Maximiliani* præfectis *Verona*, ut in arcem se inferrent, mittebantur: cumque *Veronæ* appropinquarent, equitatum præmiserunt, ut ad portas se ostenderet, si quis in oppido tumultus per amicos reipublicæ fieret. Iis ad portas perequitantibus, nemine se commovente, equites *Sequani* centum egressi, prælio levissimo commisso, se in oppidum receperunt: ex quibus captus

A unus legatis renuntiavit, esse in oppido militum tria millia, atque ex iis *Hispanos* plurimos, equitum alteros totidem, ex quibus erant *Galli* quingenti, quos amissa *Vicetia* præfecti regii *Brixia* evocaverant. Quibus rebus cognitis, imperator veritus, ne si ejus copiæ oppido circumfunderentur, aliquod incommodum acciperet, imperatoris consilium ab *Gritto* & *Marcello* legatis, atque ab *Lucio*, qui ad eos *Patavio* venerat, probabatur: tametsi *Gradenicus* legatus & *Naldius* audendum & conandum esse dicerent, oppidumque obsideri, & muros verberari oportere contenderent. Inter quos cùm minus convenire B potuisset, scriptis ab legatis ad Senatum de ea controversia literis, quid ab eo juberentur, expectare constituerunt. Senatus legatis respondit, imperatori se totam rem permittere: confidere sese, quòd è republica sit, illum facturum. Atque interim, quoniam ab *Lemniaco* milites equitesque reipublicæ cum agrestium manu ab ea regione, quæ trans *Athesim* est, ad *Veronæ* muros jussu imperatoris se conferebant, ipse quoque suo ab latere partem exercitus ad oppidum misit, ut hostes duobus à lateribus peti se intelligerent, civitasque ea re magis magisque permoveretur. acciditque ut utrique sæpius cum hostibus con- C gressi, non paucos ex iis caperent, plures etiam interficerent: præliisque secundissimis se reciperent: neque tamen is, qui futurus putabatur, oppidanorum motus fuit: neque civitas parte ab ulla deditionis vocem aut indicium protulit. Eas ob res relicto ad *Suavium* præsidio, *Epirotis* adjectis equitibus, qui quotidie ad *Veronæ* portas currerent, & pabuli, cujus magnopere hostes indigebant, copiam eis fieri prohiberent, imperator ad *Montanianum* recipiendum cum reliquo exercitu profectus, qui oppidum reipublicæ nomine peterent, manè adveniens præmisit. Præfectus *Alfonsi* tueri se illud velle cùm respondis- D set, tormentis statim positis muri partem *Veneti* celeriter dejecerunt: qua re oppidani permoti deditionem facere volentes, modò ipsi milites que suis cum rebus tuti ab exercitu essent, recepti non sunt: itaque postridie direptionem atque interitum veriti, sese nulla conditione interposita dediderunt. Erant in oppido *Alfonsi* milites equitesque septingenti, qui omnes armis, & equis exuti sunt. *Augustinus Villa* præfectus in custodia habitus, ut cum eo *Federici Vendramini*, qui propinquus legato *Gritto* erat, atque in municipio eorum finium *Abatia*, cui præerat, paulò antea captus *Ferrariæ* custodiebatur, per- E mutatio fieret.

Montanianum.

Oppida quædam à Venetis recipiuntur.

Postero die *Atestini* ad rempublicam redierunt. quos *Rhodigienses* cum plerisque earum regionum municipiis imitati, idem fecerunt. *Monsilice* dein, missis eò *Patavinis* è vicinitatibus agrestium hominum aliquot millibus, qui parvo equitum militumque interjecto numero magni exercitus speciem præbuerunt, atque oppidanis, qui illos in acie adeuntes de superiore loco prospectabant, ea re perterritis, se reipublicæ dedidit. In *Alpium* quoque jugis *Marosticani*, finitimique his in plano positi *Bassianenses Germanis* F ejectis militibus tum maximè campestres *Citadellani*, missis ad præfectos *Patavinos* internuntiis, rei se publicæ lubentissimi dediderunt. Eorum finium pagis octo, propterea quòd præstanti studio in rempublicam fuissent, eadem munerum levatio, quam Senatus *Vicetinis* dederat, atque securitas tradita. Laxior etiam custodiæ conditio *Leonardo Trissino*, *Brunoro*, *Saregio*, reliquisque *Maximiliani* præfectis, in urbe captivi qui erant, ob regias literas ad Senatum scriptas, est à *Decemviris* permissa.

Oppida ad rempublicam Venetam redeunt.

An-

Classis Padi fluminis ripas igne & ferro populatur.

Angelus interim classis præfectus, subvectis *Pado* navibus, utramque fluminus ripam proximaque ripis loca populabatur. prædæ undique abigebantur: quæ asportari minus poterant, corrumpebantur. ædificia villæque, quarum magna erat & peregregia illis in finibus copia, quoquo versus incendebantur. quod ubi Senatui est allatum, literas ad *Angelum* dedit, ædificia incendi non oportere: quas vellet, atque unde vellet, prædas ageret: à villis atque tectis comburendis abstineret. Ingens autem vastitas jam illata, eas literas inutiliores reddidit.

Cives in rempublicam infidi puniuntur.

In Urbe *Patavinis* civibus, qui erant in custodia, quatuor, *Alberto Trapolino*, *Bertucio Bagarotio*, *Jacobo Leoni*, *Ludovico Comiti*, propterea quòd in sexdecemvirûm collegium à sua civitate adlecti, nullo unquam lacessiti maleficio, nulla injuria pellecti, hostiliter se in rempublicam gessérant, Calendis est Decembribus in foro *Decemvirûm* lege laqueo gula fracta, & bona fisco addicta. quæ quidem res, quòd ferè semper in Urbium & regnorum conversionibus fieri consuevit, ut plerique in novorum dominorum gratiam se prioribus dominis adversarios præbeant, à multis habita est aliquanto acerbior, & ab hujusmodi temporibus aliena: namque multi ejus supplicii exemplo fortasse perterriti, ad reipublicæ nomen, atque ad deditionem effecti sunt duriores. *Joannes Franciscus Mussatius* item *Patavinus* eadem lege *Decemvirûm* condemnatus est, ut in *Creta* insula quoad viveret, exularet: qui tamen quadriennio pòst ab exilio revocatus est, patriæque redditus.

Classis Veneta ab Alphonso fracta.

Angelus cùm ad eum vicum, qui abest *Ferraria* quinque millia passuum, ad quem naves, quæ à vadis *Venetis* veniunt, appelluntur, superato flumine classem adduxisset, hostes magna cùm manu obviam progressi duas ab aggeribus triremes, quarum erat una, qua ipse vehebatur, tormentis perforaverunt, remigesque aliquot interfecerunt: qua necessitate adductus præfectus, quòd hostibus noceri propè non poterat (nam ripæ agger ad fluminis incrementa antiquitus institutus eos tuebatur, ne vulnerari è navibus sagittarum aut fistularum & tormentorum jactu possent) ad vicum *Polesellam*, in ea *Padi* ripa situm, quæ *Rodigium* spectat, rediens, munitionem in altera fluminis ripa celeriter excitavit, qua hostes, si adventarent, repellerentur, neu classi nocerent. Vix effecta munitione, hostes, ut eam caperent, se non semel circumfuderunt. Postremò eam firmioribus copiis adorti, cùm propè in aggere munitionis versarentur, *Hercules Cantelmius*, *Sigismundi Neapolitani*, claro loco nati, filius, magnæ spei adolescens, cùm se audacissimè in propugnantes incitavisset, equi lapsu humi fusus à remigibus interfectus est. cujus in loculis amicæ manu scriptæ sunt repertæ literæ, quibus illa multis precibus ab adolescente petebat, ne cum *Venetis* prælio contenderet.

Hercules Cantelmius ab amica præmonitus perit.

Eoque die *Gradenicus* legatus ab exercitu cum equitibus & militibus octingentis, Senatus jussu classi auxilio ad alteram fluminis se ripam contulit.

Cividale arx à Venetis expugnatur, fortuna mirè favente.

Cividale interim *Carnicum* in *Alpibus*, *Feltriæque* arx, dein *Scala* municipium natura & artificio communitum, itineri, quo *Germania* magnopere aditur, adjacens, à reipublicæ copiis est capta. Erant in ejus arce milites *Germani* octoginta (neque enim ferè plures capere locus exiguus poterat) qui se fortissimè defendebant: in quos cùm à reipublicæ militibus tormenta exercerentur, pilæ, quas emitterent, ipsos defecerunt: eamque ob rem differri oppugnationem

A necessitas cogebat: atque unus ex agrestibus, qui aderant, desiderari pilas sentiens, ad præfectos accurrens, ego vobis, inquit, opportunè pilas dabo: ad proximumque ei loco tumulum eos duxit, quo à tumulo pilæ ferreæ triginta tegebantur, quas hostes abscondiderant. Haud facile dictu est, quantum in bello fortuna possit. nam ut casus tulit, ut is agrestis, qui sciret eas ibi pilas esse, illo temporis puncto eodem venerit, quæque dicerentur, audierit: ita casu magno factum est, ut pilæ hostium tormentis reipublicæ ita convenirent, ut ad id confectæ viderentur: infartæque iis & ejaculatæ per-

Fortunæ vis.

B fecerint, ut arx eo die caperetur cum *Germanorum* omnium interitu, præter eorum præfectum, qui ad urbem vivus est perductus: quam quidem paulò pòst Senatus arcem magnis munitionibus tutiorem reddidit.

Atque est eodem in itinere ter mille passus ante *Scalam* mons saxeus præcelsus maximéque directus, ad perpendiculum viæ imminens, in cujus superiore parte ipso in saxo specus cum perennis aquæ fonte natura factum homines concinnaverunt, arcemque parvam ex eo effecerunt. Ea omnino arx adiri pedibus non potest: fune autem demissi cum lignea sedecula, singuli

C homines rota desuper vertente attolluntur: ac quicquid aliarum rerum inferendum est, eodem uno sublevatur, atque in arcem importatur modo. Ei arci inter montem flumenque, quod arctam atque angustam vallem dirimit, subest ea, de qua dixi, perexigua sanè via, qua commeare iis, qui in arce sunt, invitis licet nulli, propterea quòd saxis modò ab ea devolutis quoslibet obrui atque interfici nullum negotium est. Ea quoque arx, quam *Covolum* appellant, eorum deditione qui illam custodiebant, ad rempublicam rediit.

Covolum arx natura munitissima ad rempublicam Venetam redit.

In *Istris* etiam præda celebris ab *Epirotis* est equitibus & cædes hostium facta. *Germanis* au-

Germanis liber aditus conceditur à republica.

D tem, qui urbem incolebant, à Senatu petentibus, ut quoniam *Maximilianus* permiserat, ut qui vellent ex ejus ditione urbem adire mercaturæ causa, eis liceret, Patres item concederent, eos tutò venire posse, fides est ei reipublicæ interposita, itineraque, quæ toto bello clausa fuerant, patefieri cœpta sunt cupidissimis omnibus.

Marcus Antonius Contarenus cognomine *Camalis*, quem Senatus parvis navigiolis præfecerat, Patrum jussu ab *Angeli* classe profectus, *Cymaclium* inter duo *Padi* ostia *Vatrenum* & *Caprariam*, oppidum magnopere piscatorium, diripuit, ædificiaque plurima incendit: quæ *Alfon-*

Cymaclium oppidum direptum.

E *so* non parva clades fuit, quòd ex ejus oppidi septis calamo reticulato vadis, triginta millia in circuitu passuum eo ipso ferè tempore ingens vis piscium biduo triduove maximè pluvio capta, & sale injecto reposita, magnis redimi pretiis portoriisque consuevit.

Angelus cùm navibus triremibus, ad latitudinem fluminis dispositis, pontem injecisset, quo *Gradenici* equites transportarentur ad incursiones exercendas, hostesque qui munitionem copiis omnibus aggressi sæpe fuerant, sustinendos: postea, ne triremes impedirentur, quo minus ad gerendum bellum præstò essent, eundem mino-

F ribus in navibus pontem imposuit, trajectoque levissimo equitatu, omnem illam oram fuga terroreque implevit, quoad hostes missis ab *Julio Ferrariam* equitibus *Ludovico Pio* præfecto, quem *Verona* evocaverat, atque ab *Aloisii* regis ministris, *Brixia* item equitibus & militibus quamplurimis, exercitum duodecim millium armatorum confecerunt. Ac *Ludovicus* quidem unà cum *Hippolyto* ad classem ripamque fluminis audacissimè se inferens interfectus est, capite me-

media cum galea pila ferrea, casu in eum cadente, perfracto. Deinde, quod hostes in munitione capienda frustrabantur, *Alfonsus* infra eum locum duo millia passuum munitionem & ipse in ripa facere instituit, qua in reditu impedire classem posset, tormentisque deprimere. Quod ubi Senatui est allatum, literas ad Angelum dedit: si ei videretur, classem reduceret, ne confecta hostium munitione periclitaretur: id unum in primis curaret, ut classem, quam à civitate accepisset, salvam sospitemque reipublicæ restitueret. Ad quas ille literas ita rescripsit: Si classem reduxisset, fore ut omnem illam oram, quæ cis *Padum* est, hostium exercitui diripiendam relinqueret: itaque id se tum facturum, cùm illa munita esse loca cognovisset.

Eodemque tempore, quod ad Patres venerat *Bulfardus Germanus*, qui ad urbem ventitare consueverat, ad speciem, ut eis se offerret ad pacem inter regem remque publicam tractandam, re, à *Maximiliano* ejus rei cupidissimo clàm missus: *Decemviri* legatos duos creaverunt, qui cum *Bulfardo* ad regem statim proficiscerentur, *Joannem Cornelium* Quinquevirum Senatu regendo, *Aloisium Mocenicum*, qui *Feltriæ* atque in *Alpibus* legatus tunc erat. Egerant autem cum rege civitates *Germaniæ* liberæ, ut pacem cum republica faceret: quarum quidem ferè omnium municipes non pauci in urbe mercaturam exercere consueverant, ægréque ea re carebant. *Paulus* quoque *Lictestenius*, cujus erat multò maxima apud regem autoritas, uti antea demonstravimus, pacis ei autor semper fuerat. Uxor insuper regia idem cupere maximopere videbatur. Præter hæc *Henricus Britanniæ* rex ab *Julio* & *Aloisio* & *Maximiliano* per literas diligentissimè scriptas petierat, ne cum *Veneta* civitate bellum exercerent: quæ si nusquam existeret, construi tamen omnibus ab hominibus ad publicam orbis terrarum utilitatem atque ornamentum profectò debuisset. Idem quoque multò etiam accuratius legatus regis, *Romæ* qui erat, ad *Julium* detulerat. Quibus rebus cognitis spes Senatum tenuit, brevi fore, ut sibi cum *Maximiliano* conveniret. Atque illis quidem diebus *Baldassari Scipioni Senensi*, qui *Liviano* propter virtutem maximè charus fuerat, equitum gravis armaturæ L. præfectura est à Senatu tradita. *Bonifacioque Sonzinio*, qui se amanter pro republica *Patavino* bello gesserat, auri libra annis singulis immunitasque rerum omnium ei liberisque & posteris ejus, tum ut ipse liberique extra ordinem in Senatum legerentur, dono datum.

Germaniæ liberæ civitates pacem inter *Venetos* & *Maximilianum* procurant.

Britanniæ regis intercessio.

Padus interim aucto *Gallicis* repentinis imbribus flumine, ut summas planè ripas adæquaret, pontem, qui minoribus erat navibus impositus, aquarum violentia disjecit. *Angelus* trajectu ne careret, triremes, uti antea fecerat, contra cursum fluminis iterum firmavit, quæ pontem sustinerent. Hostes autem ubi viderunt fluminis incremento triremes altè sublatas pulcherrimè tormentorum pilis objici, nocte magna cum manu *Ferraria* egressi ad ripam contenderunt, tormentisque plurimis adductis naves impeditas verberare ex aggere ictibus creberrimis cœperunt: neque prius destiterunt, quàm classe penè universa perforata & disjecta. *Angelus*, qui somno expergefactus suo se lectulo ejecerat, cum signo aureo, ne hostes eo potirentur, publicisque literis, tum ductores reliqui cymbis navium excepti fuga salutem peterent. Remiges se flumini omnibus è navibus dederunt: adversamque ad ripam delati magna pars ad *Gradenicum* se receperunt. Una triremis primo adventu per remos, qui aggerem contingebant, ab hostibus ad ripam attracta, cum hominibus non paucis est capta: ipsi omnes interfecti, altera succensa est. Ex omni classe triremes duæ navigiaque minora aliquot secundo se flumine demiserunt, ad finesque reipublicæ nullo accepto detrimento redierunt. tres depressæ interierunt: munitione cum plurimorum remigum & militum interitu hostes potiti: triremes novem *Ferrariam* sunt perductæ.

Padi inundatio.

Veneta classis disturbata, capta & incensa.

Ea clade Patres cognita, è vestigio literas dederunt, cùm ad *Gradenicum* legatum, si hostes *Padum* trajicerent, interiorem *Athesi* fluminis ripam interscinderet, ne *Rodigium* possent accedere, ipse se in tutum cum iis, quas haberet, copiis reciperet: tum ad legatos *Grittum* & *Marcellum*, qui erant in exercitu ad municipium *Leonicenorum*, ut aliquid copiarum auxilio ad *Gradenicum* mitterent, quo se facilius finesque illos ab hostibus victoribus tueri posset. Scripsere etiam ad *Fossæ Clodiæ* magistratum, cimbas juberet *Padum* ingredi, quæ fugientes reciperent, & si qui se in sylvas aut paludes abdidissent, perquisitos repertosque sublevarent. Datæ insuper ad *Joannem Maurum* literæ, qui in *Istris* cum triremibus, quas appellant nothas, tribus, legitimis duabus relictus fuerat, ut ad *Padi* ostia contenderet, cumque *Marco Antonio Contareno*, qui triremem suam navigiolaque non pauca incolumia conservarat, se conjungeret. Senatu postea eodem die coacto, ad classem redintegrandam multoque ampliorem instituendam, latum, ut in *Creta* triremes octo, *Corcyræ* duæ, in *Dalmatis* sex, in urbe quatuordecim confestim armarentur, atque ex his duarum remiges postridie, aliarum duarum perendie protinus conscriberentur.

Classis collectio & instauratio.

Angelus inter hæc ad urbem rediit, cladem que illam non tam verè ac exploratè, quàm ut ipsi minus dedecoris afferebat, Patribus exposuit: quem tamen ejus sermonem plerique ex earum, quæ perierant, triremium præfectis ad urbem & ipsi redeuntes audacter refellerunt, probraque omnia in illum jaci cœpta: nihil in eo consilii, nihil prudentiæ, nihil omnino providentiæ: crudelitatis, avaritiæ, arrogantiæ plurimum semper fuisse: triremes ponte implicari minimè omnium debuisse: si paulùm supra eum, in quo erat, locum ripæ aggerem dejecisset, flumen ipsum, quod tam altè creverat, suamet illuvione & munitionem & classem tutam ab hostibus puncto temporis redditurum, regionemque illam pulcherrimam & fertilissimam longè latéque vastaturum & fœdaturum fuisse. quænam autem aptior atque facilior reipublicæ morem gerendi occasio dari ei à fortuna potuisset, quàm quod est illi ea fluminis tam vasti magnitudine exuperantiaque subministratum? ita illum, quæ è republica non erant, effecisse: quæ usui & dignitati magnopere fuissent, quæ securitatem classi attulissent, quæ hostium cogitationes & conatus omnes frustravissent, prætermisisse: Unum modò magna semper diligentia curavisse, ut cymbas præda onustas singulis diebus domum mitteret. His cum vocibus penè omnium, qui in ea classe fuerant, & cladi superfuerant, *Angelus* palàm accusaretur, Senatus frequens rogationem jussit, uti de ea re Triumviri ex advocatis reipublicæ quærerent: quod reperissent, intra dies XV. ad Senatum referrent, atque is ea pœna, quam Senatus probavisset, plecteretur. atque ut proximis comitiis præfectus classis ejus loco legeretur, etiam perlatum: lectusque est *Antonius Tronus* templi *Marcii* procurator: quo præfecturam respuente, quòd non esset rebus maritimis

Angelus ob classem amissam graviter accusatur.

mis aſſuetus, comitia *Petrum Balbum Patavii* magiſtratum ſublegerunt. qui quidem *Balbus* antequam *Patavio* decederet, hominem ex plebe, qui filia pro concubina utebatur, ipſamque filiam, ſcelere per indicium delato, comprehendi juſſit, faſſoſque ſecuri ambos percuſſit, igne patris cadaveri etiam ſuppoſito.

Inceſtus punitus.

Ad hæc, ut aliquando *Julii* iracundiæ finis fieret, Senatus ſæpe conſultus, ſæpe amplius conſuli juſſus, tandem cenſuit, ut legati reipublicæ, *Romæ* qui erant, tabulis ab *Julio* traditis, quibus indigniſſimæ conditiones reipublicæ imponebantur, ſcribendo adeſſent, ut juri ſcilicet, quod in ſinu *Adriatico* antiquitus reſpublica obtinuerat, ab omnibus, qui eo mari navigent, exigendi, pro eorum tantum navigiis, qui *Romani* pontificis imperio ſubeſſent, & eo mari navigarent, quodque in *Ferrariæ* dominatu, quam aliquando in ſuam poteſtatem redegiſſet, permultos annos habuerat, quodque ullo unquam tempore in *Flaminiæ* oppidis eis fuiſſet, reipublicæ nomine cederent: eamque contra rem *Romanam* feciſſe faterentur, veniamque ſuppliciter peterent. Ea res quod vi fiebat, Senatui nulla liberè decernendi poteſtate relicta, tot regibus hoſtibus, tot reipublicæ oppidis bello captis, retentis ab *Julio* in urbe ſex legatis, ſumma dignitate & nobilitate civibus, tum illis, qui è *Flaminia* in vinculis ad illum ſunt perducti, ipſius interdicto, cui tamen jampridem paruerant ſatisque fecerant, etiam nunc urgente, minus moleſta Patribus fuit, minuſque ei rei, ne fieret, obſtiterunt: illud animis atque ſermonibus diu multumque repetentibus, vi atque injuria coactis ab hominibus quod fit, pro infecto haberi conſueviſſe: itaque & naturæ, & gentium & civili jure & legibus omnium populorum eſſe conſtitutum. Unum autem ſeſe conſequi, ut *Julius* inimicum in rempublicam animum deponeret, neque amplius ejus hoſtibus auxilio vellet eſſe (quod quidem ſe facturum pollicebatur) magno ſibi adjumento ad reliquum bellum conficiendum fore arbitrabantur. Atque his rebus agitatis, annus finem habuit.

Julii Pontificis placandi ratio à Senatu excogitata.



PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI DECIMI

EPITOME.

V*Enetorum* cum *Cæsarianis* ad *aquæ Martinianæ* pontem pugna. *Hatrianis* petentibus magistratus & naves, quibus se tuerentur, à Senatu concessæ. *Pannoniæ* regi pro pensionibus quomodo satisfactum. Variæ *Cæsarianorum Verona* eruptiones. *Nicolai Ursini* obitus. Captivorum cum *Gallis* permutatio. Varii belli inter *Alphonsum* & *Venetos*, & item inter *Venetos* ac *Cæsarianos* circa *Veronam* eventus. *Julius* Legatos *Venetos* ad se admittit, & interdictum abrogat. Legati ad pacem cum *Maximiliano* conficiendam missi re infecta revertuntur. Leges ad pecuniam colligendam latæ. *Veronæ* oppugnatio frustrà tentata. Lex, quæ sacerdotum propinquos in pontificiis causis senatu excludebat, antiquata. *Julii* consiliorum ambiguitas. Senatus de imperatore eligendo consilia. *Gallorum* in reipublicæ fines irruptio. Nova *Germanorum* domus exædificata. *Vicetia* cum plerisque aliis oppidis à *Gallis* capitur. *Gallorum* in eos, qui se in concamerationem contulerant, immanitas. *Cæsarianorum* in *Carnos* irruptiones. *Lemniacum* à *Gallis* capitur. *Rotomagensis* Cardinalis obitus. *Julii* & *Venetorum* cum *Helvetiis* fœdus. Variæ *Germanorum*, *Venetorum* & *Gallorum* excursiones, levioraque prælia. *Phariorum* seditio sedata. Classis *Julio* contra *Genuenses* missa. *Laurentio Ceriti* arma ex comitii armamentario data. *Cypri* reginæ obitus. *Gallici* exercitus in *Venetos* progressus. *Ferdinandus Hispaniæ* rex equum album tributi nomine ad *Julium* mittit. *Franciscus Mantuanorum* dux à *Venetis* dimittitur. *Monsilice* à *Gallis* capitur. *Joannis Sfortiæ* obitus. *Julii* cum *Alphonso* belli initium. *Lucius Bononiensis* reipublicæ exercitus imperator declaratur. Sexviri sale procurando ad quatuor redacti. *Julii* in *Genuenses* conatus irriti, & classis *Centumcellas* reditus. *Pannoniæ* rex *Venetis* bellum indicit, nec tamen infert. *Julii* in *Alphonsum* edictum, ejusdemque in *Galliæ* regem maledicta. *Venetorum* de *Brixia* capienda consilia. *Veneti* & Pontifex iterum classem *Genuam* mittunt. *Mutina* à Pontifice capitur. *Helvetiorum* in *Gallici* regni fines irruptio. Lex de magistratibus, qui rempublicam in Senatu procurent, lata.

LIBER DECIMUS.



NNO insequente inito hostes *Verona* egressi, ut in pagos plerosque, qui exercitum reipublicæ receperant, rebusque omnibus juverant, iracundiam exercerent suam, atque inde pabuli copiam aliquam in oppidum importarent, cùm quinque millia passuum processissent, ad aquæ *Martinianæ* pontem substiterunt, ut nostris, qui re per exploratores cognita, ad illos repellendos contendebant, fluminis transitum impedirent. Erat autem præmissus ad eam rem ab Imperatore legatisque *Leonardus Apulus* cum expeditis militibus & equitibus quamplurimis: is ubi pugna ante pontem magno animo commissa tamen trajicere hostibus, ut se priores in ponte constipaverant, angustias defendentibus se non posse vidit, equites *Epirotas* triginta ad superiorem fluminis partem longo circuitu, ne ab hostibus conspicerentur, cum reliquis mandatis misit. Illi itinere celeriter confecto, repertis in primo colle vadis flumen transierunt: eodemque & circuitu & celeritate usi, magno clamore sublato, repentè in hostes à tergo impetum fecerunt: qui nova re perturbati, cùm reliquum adesse exercitum crederent, & prælio ancipiti sibi esse decertandum existimarent, atque ii, qui à fronte nostros sustinebant, sibi veriti sæpe respicerent, pugnamque interim remitterent, nostri ardentius instarent, relicto ponte omnes se in fugam conjecerunt. Ea in fuga perplures interfecti sunt: capti equites cataphracti L. ex levioribus circiter ducenti, præfectique clari nominis sex, ad urbemque missi, & signa quatuor relata. *Saornianus* post hæc ad urbem rediit, magistratuque repudiato, aliis in rebus majori se reipublicæ fore usui, est pollicitus.

Venetorum cum Cæsarianis ad aquæ Martinianæ pontem pugnæ.

Erat tum in urbe *Philippus Uladislai* regis *Pannoniæ* legatus, qui à republica superiorum pensionum reliqua sibi dari postulabat. Ei Senatus, quòd pecunia propter quotidianos belli sumptus dependi minus posset, excusatione interposita, gemmas, purpuram, telasque cæteras sericas laneasque pro summa librarum auri trecentarum dari jussit: pauloque pòst eodem legato petente, ad reliquas res quadraginta sunt auri libræ numeratò additæ: ipsi libræ quatuor dono curatæ.

Legatus regis Pannoniæ pensionem postulat.

Ad *Henricum* etiam *Britanniæ* regem adolescentem Senatus legatum creavit *Franciscum Capellum*, honoris illius & benevolentiæ institutæ causa.

Hatriani, quod est oppidum inter *Padi* ostia, prædæ nomine ab *Angelo* præfecto classis sub reipublicæ imperium redacti, cùm ab *Alfonso* ut ad se redirent, solicitarentur, legatos ad urbem miserunt, velle se ab republica non recedere: itaque & qui sibi jus diceret reipublicæ nomine, & armatas naves, quibus se defendere ab *Alfonsi* contumeliis possent, suppliciter petere. Quamobrem Senatusconsultum factum est, *Hatrianos* defendi oportere, Senatui videri: igitur & prætor eis datus *Leonardus Bembus*, & naves armatæ decem ad eos missæ: quibus præsidiis postea usi, in fide atque officio permanserunt: tametsi *Alfonsus*, antequam auxilia convenirent, illos, pagosque aliquot demissiores in *Padi* ripa *Venetisque* finibus male habuerit.

Hatrianis naves, quibus se tuerentur, Senatus concedit.

At hostes iterum *Verona* egressi, multosque vicos depopulati, interfectis propè incolis omnibus, partem suorum, quos nostri obviam progressi aut occiderant, aut captivos fecerant, amiserunt. Tertiò autem ob pabuli inopiam idem ausi, multò majore accepta clade, *Alexio* tamen *Bua*, turmæ *Epirotarum* præfecto, ob equi lassitudinem ab ipsis capto, se in oppidum receperunt, quibus in rebus omnibus imperatoris maxime studium vigilantiaque extitit: itaque febricula tentatus, accersitis *Patavio* medicis, tamen convalescere non potuit: crescenteque vi morbi cùm se brevi moriturum cognosceret, adhibitis legatis exercitum *Lucio Bononiensi* commendavit, atque

Cæsarianorum variæ Verona eruptiones.

Nicolai Ursini febricula & obitus.

atque ipsum & præfectos reliquos gravissimis amantissimisque verbis monuit, ut suam fidem & benevolentiam reipublicæ præstarent: quæ si perierit, virtus omnis *Italorum* animorum, resque ipsa militaris, quam adhuc quidem ipsi uni sustinuissent, unà cum illa perierit. Quis enim, inquit, vos alet, provehet, ad exercitus regendos vocabit, hac terrarum parte in regum barbarorum potestatem redacta? Hæc atque his plura cùm dixisset, paulò pòst mortem obiit apud *Leonicænos* septem & sexaginta annos natus: molestaque ea magnopere civitati exercituique mors fuit. cadaver ad urbem delatum funere amplissimo & concelebratissimo atrata civitas extulit.

Imperatore mortuo, *Janes Fregosius Ligur* ejus equitibus regendis præficitur: quibus tamen, etiam vivo illo, præesse consueverat, *Leonardusque Apulus* ob virtutem, atque in rempublicam studium stipendio à Senatu auctus est, duobusque fratris ejus liberis pensiones annuæ dono datæ: eamque profectò legem sententiis omnibus Patres conscripti probaverunt, ut non modò nulla rejecerit, sed etiam ne una quidem cui non liqueret, in loculis resederit: quæ res penè pro miraculo est habita. Fuit quidem certè singulare ac peregregium omnium ordinum, totiusque civitatis in *Leonardum* studii atque benevolentiæ indicium.

Captivorum cum Gallis permutatio.

Ubaldus deinde *Gallorum* internuntius *Mediolano* ad urbem venit, pollicitusque est præfectorum regiorum nomine: si *Gallos*, qui essent in custodia urbana, Senatus restituat, ipsos cives quosque *Venetos* unà cum præfectis reipublicæ, qui *Mediolani* custodirentur, missos facturos: itaque quatuordecim *Gallis Ubaldo* traditis, *Brixiamque* missis, ipsi *Justinianum Maurocenum*, *Aloisium Bonum*, *Petrum Gradenicum*, *Franciscum Memmium*, civesque alios, quos habebant, hominesque militares tres, *Vincentium Naldium*, & *Vitellium*, & *Braccium*, libertati restituerunt.

Res ad Veronam gestæ.

Atque ut scribendo sæpius ad *Maximiliani* exercitum, qui *Veronæ* erat, redeatur, *Hispani* ex eo milites, hominum scilicet natura & moribus multò callidius ac sapientius *Gallis* atque *Germanis* hominibus genus, cùm viderent *Venetos* castris ponendis oppido propiores esse factos (nam à *Leonicænis* aliquot passuum millia *Veronam* versus se contulerant) simul eos brevi ad murum atque portas accessuros, urbemque obsessuros vererentur, ut quid quæque domus atque familia voluntatis in rempublicam haberet, si possent, fallendo cognoscerent, nocte intempesta per oppidum, cum magno armorum sonitu incitati cucurrerunt, nomenque *Marcium*, quod est insigne reipublicæ, sæpe in cursu conclamaverunt: quo exaudito, à plerisque illos esse *Venetos* credentibus, qui se in oppidum intulissent, eadem nominis acclamatione est responsum datum, salutatioque veluti mutua facta: illi eas domos, unde voces veniebant, atramento signaverunt, posteroque die repetitis notis omnes ad unam diripuerunt, quibus rebus consequuti sunt, ut & reliquis amicis reipublicæ timor injiceretur, ne quid ultrà facere aut dicere auderent, & ipsi præda illa pro stipendio, quod non persolvebatur, ad se sustinendos uterentur.

Stratagema.

Germanorum captivorum fuga.

Erant in urbana perliberali custodia, uti suprà demonstratum est, cùm *Patavii*, tum in *Istris*, capti *Germani* regis præfecti sex: salutabanturque quotidie ab amicis & familiaribus suis propè ut liberi: eorum quinque noctu, custodibus in cœna occupatis, tenui perrupto muro ad aquam se nullo strepitu contulerunt: cymbaque ad biremem clàm à suis comparatam vecti, in ea *Tergeste* perfugerunt: uni ut fugeret persuaderi non potuit, ne fidem, quam unà cum reliquis reipublicæ dederat, se non abiturum, falleret.

A

Angeli Trivisani causa ventilata; ejusque exilium.

Post hæc Triumviri, quorum erat è collegio *Bernardus Bembus* pater meus, confecta quæstione *Angelum Trivisanum*, qui classem turpiter amiserat, ad totius civitatis judicium majora comitia detulerunt, ea lege per ipsa comitia prius rescissa, quam Senatus, ut ad se referrent, jusserat, tabellisque eorum recitatis, qui permulti contra eum testimonium dixerant, causaque dies aliquot agitata, condemnare tamen illum primis sententiis non potuerunt, propterea quòd ab reliquis civibus, qui eo bello improbè rempublicam gesserant, qui quidem erant plerique, atque ab eorum propinquis & necessariis magnopere laboratum est, ne condemnaretur, veritis, si ille pœnas dedisset, ne ad ipsos etiam ejusmodi judicia descenderent, quæ sanè res bonis omnibus magnam molestiam attulit, quòd *Angelo* absoluto nihil amplius in republica severè, nihil omnino ex dignitate posse agi propè constaret. Postremò verò cùm Triumvirûm actionibus diligentioribus, tum ejusmodi bonorum querelis permota concio, triennium ab urbe urbisque finibus esse *Angelum* exulem jussit.

B

Lex de exulibus reducendis.

C

At ne classi redintegrandæ, quam in rem Patres incubuerant, milites aut remiges deessent, lex est in Senatu lata, ut exules maritimis ab oppidis atque insulis reipublicæ ob homicidium qui essent facti, si pace cum mortui propinquis inita, menses sex in classe reipublicæ sua impensa operam navaverint, aut ad id vicarium dederint, restituerentur, exceptis iis, qui hominem constitutò occidissent.

Alfonsi cum Venetis conflictus.

Alfonsus verò classis reipublicæ clade non contentus, copias, quas confecerat, trajecto *Pado* ad fines *Rodigianos* vexandos ac depopulandos misit. eæ copiæ in pago *Alfonsi* finium postremo sese vallo munierunt, & parvo præsidio, ad vallum relicto, instructæ, ut quod intenderant, etiam perficerent, progrediebantur. *Gradenicus* Legatus, *Rodigii* qui erat, ea de re ab exploratoribus certior factus, ante lucem cum equitatu & peditatu oppido egressus, *Epirotas* aliquot præmisit, qui hostes velle aggredi simularent, lentéque revertentes eò traherent, ut æquo loco prælium committi posset. Hostes *Epirotis* visis in eos impetum fecerunt. Illi, ut erat eis imperatum, paulatim recedentes in nostri agminis conspectum eos perduxerunt. Legatus cohortatus suos pugnæ signum dedit: neque hostes sibi defuerunt: concursum est ab utrisque ita acriter, ut pugna diu anceps atque ambigua fuerit: tandem hostes fessi repelluntur, seque ad pagum munitionesque suas recipiunt. Nostri hostium regressu incitatiores facti, cùm aliquamdiu ante vallum pugnavissent, munitionem perfregerunt, eosque in fugam omnibus à partibus dederunt. quos *Epirotæ* consectati plerosque interfecerunt: equites utriusque armaturæ circiter nonaginta cum eorum præfecto captivos fecerunt. Capti quoque sunt eodem tempore in *Veronensium* finibus *Sequani* equites non sanè pauci, cùm tamen illi etiam *Epirotas* duodenos temerè à reliquis digressos, quodam in pago dormientes, cepissent. captusque paulò pòst unà cum viginti ex ejus turma præfectus equitum *Gallorum Cleta*, qui *Maximiliani* auxilio *Veronam* venerat, ad urbemque missus.

D

E

F

Julius Pontifex interdictum Venetorum abrogat.

Julius autem Pontifex Maximus ubi à republica omnibus suis postulatis satis esse factum cognovit, Legatis, qui quidam erant quinque (nam *Pisanus* paulò antè morbo implicitus mortem obierat) ad sacra, quæ se præsente fiebant, atque ad pedis osculum admissis, magna populi *Romani*

mani frequentia interdictum abrogavit, deque eo literas ad omnes reges dedit. Quibus rebus cognitis, supplicatio à Patribus est indicta, gratiæque diis immortalibus omnibus in templis actæ. Paucisque pòst diebus *Hieronymo Donato* apud *Julium* manere jusso, qui legationem exerceret, cæteri legati pedibus *Anconam* profecti, reliquo itinere in longis navibus, quas Patres ad eos sublevandos eò miserant, confecto, domum redierunt.

Cives *Veneti* custodia liberantur.

Diebusque æquè pòst paucis cives ii *Veneti*, qui belli initio in *Flaminia* contra fidem datam capti, atque in *Romanos* fines perducti, eo tum loci custodiebantur, ab *Julio* sunt dimissi. dimissi quoque ab *Joanne Jacobo Triultio*, liberalitatis in rempublicam nomine, cives item *Veneti* tres, qui tribus *Galliæ* municipiis præfuerant, *Mediolanique* in custodia illos menses totos fuerant, *Joannes Grimanus*, *Alexander Georgius*, *Philippus Calbus*, atque usque in urbem ab ejus ministro perducti.

Legati ad *Maximilianum* ob pacem conficiendam missi re infecta redeunt.

Aloisius Mocenicus, *Joannes Cornelius* legati ad pacem cum *Maximiliano* tractandam missi, uti superiore libro demonstratum est, atque in *Alpes* profecti, regiis internuntiis, qui ad eos venerant, reipublicæ datis muneribus (ea erant vini *Cretici* pretiosioris, ceræ albæ ad tenebras expellendas, fructuum in *Aegypto* conditorum ad regias epulas omnis propè generis non parva copia) sermonem cum iis complures dies habuerunt, non unisque in locis unà fuerunt, neque tamen pax iniri potuit, cùm illi omnia, quæ in *Maximiliani* potestate proximè fuerant, à Senatu peterent, Senatus nihil eorum, quæ ante bellum obtinebat, vellet amittere: dependere quidem *Maximiliano* aliquam pecuniæ vim se obligasset, si de reliquis fœderis capitibus, quæ proponebantur, convenire inter ipsos potuisset: sed obstinatione, duritieque ambarum partium factum est, ut infectis rebus ab utrisque domum discederetur: ita ea multorum dierum tractatio & mora, quæ suspensos atque solicitos Patrum animos habuerat, postremò ad nihilum rediit.

Immunitates afflictis concessæ.

Interim quod *Lauretanos*, qui est pagus in *Padi* fluminis derivatione, *Alfonsi* copiæ incenderant, Senatusconsultum factum est, ut ejus pagi homines *Fossam Clodiam* ad incolendum se reciperent, atque ab oppidanis rebus omnibus juvarentur: quasque antea onerum & tributorum immunitates domi obtinebant, eisdem immunitatibus eis frui *Fossæ* quoque *Clodiæ* liceret. itemque alterum, uti *Belunienses* & *Pagenses* annum unum immunes essent, neque ad solvendum creditoribus cogi possent.

Leges ad pecuniam colligendam latæ.

Idem Senatus cùm videret multò maximam esse in urbe copiam eorum ex plebe civium, qui aliquo reipublicæ munere fungerentur, quo in munere aut stipendii menstrui; aut quotidiani quæstus nomine lucrum facerent: ut ii quoque aliquid, neque id tamen sine compendio, tam angusta pecuniæ publicæ procuratione in ærarium conferrent, rogationem jussit: qui è plebe civis munus perpetuum à republica obtineret, si decuplum stipis annuæ, aut si ea non sit, lucri summam, de qua apud magistratum constet, reipublicæ intra dies quindecim curaverit, id omnino munus ipso mortuo aut filius, aut nepos, aut frater ejus sequatur: aut is, quemcumque sibi ipse ejus muneris hæredem instituerit. quibus autem sua sint ad tempus munera, iis octuplam stipem ærario inferentibus, ea vivis munera eripi non possint, illis exceptis muneribus, quæ à Senatus, templique Marcii procuratorum scribis & ministris obirentur. ea tamen octupli summa liberalitate Patrum paulò pòst lege ad quincu-

A plum rediit. Ab *Decemviris* quoque, ut etiam nobilitas sui æris aliquantum sponte reipublicæ tribueret, alia est rogatio paulò pòst jussa. qui è nobilitate civis triginta annos natus libras auri vicenas mutuò reipublicæ dedisset, quemque civem major pars *Decemvirûm* probavisset, ei civi annum in Senatu esse, adempta suffragii ferendi potestate, licere. Hujus autem mutui *Decemviri* eam esse conditionem voluerunt, ut pars pecuniæ media in ærarium novissimum ei, qui dedisset, accepta referretur: altera parte media, si quid is onerum tributorumve nomine in posterum publicè debiturus esset, ex eo tantumdem

B potestas ei fieret dissolvendi: pauloque pòst, ne horum civium numerus denos excederet, iidem *Decemviri* sanxerunt.

Verona oppugnatio frustra tentata.

Dum hæc domi administrantur, consilio *Veronam* per insidias capiendi ab legatis complures dies agitato, certorum oppidi civium suasu, qui per suos interpretes clam ad *Sigismundum Caballum* necessarium suum, egregium atque amantem reipublicæ civem, qui se pro patria exercebat, bellique munera & præfecturas obibat, *Patavium* missos, res quemadmodum perfici posset, eis ostenderant: ambo prima nocte ad pagum *Martinianum* exercitum adduxerunt, quingentosque

C milites ex omni copia lectos, ad arcem, quæ ab ea oppidi parte cum mœnibus erat conjuncta, non nimis communitam miserunt, qua fore in urbem trajectum cognoverant. Illi per duas propugnaculi intromissi portas (eas *Benedictus Peregrinus* multa arte diligentiaque, ferreis ad eam rem confectis *Vicetiæ* malleis vectibusque aperuerat) ad murum oppidi scalas, quas secum attulerant, posuerunt, ut eo superato ad portam, ad quam convenerant, accederent, interfectisque custodibus, atque apertis valvis exercitum admitterent. Eæ scalæ cùm essent breviores, quàm muri altitudo requirebat: ad ejusmodi ejus rei

D subsidium comparandum, ut alteram alteri alligarent, atque ita longiores eas facerent, se dederunt. In eo dum sunt, signa in oppido ei loco proxima casu concinere cœperunt: illi veriti adventum ipsorum militibus *Germanis* tribus millibus palàm factum esse, qui eam oppidi partem custodiebant, relictis scalis extra propugnacula celeriter se, quà venerant, receperunt: deinde ad exercitum, qui non longè aberat, ut se in oppidum inferret, re infecta magno cum dolore omnium atque molestia redierunt. Hostium præfecti haud ita multò pòst de plerisque civibus, quos fuisse ejus rei conscios, non tam quidem re-

E perissent, quàm essent suspicati, graviores pœnas sumpserunt. *Peregrinus* unà cum nostris militibus oppido fugiens ad legatos se contulerat: cui Senatus ob facti audaciam atque in rempublicam studium pensionem annuam, quam posteri ejus sequerentur, paulò pòst dono constituit. Eadem in illorum, quos hostes interfecerant, liberos reipublicæ pietas extitit.

Lex, quæ sacerdotum propinquos in Pontificiis causis senatu excludebat, antiquata.

Erat domi lex decemviralis, nemo ut civis, cujus aut filius aut frater aut fratris filius sacerdotium haberet, cùm de rebus, quæ ad Pontificem Maximum atque ad rempublicam pertinerent, ageretur, in Senatu esse posset: quam qui-

F dem legem eo consilio Patres jusserant, ne, qui suo compendio propter sacerdotiorum adipiscendorum cupiditatem in consulendo duci poterat, ut plus Romanis rebus, quàm suæ civitati faveret, ei aut sententiam dicere, aut suffragium ferre in Senatu liceret: eam tum legem *Decemviri* antiquari voluerunt: non enim arbitrabantur quemquam esse civem posse, qui tam duris reipublicæ temporibus alieniori voluntate suæ patriæ commoda, quàm Pontificis Maximi, à quo tam

tam insignitè læsus esset, in Senatu administraret. Itaque & *Antonius Grimanus* & *Georgius Cornelius*, reliquique sacerdotum propinqui, cùm ad Senatum ex literis, *Roma* ab *Donato* missis, est relatum, deinceps affuerunt: quæ quidem literæ magnam in *Julio* ambiguitatem consiliorum, magnamque voluntatis hæsitationem ostendebant: modò enim de republica honorificentissimè amicissiméque loquebatur, seque ei adjutorem ad ea recuperanda, quæ in *Rhetis Galliaque* amiserat, fore pollicebatur: *Gallorum* modò regem se vereri ostendebat, quem quidem propediem in *Italiam* rediturum pro explorato ducebat. A *Maximiliano* quoque suum legatum propè amplius non admitti, inimicumque sibi illum ex amico esse factum, quòd interdictum in rempublicam, se nolente, rescidisset, conquerebatur. easque ob res uti respublica quibus posset conditionibus cum *Maximiliano* pacem faceret, Senatui erat autor, præsertim posteaquam inter *Aloisium* & *Henricum Britanniæ* regem, qui diffidere putabantur, quod quidem certè diffidium animorumque disjunctio morari *Aloisium* & retinere, ne itineri sese daret, una omnino poterat, fœdus esse ictum & concelebratum cognovit: itaque interdum neque cui confideret, neque quò converteret cogitationes suas, neque quem susciperet tuendum, neque quid omnino aut faceret, aut planè diceret, reperiebat.

Julii Pontificis consiliorum ambiguitas.

Quibus rebus cognitis Senatus, cui quidem omnia penè deficiebant, *Julium* tamen per legatum est hortatus, bono animo ut esset: non facturum, quæ ab eo jactabantur, *Aloisium*: cujus omnes planè populi ab *Alpium* trajectu & bello in *Italia* gerendo magnopere abhorrerent: *Maximilianum* quidem & pecuniæ inopia, & aliena *Germanarum* civitatum à bello contra rempublicam voluntate, & aliarum rerum implicationibus perfacilè ad pacis cogitationem descensurum: *Henricum* verò, cur nocere *Venetis* cogitet, nullam habere porrò causam, cujus & maritimæ civitates necessitudinem quasi quandam antiquitus cum nostris hominibus institutam colant plurimique faciant: & portoria à navibus reipublicæ, quæ mercaturæ causa eò ventitant, etiam augeantur: sese autem & exercitum non spernendum jam habere, & classem satis magnam propediem habituros: easque opes non illi minus, quàm reipublicæ præstò, cùm vellet, futuras: quamobrem confideret, cùm tam bonam causam suscepisset, ut rempublicam scelere perfidorum hominum proditam ac violatam, tueretur: Deos profectò immortales, quorum ipse in terris majestatem obtineret, sibi non defuturos.

Responsum à Republica Veneta Julio Pontifici datum.

Ejusmodi cùm literis labentem *Julii* animum atque consilia Senatus confirmavisset, legem scivit, ut quingenti armaturæ gravioris equites, militum quatuor millia celeriter conficerentur, atque ad eas, quas haberet, copias adderentur. Id autem non tam jussit spe quam aleret, ut res ad exitum perduci posset (nam neque unde is tum numerus accerseretur, ei constabat: neque pecunia in stipendium planè suppetebat) quàm ut ejus rei sermo nuntiique ad *Julium* allati dejectas illius cogitationes & timoris plenas erigerent, exercitumque reipublicæ, quem quidem & *Veronæ* recuperandæ difficultate, & *Gallicarum* rerum fama, quas rumor latius atque inflatius attulerat, tardiorem ac suspiciosiorem factum sciebat, litteræ de eo ad legatos datæ ad pristinam belli gerendi alacritatem studiumque revocarent. quod sanè accidit, *Epirotæ* enim equites, ubi de augendo exercitu nuntium acceperunt, *Athesi* flumine trajecto hostium equites centum captivos fecerunt: milites alteros totidem, ne-

Respublica novum exercitum parat.

A mine suorum desiderato, interfecerunt. Aliæ deinde literæ ad *Donatum* datæ, ut quoniam is ad Senatum scripserat, *Julio* placere, ut bello, quod respublica cum *Alfonso* exercebat, finis imponeretur, ei diceret, Senatum de eo id, quod vellet, esse facturum. Quo responso accepto *Julius* suum hominem *Ferrariam* misit ejus rei causa: neque tamen *Alfonso* persuasit, uti bello desisteret: nam quoniam exploratum ei erat, *Aloisium* regem ad *Lemniacum* oppidum, quod a *Maximiliano* libris auri CL. emerat, capiendum omnes suas quamprimùm copias missurum, quo capto ipse quoque *Rodigium* posse capere, spem B non ambiguam fovebat, arma deponere noluit.

Senatus autem pluribus & literis & nuntiis certior factus, *Aloisii* præfectos magnis equitatus & peditatus copiis coactis, in fines reipublicæ impetum brevi facturos, *Lemniaco* veritus, præter milites sexcentos sub egregiis centurionibus, cives etiam *Venetos* è nobilitate quatuor cum militibus quinquaginta, è plebe urbana singulos, commeatumque omnis generis, & res ad tormenta exercenda, ignemque in fossis atque aggeribus ex inopinato excitandum idoneas, & sagittarum magnum numerum eò misit. *Vanissa* præterea ex *Dalmatis*, homo fortis, cum turma C lectissimorum equitum octoginta, majore quàm consueverat stipendio, ab Senatu accersitus, eòdem se contulit. Ad *Gradenicum* quoque legatum auxilia ab exercitu submissa, ne si *Alfonsus* ad *Rodigianos* oppugnandos, dum reliquus exercitus à *Gallis* alios reipublicæ fines tueretur, suas copias adduceret, imparatior offendi posset. Classi demum paucarum triremium, quæ erat *Fossæ Clodiæ*, naves breviores permultæ urbanis è suburbiis eductæ atque adornatæ uti adderentur, quæ in *Alfonsi* fines se inferret, ejusque copias distineret, latum. Ad *Vitellium* verò, quem captivum, permutatione facta, uti suprà demon- D stratum est, *Galli* restituerant, *Capinumque* ejus propinquum, *Pauli* illius, quem *Florentini Pisano* bello imperatorem habuerant, securique percusserant, filium: quibus utrisque Senatus præfecturam equitum gravioris armaturæ CL. paulo antea dederat, atque illi eos equites in *Tifernatibus* municipibus suis jam confecerant, mari *Fossam Clodiam* deportandos, naves in *Flaminiam* missæ: quibusque etiam milites quingentos ipsorum in finibus quamprimum conscribendi, ad exercitumque adducendi, cura tradita. Eandem antea curam *Citolo* Patres dederant, ut è *Perusiæ* finibus mille octingentos milites educeret: isque E jam numerus adventare dicebatur.

Gallorum in Reipublicæ fines irruptio, & Venetorum occursio.

Turmis insuper in exercitu reipublicæ plerisque redintegrandis, quæ quidem erant magnopere diminutæ, stipendium à quæstoribus curatum, pensioque annua, quam Senatus ultra stipendiorum nomen *Citolo* dederat, ut ea quoad viveret, frueretur, etiam aucta. quas ad res atque sumptus, quo fisci debitoribus facilior solutio fieret, Senatus jusserat, ut qui ex iis aurum aut argentum cælatum, quod plerique sibi comparant, aut à majoribus comparatum domi habent, ad Duumviros numis cudendis intra dies XXV. attulissent, id eis aurum argentumve cum lucro F partis decimæ acceptum referretur: qui Duumviris neque aurum neque argentum dedissent, neque pecuniam numeratam curavissent, eorum bona, etiam si fideicommissa essent, vendi per magistratus oportere, iis exceptis bonis, quæ dotium nomine mulieribus deberentur. easque venditiones ratas & firmas haberi oportere, neque ullis posse legibus infirmari, Senatusconsulto additum. Pauloque pòst, quòd Patribus constabat cives plerosque ex iis, quibus ampla res esset,

Numos conficiendi ratio.

esset, adduci tamen non posse, ut in ærarium conferrent, quòd nulla suæ patriæ charitate, nullo reipublicæ amore tenerentur, *Decemviri* suis ministris mandaverunt, ut illos prius ea de re admonitos, si post dies octo nihil contulissent, captos in carcerem contruderent: quòd si se occultavissent, ab eorum domibus rem familiarem abriperent, magistratibusque traderent distrahendam, quæ duæ quidem res uti publicæ juberentur, ante id tempus nunquam acciderat. *Vicetina* quidem civitas, reipublicæ difficultatibus permota, sponte sua vicenas auri libras dono in ærarium contulit.

Senatus de Imperatore eligendo consultatio.

B Quoniam autem & legati non semel ad Senatum scripserant, egere imperatoris reipublicæ exercitum: sine eo qui summæ rei præsit, omnes indiligentiores & dissolutiores quotidie fieri, & ipsi per se Patres singulis horis ea de re admonebantur: sæpe cùm essent inter se magistratus colloquuti, magna eos ambiguitas hæsitatioque diu tenuit: nam quòd ex præfectis reipublicæ plures parem ferè honoris locum obtinebant, existimabant Patres, in potiore adipiscendo loco alterum sibi præferri neminem eorum, satis æquo animo laturum. Tum illud accedebat, quòd ipsimet Patres, quisnam illorum esset reliquis anteferendus, non dispiciebant. C De externis cùm quærerent, plerique in eam sententiam conveniebant, ut *Franciscus Mantuanorum* Princeps, quem habebant in custodia, ei muneri maximè omnium esse præficiendus videretur: quod profectò munus & aliàs apud ipsos gessisset, & nunc eò libentius eóque diligentius ab illo suscipi atque administrari oporteret, quòd ex ipso carcere atque custodia ad tam amplam dignitatem atque imperium Patrum munere ac liberalitate vocaretur. verùm propterea quòd annis etiam superioribus ad illud ipsum munus à Senatu revocatus, uti tum à nobis demonstratum est, stipendio etiam accepto à republica defecerat, atque ad *Maximiliani* militiam, autore & consuasore *Ludovico Sfortia*, uxoris suæ sororis viro, se D contulerat, idcirco, nisi Senatui satisdaret, se fidem reipublicæ præstaturum, omnes unà magistratus committendum ei esse non putabant. Id ut sciri ab eo posset, *Lauredanus* Patresque eum ad sese cum honesto senatorum comitatu è custodia venire voluerunt, amicissiméque appellato suam ei mentem aperuerunt, Senatusque consultum ea de re factum ostenderunt. Ad quem ille sermonem inopinata lætitia commotus atque illachrymans, magnas Patribus gratias cùm egisset, confirmavit filium se suum *Federicum* natu E majorem suæ fidei obsidem reipublicæ daturum: uxorique scripturum, ut eum ad legatos è vestigio mitteret. Quod cùm Patribus probaretur, *Ludovicum Firmium* familiarem suum cum mandatis ad uxorem misit. Illa verò parêre viro noluit, neque filium ab se dimittere. *Alfonsi* enim soror *Gallicis* rebus magnopere favebat: quibus fore impedimento, si vir imperium à republica oblatum accepisset, pro explorato ducebat, ita ea res exitum non habuit. Quamobrem cùm Patres iterum de eo eligendo, qui exercitui præesset, consulerentur, magistratusque nonnulli *Lucio*, nonnulli *Gritto* legato imperium deferrent, F neutra lege suffragiis probata, Senatus est dimissus. Quod ubi *Grittus* rescivit, Patribus literas dedit, non esse è republica se, qui non magnum in re militari usum haberet, tot fortibus & claris bello viris, qui in ejus exercitu essent, præfici: neque id eos æquo animo laturos: itaque alia omnia cogitarent, sese nolle imperium cùm invidiosum, tum suis majus viribus accipere.

Franciscus Mantuanorum Princeps.

Grittus Imperatoris officium suscipere recusat.

Vanissa interim, quem *Lemniacum* profectum A dixeramus, cum suis equitibus aliisque perpaucis, qui sagittis utebantur, manè prædatum oppido egressus, in *Veronæ* finibus hostium *Gallorum* equites gravis armaturæ plus centum, levioris non plurimos, milites quatercentum nactus, manum cum illis conseruit. Id dum fit, hostes unum ex ejus famulis captum nullo more jugulaverunt. quod *Vanissa* ubi vidit, suos cohortatus, uti eam necem vindicarent, ita acriter pugnavit, itaque eum sui acriter pugnantem imitari studuerunt, ut parvo temporis spatio globum hostium universum disjecerint, ex iis ceperint plus ducentos, quibus omnibus cervices absciderunt, nemine suorum, præter illum unum, desiderato. ea res magnum illi nomen apud omnem exercitum hostesque ipsos attulit.

Venetorum cum *Gallis* pugna.

Alfonsus interea coactis cùm militibus tum naviculis, atque in eis tormentis levioribus impositis, *Venetos*, qui minorum in *Rhodigianis* finibus fluminum ripas custodiebant, depulit. Pauloque pòst, cùm *Gradenicus* nihil non ab hostibus veritus, *Rodigio* relicto, se in tuta retulisset, oppidum vacuum recepit: tantusque fuit ejus rei terror, cùm *Galli* magna cum manu adventare dicerentur, ut neque auxilia submissa ullo in loco consistere, neque *Grittus* legatus confidere, in quibus erat, castris auderet, omnesque omnibus à partibus sese *Patavium Vicetiamque* versus, nullis hostium insequentibus, tamen reciperent.

Gallorum irruptio.

Deliberatum est etiam domi ut *Patavium* muniretur, tormentaque ac farinas & vinum *Creticum* magistratus eò mitterent, civesque in primis *Venetos* decem, qui Urbem custodirent: tum, ut reliqui commeatus pabulique copia in oppidum importaretur, cura adhibita. Datæ quoque à Senatu literæ in *Epirum* ad suos magistratus, ut *Thraces* equites, quos possent, reipublicæ stipendio conscriberent, *Jaderamque* mitterent ad urbem transvehendos: id enim regiorum ministrorum voluntate fieri poterat. Latum etiam, ut lex de mercede magistratuum reipublicæ condonanda, in sex menses prorogaretur. Jussus etiam *Joannes Franciscus Polanus*, qui longis navibus in *Istris* non segnem operam reipublicæ navabat, ut *Fossam Clodiam* ad præfectum se classis è vestigio reciperet. Quibus intellectis rebus *Zoilus Detricus*, ex *Jaderensi* civitate, amantissimus reipublicæ vir, aurum quod in suos usus domo attulerat, Patribus principique dono dedit.

Consilium de *Patavio* muniendo.

Grittus cum exercitu *Vicetiam* veniens, ad quem civitatis magistratus cum armatorum ex plebe atque agris decem millibus iter faciebat, ut ei opem ferret ne ab hostibus cladem aliquam acciperet (magni enim de eo rumores afferebantur) cùm vellet extra murum castra ponere, ne oneri oppidanis esset, à civibus omnia perpeti reipublicæ causa sese velle pronuntiantibus, atque ab illo, ut copias omnes introduceret, majorem in modum postulantibus, noctu hilariter in oppidum est receptus: postridieque ejus diei abiens, medio ferè inter *Patavium Vicetiamque* itinere consedit, ut urbi, si necessitas urgeret, auxilio esse posset.

Gritti cum exercitu progressus.

Patres, ut *Vicetinæ* civitatis plena fidei ac benevolentiæ officia tanti facere, quanti par erat, viderentur, per literas sibi gratum id fuisse ostenderunt, seque memores ejus rei fore in posterum confirmaverunt. Deinde cùm de *Gradenico* deque *Marcello* legatis non commodi sermones jactarentur, eorum loco est ab iis legatus lectus *Paulus Capellus*, qui se, cùm vellent Patres, profecturum est pollicitus. paucisque pòst diebus duo sunt sublegati reliquis legatis lecti, *Federicus contarenus*, *Joannes Diedus*: quorum alter Senatui paruit, profectusque est: *Joannes* excusatione valetu-

letudinis adhibita, domi remansit. Ejus est loco paulò pòst *Sigismundus Caballus* sublectus.

Montanianum à Gallis captum. At *Galli Triultio* & *Palitia* & Magistro magno ducibus, audito nostrorum recessu, missis *Montanianum* paucis equitibus, deditione oppidum capiunt, itemque *Ateste*, tum *Coloniam* & *Leonicænos*.

Hostium conatus in Carnis. Cùm verò è *Carnis* nuntii venissent, omnes eo ab latere hostium regiones in armis esse, cogique milites plerisque in locis: *Forolivienses* ad Senatum miserunt, velle civitatem sua stipe equites ducentos alere: rogare Senatum, ut *Epirotas* alteros totidem iis adjungat, quibus se suosque fines tueantur: velle omnes magno animo suam fidem omni cum vitæ periculo Patribus & reipublicæ præstare. atque ita ut fieret, Senatus censuit. Etiam in *Illyrico* apud *Spalathram* incursiones, & prædæ factæ, abductique pueri & mulieres haud parvo numero. *Vicetini* destituti ab exercitu, qui se ad *Medoacum* receperat, cum suis rebus vulgò ad urbem confugiebant: à quibus cum publicani vini portorium exigerent, lata rogatio est, ut sine portorio rerum alendi se causa importandarum *Vicetini* reciperentur.

Germanorum nova domus extructa. Paulóque pòst domus nova *Germanorum* mercatorum societati publicè exædificata, quam inhabitarent, eis tradita. *Gallorum* duces ad *Marcum Marcellum Monsilicensium* magistratum miserunt, qui oppidum peterent. Ea intellecta re *Grittus* legatus cum equitibus levissimis *Monsilice* contendit: firmatoque præsidiis oppido, præter eos, qui ex plebe urbana tum venerant, sua in castra rediit: *Citolumque Perusinum* cum militibus octingentis, Senatu approbante, *Taurisum* misit, qui optimè meritæ civitati præsidio esset: eo enim etiam ab latere hostes impetum facturos rumor attulerat.

Monsilice.

Interim missus *Lemniacum Baptista Doctus*, vir fortis, cum stipe, ne, si oppidum obsideretur, pecunia defensoribus introclusis persolvenda deficeret, ab hostibus in itinere deprehensus vix ægréque fuga se ab illis eripuit, infectaque re cum numis ad legatos rediit.

Decretum de Francisco Gonzaga. Post hæc cum *Julius* Pontifex Maximus *Franciscum Gonzagam Mantuanorum* principem, captivum Senatui commendavisset, Patres in ejus gratiam legem sciverunt, ut si uxor *Ludovicum* filium *Bononiam* misisset, *Franciscus* & libertati restitueretur, & reipublicæ exercitibus præficeretur, imperatorque crearetur, modo *Julius* puerum ad urbem postea mitteret: quod quidem se receperat facturum.

Vicetini se Gallis dedunt. *Vicetini*, ad quos legatorum & exercitus discessu *Galli* duces miserant, qui & oppidum & quingentas ab iis auri libras peterent, concilio coacto, curatisque è vestigio libris auri quinquaginta, alteris totidem pollicitis, sese eis dediderunt, militibus perpluribus receptis, quos illi *Verona* evocaverant. eorum exercitus in oppidi agrum se conferens, ad *Barbaranum* in collibus vicum castra posuit.

Gallorum immanitas in eos, qui se in concamerationem receperant. Est in *Vicetinis* montibus *Patavium* versus concameratio, antiquitus effodiendis ad ædificationes lapidibus facta ingentis magnitudinis, ut terna millia passuum introrsus pertineat: in eam perfugii causa, quòd os angustum habet, atque id unum tantùm, ut facilè defendi posse videatur, hostibus appropinquantibus eorum finium incolæ cum uxoribus & liberis & ætate confectis propè ad sex mille se abdiderunt: eos cùm expugnare *Galli* non possent, tametsi perfractis & dejectis objicibus se intulissent: loco enim perobscuro, & viarum flexionibus cùm ambiguis tum innumeralibus aqua etiam, quæ in eo specu stagni instar est, muniebatur: plurima

A stipula internè succensa magnum eorum numerum fumo, cameras implente, interfecerunt.

At in *Carnis Aloisius Delphinus* legatus cùm intellexisset, præmissos hostium antecursores centum è *Montis Falconis* planitie prædas agere: suis militibus sequi se jussis, cum equitibus levissimis quinquaginta itinere celeriter confecto, illos qui se in insidiis non magna in sylva occultaverant, aggressus, partem eorum interfecit, partem cepit: reliqui vulneribus acceptis fuga se ad suos retulerunt. Legatus *Sontio* flumine trajecto, hostes, qui fuga suorum & cæde audita magna cum manu ad illum intercipiendum contendebant, è B ripa sagittis & pilis ferreis à fluminis transitu prohibuit, indéque se cum suis omnibus incolumibus *Gradiscas* recepit. *Cæsarianorum in Carnos irruptiones.*

In *Patavinis* autem finibus, quòd hostium equites adventare nuntiatum est, præmissi à *Gritto* legato equites levissimi in eos venientes, qui quidem erant sexcenti, impetu facto non paucos interfecerunt, centum captivos fecerunt. Duces eorum *Ludovicus* & *Federicus Gonzaga* fratres, qui *Bozolum* oppidum in *Mantuæ* finibus obtinebant, se à Victoribus equorum pernicitate vix ægreque subripuerunt. Alio ab latere *Vanissa*, *Citadella* (quod ad oppidum *Lemniaco* venerat) C non semel egressus, *Germanorum* manum ex *Alpibus* demissam ut incursiones faceret, binis cladibus disjecit, interfectis perplurimis.

Inter hæc paulùm lætitiæ habentia magnam Patribus molestiam attulit *Lemniacum* captum: nam quòd est ipsum in dextra *Athesis* ripa, sic ut magna ex parte flumine abluatur, *Galli* altera in ripa castello, quod è regione *Lemniaci* est, capto, ingenti tormentorum vi dies aliquot oppidum verberaverunt. Id cùm parum profuisset, ratibus flumen trajecerunt, tribusque à partibus tormentis positis, murum labore continenti dejicere instituerunt, ut ii, qui erant in oppido atque D in arce magistratus præfectique, timore non magnopere necessario perculsi, oppidum primùm, deinde arcem seseque dederent. oppidani direpti, milites armis spoliati & dimissi: ipsi uni cum magistris tormentorum sunt captivi facti. Eodem ferè tempore *Julius* certior factus Cardinalem *Rotomagensem* in *Gallia* mortem obiisse, incredibili lætitia est affectus: illo enim vivo hostem magna autoritate nunquam sibi defuturum sciebat. quam quidem lætitiam cum legato *Veneto* de communibus agens rebus, haud obscurè præ se tulit: gratulatusque ei est, nihil omnino commodius, nihil amicius de Cardinalis in remE publicam animo planè sentiens. Is auri libras ter mille signatæ pecuniæ testamento legaverat: quas omnino *Julius* ea de causa, quòd legari jure non potuerint, sibi dari postulavit, frustratusque ea postulatione est: nihil enim profecit. *Lemniacum à Gallis captum.* *Rotomagensis Cardinalis obitus.*

Cives autem è nobilitate *Veneta* quatuor, & *Joannes Jacobus Caroldius* Senatus scriba, qui captivi in *Flaminia* superiore anno facti in *Romani* agri arce custodiebatur, à *Julio* dimissi ad urbem redierunt. *Joannesque Paulus Manfronius* ab hostibus est ad *Grittum* missus, *Bonvicini Galli*, quem captivum nostri fecerant, tum ad *Gallos* item missi loco: cui Senatus paulò pòst equiF tum cataphractorum centum quinquaginta stipendium constituit, cum librarum auri sex pensione annua, præter illud ejus quoque filio stipendium in equites sagittarios IX. datum. *Cives captivitate liberati.*

Julius ægrè ferens *Gallos* in reipublicæ locis prosperè versari, & cum vicinis ei regibus pollere, legato reipublicæ proposuit, se cum *Helvetiis* fœdus initurum, ut sex eorum millia à *Belinzonæ* oppidi finibus regi bellum inferant, quo ille suas copias revocare *Mediolanum* cogatur, *Julii Pontificis postulata.*

tur, modò Senatus partem mediam stipendiorum persolvat: eaque confecta re, suas ei copias attribuat ad *Ferrariam* capiendam. Senatus ad hæc legato scripsit, *Julio* stipendium ad tertiam *Helvetiorum* partem polliceatur: quo si contentus non erit, etiam ad mediam descendat, ut ei planè satisfiat. de altera verò postulatione, cùm *Galli* abierint, facturum Senatum quæ jusserit. Postea verò nolentibus *Helvetiis* tam parva manu domo exire, petentibus ut X. eorum millia saltem *Julius* conduceret, inter ipsos ut octona millia scriberentur, lex est inita. Ex universo stipendio *Donatus* legatus pactus cum *Julio* est, ut à Senatu triginta auri libræ mensibus singulis penderentur, nummique *Romam* per chirographa missi.

Venetorum responsum.

Vanissa Thracesque cum præfectis turmisque leviorum equitum plerisque contra *Germanos Vicetia* egressos agrumque populantes à *Gritto* jussi contendere, cæteris, cùm nullis occurrissent, revertentibus, longius progressi eosque consequuti commisso prælio CC. ex iis interfecerunt, & prædam, quam abigebant, earum rerum dominis restituerunt. duobusque pòst diebus idem propè facinus & ausi sunt, & perfecerunt, CL. ex hostibus interfectis, captis non paucis. tametsi eodem tempore aliis etiam in *Venetorum* finium locis cædes hostium à nostris equitibus factæ nuntiabantur.

Germanorum, Venetorum & Gallorum variæ excursiones ac prælia.

Nuntiatum est etiam in *Pharo Illyrici* insula, ob primorum quorumdam juvenum in agrestes mulieres audacem incontinentiam, plebem ad arma incitatam, nonnullos ex nobilitate interfecisse, alios oppido expulisse, parem sese nobilibus in regenda civitate fieri esseque voluisse: eos tamen animorum plebis motus, *Hieronymi Contareni* classis præfecti, qui eò peropportunè se contulit, edictis sævioribus interpositis ad pristinam concordiam redactos fuisse, magnumque eo in oppido exortum bellum ejus hominis adventum sedavisse.

Tumultus plebis in Pharo insula.

Nuntiatum quoque in *Creta* insula triremes septem instructas *Corcyram* brevi venturas: earum uni *Hieronymum Georgium* è colonia *Cretensi* præfectum sua pecunia remiges & milites imposuisse, cujus pater plurima in rempublicam officia bellis superioribus contulerit. Ei non multò pòst ob hæc ipsa in rempublicam studia Senatusconsulto permissum est, ut quotiescumque voluerit triremi præesse, liceat priori semper loco: immunem præterea tributorum illum posterosque ejus esse fructuum suarum possessionum causa: tum ut militiæ insignia ei dentur, cùm ad urbem venerit, eadem lege Patres statuerunt: literasque iis de rebus ad magistratus *Cretenses* dederunt testes perpetuas Senatus in illum voluntatis.

Hieronymi Georgii studium in Rempublicam.

Miserant paulò antè *Ferrariam Decemvirûm* magistri *Petrum Vampum* è plebe hominem, qui se obtulerat classem ex *Venetis* navibus in flumine oppidi mœnia præterlabente custoditam succensurum: sed illum socii facinoris indicio proditum *Ferrarienses* interfecerunt. Ea re ad *Decemviros* delata, tribus *Vampi* filiabus parvulis victus est annuus è publica collegii pecunia cum domo, quam inhabitarent, dono datus, & dos, cum adoleverint, singulis auri sesquilibra constituta. Mulieri etiam viduæ *Corcyrensi*, cujus vir in fluminis oppidi *Istrici* oppugnatione interfectus fuerat, pecunia in victum annuum dari ab ejus insulæ quæstoribus imperata.

Petri Vampi filiabus ob patris meritum victus annuus datus, & dos constituta.

Sub hæc *Laurentius* è gente *Ursinorum* qui *Cere* oppidum obtinebat, mutatis jumentis *Roma* ad urbem venit, Patribusque salutatis sese obtulit eorum militiam facturum, dixitque id sibi *Julium* uti faceret, permisisse: suum comitatum equitum centum brevi adfuturum: qua vellent conditione se uterentur: nihil ipsum sibi præcipuum petere, nihil recusare: qua quidem oratione libentissimè audita, omnibus illum laudibus cumulatum Patres exceperunt, atque uti ad exercitum se conferret, ab eo petiverunt, quòd existimarent suo illum consilio legatis usui magnopere futurum interea, dum sui equites adveniunt. & quoniam sine armis venerat, ex comitii armamentario legendi sibi arma potestatem ei fecerunt, quod externo ante id tempus contigerat nulli.

Laurentius Ursinus Reipublicæ suum offert officium, cui arma dantur ex armamentario.

His ita constitutis rebus quòd suspicio Patres tenuit, propterea quòd in *Patavio* muniendo nihil non curæ diligentiæque adhibuissent, fossas purgavissent, muros propugnaculaque firmavissent, omnis generis commeatum, magnam tormentorum vim importari mandavissent, molas frumentarias perplures, quæ sine aqua usui essent, ædificari curavissent, cives è nobilitate, uti superiore anno fecerant, portis & mœnibus & foro præposuissent, fore, uti *Patavio* relicto hostes ad *Taurisum* obsidendum accederent, quòd minus in ea oppugnatione se laboris confiderent habituros: Senatus censuit, ut milites quatuor mille confestim undecumque scriberentur, atque iis Patrum collegium legeret qui præessent, *Chiriæumque Burgium* in primis, quem sibi unum à *Manfronio* commendatum, atque omnibus ornatum virtutis industriæque laudibus illis diebus cohorti esse præponendum statuissent. *Federicus Contarenus* sublegatus, *Citadellæ* qui erat, cum *Epirotis* CC. egressus hostium *Gallorum* turmam, quæ prædatum ad *Medoaci* ripas venerat, disjecit, atque ex illis quinquaginta cum eorum præfecto captivos fecit. *Germani* etiam, cùm ad *Clusæ* fines in primis *Alpibus* venissent, *Hieronymi Saorniani* adventu perterriti confestim recesserunt. Hostium autem universo exercitu *Citadellam* versus accedente, *Vanissaque* & *Thracibus*, qui se illi obviam longius provexerant, ab eo cum cæde repulsis, *Contarenus* sublegatus & *Alexander Bigolinus* oppidi retinendi spe deposita, præsidiis abductis *Patavium* sunt profecti. Paulóque post, cùm *Galli* propius *Venetos* ad *Limen* se castellum contulissent, pontesque duos in *Medoaco* facere cœpissent, ut exercitum reipublicæ aggredi commodius possent, legati concilio præfectorum coacto, non esse *Gallos* expectandos statuerunt, seque bene manè quarto Calendas *Julias* omni cum exercitu *Patavium* intulerunt. quos magna agrestium hominum multitudo cum uxoribus & liberis subsequuta, in oppidum recepta est, civibusque dispertita, apud quos esset, proque cujusque facultatibus aleretur. Verumenimvero cùm paulò pòst hostium exercitus *Bassianum* versus se promovisset, Senatus iterum *Tauriso* veritus, *Joannem Diedum* ex *Veneta* nobilitate virum fortem, militaribusque rebus assuetum, qui *Patavii* erat, eò legatum miserunt, ut unà cum *Mocenico* belli rebus præesset, qui quidem *Joannes* eo rejecto stipendio, quod ei Patres muneri obeundo decreverant, sua impensa reipublicæ laboranti operam se daturum proficiscens est pollicitus. militesque item quingenti, equites levissimi CC. à legatis *Patavio Taurisum* missi. Erant autem in hostium exercitu *Galli* equites gravioris armaturæ mille CC., levioris aliquanto plures, *Germani* ferè alteri totidem, ex æquo tamen inter se numero: milites in utrisque circiter undecim millia: sed ex iis *Germanorum* duplo ferè major, quàm *Gallorum* numerus erat, præterque hos *Alfonsus Ferrariensium* Princeps cum equitibus CC. Is exercitus depopulatis reipublicæ agris illorum finium, *Castellum Novum*, quod est in Alpibus, profectus, paucis defendentibus oppidum ce-

Patavium munitum.

Apparatus de Tauriso obsidendo.

Galli cæsi.

Germani fugati.

Gallorum exercitus.

Castellum Novum captum & incensum.

cepit, diripuit, incendit, ut nihil ex eo neque domorum, neque templorum, uno fano excepto, non ardens dirutumque sit relictum. Idem pòst *Feltria* passa est in majorem sui partem, ut à priore vastitate superfuerat, aut cives eam restituerant. *Cividale* quoque *Belunianum* parvo negotio captum, cùm civitas oppidum, uti *Feltriæ* acciderat, incendi nollet. Itemque *Scala*: nam qui eam defendebant, primis tormentorum pilis in eos jactis, & centurione interfecto, deditionem fecerunt. Eodem tempore in *Justinopolitanorum* finibus milites reipublicæ circiter quadringenti equitesque aliquot, insidiis ab hostibus dispositis capti ad septuaginta, interfecti ad X. pœnas imprudentiæ dederunt.

Feltria. *Cividale.* *Scala.*

Inter has bellicorum eventuum auditiones *Catharina Cornelia*, quæ *Cyprii* regis uxor fuerat, de qua in horum commentariorum priore libro scripsimus, sexto Nonas *Julias* stomachi vitio in urbe mortem obiit, annum agens quartum & quinquagesimum: elataque est à Patribus magna frequentia civitatis è *Cassiani* ad Apostolorum fanum ponte navibus imposito, quo ad minuendum viæ spatium aqua, quam *Canalem magnum* appellant, transmittenda duceretur, atque ab *Andrea Naugerio* laudata. eoque postea in fano *Georgius Cornelius* frater, templi *Marcii* procurator, sepulchrum marmoreum cum ædicula sorori optimè de se meritæ faciendum curavit.

Reginæ *Cypri* obitus ejusque sepultura.

Interim quoniam *Julii* postulatione, ut classis reipublicæ ad *Genuam* à *Gallis* avertendam in mare superum vela facere juberetur, ab *Decemviris*, qui eam dies aliquot suo in collegio continuerant, superiore desinente mense ad Senatum prolata, Senatusconsultum factum fuerat, triremes duodecim, & biremem unam, quæ *Corcyræ* essent, *Centumcellas* celeriter mitti oportere, quæ *Julio* præstò essent: alterum Senatusconsultum factum est, dandas esse *Julio* literas, quibus certior fieret, naves triremes majores duas ex iis, quas *Nothas* appellant, & minorem unam, quæ ad urbem sint, Senatum armari confestim jussisse, ut *Centumcellas* classi priori submitterentur. Hæc ea re à Patribus fiebant, ut *Julii* animum, quem experti fuerant & superbum & perferocem esse, his officiis delinitum procliviorem haberent ad bellum *Gallis* & *Alfonso* inferendum. quæ quidem ei gratissima acciderunt. Sed cùm videret classis adventum tardiorem expectatione sua esse, moræ impatiens legato reipublicæ accersito dixit, statuisse se tribus cum longis navibus *Genuam* aggredi: misisse *Viam regiam Marcum Antonium Columnam*: missurum cras *Octavianum Fregosium*, *Francisci Mariæ Metaurensium* ducis fratris sui filii consobrinum, magna adolescentem virtute, magna inter cives suos autoritate, propter factiones, quas majores sui vetusto more civitatis exercuerant: qui quoniam quartana esset implicitus, petere à Senatu, ut & ipse *Janem Fregosium* confestim eòdem mittat, ut unà cum illo rem juvet. Quibus de rebus Patres acceptis à legato literis, *Jani Patavio* evocato *Julii* petitionem ostenderunt, atque is, Patribus hortantibus, libenti animo statim conscendens *Ravennam* est profectus, ut inde pedibus, mutatis jumentis, *Viam regiam* contenderet.

Senatusconsultum de auxiliis *Julio* Pontifici mittendis.

Julii Pontificis superbum & impatiens ingenium.

Sub hæc equites *Hispani* gravioris armaturæ quatercenti *Vicetiæ* appropinquaverant, ut cum hostibus reipublicæ se conjungerent: tametsi *Julius Donato* legato pollicitus fuisset, id illos non facturos: ita sibi cum *Ferdinandi* regis legato convenisse: à quo publicè illis ipsis diebus tributi nomine pro regni *Neapolitani* permissione equum album acceperat, quem quidem ea conditione sublata non fuisset accepturus.

Hispaniæ rex equum al-

A Idem *Julius Troilo Sabello* petenti, ut ejus voluntate ad reipublicæ stipendia facienda conferre sese posset, libenti animo permisit.

bum tributi nomine ad Pontificem mittit.

Lecabuas interea *Epirota* triginta equitum præfectus, *Patavii* qui erat, ab agrestibus admonitus, citra *Medoacum*, quem magna hostium exercitus pars trajecerat, certo in pago equites *Germanos* ferè centum divertisse, indiligenterque ibi & incustoditè versari, eò profectus, atque illos improvisò aggressus, cùm unum ex ejus turma temerè progressum hostes interfecissent, ipse reliquique tam acriter in illos impetum fecerunt, ut quadraginta ex eis interfectis, quindecim captis, equis abductis, se *Patavium* cum præda victor receperit.

Germani equites cæsi.

B

Patres, quibus *Julius* non semel autor fuisset, ut *Franciscum Mantuanorum* principem missum facerent, demum etiam ut ad sese mitterent, se illum recturum, & in officio contenturum, atque ita *Mantuam* in *Gallorum* partibus non futuram: *Donato* legato scripserunt, sese *Julio* obtemperaturos, atque illum in trireme *Ariminum* missuros: tametsi, propterea quòd imperatoris magnopere indigebat reipublicæ exercitus, cogitaverat Senatus illum suis copiis præficere. Itaque *Franciscus* postridie custodia C eductus, atque inter Patres per forum ad aquam perductus, unà cum *Bartholomæo Contareno*, *Daniele Vendramino*, quos ei principis collegium comites & curatores dederat *Ariminum* usque, conscendens est profectus. Equites quibus *Janes Fregosius* præerat, qui quidem erant ii, quos stipendiarios habuerat *Nicolaus* imperator, Senatusconsulto attributi sunt *Laurentio*, qui *Cere* obtinebat, usque ad *Janis* ad urbem reditum: suusque ipsi equitum centum quinquaginta gravis armaturæ constitutus numerus, cum auri libra in victum mensibus singulis. *Pauloque Manfronio* ejusdem generis equitum auctus numerus D ad centum. quodque hostium exercitus unà cum equitibus *Hispanis*, de quibus suprà diximus, *Patavio* appropinquaverat, ut omnes crederent eum ad oppidi mœnia venturum: neque deerat suspicio ab amicis reipublicæ ad legatos delata, ex iis qui *Patavium* custodiebant, nonnullos cum hostibus consensisse, oppidique portam eis tradituros: eodem Senatusconsulto jussum, ut præter *Citolum Perusinum* cum sua cohorte, equites peditesque universi, qui *Taurisi* essent, & tormentorum magistri, sine mora *Patavium* proficiscerentur: utque legatis pecunia suppeteret, præter eas, quas superioribus diebus sæpe miserant, centum auri libræ, à civibus mutuò accep- E tæ, sunt ad illos missæ. Eo in tumultu quòd *Angelus Trivisanus*, qui ob classem in *Pado* amissam in exilium missus fuerat, reipublicæ est pollicitus, se *Patavium* cum militibus centum quinquaginta iturum, eique urbi præsidio mensem totum sua impensa futurum, si restituatur: lex est in comitio perlata, ea illum conditione ab exilio revocari reipublicæ placere. atque is intra biduum eo cum militum numero se in oppidum intulit. *Philippum* quoque *Maurocenum*, quem quidem ob vulneratum ab eo *Robertum Maurocenum* consobrinum suum XL. viri in carcerem conjecerant, auri libris X. in ærarium F illatis, *Decemviri* libertati & civitati restituerunt.

Franciscus Mantuanorum dux à *Venetis* dimittitur.

Patavini quidam de proditione suspecti.

Angelus Trivisanus quibus conditionibus ab exilio revocatus.

Robertus Maurocenus carcere liberatus.

Hostes cùm dies aliquot de adventu suo *Patavium* suspensum tenuissent, *Monsilice* sunt profecti, tormentisque positis oppidum verberare occœperunt, murosque duabus à partibus dejecerunt. Interim *Epirotæ* XX. *Patavio* emissi, omnemque agrum percurrentes, *Sonzinum Benzonium*, qui se ad hostium exercitum *Verona* con-

Monsilice à *Gallis* oppugnatur.

conferebat, quorum erat rei frumentariæ procurator, in itinere ceperunt non longè à *Montaniano*, cum equitibus paucis & jumentis sarcinariis plerisque, & captum *Patavium* adduxerunt: quem quidem hominem, propterea quòd cùm civitate & jure comitiorum majoribus suis tradito frueretur, & præterea stipendia reipublicæ faceret, planè Senatui charissimus, anno superiore in clade exercitus *Cremam* à legato missus, id oppidum *Gallis* hostibus tradiderat, posteaque semper bellum reipublicæ fecerat, legati laqueo gula fracta, vetusto in proditores exemplo pedibus suspendi mandaverunt. *Stanio Clementi Epirotæ* & tribus ejus equitibus, qui *Sonzinum* ceperant, pensiones sunt annuæ omnibus suffragiis à Senatu dono datæ: ipsi uni & militiæ insignia, & vestis aurea superaddita.

Proditoris patriæ pœna.

Legatus Pontificis ad *Maximilianum* missus.

Constantinus Arenites Epirota Maximiliano Julioque charus, ab *Julio* ad *Maximilianum* missus, ut illum reipublicæ placaret, pacemque ac fœdus inter eos conficeret, *Roma Venetias* venit ea in triremi, quæ *Franciscum Mantuanorum* principem *Ariminum* adduxerat: *Lauredanoque* & Patribus salutatis, atque ab iis liberaliter acceptus, aurique libris quatuor & equo peregregio donatus, *Taurisum* atque inde in *Alpes* contendit.

Dionysii Naldii obitus.

Dionysius Naldius Faventinus, militum reipublicæ præfectus, vir fortis, complures dies febribus non remittentibus vexatus, atque ad urbem delatus, morbo cedens periit. cadaver in æde *Gemellorum* apud imperatoris *Nicolai* cadaver positum, domus fundique à republica illi, quoad viveret, dono dati, ut ad ejus filiam, quam unam puellam reliquerat, transirent, Senatus censuit. *Dionysii* milites *Vincentio Naldio* ejus consobrino sunt traditi, ut, quòd erant plerique *Faventini*, facilius ab illo regerentur. Inter hæc *Monsilice* ab hostibus capitur. Ea in re *Palitiæ Galli* opera egregia fuit: is enim pedes in primis cum suis per eam muri partem, quam tormenta dejecerant, irrumpens occasionem reliquis dedit, ut omnes unà propugnatoribus dejectis, in oppidum se inferrent. *Hispani* ab alia muri diruti parte idem & ipsi fecerunt, neque se à *Gallis* virtute superari permiserunt. Tormenta ejusmodi rotis erant imposita, ut ab extrema parte ad terram prona fieri, à priore in fastigium erigi nullo negotio possent, ad pilas in sublime ejiciendas. ea sic aptata usui magnopere fuerunt. cædes est ab hostibus ingens atque indiscretè facta: tametsi etiam ex ipsis ciciderunt non sanè pauci. Arx usque ad noctem defensa est. *Sebastianum Naugerium* oppidi præfectum, ab *Hispano* captum milite, ignaro quisnam esset, cùm ei pollicitus fuisset auri libram, uti se redimeret, daturum, *Vascones* eam rem improbantes interfecerunt. Arcis item præfectus cum centurionibus & militibus permultis interiit. Hostium exercitus timore agrestes eorum finium ad millia duodecim *Fossam Clodiam* profugerunt: quibus ea civitas, uti poterat, è publica pecunia in victum est elargita.

Monsilice ab hostibus capitur.

Joannis Sfortiæ obitus.

Joannes Sfortia, qui *Pisaurum* obtinebat, illis diebus suo in oppido mortuus filium reliquit, quem *Junipera Matthæi Teupoli*, civis *Veneti*, filia uxor sex menses ante patris mortem pepererat. *Galeatius* frater nothus ex ejus testamento regnum administrandum iniit, literasque ad Senatum ea de re dedit.

Julii Pontificis cum *Alphonso* belli initium.

Hostes commeatus inopia propè coacti *Monsilice* abierunt *Montanianum* & *Lemniacum* versus, abeuntesque arcem incenderunt. id incendium ab iis, qui *Patavii* erant, facilè conspectum, eorum abitus indicium fuit. *Monsilice* capto, quòd *Julius* missis in *Ferrariensium* fines suis copiis aliquot castella jam ceperat, *Alfonsus* cum *Gallis* equitibus CCC. præter suos, & *Hispanis* militibus non plurimis, & suis cum tormentis domum rediit ad bellum *Julianum* propulsandum. Et *Chiriacus Burgius* cum sexcentis militibus ex *Apennini* jugis vallibusque ad reipublicæ stipendia sese conferens *Fossam Clodiam* venerat.

Patres sæpe consulti quisnam esset ad copiarum reipublicæ imperium præfectis reliquis anteferendus, sententiaque legatorum ea de re per literas non semel cognita, *Lucium Bononiensem* declaraverunt, exercituique præfecerunt: cui libras auri duas in victum singulis mensibus præter eam stipem, quam antea Senatus ei constituerat, addiderunt. Lecti postea sunt à principis collegio, qui ei vexillum & sceptrum, ejus imperii insignia, *Patavium* adferrent, *Laurentius Orius*, *Petrus Maurocenus*, ambo ex Quinqueviris adolescentioribus, qui rebus bellicis maritimis in Senatu tractandis præficiuntur. Literas etiam Patres *Romam* ad legatum dederunt, quibus à *Julio* petebant, ut *Joanni Paulo Balioni Perusino* permitteret, ut ejus voluntate reipublicæ stipendia facere posset: idque sunt facillimè consequuti. Paucis pòst diebus *Martini Burgii* & *Philippi Græci* centurionum, qui *Monsilice* interfecti fuerant, liberis & ii sunt fundi dono dati, quos Senatus eorum antea patribus dederat: & militum numerus cum stipendio attributus. Atque in comitio *Michael Naugerius*, *Sebastiani Naugerii* item interfecti, pater, in filii mortis solatium omnibus suffragiis Triumvir proventibus reipublicæ procurandis declaratus.

Lucius Bononiensis exercitus Imperator declaratur.

Lex de salis procuratoribus.

Lex etiam perlata, quam quidem menses aliquot antea Senatus censuerat, ut Sexviri sale procurando ad quatuor redigerentur: isque postea numerus magistratuum in collegio fuit.

Julii in *Genuenses* conatus irriti.

Jamque ad nihilum conatus *Juliani* reciderant, in *Genuensium* civitate à *Gallorum* dominatione vindicanda, cùm se illi, antequam & reipublicæ classis & terrestres *Julii* non magnæ copiæ ad eos fines accederent, & classe & militibus peropportunè muniissent. Ea in re tentanda *Joannes Franciscus Polanus* triremis reipublicæ præfectus pila ferrea percussus interiit. Neque non tamen *Hieronymi Contareni* præfecti classis industria omnibus in rebus diligens, quantum esse potuit, fuit: itaque infecta re *Marcum Antonium Columnam* & *Fregosios* & majorem militum partem suis in navibus recipiens, *Centumcellas* rediit, indeque ad urbem pedibus *Julii* vocatu sese contulit: atque eo liberaliter acceptus, epulisque adhibitus, & stipe ad panem remigum donatus auri libris duabus, jussus est classem, & militum manum longè numerosiorem ad rem iterum tentandam propediem conficere: suaque *Julius* consilia patefecit, atque ad naves longas majores reipublicæ, de quibus supra dictum est, celeriter accersendas, tabellarium cum literis *Corcyram* misit.

Classis *Centumcellas* reditus.

Pannonia rex *Venetis* bellum indicit, nec tamen infert.

Eo ferè tempore *Uladislaus Pannoniæ* rex *Ludovici Gallorum* regis & *Maximiliani* assiduis hortationibus petitionibusque permotus, in suorum principum concilium *Petro Pascalio* legato reipublicæ adhibito proposuit, statuisse se bellum reipublicæ inferre, nisi *Dalmatas* suos quondam populos sibi restituat: nolle se ulterius ea ditione, quæ majorum suorum fuerit, carere: si respublica sua voluntate eam tradat, se illi amicum futurum: sin bellum malit, citò eam cognituram, quàm præstet pacatè restituere, quod retineri bello non possit. Legatus cùm vellet pro Senatu verba facere, reique publicæ causam tueri, ab illis est prohibitus: itaque quod unum in sua esset

ſet poteſtate, ſe de eo Patres certiores facturum dixit: tempus petere, ut quid ad ea reſpondeant, ſciri poſſit. Eo concilio dimiſſo, fuere nonnulli ex iis ipſis, qui in concilio fuerant, qui ſecretò ad legatum detulerunt, bono animo eſſet, bellum regem facere non poſſe, quòd numi non ſuppeterent: ſatisfactum ea denuntiatione, cùm regibus petentibus, tum principibus aliquot *Pannonicis*, quos ſuæ ipſorum cupiditates impellebant, ut bellum ſuaderent: ſed re nullum fore bellum: quod ita eſſe poſtea eventu ipſo patuit.

Hoſtium *Monſilice* diſceſſus.

Hoſtium autem, qui *Monſilice* abierant, pars *Vicetiam* profecti, tormenta, quæ priore adventu in oppidum intulerant, ibique reliquerant, abſtulerunt *Germani Vaſconeſque*, quos adibant pagos villaſque, incendiorum vaſtitate plerumque fœdatas relinquebant, *Galli* cùm vellent à reliquo exercitu recedere *Mediolanum* verſus, ab rege literas acceperunt, quibus in literis jubebantur, duos etiam menſes cum *Germanis* belli fortunam experiri. Cives *Veneti*, qui miſſu Patrum *Patavii* portis & mœnibus præfuerant, à legatis ſunt dimiſſi. Ex iis *Angelus Quirinus* legatorum ad Patres literis laudatus, quod magna diligentia cum eo comitatu, quem adduxerat, in ſua tuenda porta eſſet uſus, ſine ulla præterea ſtipe reipublicæ, quam reliqui omnes accepiſſent, ſed impenſa unius ſua, ad *Lauredanum* principem & ad Patrum collegium domum rediens cùm ſe, ut mos erat, contuliſſet, ſuæ in rempublicam liberalitatis & virtutis fructum tulit, ipſorum & totius civitatis in ſeſe benevolentiam. *Citadella*, *Baſſianum*, *Aſulum*, poſt hoſtium abitum non magno ſunt negotio recepta: *Maroſtica* etiam, ſed difficilius aliquanto, arce tormentis expugnata, captique in ea *Germani* milites cum eorum centurione non pauci, & inermes omnes dimiſſi. capti & *Tauriſani* rebelles aliquot, atque à *Mocenico* legato, qui aderat, ſupplicio affecti. Interim *Troilus Sabellus* ex *Romanis* principibus reipublicæ militiam facturus ad urbem venit, cum in itinere equites ſeptuaginta reliquiſſet. eum Patres liberaliter exceperunt. Iidem Patres *Joanni Beltramio Hiſpano* mercatori ſanè induſtrio, qui ob *Julianas* interminationes *Ferrariam* ab urbe ſe contulerat, petenti ut tutum ſe liberoſque ſuos facerent ab iis tributis, quæ ſunt ab ipſis ante eum diem in ærarium inferri juſſa, ita ſe in urbem reverſurum, neque poſtea diſceſſurum, libenter annuerunt: literaſque ad illum ejus rei obſides dederunt.

Liberalitatis & virtutis in patriam remuneratio.

Loca quædam recuperata.

Joannes Beltramius Mercator recipitur.

Julii Pontificis in *Alfonſum* edictum.

Julius autem magnopere in *Alfonſum* incenſus, expugnatis oppidis nonnullis ab ejus copiarum imperatore adoleſcente *Franciſco Maria Metaurenſium* duce, *Joanne Paulo Balione* equitum præfecto, in primis ab *Ravenna Faventiaque* finibus, à Senatu petiit, ut ſuos equites leviſſimos & ipſe ab alio finium latere in ejus regnum prædabundos immitteret: atque ipſe primùm *Romæ* in Cardinalium collegio edictum in *Alfonſum* promulgavit, in quo rebellem illum in ſeſe *Romanamque* rempublicam ſæpe appellabat: deinde id edictum & in valvis templorum *Romæ* affigi, & *Bononiæ* in foro recitari, perque orbem terrarum vulgatis impreſſione tabulis omnibus in urbibus atque locis proponi atque appendi mandavit. Præter hæc augendo eo, quem in illius fines induxerat, exercitu, duo alia *Helvetiorum* millia, ſtipendio ad eos miſſo, per ſuos internuntios accerſivit. Minis etiam & maledictis *Aloiſium Gallorum* regem omnibus in ſermonibus quotidie inſectabatur, onerabatque perfidiæ in Chriſti vicarios notâ, quorum ipſe tutelam & propugnationem clariſſimo vocabulo præ ſe ferret, perterrere illum volens, ne ulterius *Alphonſum* tueretur, miſſaque ad illum auxilia ſua revocaret. Quibus de rebus *Aloiſius* certior factus, animum propè induxerat, ut ſe ab *Alphonſo* defendendo abſtineret, præſertim quòd ejus uxor *Anna* regina, optima ſanctiſſimaque fœmina, quæ prægnans tunc erat, magnopere virum quotidianis precibus obteſtabatur, ne arma in *Romanum* Pontificem exerceret: exiſtimari ſeſe ventrem, quem ferebat, aliter proſperè ſe non geſtaturam. vehementiſſimè autem rex cupiebat prolem, quam adhuc nullam habebat, ex ea ſuſcipere.

Julii Pontificis in regem *Gallorum* maledicta.

Rex cur Pontificis minas veritus ſit.

Alienandæ verò ab *Aloiſio Genuenſium* civitatis cogitationem *Julius* non modò non abjecerat, non proſpero eventu rerum deterritus, ſed etiam auxerat, ardentior repulsâ irritatiorque factus: itaque ad naves duas onerarias maximas conducendas atque armandas, & claſſem reliquam addendas *Neapolim* miſit: *Helvetioſque* priore à ſe ſtipendio in regis fines impulſos, ad *Genuam* expugnandam eſſe adducendos cogitavit. quas ad res id ei etiam animos addiderat, quòd pleroſque ex iis, qui *Romæ* erant ſacerdotes magnis theſauris præditi, ea æſtate mors abſtulerat: quibus theſauris jure ad ſe redeuntibus ditior factus, fortunam ipſam favere ſuis rebus cogitationibuſque dictitabat, planéque gloriabatur. Senatus autem, uti *Julio* ſatisfieret, naves triremes duas & biremes aliaque navigia perplura armari, *Marcoque Antonio Contareno*, qui ad *Foſſam Clodiam* cum triremi una erat, mitti oportere legem ſcivit: quam ille claſſem *Pado* flumine in *Alfonſi* fines induceret: edictumque in foro proponi juſſit, qui prædam vellent in *Alfonſi* finibus facere, per rempublicam licere, dum ab incendiis prorſus abſtineant. Quamobrem ducentæ fere privatorum hominum naviculæ paulò pòſt ſe ad præfectos reipublicæ in *Pado* contulerunt. *Vincentium* etiam *Guidotium* ſcribam ſuum *Bononiam* miſit, ut apud Cardinalem *Papienſem*, qui ampliſſima cum poteſtate ei urbi & toti *Flaminiæ* rebuſque in bellum adminiſtrandis præerat, reipublicæ nomine eſſet: ita enim *Julius* petierat. Eodem tempore ab legatis *Patavio* Senatus juſſu equites leviores CC. cum militibus CCCC. *Leonardo Apulo* & *Meleagro Forolivienſi* ducibus in *Rhodigianos* fines miſſi: & triremes nothæ duæ, atque una levioris generis, cui *Franciſcus Cornelius Georgii* filius præerat, *Hoſtiam* appulerunt, deindeque cum reliqua ſe claſſe *Centumcellis* conjunxerunt. & *Hieronymus Contarenus*, vexillo cum clavibus & corona triplici ab *Julio* cupidè ad ſe miſſo, ut ea ſui etiam juris eſſe claſſis videretur, unà cum vexillo reipublicæ, Patribus permittentibus, deinceps eſt uſus cum fœderis præfecti nomine: *Francumque Ghibertum* unum ex iis, qui ærarii *Romani* cauſas adminiſtrant, quem *Julius* præfecti ſocium eſſe voluit, ut ita maximè ei claſſi ſuam autoritatem impertiret, apud ſe ſua in triremi habuit. Eum *Ghibertum* cùm *Julius* in collegio Cardinalium ad id munus publicè legeret, ad *Gallos Italia* expellendos, remque *Venetam* juvandam, ſeſe legere palàm dixit. Poſt hæc ad *Contarenum* miſit, ut claſſem *Hoſtiam* adduceret: quam cùm diligenter inſpexiſſet, ampliterque probaviſſet, vini *Corſi* carros ſexdecim, boves ſexdecim (tot enim erant naves) hircos genitalibus defectis bis totidem, panis cum ſemel cocti tum bis cocti magnum numerum ei dono in claſſem miſit: cumque ea claſſe poſtridie ſua in triremi *Centumcellas* eſt profectus. Eo deinde *Viterbium* petente, *Contarenus* ſuos remiges ſocioſque cùm tentari valetudine videret, per *Senenſium* portus, qui eo in tractu maris ſunt, quoſque ultrò civitas ob veterem in

Julii machinamenta in *Genuenſes*.

Julii Pontificis vexillum.

 rem-

rempublicam benevolentiam ei obtulerat, claſſem circumduxit. Jamque ab *Julii* exercitu arce *Lugiana* vi expugnata, *Vaſconibusque* ducentis, qui in ea erant, interfectis, *Mutina* oppidum, ne poſtea graviora perpeti cogeretur, ejus ſe miniſtris, qui illò copias converterant, certis conditionibus interpoſitis tradidit. Et *Marcus Antonius Contarenus*, ut erat ei à Senatu imperatum, *Pado* ſubvectus *Rhodigianos* ad deditionem compulit. *Mocenicus* quoque legatus, qui ſe cum *Citolo Peruſino* & equitibus levioribus perplurimis in *Alpes* intulerat, ut *Cividale Belunianum* expugnaret (quæ civitas in *Maximiliani* partibus obſtinatè *Joanne Diedo* altero legato antea cum copiis eò miſſo, ſe continuerat) muro tormentis perforato, cùm ſe milites vellent intromittere, nulla ſpe oppidanis reliqua ſe tuendi, ne urbs honeſta diriperetur, *Citolo* adjuvante illos continuit, & pacatè oppido eſt potitus.

Lugiana arx expugnata. *Mutina.* *Rhodigiani.* *Cividale Belunianum.*

Belli ſucceſſus.

Poſt hæc & qui in *Alfonſi* fines ſe intulerant reipublicæ præfecti, omnia ferè earum regionum oppida caſtellaque in ſuam poteſtatem redegerant: & *Julianæ* item copiæ captis municipiis, eo ab latere quæ erant, magna ex parte, *Ferrariam*, cui urbi appropinquaverant, jamjamque irrumpere ſe poſſe confidebant. *Grittus* verò & *Capellus* legati Senatus permiſſu *Patavio* cum exercitu egreſſi, non *Vicetiam* modò reliquaque finium eorum municipia nullo negotio receperunt, ſed hoſtes etiam, qui ſe in *Veronæ* finibus noſtros veriti, aquarum derivatione atque aggeribus communierant, ad vicina eis loca motis caſtris in oppidum compulerunt. quo in itinere præmiſſi equites leviſſimi, ut illos laceſſerent, non ſemel & prædam & cædem fecerunt, & captivos abduxerunt. Patres interim *Laurentium Ceretanum* omnibus ſuis militibus præfecerunt, & *Naldio Faventino* penſionem annuam librarum auri quinque, quoad viveret, perſolvi mandaverunt.

Venetorum de *Brixia* capienda conſilia.

Dum hæc adminiſtrarentur, cum *Joanne Franciſco Gambara* homine inter civitatis *Brixianæ* principes claro, qui anno ſuperiore turmæ equitum reipublicæ præfectus ob ſimultatem, quam cum uno ex *Lauredanis* civibus *Venetis* graviter ab eo offenſus exercebat, in clade exercitus ad *Gallos* hoſtes ſua cum turma tranſierat, atque ab rege ſtipendio accepto, in ejus exercitu poſtea contra rempublicam ſemper fuerat, Cardinalis *Papienſis* per ſuos internuntios clàm ad eum miſſos egit, ut dare operam vellet efficereque, ſua ut civitas ad rempublicam rediret. Ille autem, cui quidem *Gallorum* imperii valde jam pertæſum eſſet, ita ſe rem facturum eſt pollicitus, ſi reſpublica eum ſibi apud ſe gratiæ locum, quem habebat ante cladem, reſtituat. Ea de re Cardinalis *Julium* certiorem facit. *Julius* per *Donatum* legatum à Senatu poſtulat, ut ſuam fidem *Joanni Franciſco* det, fore uti ipſemet conſtituiſſet, ſi reipublicæ *Brixiam* tradiderit: addiditque habere ſe etiam, qui ſint *Parmam* ſibi oppidum iiſdem artibus tradituri: itaque ſperare ſe brevi *Gallos Italia* ejecturum. *Donati* literæ iis de rebus ad Senatum perlatæ magnam in ſpem belli celeriter conficiendi Patres erexerunt: itaque Senatuſconſultum factum eſt, de *Joanne Franciſco Gambara* ita fore, uti ipſe conſtituiſſet, ſi *Brixiam* reipublicæ reſtituat: ſuam ei fidem *Julius* interponeret, Senatus illam omnibus numeris ſervaturum: magno ſilentio imperato, ne quid ejus ſciri poſſet. Iidem Patres, *Julio* permittente, literas ad *Franciſcum Mantuanorum* principem dederunt, velle ſe imperium reipublicæ copiarum ei tradere: mitteret ad urbem ſuum hominem, qui cum res tranſigi poſſit.

Helvetiorum in *Gallici* regni fines irruptio.

Triultius inter hæc *Brixia Mediolanum* proficiſcens propter *Helvetiorum* in *Gallici* regis fines impreſſionem, tormenta ibi quæ erant, ſecum ut ferrentur, imperavit. *Helvetii* autem cùm ad *Abduæ* fluminis è lacu *Lario* exitum *Galli* eis occurriſſent, binis eos cladibus affecerant. Legati reipublicæ non longè à *Verona*, qui erant certiores facti hoſtes in timore eſſe, neque ſatis ſibi confidere: cùm non longius ab eorum caſtris paſſuum ſex aut ſeptem millibus abeſſent, ſingulis centurionibus & equitum præfectis appellatis interrogatiſque, vellentne atque auderent cum hoſtibus confligere: atque ab omnibus reſponſo alacriter dato, nihil ſe malle, quàm pugnare, atque ab ipſis periculum de ſua virtute fieri, communi conſenſu ſtatuerunt illos aggredi: itaque præmiſſis equitibus levioribus ſexcentis, qui hoſtes morarentur, caſtra enim jam moverant, ſubſequi ipſi omni cum exercitu cœperunt. Equites ſuam operam legatis præſtiterunt. quòd ſi illi etiam in eo, quod conſtituerant, perſtitiſſent, bellum confici eo die profectò poterat: fuſis enim fugatiſque iis, quod erat ſanè perfacilè (nam propter *Gallorum* abitum qui partim *Ferrariam*, partim *Mediolanum* receſſerant, ad non magnum redacti erant numerum) neque *Verona*, neque *Brixia*, neque reliquorum oppidum ullum in hoſtium manere partibus perſeveraviſſet. Verumenimvero fortuna, quæ reipublicæ invidere non deſierat, *Lucii*, qui exercitum regebat, animum ſocordia infecit, ut ille ſæpe ſuos in itinere aliam atque aliam ob cauſam inanem quidem atque futilem remorando tempus triverit, dum hoſtes ſe in oppidum reciperent: quos tamen iidem equites conſectati, tantum eis formidinis injecerunt, ut qui intraverant, portæ pontem erigentes viginti quatuor ex ſuis oppido excluſerint: quos noſtri captivos fecerunt, *Epirotamque* unum, qui ſe cum hoſtibus injecerat, amiſerunt.

Britanniæ rex à republica arcuum millia quadraginta petit.

Domi autem *Henrico Britanniæ* regi per literas petenti, ut arcuum millia quadraginta ex urbe aſportare ſuis hominibus liceret: etſi id contra leges erat, Senatus tamen ob veterem cum rege benevolentiam de media ejus numeri parte permiſit.

Lex de magiſtratibus rempublicam in ſenatu procurantibus.

Atque ut cum pacatæ rei memoria huic decimo meorum commentariorum libro finis imponatur, *Decemviri* cùm viderent in magiſtratibus, qui rempublicam in Senatu procurant, nullum diſcrimen collegarum fieri, legem ſciverunt, nemini eſſe in eis magiſtratibus licere, cui eſſe in illis magiſtratibus, quos comitia declarant, propter propinquitates affinitateſque non liceat.

PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI UNDECIMI

EPITOME.

V*Eneta* classis cum Pontificis copiis tertiò *Genuam* petit, & cum *Gallica* congreditur ac redit. Pontifex *Bononiam* se confert, ejusque in *Alphonsum* bellum. *Veneti Veronam* oppugnant, & obsidionem solvunt. *Veneta* classis in *Alphonsum* missa frangitur. Altera classis in eundem mittitur, resque terra inter eosdem gestæ. *Gallorum* prope *Montanianum* clades. *Franciscus Mantuæ* princeps, *Veneti* ac Pontificii exercitus imperator declaratur. Lex de ambitu *Venetiis* lata. *Venetorum* in *Tesinum* regionem excursio. Pontifex *Gallis* igni & aqua interdicit. Reipublicæ & *Julii* exercitus contra *Alphonsum* conjunguntur, eorumque res gestæ. Exercitus iterum *Veronam* mittitur, indeque re infecta recedit. Concordia à *Venetis* capitur. Infans biceps in urbe natus. *Gallorum* ad *Setiam* clades. *Mirandula* à *Julio* capitur. Idemque *Mutinam Maximiliano* tradit. *Alphonsus Julii* exercitum fundit. *Venetiis* & in imperio terra tremuit. Concordia à *Gallis* recuperatur. *Bononia* à *Gallis* & *Bentivolis* capitur. *Veneti* prope *Bononiam* à montanis hominibus fracti. *Alidosius* Cardinalis à *Francisco Maria* trucidatur. *Julii* in *Bononienses* edictum. Concilium *Pisis* indicitur, & ad id Pontifex vocatur. Variæ in *Carnis* pugnæ. *Venetorum* prope *Veronam* clades. *Taurisum* miro artificio munitur.

LIBER UNDECIMUS.



ULIUS à *Centumcellis* per *Aureliam* proficiscens, *Genuensium* civitatis à *Gallorum* imperio avertendæ cupiditate in dies magis magisque ardens, *Corytum* profectus est, ibique in littore cum præfecto classis *Venetæ Contareno*, quam quidem classem illò adduci jusserat, hilariter pransus, classiariis ferè universis se adeuntibus mira facilitate ad pedis osculum admissis, & militibus quatercentum in triremes impositis, iterum ei, ut celeriter in *Liguriam* contenderet, imperavit: qui confestim *Populoniam* se contulit. Quoniam autem triremes *Venetæ* in *Ægeo* mari navem magnam *Genuensium* mercibus onustam ceperant, per *Donatum* legatum, perque suas literas à Senatu petiit, ut eam navem *Genuensibus* restitueret, eo illos munere lenire cupiens. Patres servatam apud *Corcyrenses* navem omnibus cum mercibus *Genuensium* internuntio tradi mandaverunt.

Veneta classis cum Pontificiis copiis tertio contra Genuam.

Iidem Patres, quòd *Lucii* timore atque ignavia hostibus elapsis pulcherrimam *Veronæ* capiendæ occasionem turpiter amiserant, indignabundi de *Julii* consilio, qui *Romam* redierat, *Franciscum Mantuanorum* principem suarum copiarum omnium imperatorem faciunt, eodem ferè Senatusconsulto, quo antea quàm honorificentissimo fecerant. Is cum imperium non modò libentissimè, sed etiam hilariter, ut videbatur, accepisset, deque eo immortales gratias Senatui egisset, seque ad exercitum atque ad legatos brevi iturum recepisset, dum equites cogere, dum comparare sese, per literas perque suos interpretes ad urbem sæpe missos certiores Patres facit, cùm etiam contra priorem animi sui alacritatem Senatusconsulto non contentus, duriores reipublicæ conditiones interponit, pedem *Mantua* nusquam protulit. Interim *Troilo Sabello*, de quo suprà dictum est, equites gravioris armaturæ centum, levioris qui sagittis uterentur, alteri totidem à Senatu traditi: *Thracisque* hominis, qui equites levissimos ducentos in *Epiro* paratos habebat, oblatio accepta ut reipublicæ militiam facerent, auri semuncia ipsis singulis in menses A singulos, eorum præfectis unica cum sextante stipendium constituta: jussique quamprimum conscendere. In *Forojuliensibus* autem cùm hostes cogi, ut in eos impetum facerent, undequaque dicerentur, *Joannes Viturius*, vir magni animi, qui in *Saciliensibus* magistratum gerebat, ad illos legatus est à Senatu missus. *Julius* iterum *Roma* per *Flaminiam* profectus à *Spoleto* in dexteram flectens, ad templum *Lauretanum* se contulit, ibique in Virginis ædicula sacris à semet peractis, *Anconam* venit, ut *Bononiam* ad bellum, quod cum *Alfonso* gerebat, administrandum procederet.

Franciscus Mantuanorum dux fit Imperator exercitus Venetorum.

Julius Pontifex ad bellum proficiscitur.

B Legati *Veneti* & *Lucius* præfectus in campis *Martinianis* recenso exercitu, tormentisque à *Lactantio*, qui eorum curam gerebat, ad *Veronæ* muros positis, eos dejicere oppidi capiendi spe adoriuntur. Id cùm dies aliquot fecissent, partemque non parvam diruissent, quòd mons difficultatem magnam dabat, aggredi omnibus copiis atque irrumpere non sunt ausi, cùm id facere debuissent: milites enim & audebant quæ proponebantur, & quæ imperabantur obibant magno animo: sed inerat in *Lucio* incredibilis omnium rerum, etiam non magnopere timendarum, suspensio animi, & cordis gelidus quidam C pavor, qui eum retinebat, ne quid egregium atque altum auderet: quem tamen timorem verbis & prudentiæ simulatione tegebat, ut non facilè appareret, utrum timidior, an prudentior esset. In ea oppugnatione dum tempus terunt, hostes ex oppido prima luce repentè egressi ad tormenta configenda, quæ indiligenter custodiebantur, convolaverunt: nam *Lactantius* pridie ejus diei pilæ jactu in femore percussus, curando vulneri *Patavium* se perferri voluerat: parvoque negotio repulsis qui aderant, quod intenderant, assequebantur: cum *Citolus*, clamore fugientium audito, è tentorio ita, ut erat, sine D galea cum suorum paucis accurrens, repellereque illos aggressus in medium eorum agmen imprudens se injecit, atque ibi vulnere in capite accepto, tellure prostratus confossusque interiit. ita *Veneti* duos longè reliquis præstantiores præfectos militum, viros, quorum virtuti legati exercitus-

Veneti Veronam oppugnant.

citusque omnis summopere confidebant, bidui A spatio amiserunt. *Lactantius* enim suo ex vulnere paucis pòst diebus est mortuus. *Citolo* interfecto ejus milites ad vindictam incitatiores facti, accurrente reliquorum globo hostes à tormentis repulerunt, interfecti circiter quadraginta, & quæstore *Germanorum* militum, captis ad quinquaginta cum præfectis tribus: quorum ex numero *Franciscus Maldonatus Hispanus* fuit, qui quidem *Venetias* est perductus.

Obsidio *Veronensis* solvitur.

Rebus ita se habentibus, cum nihil proficere muris *Veronæ* verberandis legati se cognoscerent, & *Galli* equites peditesque, qui auxilio inclusis à *Mediolani* præfecto mittebantur, jam ad *Benaci* lacus derivationem *Minciumque* pervenissent, atque è *Germania* appropinquare manus à *Maximiliano* jussæ dicerentur, tormentis præmissis ad pagum *Martinianum* exercitum reducunt. Oppido obsidione liberato, milites *Hispani* & *Germani*, in eo qui erant, octingenti sese in *Pantænæ* vallis, urbi proximæ, incolas, propterea quòd amicè nostros omnibus rebus juverant, eam injuriam vindicatum egressi inferebant: qua intellecta re equites trecenti, *Joanne Græco* duce, ad illos sustinendos properè à legatis missi, eos omnes fuderunt, fugatos usque ad montis *Feliciani* cacumen insequuti partem interfecerunt, partem captivos abduxerunt circiter ducentos.

Conflictus.

Classis *Veneta* disturbata.

In *Ligustico* verò mari iisdem ferè diebus non longè ab *Genua* classis *Julii* & reipublicæ triremium XV. classisque *Gallica* magnarum navium & triremium XXV. propiores factæ, atque in suas utræque acies conspectis hostibus distributæ, cùm ejaculandis tormentorum pilis duarum horarum spatio se lacessere perseveravissent, coorto vento abductæ in diversa abierunt: & quòd oppidum magnæ *Gallorum* introductæ copiæ tutissimum reddiderant, *Contarenus* omni commeatu consumpto, infectis rebus *Populoniam* rediit: triremesque duæ nothæ ab Senatu è *Corcyra* ad *Contarenum* missæ, cum ejus se classe conjunxerunt: tum quæ naviculæ urbanæ in *Julii* gratiam *Pado* subvectæ, *Alfonsi* ab ejus exercitu alio ab latere vapulantis damna atque molestias adaugebant, earum partem *Alfonsus* ipse, cum equitibus *Gallis Italisque* sexcentis, militibus duobus millibus trajecto repentè flumine, vacuam hominibus (fugæ enim sese dederant) cepit: reliquas ipsi *Veneti*, ne hostes illis potirentur, incenderant.

Hatrianos etiam itemque *Rhodigianos* reliquaque eorum locorum municipia, fugatis magistratibus recipit *Leonardus Apulus*: cæterique equites elusis locorum cognitione & celeritate sua hostibus, *Montanianum* se contulerunt.

Senatus non nihil ab *Alfonso*, quem ipsa hostium vel fortuna vel indiligentia tuebatur, atque ab *Gallis* metuens, legatis collaudatis, quòd *Verona* exercitum abduxissent: uti tormenta *Patavium* mitterent, imperavit. Jamque in *Leonicænos* se exercitus receperat, cùm intellecta propter *Alfonsi* prosperas res *Leonardi Apuli* & reliquorum equitum fuga, *Grittus* legatus cum equitatu *Montanianum* profectus, & incolas illorum finium omnes, & municipes ipsos, quos inopinatus hostium timor incesserat, opportuno adventu atque auxilio confirmavit.

Classis altera in *Alphonsum* missa.

Patres ut amissæ in *Pado* classiculæ damna decusque sarcirent, naviculas centum biremesque aliquot celeriter armari, & earum nomine latissimo præfectum in *Pado* flumine, quod nunquam antea factum meminerant (id enim nominis ad illum usque diem bella tantum in mari exercenda sibi vendicaverant) creari statuerunt: lectusque *Joannes Maurus* egregia virtute, naviter ad suum munus obeundum se dedit. Audita *Venetorum* equitum & magistratuum fugâ, *Gallici* equites & milites, *Lemniaci* qui erant, *Athesi* trajecto ut cum *Alfonsianis* se conjungerent, atque in perturbatos impetum facerent, *Montanianum* cum tormentis muralibus duobus oppidi capiendi spe se conferebant. Ea re per agricolas opportunè cognita, missi confestim ab legatis præfecti equitum tres bona cum manu medio ferè in itinere hostibus adventantibus occurrunt, eodemque temporis puncto cum longè maxima suorum parte pugnam ineunt: & reliquis ut pontem, qui non longè aberat, eratque hostibus in B reditu transeundus, rescindant, ad intercludendum eis abitum si superarentur, imperant. ab iis ponte rescisso, hostes ab reliquis intercepti cùm se trium propè horarum spatio acriter fortiterque defendissent, demum superantur, atque in fugam versi, transitu pontis impedito, omnes ad unum vel cæsi vel capti sunt, equites optimi nominis CL. pedites primorum ordinum CCCC. & capti omnes *Venetias* perducti custodiæque traditi centum & decem. Ejus cladis fama celeriter percrebrescente, municipia quæ *Veneti* amiserant, propè omnia recepta sunt, ut amplius triduo in hostium potestate non fuerint.

Res inter *Venetos* & *Alphonsum* terrâ gestæ.

Gallorum clades.

C Iisdem diebus *Episcoporum Monopolitanorum Julii* legatus ad urbem venit, ut apud Patres moram traheret, communemque rem ejus nomine autoritateque juvaret. Ipse *Julius Bononiam* sacris præeuntibus introierat. Eo magnopere adnitente, qui *Ludovici Francisci Mantuanorum* principis filium obsidis loco apud se habebat, post plerasque interpositas à patre satis quidem duras atque illiberales & stipendiorum & reliquarum rerum conditiones, quæ ejus animum ab uxore depravatum ostendebant, tandem alterum Senatusconsultum factum est, quo per quinquennium idem imperium est ei traditum cum stipendio li- D brarum auri quingentarum in annos singulos, dum ipse equites gravioris armaturæ tercentum quinquaginta, levioris centum, milites ducentos belli tempore paratos habeat: resque publica omnia ejus ditionis incommoda omnibus ab hostibus se præstituram pollicebatur. paulóque pòst illius familiari *Vico Patavino* homini, quo is pluries iisdem de rebus internuntio apud Patres usus fuerat, equites levis armaturæ centum attributi.

Senatusconsultum de *Mantuanorum* principe.

Ob *Citoli Lactantiique* interitum milites non pauci ex illorum ordinibus nulla abeundi facultate sibi permissa, sigillatim ab exercitu discede- E bant: quod quidem factum nonnulli reliquorum tribunorum & centurionum milites imitabantur, quamobrem edictum est ab legatis propositum, ut qui non missi abitum paravissent, omnibus in reipublicæ locis caperentur, & armis exuerentur, ignominiaque notarentur. ea res ei licentiæ opportunum remedium fuit.

Milites secessionem faciunt.

Cæterum cùm ex *Alpibus* certis autoribus afferretur *Germanorum* manus comparari, ut reipublicæ municipia in primis jugis invaderent, quibus captis ac direptis in planiciem descenderent, *Sigismundus Caballus* est ad ea loca cum copiis ab legatis contendere jussus præfecti nomine. F *Franciscus* imperator *Bononiam* ad *Julium* profectus hilariter ab illo exceptus est, imperatorque *Romanæ* etiam reipublicæ dictus. *Galli*, qui ad *Mincium* venerant, uti suprà dictum est, ad *Alfonsum*, ut ei auxilio contra *Julium* essent, se contulerunt. Legati, ut *Julio* satisfieret, equites graviores ducentos & quinquaginta, leviores ferè totidem, milites mille in *Alfonsi* fines intromiserant: *Maurusque* classis præfectus cum naviolis plurimis & biremibus aliquot, cumque

tri-

triremibus, qua ab *Istris* & *Dalmatis* ad illum venerant, *Padum* flumen ingredi damnis *Alfonso* inferendis est à Senatu jussus.

Lex de Ambitu *Venetiis* lata.

Inter has belli cogitationes rei etiam pacatæ, quæ malum in exemplum inverecundiæ civium impudentiæque vertebatur, Patres animum adhibuerunt. Nam cùm in creandis magistratibus ambitus eo anno magnopere viguisset, ut prensandis civibus, qui suffragia in comitio daturi essent, à candidatis & candidatorum propinquis clientibusque nullus modus fieret, nulla eos modestia contineret, lex est in *Decemvirûm* collegio perlata, Qui deinceps civis civem rogaverit, ut sibi aut alicui suorum in dando suffragio fautor sit, is ad ullum magistratum, aut omnino reipublicæ in comitio munus X. annos ne admittatur, & si in magistratu fuerit, ab eo rejiciatur: cui autem rogari se contigerit, is rogatoris nomen ad *Decemviros* deferat: id si non fecerit, quinque annos eandem mulctam subeat. ita magnæ civium molestiæ à Patribus obviam est itum.

Exercitus in *Alfonsum* mittitur.

Jussi etiam sunt *Dominicus Trivisanus* templi *Marcii* procurator, *Leonardus Mocenicus*, legati ad *Julium* à Senatu pridem lecti, ut statim conscenderent, *Ravennamque* proficiscerentur, ut *Bononiam* se conferrent. Literæ post hæc ad legatos *Grittum* & *Capellum* datæ, uti alter eorum cum exercitus parte in fines *Rhodigianos* atque ad *Padi* ripas accederet, ut quantum posset *Alfonso* noceret. ita factum à *Paulo* est, cùm id illi muneris sorte ducta obtigisset. *Maurus* classis præfectus cum triremibus tribus *Padi* ostium, qui *Vatrenus* appellatur, ad triremes ex *Venetorum* classe jampridem capta duas, quas *Alfonsus* suis hominibus armaverat, ibique continebat, atque iis, qui itinerum causa mare illud exercebant, multa damna intulerat, capiendas aut omnino repellendas est ingressus, frustrà: illi enim sive admoniti, seu etiam casu, ad superiora sese fluminis jam receperant.

Census.

Senatus interim ad pecuniam belli rebus subministrandam, cujus magnopere indigebat, mediam unius censi partem civibus imposuit, certis conditionibus, quo facilius ea ipsa pars exigeretur, adhibitis.

Figariolum expugnatum.

Paulus autem legatus cum se *Figariolum* in *Padi* ripa castellum, quod supra *Ferrariam* est millia passuum XII. cum exercitu contulisset, tormentis positis dirutaque porta, *Alfonsi* milites in eo qui erant, paucarum horarum spatio ad deditionem compulit: alterumque item in fluminis ripa è regione castellum fugatis hostibus cepit: iisque captis, equites levissimos flumen trajecit, qui celeritate usi & prædas abegerunt, & agrum illum omnem fuga terroreque impleverunt.

Venetorum in *Tesinum* regionem excursio.

Diversa quoque à belli parte *Joannes Delphinus Feltriæ* magistratus cum iis quas habebat copiis, & agricolarum manu complures in *Alpibus* hostium pagos repentè aggressus, in regione, quæ *Tesinus* appellatur, eos planè omnes, qui quidem erant rebus plurimis & ad commeatum & mercaturam exercendam refertissimi, interfectis aut fugatis incolis, incendit omnique vastitate regionem fœdavit: ut damna atque incendia, quæ ii *Feltrinis* intulerant, propè ex æquo vindicarit. In *Istris* quoque nonnihil incommodi per illos dies & acceptum & illatum est.

Ad *Padum* flumen gesta.

Sed ut ad *Padum* flumen revertamur, *Paulus* legatus pontem in eo facere cùm vellet, ad exercitum trajiciendum, ut se cum *Julii* exercitu conjungeret (quod quidem ut faceret, *Julius* ab eo per literas diligentissimè petierat) ab uxore *Francisci* impeditus, quæ naves retinebat, destitit: quingentos tamen equites levissimos cum præfecto eorum *Federico Contareno*, trajecto in navibus flumine, obviam imperatori misit, ut *Mantuam* redire tutius posset. *Galli* enim hostes haud longissimè aberant: quos etiam unà cum *Alfonso* eò venturos, impetumque in se facturos, non unis literis nuntiisque cognoverat. *Maurus* sub hæc à *Paulo* admonitus reipublicæ interesse, ut ad sese cum minorum navigiorum classe quam citissimè accederet, quatuor navibus *Hatriani* municipii, ubi tunc erat, auxilio relictis, cum navigiis reipublicæ L. reliquis privatorum hominum propè CC. superato flumine, nullo ab hostibus, qui in ripis se ostendebant ut eum impedirent, detrimento accepto, ad illum se contulit, animum alacritatemque exercitui, qui timere multa & cavere cogebatur, adventu suo spe omnium celeriore afferens. Paucisque post horis cum nuntii *Paulo* venissent, *Franciscum* imperatorem unà cum *Federico Contareno* ad vicum *Sermonem*, qui est in *Padi* ripa *Figariolo* proximus, suos se in fines retulisse, ad illum profectus communicatis de bello inter se consiliis, sua in castra rediit: ille *Mantuam*, ut suos equites militesque cogeret, multa pollicitus, multa spe concipiens, ut inquiebat, se recepit. Attulerat imperator secundas *Julii* literas legato, quas in itinere acceperat, quibus ab eo *Julius* multò impensius petebat, ut copias reipublicæ, trajecto celeriter flumine, cum suis copiis conjungeret: *Gallos* enim hostes magna cum manu, quam omnibus è locis evocaverant, suum in exercitum velle impetum facere, quæque ipse de *Alfonsi* oppidis ceperat, expugnare decrevisse, non obscurè cognoverat. Legatus eas literas ad Senatum misit, petens, ut juberent Patres, quid se vellent facere: nihil enim tantis de rebus Senatu non consulto se ausurum: interea tamen quæ ad trajiciendum opus sint comparaturum, & curaturum ut si ipsi jusserint, nulla trajectui mora interponatur. Patres non his modò à *Paulo*, sed etiam ab *Hieronymo Donato* & *Trivisano* ac *Mocenico*, qui jam *Bononiam* se contulerant, acceptis eadem de re literis, Senatu coacto *Julio* satisfieri oportere legem sciverunt: Senatusque consulto *Bononiam* ad legatos misso, ut transitum maturaret, *Paulo* mandaverunt. Ad *Grittum* etiam literas dederunt, ut ad *Paulum* augendis ejus copiis equites graviores ex suis centum, leviores CC. confestim mitteret. Pecunia etiam à Senatorum nonnullis mutuò, quæ *Mantuam* in stipendium imperatori mitteretur, Patribus est tradita: tum ab iisdem Patribus frumenti staria ducenta in sanctiores monachorum societates dispertienda dono data, ut in eo rerum discrimine Deo optimo maximo pro *Julio* proque republica preces facerent. *Paulus* dum conficiendo ponti sese dat, eundem *Federicum* cum equitibus septingentis properè *Bononiam* præmisit *Julii* auxilio, seque cum exercitu confestim subsequuturum & brevi affuturum confirmavit. *Donatus* enim & reliqui legati duo certiorem illum fecerant, omni à *Gallis* arte procurari, ut cum *Julio* fœdus ineant, avertendi eum à reipublicæ tuendis rebus causa. Imperatore interea moras omnes interponente, ut quod primum atque maximum *Paulo* promiserat, se ad eum celeriter venturum, id non ambiguè differret, ac nulli omnino usui *Julio* aut reipublicæ velle esse videretur statuisse, Patres de eo admoniti consulto Senatu *Franciscum Capellum* ejus familiarem ac necessarium, qui erat in Senatu, illa ipsa hora contendere ad imperatorem jusserunt, monereque illum ne ulterius expectari sese tam opportuno atque etiam tam necessario reipublicæ tempore patiatur: publicam om-

Julii & reipublicæ exercitus conjunguntur.

omnium salutem in eo positam, ipse se ad exercitum statim si conferet, munusque obierit, ac fidem præstiterit suam. *Franciscus* nondum dimisso Senatu apertis sibi uni foribus *Mantuam* est profectus.

Galli castella quædam occupant, & Pontificiis metum incutiunt.

Dum hæc administrantur, *Galli* castella quædam in *Alfonsi* finibus ab *Julianis* capta acriter aggressi recipiunt: incursionibusque in *Bononiensem* agrum atque usque ad oppidum factis magnum timorem *Julio* incutiunt, ut jam, quid se præstet facere, planè non dispiciat. Augebat eum timorem, quòd *Bentivoli Gallis* adjuncti, *Bononiensium* civium factionem excitatum iri haud ambiguè putabantur, ut & ad portas, & ipso in oppido *Julius* hostes uno tempore esse habiturus videretur: qui quidem quoniam febribus aliquot jam dies tentabatur, nullam propè legatis *Venetis* se adeundi facultatem dabat: tametsi etiam à *Francisco Alidosio* Cardinali, qui *Julii* nomine civitatem regebat, & *Gallis* maximopere favebat, studium per cubicularios adhibebatur, ne alloqui illum possent.

Ponte confecto, & parato ad trajiciendum exercitu, *Maurus* classis præfectus, cum eodem *Padi* alveo, quo venerat, reditum sibi ab *Alfonso* tormentis in ripa fluminis non uno in loco collocatis, aut omnino interclusum, aut plurimis maximisque periculis propositum videret, superato reliquo usque ad *Castellum Novum* flumine, traductisque ripam navibus, ac per campos aquæ plenos ob interfectas *Athesis* ad *Lemniacum* à *Gallis* ripas, decem millibus passuum confectis, classem ducentarum navium in *Athesim* ad *Caudam* vicum incolumem perduxit, deinde prono flumine ad fossiones *Philistinas* sese recepit. Aliquot ex ea classe naves, quæ quòd majores erant aliis, ripam trajicere non potuerant, *Mincium* se in flumen, deinde *Mantuam* contulerunt. Expectaverat *Paulus* legatus per eos dies imperatorem, qui jamjamque se affuturum pollicitus fuerat, ut unà trajecto flumine quò vellet *Julius*, proficiscerentur. Ille verò causis moræ post causas non ita cautè interpositis, quin falso quæsitæ agnoscerentur, neque se in viam dabat, neque suos equites militesque ad illum mittebat, neque verò etiam *Franciscus* ab Senatu ad eum excitandum missus quicquam proficiebat. Quamobrem ne à Patribus reprehendi posset, mandata reipublicæ tanta de re tam angusto tempore differens, pridie Calendas Novembrium *Paulus Padum* exercitum traduxit. Uno tempore ea de re *Julius* nuntios accepit, & *Fabricius Columna* vir egregiæ virtutis, quem *Ferdinandus Hispaniæ* Rex cum trecentis equitibus ex *Neapolitanis* finibus ad *Julium* mittebat, ut ei auxilio in *Ferrariensi* bello esset, cum expeditioribus ad illum venit, reliquis bidui post se intervallo in itinere relictis, quæ duæ res ita *Julii* animum exhilaraverunt, ut febris eum continuò reliquerit: itaque confirmatior factus edictum proposuit, quo edicto *Gallorum* præfecto, qui magister magnus appellabatur, reliquisque *Gallis* igni & aqua, sacris conceptis verbis, interdicebatur, si deinceps *Alfonsi* causam ulla ex parte tuerentur: idque impressis publicè tabulis vulgari jussit.

Hispaniæ rex Pontifici auxilia mittit.

Pontifex *Gallis* igni & aqua interdicit.

Imperator domi sedens, *Paulum* legatum trajicere admonitus, insesso equo cum suorum paucis ad *Stellatam* vicum, ubi se ille continuerat, totius exercitus trajectum operiens, ad eum venit, atque unà *Mutinam* versus diem unum omnes processerunt. Ea verò nocte, quæ est diem illum subsequuta, ab uxore per literas, ut ajebat, certior factus, *Gallos*, qui *Veronæ* erant, in ejus agrum populationem & cædes fecisse, ædificia combussisse, prædas abegisse, *Paulo* con-

Gallorum irruptio.

A vento ad sua tuenda redire se domum velle, ei denuntiavit. atque ita, cùm legati preces & *Julii* atque reipublicæ maximorum erga se promeritorum commemoratio, & sui nota nominis, quam quidem notam atque calumniam accepto ab utroque stipendio eorum causam tali tempore deserens, erat magnam indelebilemque subiturus, nihil apud ipsum valuissent, *Mantuam* rediit. Erat *Brixiæ* in *Joannis Francisci Gambaræ* equitatu honesta conditione *Petrus Longena*, ejus oppidi civis, qui indignans se arma ferre contra eam ditionem, sub qua natus altusque annos triginta vixerat, coacto equitum idem sentien-
B tium numero, ex oppido profectus *Montanianum* ad *Grittum* venit, ut militiam reipublicæ faceret, orans obtestansque se recipi: de eo *Gritti* literis certiores Patres facti, *Petrum Longenam* recipiendum, & præfecturam L X. leviorum equitum ei dandam censuerunt.

Petrus Longena ad *Venetos* fecedit.

In comitio verò postridie ejus diei *Marco Venerio*, qui pridem vulneribus in expugnatione *Monsilicensi* acceptis, usum propè manuum amiserat, scribæ munus in prætura *Foroliviensi* per quatuor magistratuum tempora dono datum, ut se alere familiamque suam posset. Filiis autem *Ludovici Michaelis*, quem *Cara-*
C *vagianæ* arcis custodem *Galli* captivum fecerant, atque in *Galliam* miserant, in triremibus reipublicæ balistarum loca decem, nobilibus adolescentibus dari solita, ad eorum matrem seque ipsos sustinendos item dono attributa.

Venetorum in benemeritos gratitudo.

Inter hæc Senatus certior factus *Hispanos* equites, qui *Veronæ* erant, à *Ferdinando Neapolim* reverti jussos, ab oppido tuendo discessisse, literas ad legatum *Grittum* dedit, ut cum iis quas habebat copiis *Veronam* contenderet: confidere se, si id celeriter faciat, posse ab eo urbem propè vacuam recipi, præsertim si edictum propo-
D suerit, nullius civis in rempublicam injurias Senatum vindicaturum, civitatemque immunem omnium onerum jubere esse, si ad rempublicam redeat. Quibus acceptis mandatis legatus, tametsi parum spei aleret, rem eum exitum habituram tam exiguo copiarum numero (cataphracti enim equites amplius quatercentis, milites amplius quatuor millibus non erant) idque ipsum Senatui rescripserit, tamen accitis quamplurimis è vicinis locis operibus, & tormentis *Patavio* afferri imperatis, se ad iter comparabat. De maritimis autem rebus ut ratio haberetur, impensisque reipublicæ modus fieret, Senatusconsultum fa-
E ctum est, ut *Maurus*, classis in *Pado* flumine præfectus, privatorum hominum naviculas, quibus non magnopere indigebat, missas faceret, triremesque, quas habebat, leves retineret, *Hieronymusque Contarenus* classis in mari supero legatus, qui *Genua* sæpius tentata, quòd ab *Gallis* hostibus largiter erat communita, nihil profecerat, ut *Julii* missu *Corcyram* se reciperet, retentisque apud se quatuor, quas vellet triremibus, reliquas ad urbem redire permitteret.

Exercitus *Venetus* iterum contra *Veronam* mittitur.

Senatusconsultum de maritimis rebus.

Interim ab *Julii* reique publicæ exercitu *Saxolum* in *Mutinensi* agro ad *Setiam* flumen castellum, arce atque opere communitum, tormentis posi-
F tis, cùm à quatercentis propugnatoribus *Gallis* defenderetur, ardore militum, per muros irrumpentium, celeriter est captum. *Joannes* etiam *Delphinus Feltriæ* magistratus in magnam hostium manum, eum *Alpium* tractum depopulantem, impetu acriter facto, majorem eorum partem cecidit, reliquos omnes fugavit: specusque illud montanum, de quo antea dictum est, quod *Covolum* appellant, compulsis timore ad deditionem iis, qui in illo erant, recipit. Qua intellecta re, ut civi-

Saxolum castellum *Veneti* expugnant.

Covolum specus captum.

civitati optimè de republica meritæ, omnia perpessæ ab hostibus damna, Patres grati essent, omnium tributorum immunitas, ea pecunia excepta, quæ ab illa in Principis salarium quotannis ad urbem mittitur, municipio *Feltrinorum* est ab Senatu dono data.

Res in *Carnis* gestæ.

Ab *Joanne* quoque *Viterio* in *Carnis* hostes quatercenti è *Goritia* egressi, *Sontiumque* flumen transgressi omnia vastantes, ita cæsi fugatique sunt, ut eorum plurimi timore se in flumen præcipitaverint. Ea in re *Aloisii Porti Vicetini* equitum leviorum turmæ præfecti virtus plurima extitit.

Imperator exercitus suspectus.

Redierat *Mantua* per eos dies ad urbem *Franciscus Capellus*, retuleratque Patribus, nullam esse in imperatore rei bene gerendæ voluntatem, nullam fidem: uxoris artibus ejus animum delinitum: *Alfonso* illius fratri cupere omnia, neque *Julium* neque rempublicam præ illo quicquam facere: favere etiam *Gallis* plurimum.

Exercitus re infecta redit *Verona*.

Gritto ad *Veronam* iterum obsidendam profecto, eæ sunt tempestates consequutæ, ut recedere, seque ad *Suavium* municipium recipere, ut equites & milites sub tectis contineret, sit coactus: Demum intelligens *Veronam* communitiorem esse factam, *Montanianum* exercitum reduxit. qua re cognita jussus à Senatu est, equites quingentos, milites octingentos, ad *Rhodigianos* reliquaque circa *Padum* ejus regionis municipia tuenda & custodienda mitteret.

Concordia à *Venetis* capitur.

Juliani exercitus *Francisco Maria* Imperatore & *Fabritio Columna* reliquisque ducibus, qui erant *Mutinæ*, se non explicantibus, *Paulus* legatus ad oppidum *Concordiam* fossis atque aggeribus communitum suis cum copiis accedens, tormentisque eo vesperi collocatis, & verberatis prima luce muris, paucarum id horarum spatio contra spem omnium cepit: tanta tamque præsens militum virtus fuit. Propugnatores, qui ab oppugnatione superfuerant, in arcem repulsi, sine mora se legato dediderunt.

Infans biceps in urbe natus.

Atque ante eos dies in urbe puer è plebe natus est cum duobus capitibus, quatuorque humeris & manibus, tum femoribus, atque pedibus quatuor, ut duo esse pueri unà conglutinati viderentur, si corpus reliquum duplex habuisset. habebat autem unum tantum cum renibus unis tergoreque reliquo pectus: vixitque sesquihoram, ut Christianæ aquæ ablutione non caruerit.

Antonius Grimanus bis dignitatem Procuratoris Divi *Marci* adeptus.

Et *Nicolao Trivisano* templi *Marcii* procuratore mortuo, *Antonius Grimanus*, quem Civitas ab exilio revocaverat, magno omnium ordinum favore in ejus locum suffectus est. atque illa quidem in procuratione eo erat tempore *Antonius*, cùm est exul factus: itaque bis eam dignitatem est adeptus, quod nemini antea contigerat. annusque cum iis ferè comitiis finem habuit.

Prima verò ineuntis anni die, quòd *Galli*, qui ad *Carpos* municipium se receperant, in *Setiæ* fluminis ripa, quod auctum imbribus transiri vado non poterat, singulis horis ostendebant, atque à nostris, qui trans flumen eam regionem tenebant, ita vulgò conspiciebantur, ut etiam colloquia ex utraque ripa inter se haberent, *Paulus* legatus noctu ponte celeriter in naviculis confecto, suarum copiarum partem cum *Troilo Sabello* benè manè flumen trajecit, atque in primum *Gallorum* agmen, quod ad flumen veniebat, impetu facto, eos fudit fugavitque, interfectis captisque non paucis. Eo timore perculsis reliquis, nocte intempesta universi *Rhegium Lepidi* versus abierunt.

Galli ad *Setiam* cæsi.

Julius suos duces nihil omnino amanter, nihil ex re agere cùm videret, omnes autem moras, omnia impedimenta ei bello interponere illos non ambiguè cognosceret, unum *Capellum* ejusque fidem atque animum summis laudibus prosequens, statuit se ad exercitum conferre, ut *Mirandulam* oppidum munitissimum præsens oppugnaret: quo capto facilius posse se *Ferrariam* obsidere, suæque ditionis eam facere confidebat. tametsi illud etiam cogitaverat *Julius*, cùm *Ferrariæ* appropinquavisset, se *Hippolytum* Cardinalem *Alfonsi* fratrem ad colloquium evocaturum, qui fratrem hortaretur, uti bello finem imponeret, ne damna ultima perpeti cogeretur: se ei, si vellet, *Ferrariam* habere permissurum, *Mutina* modò sibi *Rhegioque Lepidi* cederet: quorum tamen oppidorum alterum se jam suum fecisse. quam quidem cogitationem suam *Julius* reipublicæ legatis aperuerat, illi ad *Decemviros* literas ea de re dederant. Patres consulto *Decemvirûm* collegio, eam *Julii* moderationem pronumque ad pacis studia animum maximopere laudaverant rescriptis ad legatos literis, easque literas legati *Julio* recitaverant. Sed *Julius*, uti dictum est, quanquam hyems durissima ingrueret, lutosissimæque essent viæ, & nix largiter cecidisset, ad vicina tamen *Mirandulæ* ædificia & agricolarum casas lectica vectus se contulit: cúmque suis ducibus parum confideret, belli munera per sese perque *Paulum* legatum plerumque administrabat: nam omnino *Franciscus Maria*, sive quòd *Alfonsi* sororis filiam in matrimonium duxerat, ut novæ affinitatis studiis adolescens viginti annos natus traheretur, sive quòd ita ei suaderet suus animus, neque bellum probabat, neque suas in eo partes suamque diligentiam patruo præstabat, ut quæcumque faceret, ea omnino lentè atque invitus facere videretur: si quid autem operæ *Venetos* egregiè navasse intelligebat, id ægrè illum molestéque ferre omnes planè homines cognoscerent. *Julio* itaque imperante, ut tormenta cùm à suis tum à legato *Veneto* ad muros oppidi dejiciendos collocarentur: quod quidem magna cum difficultate fieri erat necesse, cùm propterea quòd oppidani è propugnaculis & turri maximè communita, suis item tormentis appropinquare muro neminem permittebant, tum quòd nix duos ferè pedes in altitudinem creverat: legatus virtute militum difficultatibus superatis, celeritate usus verberare muros senis tormentis cœpit, cum *Juliani* neque post triduum unam in eos pilam misissent. Muris igitur oppidi ita dejectis, ut qui in eo erant, equites septuaginta, milites trecenti, tueri oppidum sese posse non confiderent, præsertim cum omnis fossæ aqua frigore conglaciavisset, mulier vidua, *Joannis Jacobi Triultii* filia, quæ *Ludovici Pici*, de cujus morte superioribus commentariis diximus, uxor fuerat, quæ oppido præerat, reliquique præfecti, ad diem duodecimum Calendarum Februarii conditionibus interpositis se atque oppidum *Julio* dediderunt. *Julius*, quòd oppidi porta ruinis clausa, dejectusque pons fuerat, per muralem scalam in oppidum est receptus: is mulctæ nomine oppidanis, uti auri libras sexaginta solverent, imperavit, præfecti & centuriones qui erant, iis captivis esse jussis, reliquis missis, mulieri ad patrem abeundi potestatem fecit: paucosque ibi dies commoratus, dum exercitum lustraret, stipendiaque persolveret, *Mirandulæ* imperium *Joanni Francisco Pico*, quod oppidum pater testamento ei reliquerat, *Mutinæ*, *Maximiliani* internuntio, eam ob rem ad se misso, tradidit: ejus enim oppidi, & *Rhegii Lepidi* jus, jus Imperatoris esse *Romanorum* intelligebat. idque propterea minus gravatè fecit, ut eo exemplo *Maximilianus* etiam *Rhegium* sibi à *Gallis*, qui in eo erant, tra-

Julius Pontifex bellum administrat.

Mirandula à *Julio* Pontifice obsessa capta.

Imperatoris *Romani* jus *Mirandulæ* & *Rhegii*.

tradi postularet, ut quoniam illos *Maximiliano* morem minimè gesturos confidebat, *Maximilianus* eam ob rem *Gallorum* amicitiam repudiaret, & cum ipso se conjungeret.

Iis constitutis rebus *Ferrariam* versus tormenta perferri exercitusque procedere imperavit: quæ cùm Senatus futura intellexisset, in *Julii* gratiam classe navicularum è suburbiis, & biremium & aliorum navigiorum è navalibus urbanis celeriter instructa, cum ea, cumque iis quæ ad *Fossam Clodiam* erant triremibus *Maurum* iterum ingredi *Padum* jubet, qui pontem ad naves, quæ eum sustinerent, catenis conjungendas secum adduceret, ad copias & equitatum trajiciendum. *Grittus* etiam Senatus jussu unà cum *Lucio* ad *Padi* ripam eas quas habebat copias duxit, militibus paucis & equitibus *Montaniani* relictis. Interea cum Senatus decrevisset, ut triremes octo in *Creta* insula, *Zacynthi* una, *Cephallene* altera, duæ in *Dalmatis Jadera* & *Ascrivio*, decem & octo in urbe armarentur, omnes numero ad triginta, quarum decem essent ex iis quæ nothæ appellantur, nothis quidem est præfectus lectus idem *Maurus*, qui classi in *Pado* exercendæ imperabat: reliquæ sunt triremes singulatim iis civibus, qui se *Decemviris* obtulerant, dari jussæ. Jamque *Julii* & reipublicæ copiæ ad *Finale* municipium & *Crevacorium* vicum eaque loca se continebant: & *Gallorum* duces, *Triultius*, atque is, qui magnus magister appellabatur, evocatis *Verona* & *Lemniaco* auxiliis ad *Padum* processerant conferendi manus causa, ut ipse afferebat rumor: itaque & *Julius* suorum militum numerum celeriter auxit, & *Veneti* se communitiores, quibus opibus poterant, reddiderunt: neque tamen ea diligentia opus fuit, hostes enim nullo facinore aut gesto aut tentato sese *Carpos Rhegiumque* retulerunt: *Mutinamque* de improviso aggressi, ut eam suam facerent, à *Marco Antonio Columna*, quem *Julius* cum quingentis militibus eò miserat, ut oppidum *Maximiliano* tueretur, facilè repulsi sunt.

Classium *Venetarum* apparatus.

Verumenimvero iis agitatis rebus *Julius*, id quod existimaverat, ut capto *Mirandula* municipio aditus sibi ad *Ferrariam* oppugnandam eo ab latere patefieret, cum in dies singulos plus rem difficultatis habere animadvertisset, cogitare cœpit, si ab *Ravennæ* finibus in *Ferrariensem* agrum suas copias introduceret, castellumque, quod est in *Padi* ripa, quod *Bastia* appellatur, expugnaret, se facilius bellum posse conficere, præsertim, reipublicæ classe duorum exercituum impressiones adjuvante: quam quidem classem audierat *Volanæ* ostium ingressam *Alfonsi* biremes duas cepisse, cùm eas *Maurus* præfectus per tresdecim millium passuum iter contra cursum fluminis celeritate suorum remigum assequutus fuisset, navemque onerariam advenarum mercatorum, quam biremes illæ in mari expugnatam, in ostium fluminis attraxerant, recuperavisse: itaque moræ impatiens (erat autem inexplebilis etiam animi, & alias semper ex aliis res atque incepta temerè plerumque aggredientis) cogitata perficiendi spe, cùm in reditu paucos dies *Bononiæ* fuisset, *Ravennam* proficiscitur, magno suarum copiarum & comitatus labore, difficillimo anni tempore, impeditissimis viis: nam reipublicæ copiæ in illis, in quibus erant locis, ferè se omnes continuerunt. Sed aliter res atque ipse sibi finxerat, cecidit: ubi enim *Julii* copiæ (erant autem equites graviores sexcenti, leviores quingenti, milites quater mille) castello appropinquaverunt, *Alfonsus*, qui se ad id comparaverat, eas fudit, interfectis captisque non paucis. Neque profuit quòd *Maurus* classem rei-

Julii Pontificis animus de *Ferraria* aggredienda.

Alfonsus Julii exercitum profligat.

A publicæ plus quam centum diversi generis navigiorum proximè castellum adduxisset, nonnullosque ex *Alfonsi* equitatu tormentorum pilis interfecisset: qui quidem *Maurus* postea, cùm intellexisset ex amicorum reipublicæ literis, non unis in riparum inferiorum locis *Alfonsum* sua tormenta disponi mandavisse, ut classi noceret, sine ulla offensione ad fluminis ostium rediit.

Hac re intellecta, *Galli* apud *Rhegium* qui erant, iterum *Carpos* venerunt, flumenque *Setiam* factis pontibus iterum trajecerunt, ut reipublicæ copias aggrederentur: quod tamen facere neque tum quidem sunt ausi. qua in re cognosci B potuit, sanè justas *Pauli* legati querelas fuisse, cùm dolenter sæpe diceret *Julianos* duces vincere noluisse: si enim secum, ut ipse cupiebat, eisque proponebat, conjuncti ad hostes persequendos se comparavissent, profectò *Galli* deleri una pugna potuissent: quo facinore confecto *Ferrariam* capere *Julio* non magnopere difficilè fuisset, quacumque is à parte cum utroque exercitu in ejus se fines intulisset: nunc se relictum, qui unus neque integris copiis *Gallorum* impetum exciperet: præfectos enim equitum tres unà cum *Julii* ducibus eò miserat, unde repulsi ab *Alfonsò* cum detrimento ignominiaque fuerunt; C pauloque abfuit quin etiam caperentur. Sed *Galli* nulla molestia *Paulo* adhibita, cùm ad *Padum* se contulissent, submissis *Alfonso* secundo flumine auxiliis militum non plurimorum, unde discesserant, redierunt: magnusque eorum magister *Rhegii* febribus confectus mortem obiit, cùm ab *Julio* veniam totius suæ vitæ criminum, missis ad eum internuntiis, impetravisset. Itaque unus eorum ductor atque imperator *Triultius* deinceps fuit. Atque illis ipsis diebus *Marinus Georgius*, multæ philosophiæ vir, quem legatum apud *Bergomates* agentem in clade exercitus anno superiore *Galli* captivum fecerant, atque D in *Galliam* perduxerant, in custodiaque unà cum *Liviano* habuerant, fide illis data intra sex menses vel pecuniam quam petebant, ut eum liberum facerent, se eis missurum, vel in *Galliam* atque in custodiam reversurum, *Venetias* venit.

Juliani duces victoriæ segnitie pereunt.

Marinus Georgius carcere liberatur.

Vanissa Thrax equites septuaginta secum ducens, ab exercitu *Pauli* legati missu profectus, ut quid hostes molirentur, circumspiceret, cum eorum militibus quamplurimis, in quos incidit, congressus, interfectis plus centum triginta, quos captivos fecerat, *Francisco Mariæ* imperatori dono misit.

Ea dum administrantur, ad diem septimum Calendarum Aprilium in urbe terra tremuit mo- E tu tam vehementi, ut Senatu qui habebatur, ante ullam latam legem præter morem dimisso, Patres ruina tectorum intercipi metuentes, tumultuosè se foràs truderent. cadebant autem è summis curiæ templique *Marcii* parietibus pinnæ ac signa marmorea, quæ in iis antiquitus posita prominebant: turresque templorum nutare cacuminibus & commoveri prospiciebantur: & æs Campanum in plerisque earum, maximéque in ea turri quæ in foro est, sponte insonuit: pleræque etiam vitium fecerunt. & aqua urbanis in alveis altè excitata contremuit: innumeraque fumi receptacula, quæ supra ædium culmina F tubo atque calatho attolluntur, quassu divulsa in vias ipsaque in tecta corruerunt: domusque non una cum incolentium interitu, parietes verò domorum & fanorum frequentes ruinam traxerunt. mulieresque prægnantes permultæ timore perterrefactæ abortum fecerunt, mortuæque sunt. unum juvit, quòd is non longinquus terræ tremor fuit. atque eas ob res, quæ acciderant, postridie ejus diei Deo optimo maximo supplicationes omnibus in urbis regionibus

Terræ motus *Venetiis*.

Supplicationes & jejunia.

nibus dies tres fieri, & ne quid præter panem & aquam ad vescendum omnes puberes sumerent, ab *Antonio Contareno* Patriarcha *Venetorum*, consultis Patribus, indictum. Pauloque pòst eundem propè terræ motum cum eisdem ferè prodigiis *Patavii*, *Taurisi*, *Fori Julii*, nonnullisque aliis in reipublicæ oppidis & finibus fuisse, magistratus eorum Patribus significaverunt.

Leonardus Apulus ab hostibus interemptus.

Sed nihil æquè eis molestum per eos dies fuit, nihil tam ægrè universa civitas audivit, quàm id quod *Pauli* legati literæ attulerunt, *Leonardum Apulum*, cùm ad hostes *Gallos*, quos paucos esse audierat, repellendos, ad vicum *Balearem* cum quadraginta equitibus processisset, interfectum ab illis fuisse, magna scilicet fide, magno animo & virtute hominem, atque in primis *Veneti* nominis amantissimum: cujus postea cadaver ad urbem delatum marmoreo in sepulchro, reipublicæ impensa exædificato, in æde *Gemellorum* Senatus condi jussit.

Julii duces suspecti.

Franciscus reipublicæ copiarum imperator, cum fictis pro tempore causis *Mantuæ* se ad eum diem continuisset, calumniam à Senatu atque omnibus ab hominibus veritus, ad *Julium* velle se conferre palàm fecit, profectusque *Coregium*, quod municipium abest *Mantua* passuum millia circiter triginta, ibi se adversa valetudine correptum simulans domum rediit. Interim quoniam *Paulus* clarè ad Senatum scripserat, nihil se confidere boni à reipublicæ exercitu posse confici, *Julii* ducibus in contraria omnia obstinatè nitentibus ne *Alfonsus* domo expellatur, Senatus ad eum rescripsit, omnem curam adhiberet ne pugnare cogeretur: pro explorato enim sibi esse, si manus conserat, illos eum media in pugna deserturos: itaque *Paulus* cùm per sese, tum à Senatu admonitus operam dabat, ut neque timoris indicium suis hostibus proderet, neque universum exercitum periculis objiceret, quamobrem in minutis & quotidianis expeditionibus cum *Gallis*, qui ad *Padi* ripam venerant, sæpe congressus, non semel eos fudit, fugavit, superiorque manu semper, inferior nunquam fuit. tantùm *Paulum Manfronium Galli* hostes cum X. equitibus captivum fecerunt. Neque à *Gritto* quidem legato eodem tempore hostes non malè habiti, quas quidem pugnas referre nihil necesse esse duximus.

Legatus *Maximiliani.*

Venerat autem antea *Bononiam Matthæus Lancus Curcensium* Episcopus ex *Germania* magno comitatu, homo arrogantia & elatione insignis, à *Maximiliano* missus, ut cum *Julio* de fœdere cum *Venetis* ineundo ageret: qui paucos ibi dies moratus, cùm nimis duras pacis conditiones attulisset, infectis rebus in *Germaniam* rediit.

Venetorum exercitus adauctus.

Senatus quoque censuerat dignitatis & existimationis apud *Julium* reliquosque reges retinendæ causa, ut equites gravis armaturæ, quos habebat, ad duum millium numerum augerentur, militum sex millia veteribus addenda conscriberentur. paucisque pòst diebus ei Senatusconsulto alterum fuerat Senatusconsultum additum, ut ex *Epiro* equites mille levissimi accerserentur: uti etiam magnum arcuum numerum amphorasque vini *Cretici* quingentas *Petrus Pisaurus*, cui cum rege *Britanniæ* necessitudo mercaturæ exercendæ causa intercedebat, ad illum mitteret, fuerat à Senatu permissum. *Mauro* autem classis præfecto, adversa valetudine laboranti, *Andreas Bondimerius* sublectus est, sexque triremes in *Creta* insula armari jussæ.

Helvetii milites conducti.

Cúmque *Julius Helvetiorum* militum sex millium numerum conducere statuisset, qui in *Mediolani* fines contra *Gallos* impetum facerent, velletque ut tertiam eorum stipendiorum partem respublica impenderet: *Julius* de eo à Senatu laudatus, & conditio libenter accepta, & lex de media mercedum parte à magistratibus reipublicæ remittenda, quæ tempus sex mensium expleverat, in alteros sex menses prorogata.

Concordia à *Gallis* recuperatur.

Ad hæc *Concordiæ* municipium, quòd à *Julianis* indiligenter custodiebatur, facilè ab hostibus receptum est. Captum autem à legato *Gritto* propugnaculum natura & opere communitum in paludibus positum *Crucula Lemniaco* vicinum missis noctu militibus in naviculis cum tormentis, præsidiumque impositum.

Homicida punitus.

In urbe uni ex nobilitate civi *Gaspari Valerio*, quòd hominem *Rocchum* nomine, tabellariorum reipublicæ præfectum, *Taurisi* interfecerat, *Decemvirûm* judicio medio in foro cervices sunt abscissæ.

Bononia à *Gallis* & *Bentivolis* occupatur.

Iis ita administratis rebus, *Galli* hostes ab exulibus *Bentivolis* adjuti, qui factionis suæ montanorum hominum magnum numerum excitaverant, ex inopinato *Bononiam* contenderunt: cujus portas ejusdem factionis cives furtim eis aperituros convenerat: itaque timore perterritus *Juliani* dux exercitus *Franciscus Maria* reliquique duces, præripere sese hostibus statuentes, relictis tormentis impedimentisque omnibus constipati ipsi fugam capiunt, & ad *Paulum* legatum mittunt, qui hæc ei nuntiet, atque illum idem facere suadeat: nullum aliud relictum subsidium: in eo uno positam esse salutem, si hostes præcesserint. *Paulus*, qui de hostium adventu tam inopinato nihildum audierat, querens in fraudem ab *Julianis* se projectum, quod spatium colligendi recipiendique sese sibi non dederint, cum suis omnibus subsequi *Julianos* celeriter cœpit, relictis iis, quæ imitari eamdem celeritatem non poterant. Et quoniam *Bentivolos* oppidani jam introduxerant, expulso *Alidosio* Cardinali, qui per aliam se oppidi portam ejecerat, *Juliani* autem ad *Bononiæ* muros accesserant, ut iis circumactis in fines *Forocornelianos* se reciperent, quòd nullam aliam habebant itineris faciendi rationem, idem ipse quoque sua cum manu *Paulus* facit, eique accidit quod *Julianis*, qui eum antecesserant, non acciderat: illac enim contendenti armatorum hominum montana incolentium plures manus occurrerunt: à quibus disjecti, ut quisque potuit, fuga capta se eripere sunt conati. ita tormentis impedimentisque amissis, militibus magna ex parte vel captis vel diffugientibus, interfectis nonnullis, equitatu non frequenti, se in tutum receperunt.

Veneti à montanis hominibus dissipati.

Veneti post cladem *Bononiensem* municipia muniunt.

Hac intellecta fuga Patres ad *Grittum* legatum, qui *Lemniaco* capiendo animum adjecerat, eratque eò cum exercitu profecturus, literas statim dederunt: quoniam ad *Bononiam* malè gesta respublica sit, à *Lemniaco* aggrediendo abstineat, éque *Padi* ripis & regionibus tormenta *Patavium* abduci curet: & si quid *Galli* molirentur, ne intercipi ab illis possit, se recipiat. Etiam magistratibus *Patavinis* & *Taurisanis* mandaverunt, munitiones eorum oppidorum, quas instituissent, perficere maturarent. Pauloque pòst ea re non contenti, legatum, qui munitionibus procurandis *Patavii* præesset, reliquasque res ad oppidi præsidium curaret, *Christophorum Maurum* legerunt, qui statim proficisceretur: militesque, quot potuerant, in urbe conscriptos eòdem miserunt, verentes ne *Galli* fuga exercitus reipublicæ sublati *Padum* trajicerent, atque in ejus oppidi fines irrumperent, si quid eo capiendo & sua celeritate, & reipublicæ indiligentia possent efficere, tentatur. Legato verò *Donato* Senatusconsultum est missum, quo *Julium* Patres hortabantur, ne propter recentia exercituum detrimenta animo perturbaretur, rempublicam ei nunquam defuturam,



turam, omnem fortunam libentissimè cum illo subituram, urbicas provincialesque opes, animos denique civium omnium promptos paratosque ei polliceri: quo Senatusconsulto accepto, *Julius* lætari se primum constantiâ reipublicæ respondit, firmioremque multò & alacriorem adversis rebus contra *Gallos* sese factum confirmavit.

Eo ferè tempore res à Patribus non semel antea agitari cœpta finem habuit: nam ut eorum civium *Patavinorum*, qui improbi & contumaces fuissent, bona & possessiones inter illos centuriones, quos amanter fortiterque in obsidione *Patavina* reipublicæ navasse operam constiterat, vel si ipsi mortui essent, in eorum liberos & propinquos partirentur, Senatus censuit.

Patavinorum civium contumacium bona dividuntur.

Venerat *Ravennam* ad *Julium* pulsus *Bononia*, uti dictum est, *Alidosius* Cardinalis: atque ut ea quæ acciderant, nulla sua culpa cecidisse illi ostenderet, multa de imperatore tanquam rerum bellicarum propter adolescentiam imperito questus apud eum est, atque ut erat sermone satis accommodato ad fallendum, omnes ejus oppidi amissi causas, quarum ille propè omnium autor fuerat, in unum illum derivavit. constat enim *Alidosium* omne studium adhibuisse, ut quæ ab imperatore procurabantur, ea illi omnia in contrariam partem cederent, neque ullum ad exitum perducerentur: oderat enim adolescentem non tam ejus vitio, quàm suo: cupidoque illum ingens incesserat, sui ut fratres, quos esse fortes viros prædicabat, magno in honore apud *Julium* essent, bellicisque rebus præficerentur, & autoritate potentiaque pollerent, quarum rerum illo prosperè imperante spem habere nullam poterat. Itaque ut in patrui eum invidiam adduceret, ea præsertim in re, qua nullam se unquam aptiorem & commodiorem habiturum confidebat, eum criminationibus subdolè confictis est adortus: quod quidem ei apud hominem turbulentum, planéque iracundum, cui erat ipse antiqua consuetudine & quotidiano victu perfamiliaris, facilè factu fuit. quamobrem cum paulò postea imperator, qui de calumnia sibi ab *Alidosio* apud patruum conflata ex *Julii* familiaribus amicis suis pleraque intellexerat, se ad *Julium* purgandi sui causa contulisset, *Julius* furore percitus verba in eum doloris contumeliæque plena temerè effudit, neque audire illum voluit, submissè ut patruo responderet se comparantem, atque à conspectu suo indignissimè repulit. Adolescens contumeliam tam insignem *Alidosio* acceptam referens, magnum facinus facere animum induxit suum: itaque à patrui cubiculo discedens cum septem aut octo, quos habebat secum, ex suis familiaribus ad id diversorium *Alidosianum* pedibus rectà contendit, atque ipsum domo egressum media in via frequenti comitatu, septumque militibus plurimis, & equitibus armatis plus sexaginta, unà cùm sororis suæ viro *Guido Vaino*, illorum equitum præfecto, se ad *Julium* conferentem conspicatus, ubi *Alidosii* vicinus fuit, quasi eum alloquuturus à viæ latere ad illum inter arma omnium declinavit, mulæque ephippiis, qua is vectus incedebat, læva manu admota, educto dextra gladio hominem transverberavit. quod factum ejus comites intuentes, gladiis eductis & ipsi idem fecerunt. ita illum pluribus confossum vulneribus, sui à fræno milites mulæ detractum, in eam domum, cujus ante fores erant, humeris intulerunt. qui quidem paulò pòst se ipse sæpius accusans egit animam, turpis & flagitiosæ vitæ vir, cui nulla fides, nulla religio, nihil tutum, nihil pudicum, nihil unquam sanctum fuit. Imperator gladio recondito, eo quo venerat passu pacatè suum ad hospitem rediens, insessis equis, egressusque oppido, ad *Metaurenses* se suos retulit.

Alidosii Cardinalis calliditas & versutia.

Alidosius Cardinalis à *Francisco Maria* trucidatur.

A

Paulus legatus cum iis, quas secum habuit, copiis, cumque illis, quæ cladis initio per diversa ab hostibus & invia montium fuga capta sese illis eripuerant, atque ad eum venerant, in *Cesenatium* vicum ad mare se contulit, ut in naves militibus & equitibus impositis in fines *Patavinos* se atque illos sisteret. Quod ubi Patres cognoverunt, navigia plus centum ex urbe & suburbanis & *Fossa Clodia*, triremesque septem majores è navalibus eductas paucis pro re administrantibus ad vicum *Cesenatium* miserunt ea de causa. Dum verò hæc procurantur, milites propè universi, qui disjecti apud *Bononiam* à *Bentivolorum* factione vel capti fuerant, singulatim ad *Paulum* inermes venerunt, centurionesque illorum militum omnes, quorum nonnullos interfectos fuisse rumor attulerat: eos *Paulus*, ut ad se navigia appellebant, impositos ad *Albanum* montem mittebat: is est locus in primis *Patavinorum* à *Fossa Clodia* finibus. Ipse autem *Paulus*, universo exercitu præmisso, triremem instructiorem è classe *Bondimeriana* ad se præter alias missam conscendit, & me, qui casu tunc ad eundem vicum *Urbino* veneram, ut *Bembum* patrem meum adversa valetudine *Patavii* laborantem inviserem, lætissima unius diei navigatione *Fossam Clodiam* vexit. Is fuit dies ad octavum Calendas Julias. *Paulus* ad Patres se contulit, atque ab iis missionem postulans, ea non impetrata ad *Leonicænos*, ubi erat *Grittus*, est profectus. Patres exercitu reficiendo consulentes, *Mariano Prato*, *Leonardi* illius, quem *Galli* hostes interfecerant, fratris filio tribunatum quingentorum militum concesserunt, atque ut eum numerum quamprimùm conficeret, ad *Grittum*que legatum adduceret, mandaverunt.

Milites *Veneti* disjecti colliguntur.

B

C

Erant *Veronæ* milites *Hispani* mille, ii oppido egressi ad *Grittum* miserunt, quoniam nullius tunc hominum stipendia mereant, si legatus velit, se ad illum venturos stipendiaque reipublicæ facturos. Ea de re Patres admoniti, coacto Senatu cum plures sententiæ dicerentur, ea vicit, quæ non esse eis confidendum censuit: itaque non sunt recepti.

Hispani ultrò sese *Venetis* offerunt.

D

Julius Romam rediens in itinere edictum in *Bononienses* protulit, ni ad se remque publicam *Romanam* revertantur, sese eos ab aqua & igni, à sacrorum communione, à convictu hominum diris imprecationibus arcere.

Julii Pontificis in *Bononienses* edictum.

Cúmque post eos dies acta è nubibus grando solito major atque frequentior, omnes terræ fructus, qui in agris erant, per X. millia passuum circa oppidum abstulisset, vulgo suspicio tenuit. edicti *Juliani* causa eam conflatam vastitatem cœlo missam cecidisse.

Grando & agrorum calamitas.

E

Eo tempore è *Pannonia* literæ venerunt, in conventu regio, qui postremus *Budæ* indictus fuerat, statutum fuisse à reipublicæ fœdere discedi non oportere. In *Carnis* quidem hostes ad *Utinum* incursiones fecisse, vicosque tres apud oppidum incendisse, Patres certiores facti, *Aloisio Mocenico* legato *Forojuliensibus* à Senatu lecto, uti statim proficisceretur, mandaverunt.

Res in *Carnis* gestæ.

Nondum erat *Romæ Julius*, cùm novem numero Cardinales, quorum erat princeps *Bernardinus* Cardinalis sanctæ Crucis, homo *Hispanus*, literas ad illum *Mediolano* dederunt, quibus literis eum certiorem faciebant: quoniam ipse tot annos, ex quo summus Pontifex esset, contra majorum decreta generale concilium ad rempublicam Christianam juvandam cogere distulisset, se communem causam obire agereque statuisse: itaque illum, ut *Pisis* se ante diem Calendarum Septembr. concilio agendo sisteret, monebant. Néve *Julius* eas literas inficiari posset se accepisse,

Concilium *Pisis* indicitur à Cardinalibus, & Pontifex ad id vocatur.

F

se, quòd nemo esset tam audax, qui ei se allaturum ullo præmio polliceretur; in foribus templorum *Parmæ* atque *Placentiæ*, tum verò etiam *Arimini* eas præfigi curaverunt. quod quidem *Julio* permolestum sane fuit, præsertim cùm illis eis in literis testarentur, habere se consiliorum suorum adjutores *Galliarum* & *Hispaniarum* reges *Ludovicum* & *Ferdinandum*: tametsi spem aleret *Julius*, autoritate potentiæ suæ vel interminando vel hortando vel pollicendo, aliquos ex eo conventu in suam voluntatem se abstracturum, eamque conjunctionem divulsurum, ipso eorum Principe homine ventosissimo parum prudentiæ tantam ad rem, reliquorum nonnullis parum autoritatis adferentibus: qua effecta re nihil ab aliis posse confici eorum, quæ speraverant, confidebat. Sed omninò post illud tempus plenior solito curarum & cogitationum *Julius* fuit.

Variæ in *Carnis* pugnæ.

In *Carnis* cum hostes sat magno equitum & militum numero ex *Goritianis* finibus ad *Cremonse* oppidum accessissent, ut illud, si possent, caperent, prædas autem abigerent, damnaque incolis & vastitatem inferrent: *Joannes Viturius* legatus obviam illis factus, prælium acriter magnoque animo iniit, ipse manu promptus ac paratus, ut quivis alius: itaque eos fudit, interfectis captisque perplurimis. Erat cum illo *Aloisius Portus*, de quò suprà dictum est, validorum & pulcherrimorum membrorum excellentisque virtutis atque invicti planè animi adolescens. Is cùm se medios in hostes audacissimè intulisset, eosque jam in fugam conjecisset, ab uno ex illis in collo apud tenontes vulnere tam tenui accepto, ut vix pellem gladius perforarit, omnibus tamen membris captus ab equo statim decidit, sublatusque à suis per manusque servatus, prorsus immobilis per plures menses fuit; cæterùm exercere se postea in armis nequivit unquam: qui profectò casus cladem illam hostium *Viturio*, à quo *Portus* propter virtutem amabatur sanè plurimum, odiosam in primis & lachrymabilem reddidit.

Magistri scribarum oratio in senatu de ærarii angustiis, ejusque medela.

Interim domi Patres ob ærarii inopiam in magna curandæ pecuniæ difficultate versabantur: quamobrem ubi dies comitiorum venit, sedentibus in curiæ subselliis civibus, Principis & reipublicæ nomine scribarum magister sic eos est alloquutus: Putare sese neminem in curia esse, quem ærarii angustiæ hoc tempore lateant: neminem, qui non videat, quàm ad ea recuperanda, quæ indignè amissa sunt, pecuniæ respublica indigeat: ea suppeditari ad impensas belli possit, omnia excogitata à Patribus esse, nihil relictum inexploratum, nihil intentatum superesse, præter unum, ut qui fisco debent cives, ii solvant, atque in ærarium quod debent conferant: id si fiat, superfuturam pecuniam magistratibus palàm esse: si non fiat, rem ipsam publicam in prædam hostibus & direptionem venturam, non esse ab ullo jam ulterius ambigendum: utrum eligere malint, fortunam ipsam eis hodie proponere, vel eam portionem, qua reipublicæ tenentur, sua ipsos manu ei tribuere, vel hostibus invitos omnia (nihil enim victis superesse, quod non in victorum potestate sit) ex altero parva suarum rerum parte ipsos defecturos: ex altero prædia, fundos, insulas, domos, uxores, liberos: quibus nihil in vita charius, nihil esse dulcius potest, lares, templa, libertatem reipublicæ, communicationem imperii, cœlum denique hoc, auramque ipsam, qua vivunt, ipsos in periculum adducturos. majores ipsorum hanc eis patriam suo sanguine peperisse, eos autem parvo suo incommodo tueri eam nolle, neque deos neque homines probaturos. nihil esse miserius servitute: itaque dura eis omnia perpetienda potius esse, quàm serviendum: *Leonardum* Ducem ipsorum magistratusque universos, qui hanc rempublicam procurant, rogare obtestarique eos per ea, quæ unicuique jucundissima suavissimaque sunt, ut qui fisco debent, quamprimum in ærarium inferant, ut ope auxilioque eorum nixa Respublica sublevare se erigereque tandem possit, ne in timore amittendi omnia perpetuò versentur.

Hoc sermone habito, ad magistratus creandos se cives converterunt. *Sigismundus Caballus*, qui legatus extraordinarius in exercitu reipublicæque locis fuerat, facultate à Senatu sibi permissa domum rediens, in sermone quem ad Patres habuit, multa de *Lucii* copiarum reipublicæ præfecti timore formidineque animi in consilis capiendis, plura de tarditate negligentiaque in maturandis & perficiendis, actione planè libera & severa dixit: quæ quidem propè omnia Patres, ipsi per sese præterita repetentes, majori cum dolore, quàm adhibendis ei malo remediis, agnoverunt. tametsi haud multò post eos dies, cum ea inter ipsos opinio percrebuisset, perniciosum esse reipublicæ copiis hominem imperare & semper timidum, & nunquam diligentem, eoque maximè, quòd *Lucii* præfecturæ tempus explebatur, cœptum est à magistratibus agi de alio in ejus locum eligendo, cui se tutius civitas in belli rebus tradi & permitti possit: itaque Senatu coacto, aliqui ex illis *Laurentium Ceretanum*, qui militibus reipublicæ præerat: aliqui *Marcum Antonium Columnam*, qui *Julii* stipendia merebat: aliique *Gasparem Severinatem*, *Mantuæ* qui erat, certioresque Patres fecerat, libentissimè suam se operam reipublicæ navaturum, esse præficiendum censebant. *Laurentii* virtutem egregiam elevabat *Gallicus*, qui appellatur, morbus, à quo interdum impediebatur, ne exercere se quantum opus erat, posset. *Severinatem* cùm nonnihil adjuvaret inimicus in *Gallos* animus, à quibus *Veronæ* cùm esset, custodiæ traditus per invidiam fuerat; alia multa premebant. *Marco Antonio Columnæ* adolescentia erat adversaria. Neque tamen defuerunt, qui tunc quoque uti aliàs, *Gritto* legato id imperium esse dandum existimarent, quod ea res neminem ex reipublicæ præfectis lædebat. Eæ sententiæ cùm non semel in Senatu dictæ essent, à *Joanne Medice* Cardinali literæ *Romæ* datæ Patribus proposuerunt: si suis copiis præficere *Joannem Paulum Balionem* velint *Perusinæ* civitatis principem, magno in re militari nomine, se curaturum ut is internuntios ad urbem suos mittat, quibus cum agere, quæ agenda erunt, Patres possint. quæ intellecta res magistratuum controversiam diremit, pluresque in eam sententiam, quàm in ullam aliam ierunt, ut *Balioni* præfecturam traderent.

Lucius copiarum præfectus accusatur.

Consultatio de præfecto exercitui præficiendo.

Ipse verò *Lucius* hæc vel prævidens futura, vel facta de amicis suis cognoscens, literas ad Patres dedit senem se factum, minusque jam ad belli munera & labores obeundos idoneum, quàm antea fuerit: itaque cupere artem desinere, si per eos liceat, atque ad requietem se vitamque reliquam dare, petere ut liceat. Quam quidem ejus petitionem Patres opportunè oblatam libentes acceperunt, honorificoque responso missum eum fecerunt.

Lucius dimissionem petitionemque præoccupat.

Milites *Epirotæ* quingenti, *Veronæ* qui erant, ab exercituque reipublicæ profugerant, stipendiis apud hostes fraudati, commeatuum egentes, omnia perpessi mala, impetrata venia ad *Grittum* redierunt.

Ferdinandus Hispaniæ rex ægrè ferens Cardinales eos, de quibus suprà dictum est, in illa concilii *Pisis* agendi missa ad *Julium* denuntiatione, nomen

Hispaniæ rex Cardinales de mendacio arguit.

nomen suum adscripsisse, cùm se ab illo adjuvari præ se tulissent, *Julio* per legatum suum confirmavit, nullam se ad id voluntatis suæ partem adhibuisse, nulla omnino se in re cum illis consensisse: quòd si *Julius* eum in primis, qui *Hispanus* esset, dignitate illa & sacerdotiis, quæ in suo regno habet, spoliaverit, privatumque reddiderit, sibi eum rem gratissimam esse facturum, & suum illi mendacium eam, quam debeat, mercedem allaturum: uti autem *Bononiam* recipiat, omnes suas copias, quas fore propediem satis multas exploratum sibi esse, *Julio* se daturum polliceri. quæ legati oratio gratissima *Julio* fuit.

Benemeriti remunerantur à Republica.

Interim *Joanni Paulo Balioni* omnium reipublicæ copiarum præfectura per annos tres cum equitibus gravioribus ducentis, levioribus quinquaginta, militibusque centum, atque iis unis belli tantum tempore, cumque eorum omnium stipendio, tum ad ipsius mensam libris auri triginta annis singulis à Senatu traditi. *Tadeo Vulpio Forocorneliensi*, quòd ad *Bononiam* in exercitus fuga unus omnium præclarè se gesserit, *Bentivolorumque* amicos porta oppidi exire properantes, uti agmen prætereuntium aggrederentur, magno animo reprimens in oppidum reverti compulerit, numerus equitum gravioris armaturæ, quem habebat, est à Patribus auctus ad CL. ejusque fratri equites leviores L. attributi.

Matthæus Sedunorum episcopus.

Venerat ad urbem in veste plebeia tenuique comitatu *Matthæus Helvetius Sedunorum* Episcopus, quem *Julius* in Cardinalium collegium cooptaverat, homo magni animi, *Gallis* inimicus atque adversarius maximè. Causa veniendi fuit, ut *Julii* pecuniam ibi acciperet libras auri ad ducentas, militibus *Helvetiis* sex mille conscribendis, qui ejus stipendia facerent: moratusque in diversorio, quod Patres ei paraverant, dum sibi numi curarentur, per *Lauredani* Principis domum salutatis semel Patribus, *Pisaurum* in triremi, quam ei Patres dederant, se contulit, numis per suos domum missis: inde *Romam* ad *Julium* est profectus, atque is tantùm abierat, cùm ad urbem item venit homo reipublicæ amicus *Maximiliani* regis familiaris, ut Patres certiores faceret, si legatum ad *Maximilianum* secretò miserint, qui eum roget, uti cum civitate fœdus ineat, honestasque ei conditiones proponat, *Maximilianum* cum republica consensurum. Ea intellecta re Patres Senatu coacto *Antonium Justinianum* legerunt, qui statim ad *Maximilianum* proficisceretur, cum fœderis feriendi potestate, si conditiones non respuerit: inter quas erat, ut si is *Veronam* reipublicæ restituat, *Antonius* polliceatur rempublicam ei daturam aliquam pecuniæ vim: eaque res ut bene reipublicæ verteret, omnibus in templis dies tres supplicatio decreta est. *Antonius* tacitè profectus *Feltriam* ubi venit, literas sibi obviam missas accepit, quibus ei *Maximilianus* suis in locis atque oppidis dies octo commorandi potestatem faciebat. Eis literis non contentus *Antonius*, quòd tam brevi temporis spatio *Maximilianum* convenire, remque tantam perficere posse se non confidebat, alias longioris moræ literas sibi mitti postulavit, easque in castello *Butistanio*, quod est in extremis reipublicæ finibus, se expectaturum confirmavit.

Legatus *Venetorum* ad *Maximilianum* ob pacis tractationem missus.

Antonio itaque *Butistanii* eas litteras expectante, hostes qui *Veronæ* erant, à *Maximiliano* atque ab rege *Galliæ* haud parva manu aucti, commeatu & tormentis per *Athesim* flumen ad eos in ratibus *Tridento* missis, oppido egressi, ut exercitum reipublicæ aggrederentur, ad *Grittum*, qui non longe aberat, contenderunt: congressique, cùm *Veneti* propter paucitatem premerentur, eos repulerunt, ducentosque ex equitibus captivos

Venetorum prope *Veronam* clades.

fecerunt, interfectis perplurimis, & *Suavium* ac *Leonicænos* ceperunt. *Grittus* cum reliquis, qui quidem fortissimè pugnaverant, in *Atestinorum* se fines recepit. Fuerat hostium numerus equitum gravis armaturæ septingentorum, levis mille quingentorum, militum circiter septem millium cùm *Vasconum*, tum *Germanorum*, ad quos gregariorum magna multitudo accesserat: quibus omnibus *Palitia Gallus*, homo non obscuri inter suos nominis, præerat. Ejus prælii nuntio accepto, non mediocris timor Patres incessit, ne eo successu hostes sublati *Patavium* improviso se conferrent, quod vacuum defensoribus sciebant esse, ut de eo capiendo, quid possent, experirentur. Augebant eum timorem literæ à magistratibus *Alpinis* ad eos datæ, *Maximilianum Tridentum* venisse, rumoremque satis constantem vagari illum propediem in fines reipublicæ *Taurisum* versus impetum facturum. quas ob res legatum, qui *Taurisi* rebus belli præesset, *Joannem Paulum Gradenicum* Patres legerunt: & militum quina millia undecumque celeriter conscribenda esse sanxerunt: atque uti è nobilitate cives viginti *Patavium*, decem *Taurisum* mitterentur ad eas urbes custodiendas, cum X. militibus singuli totidemque è plebe urbana cum tribus, qui portis eorum oppidorum adsisterent, Senatusconsulto addiderunt: *Grittumque* exercitum sine mora *Patavium* adducere jusserant: scripsisse enim *Justiniano*, ut si quippiam cognosceret, quod impedimento esset, quo minus conveniret inter *Maximilianum* atque rempublicam, quamprimùm possit, ipse operam daret, ut quicquid id esset, omnibus modis è medio prorsus tolleretur. Quoniam autem Principis, & ejus collegii jussu edictum propositum fuerat, ne cui, qui fisco deberet, frumenta possessionum suarum in urbem advehere, nisi ipsis permittentibus, liceret: ne eas res advectiones moraretur, altero edicto facultas in urbem advehendi civibus omnibus est data. quodque sunt in *Sili* flumine molæ frumentariæ perplures, quibus civitas utitur, eas qui custodirent, armatos homines in naviculis XXIV. uti suburbia, quæ à Septemtrionibus sunt, mitterent, Senatus jussit, æquè inter ea, quæ quatuor sunt, diviso navicularum numero, cum *Muriani Torceliique* magistratibus, qui eis præessent: panisque classicus omnibus cum viginti dierum stipendio publicè datus: quorum dierum spatio quid hostes molirentur, sciri posse Patres existimaverant.

Edictum de frumentis advehendis.

Exercitu *Patavium* adducto, militibusque mille in *Rhodigianis* finibus qui erant, quos Patres evocaverant, eòdem introductis, magna est hominum fuga ex agris cùm *Patavium* tum etiam *Taurisum* facta, ut omnes viæ carrorum, pueros, mulieres & impedimenta domestica convehentium, implerentur. quem timorem augebat, quòd adferebatur, quoniam hostes *Leonicænis* captis majorem oppidanorum partem unà cum mulieribus & infantibus interfecerant, oppidumque & vicos aliquot incenderant, eos omnibus in reipublicæ locis idem esse facturos. itaque *Bassiani Asulique* magistratus relictis municipiis, quibus præerant, nullis eos hostibus impellentibus, sed sola earum rerum auditione perterriti, *Taurisum* profugerunt. Missus autem eò *Laurentius Ceretanus*, præfectique alii cum militibus & equitibus levissimis, fractos jam civium & reliquorum animos confirmaverunt: qui unà cum *Gradenico* legato, ut oppidum redderent communitius, animum intenderunt, magnumque agricolarum numerum, qui in oppidum confugerant, nacti celeriter ejus quod intenderant, non parvam partem effecerunt. Frumenta, quæ in agris erant, in oppi-

Hominum fuga ex terrore panico.

oppidum comportari mandaverunt. Præterea, ut in urbe major numerus reperiretur eorum qui è nobilitate, quive è plebe *Patavium* aut *Taurisum* accederent: utque ad id faciendum eò promptiores essent, præter *Bartholomæum Mustium*, qui jam sese Patribus obtulerat, cum armatis hominibus XXX. duos menses, in utro vellent oppido, sua impensa reipublicæ operam navaturum, & *Sabam* hominem è plebe, qui cum decem, ac propterea magnopere laudabantur, proposita fuerunt præmia, tam iis qui è nobilitate, quàm iis qui è plebe, pro sua quibusque conditione, qui ad tutanda ea oppida ire vellent.

Vicetia desolata occupatur ab hostibus.

Hostes interea vacuam hominibus *Vicetiam*, quòd propè universa civitas fuga *Patavium* atque ad urbem se contulerat, facile ceperunt: *Pandulfusque Malatesta Citadellam*, ab illis eò cum equitibus quadringentis propinquo ejus misso. Eas ob res Patrum jussu sacerdotum & sacrarum virginum collegiis tercenta staria frumenti dono data, ut preces Diis immortalibus pro republica facerent.

Lex de Senatoribus fisci debitoribus.

Atque ut pecunia quibus posset modis exigeretur, lex antea perlata, nunquam autem palam proposita, quòd asperior duriorque esse Patribus videbatur, in Senatu lecta est. Ea erat ejusmodi: Qui senatores fisco deberent, decem dierum spatio in ærarium conferrent: qui id non fecerit, à Senatu excludatur, aliusque in ejus locum sublegatur. Et alia item ejusmodi: Qui in ærarium pecuniam inferret, ea illi accepta unà cum decima à quæstoribus referatur: qua is pecunia quæ ipse quæve quis alius portoria ullis urbanis magistratibus debiturus inposterum sit, solvere, acceptumque ac relatum facere possit. Etiam à *Decemviris*, prædia reipublicæ fundique aliquot in *Cypro* insula ut venirent, eaque statim ad urbem pecunia trajiceretur, latum. Sed eam legem, quæ de iis, qui fisco debent, à Senatu ejiciendis loquebatur, paulò pòst etiam ad omnes alios magistratus cum urbanos tum provinciales extensam atque amplificatam majora comitia probaverunt: itaque perplures magni viri à rebus publicis tractandis ejecti, in privatorum numero sunt habiti.

Lucii copiarum præfecti ob dimissionem querela, & obitus.

Lucius molestè ferens se à Senatu missum fuisse, tametsi velle quiescere ipsemet Patribus significavisset, querelisque ea de re legatorum aures quotidie obtundens, id perfecit, ut Senatus, ne in illum ingratus esse ulli hominum videri posset, pristinum ei locum restituerit: quo in loco tamen parum temporis esset futurus, *Joanne Paulo Balione* brevi ad exercitum venturo, cui parere *Lucium* oporteat: tametsi, etiamsi ad exercitum *Balio* nunquam venisset, non tamen irrita ejus Senatus opinio fuisset, non multum scilicet temporis in sua præfectura futurum *Lucium*: paucos enim post dies in febriculam incidens, ea in horas graviore facta, mortem obiit.

Julii Pontificis consilium de bello Regi *Galliæ* inferendo.

Romæ autem accito ad sese reipublicæ legato *Julius*, qui cum erant *Hispaniæ Britanniæque* regum legati, ei proposuit, se cum illorum legatorum regibus cumque republica fœdus inire statuisse, quo ex fœdere *Galliæ* regi bellum eodem tempore omnes facerent: ei bello *Ferdinandum* confirmare equitum gravioris armaturæ mille ducentorum, levioris mille, millium numerum se præstaturum: totidem item *Heinricum*: quibus copiis bellum à suis finibus in *Galliæ* fines inferat: ipsum autem suum exercitum bene plenum paratumque in commune allaturum: idem ut *Veneti* se facturos polliceantur, non tam hortari, quàm confidere, nulla eos in re desiderari suum munus atque officium permissuros: neque enim ullius sociorum tam referre id bellum fieri, quàm reipublicæ, itaque jubere ipsi, ut ea Senatui perscribat, petatque ab eo syngrapham, qua pro ejus parte fœdus confici & conscribi possit.

Eum *Julii* sermonem uterque Regum legatus *Donato* comprobavit. Quibus rebus cognitis, ex *Donati* literis Senatus omnibus suffragiis syngrapham fieri, atque ad illum mitti jussit.

Equitum gravis armaturæ stipendia aucta.

Monuerant *Grittus Paulusque* legati Senatum, quoniam equites gravis armaturæ vulgò conquerebantur, eo quo merebant stipendio non posse sese equosque suos alere tam duro tempore, tam frequenti omnis commeatus propter fugam agricolarum inopia, tantisque laboribus perferendis: optimum factu esse, si stipendia illorum Patres auxerint, ut lætioribus animis suam reipublicæ operam uberiorique cum fructu navent: quamobrem eis Senatus & stipendiorum summam auxit ad auri libram in annos singulos, quæ prius erat quinta parte minor: & duorum mensium stipendia repræsentari à quæstoribus imperavit.

Pecuniam à ditioribus mutuam colligit Respublica.

Quòd autem pecunia publicè defecerat, à civibus ditioribus, quod opus esset, mutuò petere Patres constituerunt: utque cæteri eo exemplo moverentur, dux ipse *Lauredanus* libras auri decem eo nomine in ærarium primus contulit. Id reliquorum civium perplures imitati, & ipsi pro suis facultatibus idem fecerunt, ut esset omnis ea pecunia libras auri ad ducentas, eoque amplius.

Scripserant Patres ad *Balionem*, ut è *Perusii Spoletique* finibus pedites bis mille conscriberet, secumque adduceret: pecuniamque ad eam rem suis internuntiis dederant. Itaque ad eos reliquosque illius milites & equites & comitatum advehendum, triremes nothas tres vacuas paucis administrantibus aliaque navigia ad eam rem accommodata Patres in *Flaminiam* miserunt ad vicum, qui appellatur *Catholica*. eisque navigiis euntibus & redeuntibus *Bondimerium Padanæ* classis præfectum esse præsidio jusserunt, ne quid eis *Alfonsus* in itinere noceret.

Taurisum novo artificio munitur.

Gradenicus in *Taurisanis* legatus de *Laurentii* & *Vitellii* multæ virtutis hominum consilio, ut oppidum communiret, magnam curam & diligentiam adhibebat: muros reficiebat: è turribus, quæ in iis erant, veteri consuetudine altiores, quàm præsens rei militaris ratio postulabat, superiorem partem detrahebat: fossas latiores & profundiores faciebat, aggerem construebat, extra oppidum per quingentos passus tecta diruebat, arbores succidebat, ut nihil aut prospectui, aut ejaculandis tormentorum pilis obesset. Aqua *Silis* fluminis, quod flumen oppidum interfluit, ut in oppido sustineri posset, quæ hostibus accedentibus effunderetur ad omnem circa oppidum regionem submergendam, alveos è lateribus solidissimos cum ostiis lapideis plurimis, ad quamvis vim aquæ brevi evomendam, concamerationesque sub mœnibus, perque aggerem firmissimas exædificabat. quod opus magna impensa postea perfectum expletumque ejusmodi nunc quidem est, ut neque pulchrius & elegantius, neque aptius atque accommodatius quicquam ullum ad oppidum muniendum & tuendum aliis in locis ferè conspiciatur.

Hostium per *Vicetinos* fines progressus & irruptiones.

Hostes autem, quorum erat numerus propè viginti millium, ulterius per *Vicetinos* fines progressi, incendiisque omnia fœdantes, *Camisanumque* maximè, totius agri plenissimum vicum, ut incendia usque *Patavio* prospicerentur, *Bassianum* oppidum ceperunt, diripuerunt, virgines violaverunt: è quibus tamen equites *Epirotæ* reipublicæ extremum agmen aggressi triginta captivos *Patavium*, unde venerant, intulerunt. in iis *Hieronymus Posterla*, *Mediolanensis* civis, homo satis dives fuit.

Legatus *Venetus* à *Maximiliano* re infecta redit.

Interea *Justinianus*, quem ad *Maximilianum* fœderis ineundi causa missum à Senatu dixeramus, cum regiis procuratoribus colloquutus, cùm ii se ad illum non semel contulissent, spretisque quas adferebat conditionibus, eum tandem missum fecissent, demum etiam revocavissent, neque tamen convenire inter ipsum atque illos posset, à Senatu revocatus ad urbem rediit.

Bartholomæus Mustius senator ob merita declaratur.

Ac domi quidem magistratibus comitia habentibus, *Bartholomæoque Mustio*, qui amanter *Patavium* profectus tuendo oppido cum triginta militibus sua impensa, uti suprà dictum est, reipublicæ operam dabat, senatore tanta civium voluntate declarato, ut multò ipse majore suffragiorum numero, quam ullus ex suis competitoribus id muneris adeptus esset: tametsi magna illorum pars in eo magistratu sæpius fuerint, quæ res maximè adversaria solet esse iis, qui idem petunt:

Lauredani ducis oratio de populi in benemeritos grato animo.

Lauredanus Dux ad cives conversus ejusmodi sermonem habuit: Lætari se plurimum, quòd ipsi favore suo atque benevolentia eos in primis cives prosequantur, suffragiaque sua iis honestandis conferant, qui communi commodo inserviunt, séque pro patria periculis objiciunt, & impendia rei familiaris erecto animo sustinent: itaque, inquit, non omnino Deos immortales iratos nobis esse atque adversos puto, cum hanc vobis mentem datam, atque hunc ab illis sensum videam, ut qui amore patriæ in labores, in discrimen sese dant, maximè dignos vestris muneribus existimetis, atque illis, qui minus id faciunt, A præferendos vestris sententiis judicetis. Graturlorque *Mustio*, quem hoc honore amplificavistis: quo quidem gavisurum eum puto in illis suis laboribus longè magis, quam si omnibus commodis affluens, plurimis in voluptatibus versaretur, summaque vitæ securitate frueretur: hoc est enim verè vivere, prodesse patriæ, defendere rempublicam, tueri cives suos, vitam sine libertate minimi facere, etiam præferre mortem servituti: hæc qui secum reputat, qui sentit, ille mihi præstans & magnus civis videtur, ille dignus in quem unum à sua civitate omnia studia, omnes honestates conferantur. Hæc vos cives, B mea mihi vita chariores, dies atque noctes cogitare oportet, ut *Mustio* similes, cùm usus erit, patriæ laboranti succurratis: quòd si feceritis, & illa beneficiorum & laborum vestrorum memor, omnes suas dignitates in vos profundet, & ipsi non ab ea modò, quod tamen civi egregio & amanti patriæ satis esse planè debet, sed etiam omnibus ab hominibus laudabimini: nam qui acta civitatis nostræ conscribunt, vestra nomina suis libris inserent: ita virtutes & benefacta vestra legentur, aliis narrabuntur, per ora gentium & seculorum pervagabuntur, nomenque vestrum æternitati commendabitur.

C Hac oratione à *Lauredano* habita, perplures cives ipsi & magistratibus se paratos obtulerunt, neque rei familiari, neque vitæ suæ parcere, ut saluti publicæ pro virili sua opem atque præsidium adferant. Ita comitia dimissa.



PETRI

PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIÆ LIBRI DUODECIMI

EPITOME.

Clades in *Istris* à *Friapane* accepta. *Gallorum* ac *Germanorum* in *Carnis* & alibi progressus. *Julii* ægritudo. *Pisaurum* à *Julio Francisco Mariæ* traditur. *Germanorum* ex *Alpibus* populationes. *Gallorum* ad majus littus usque incursiones. *Venetorum* cum *Julio* & *Britanniæ* rege fœdus. *Galli* & *Germani Taurisum* obsident, eorumque discessus. Lex de novo navalium magistratu creando lata. Exercitus ad amissa in *Carnis* recuperanda missus, ejusque res gestæ. *Vicetia* ad reipublicæ imperium redit. *Julius* eos qui *Pisanum* concilium coegerant, Cardinalatu spoliat. *Brixia* & *Bergomum* à *Venetis* capitur. Varia pacis cum *Maximiliano* negotia. *Bononia* à Pontificiis & *Hispanicis* copiis obsessa, à *Gallis* liberatur. *Venetorum* ad *Villam Francam* clades. *Brixia* à *Gallis* expugnatur. Duodecim *Helvetiorum* legati ad urbem veniunt. Induciæ inter *Maximilianum* & *Venetos*. Pugna apud *Ravennam*. *Lateranensis* concilii initium. *Ravenna* à Pontifice cum arce recuperatur. *Helvetii* se *Veneto* exercitui conjungunt, eorumque res gestæ. *Bononienses* se iterum *Julio* dedunt. *Galli* totâ *Insubriâ* pelluntur. *Selimus* patri regnum eripit, ejusque ad *Venetos* legatio. *Genua* à *Jano Fregosio* capitur. *Alphonsus Atestinus* à *Julio* interdicto absolvitur, & *Româ* aufugit. *Helvetii* à *Julio Romanæ* reipublicæ defensores appellantur. *Julii* in *Alphonsum* conatus irriti. *Mediceorum Florentiam* reditus. *Julius Galliæ* regi aqua & igni interdicit. *Veneti Cremam* recipiunt. *Gallorum* in *Aquitania* clades. *Veneti* cum *Ægypti* rege fœdus renovant. *Neapolis* prorex *Brixiam* capit. *Julii* cum *Maximiliano* fœdus, à *Venetis* alienatio & obitus. *Leonis* X. creatio.

LIBER DUODECIMUS.

Clades in *Istris* à *Friapane* accepta.



EO tempore in *Istris* incommodum acceptum est, fugatis equitibus & militibus reipublicæ cum legato ejus regionis *Andrea Suriano*, à *Christophoro Friapane*, qui se in insidiis occultaverat, prædaque facta. quas ob res paulò pòst *Suriano* à civibus malè audiente, *Sebastianus Justinianus* à Senatu lectus est, qui legatus *Istris* regendis eò se statim conferat, cùm antea regendis *Dalmatis* lectus fuisset.

Gallorum & *Germanorum* in *Carnis* populationes & progressus.

Ab hostibus verò *Gallis Germanisque Asulum* & *Marostica* facilè capta: qui cùm in planitie populationes facerent, *Epirotis* reipublicæ extremum illorum agmen carpentibus, plurimos ex suis non semel amiserunt: quod quidem detrimentum sarcitum cum fœnore est, *Vasconibus* mille quingentis aucto eorum exercitu. A *Fossæ* autem *Clodiæ* municipibus classicula celeriter coacta, fugatis *Alfonsi* navibus, perplura ab eis capta optimis mercibus onusta navigia recepta sunt in *Vatreni* ostio, atque ad urbem & ipsum ad forum magnis acclamationibus & tubarum ac tympanorum strepitu & tibiarum sonis, tanquam in triumphum ducta.

Julii ægritudo, ob quam *Pisaurum Francisco Mariæ* tradit.

Auctis verò admodum febribus, quibus iterum tentari cœperat *Julius*, ut se moriturum crederet, *Francisco Mariæ* fratris sui filio, quòd *Alidosium* Cardinalem interfecerit, ne crimini esset, decrevit, scriptisque id literis est testatus: *Pisaurumque* oppidum regendum & obtinendum ei tradidit, quod hæredes ejus sequerentur, stipendio levissimo in annos singulos dari Romanis Pontificibus imperato: filiæque suæ *Felici* libras auri centum viginti, totidemque *Francisco Mariæ*, alterosque totidem *Nicolao Ruxero* sororis suæ filio dono dedit.

Exierant *Vicetia* hostium equites gravis armaturæ centum, levioris ferè ducenti, milites *Vascones* quatercentum *Verona* profecti, ut *Marosticam* se conferrent: id cùm ab agricola *Federicus Contarenus* cognovisset, qui *Patavio* egressus cum equitibus levioribus quingentis, ut hostibus, si quà posset, noceret, eamdem regionem versus se conferebat, cum tertia suorum equitum parte, quò illos iter facturos arbitrabatur, se convertit: reliquas duas partes diversis itineribus si hostes reperire possent, misit, cum mandatis, ut qui priores hostium agmen conspicarentur, id celeriter reliquis significandum curarent. Accidit autem, ut ipse in eos prior incideret: itaque unà cum *Guido Rangonio* magni animi adolescente sine mora congressus, parum abfuit quin ab eis caperetur. *Rangonius* quidem ab equo dejectus in manus hostium venit: quorum impetum *Federicus* temperanter sustinens eos morabatur, dum reliqui, ad quos accersendos miserat, accederent: id dum per horæ spatium fit, reliqui adveniunt, tum redintegrato simul prælio, cùm diu atque acriter utrique pugnavissent, hostes superantur, séque fugæ mandantes, quòd equitum nostrorum celeritatem effugere non poterant, milites conciduntur: reliqui omnes ad unum capiuntur cum jumentis sarcinariis permultis, quæ supellectilem magni pretii ad *Palitiam* reliquosque duces adferebant, cúmque mulierum turba, quæ agmen sequebantur. *Rangonius* equitem, qui eum ceperat, à se captivum factum, in equi sui postremo dorso *Patavium* in reditu ingrediens adduxit. erat autem hora noctis ferè tertia, ut multis luminibus allatis utrumque agmen victores simul & victi non ingratum spectaculum *Paulo* legato, qui in porta aderat, & oppidanis dederint. *Grittum* legatum ob adversam valetudinem, Senatu permittente, *Patavio* sui ad urbem detulerunt: & *Bondimerium* è *Fossa Clodia* eadem de causa item sui.

Venetorum cum hostibus conflictus.

Lucio mortuo dum *Balio* ad exercitum venit, *Bernardinum Braccium*, egregia fide hominem, pro præfecto copiarum reipublicæ Senatus esse jussit: quæ res præfectis reliquis exercituique omni gratissima sanè fuit: eique in præsentia datæ libræ auri decem in stipendium, quinque autem in menses singulos ad victum institutæ. *Meleagro* etiam *Forolivienfi*, quoad *Joannes Græcus*, qui longinquo morbo detinebatur, convalesceret,

ret, ejus equites regendi dati unà cum aliis levioribus quinquaginta, qui *Lucii* fuerant: ex centum autem gravis armaturæ, qui fuerant ejusdem *Lucii*, *Guido Rangonio* septuagintaquinque, reliqui *Tadeo Vulpio* distributi.

Theodorus Palæologus.

Atque inter hæc *Theodorus Palæologus*, homo reipublicæ amantissimus, *Zacyntho* rediens equos quinquaginta levissimos ad urbem secum duxit. cujus ab insulæ prætura, *Joannes Barbadicus* Triumvir ad magistratuum provincialium furta criminaque cognoscenda, *Hieronymum Bernardum* ejecerat, pecuniis omnibus, quas nullo jure abstulerat, restitutis, ipso ad urbem se sisti jusso, *Stephanoque Capello* Proprætore in insula instituto: eam enim illi potestatem *Decemviri* dederant.

Germanorum ex Alpibus populationes.

Hostes cùm frequentes populationes in *Alpibus* fecissent, *Belunium* cepissent, castella multa & vicos diripuissent, cum carris quamplurimis, qui naviculas ad pontes sustinendos binas singuli, quique ipsos pontes disclusos, atque in partes plurimas sejunctos ferebant, *Plavim* flumen versus se contulerunt. quorum discessu cognito, *Federicus Contarenus Janesque Fregosius*, *Patavio* ad castellum *Francum* procurrentes, porta succensa municipium capiunt unà cum præfecto, quem hostes ibi reliquerant ad commeatum procurandum, & ejus equitibus aliquot militibusque triginta, cumque iis, qui panem exercitui conficiebant, quorum erat non parvus numerus: farinæque carros aliquot abstulerunt, frumentique aliquantum modum, ut *Epirotæ* ferè omnes oneratos admodum ea præda equos suos in reditu habuerint.

Castellum Francum.

Taurisanorum in perficiendis munitionibus sedulitas.

Taurisi autem Legatus præfectique quòd hostes ad se venturos intellexerant, eam diligentiam perficiendis munitionibus adhibuerunt, ut non ipsi modo reliquique cives *Veneti* & *Taurisani*, ex nobilioribus, sed ipsæ etiam mulieres singulis diebus plures horas terra suis manibus fodienda & convehenda laborem forti animo subierint.

Germanorum progressus.

Posito in naviculis ad *Plavim* ponte, *Germani* flumen transierunt. *Galli* trajicere noluerunt, verentes ne *Germani*, cùm suæ terræ finibus appropinquavissent, cupiditate domum redeundi, & quòd eis stipendia ferè non persolvebantur, se relinquerent. erat autem *Gallorum* numerus propè viginti millium, *Germanorum* duodecim millium, præter equites utriusque armaturæ circiter octingentos: quorum graviores more ipsorum duos ad summum singuli, sæpe etiam unum tantùm equum habebant. *Germani* igitur *Sacilium* profecti, oppido defensoribus vacuo facilè potiti sunt, atque ibi commeatu, quo antea caruerant, exercitum refecerunt. Eo capto municipio magnus est omnibus illis populis injectus timor, ne ab iis ferro atque igni ob innatam genti feritatem & crudelitatem vastarentur. Qua re cognita, fortunæ favore usi, & sua paulisper remissa vulgò sæviendi consuetudine, non multis diebus eam omnem regionem in suam potestatem redegerunt.

Lex de bonis civium fisco debentium.

Ea tempestate ne pecunia Patres deficeret, propterea quòd rerum fisco cedentium Triumviri magnum suis in libris publicè debentium civium numerum habebant, Senatus legem scivit, ut iidem Triumviri bona civium fisco debentium omnia, quæ sui juris fecissent, facturive essent, ipsi in foro licerentur, licentibus partem eorum bonorum tertiam Fisci. novissimi pecunia vel sua, vel aliorum, cujus essent creditores, emere liceret, si pro reliquis duabus partibus numeratò persolvissent: eaque bona ita distracta si redimere priores domini voluerint intra dies octo eo modo, quo empta erunt, possint: si noluerint, eæ emptiones nullum postea præjudi-

A cium patiantur, sed firmæ solidæque sint tota tempora.

Germani Covoli arcem occupant.

At in *Carnis Germani* etiam *Covoli* arcem, quæ quidem nulla vi expugnari poterat, uti antea dictum est, qui in ea erant se dedentibus, ceperunt. quo accepto nuntio *Aloisius Gradenicus Utini* magistratus, magni sanè, sed parum muniti oppidi, relictis prædæ hostium magni pretii tormentis, ex eo discessit. Dein *Portus Gruarius*, pauloque pòst *Mota* ad *Liventiam* flumen municipium, & non longè ab eo flumine *Udertium* captum, quoniam verò earum regionum ferè omnium, quæ citra *Plavim* sunt, a-

B gricolæ se in ultimas *Taurisanorum* collium sylvas abdiderant, *Galli* magna cum manu eò profecti, atque introrsus patefactis viis, non parvam eorum partem conciderunt, magnamque armentorum pecorumque vim, quam illi secum adduxerant, abstulerunt, mulieresque eorum ætate ac forma non spernenda tenuerunt. Alia autem ex parte à *Germanis Sacilium Carnicum* est captum. Ea re audita Patres, ut *Gradiscas* communirent, curam adhibuerunt, missis eò celeriter equitibus, &, quos in urbe conscripserant, militibus cum centurionibus & præfectis: quæ tamen cura nihil illis profuit: positis enim

Gallorum rapina.

Gradiscas Germani capiunt.

C ad castelli muros castris, cùm *Germani* tormentis, quæ nec multa nec magni ponderis habebant, eos quatere cœpissent, qui in eo erant sese hostibus dediderunt, cùm defendere municipium parvo negotio potuissent. Fovebantur autem *Germani* à plurimis *Forolivianis* civibus, atque ab *Antonio Saorniano* quidem maximè, uno ex *Utini* principibus & nobilitate & opibus & reipublicæ paulò antè gratia in primis claro, qui nulla unquam lacessitus injuria ad *Maximiliani* duces profugerat, eosque rebus omnibus juvabat, autorque illis fuerat, ut se *Gradiscas* conferrent. nisi tamen injuriam ac-

D cepisse illum est existimandum, quòd paucos ante menses coactis agrestibus hominibus clientibus suis magnam in civitate cædem fecerat; trucidatis plerisque honestissimis civibus adversariis suis, eorumque ædificiis incendio absumptis, ut neque jus, neque pudor, neque timor reipublicæ, neque magistratus qui aderat, reverentia continere illum potuerint: quod tamen ejus consilium apud consobrinum suum *Hieronymum Saornianum* tanti non fuit, ut eum ab officio atque ab amore reipublicæ abduceret. nam cùm ille suum in castellum, quod in *Osopio* monte est loco alto atque edito, viæ quæ

Osopius mons.

E *Germania* plurimum aditur, imminens, quodque pridem has ad res magna sua impensa exædificaverat, se contulisset, ducesque *Maximiliani* ad eum misissent, uti se dederet, eique necem & incendium exemplaque ultima interminati essent, nisi paruisset, spretis eorum minis se ad defensionem forti & constanti animo comparavit, literasque ad Senatum ea de re dedit, pollicitusque est Patribus, nihil se indignum suis majoribus, nihil à reipublicæ erga se charitate alienum, nihil *Antonii* rebus simile commissurum. quibus acceptis literis Patres *Joanni Viturio*, *Taurisi* qui erat, mandaverunt, ut *Osopium*

F è vestigio cum quadringentis equitibus contenderet *Hieronymo* auxilium laturus. Cúmque dies comitiorum senatoribus sexaginta creandis venisset, *Hieronymus Saornianus* pluribus suffragiis, quàm ullus alius, est senator renuntiatus: tantùm civitati in tam turbidis reipublicæ temporibus, optimus in illam *Hieronymi* animus gratus & jucundus fuit.

Hieronymus Saornianus Senator.

Idem Patres cum fisco debentes in tot eos latis legibus non tamen in ærarium conferrent: ad eas

Lex alia de Fiſci debitoribus.

Fiſci debitores cuſtodiæ mandantur.

A eas leges, de quibus in ſuperiore libro dictum eſt, aliam etiam in Senatu legem ſciverunt, quæ paulò pòſt majoribus in comitiis eſt perlata: qui magiſtratus vel ſint, vel futuri ſint, afferant ſinguli reipublicæ ſcribis fidem quatuor magiſtratuum ſcripto confirmatam, Triumvirûm ſcilicet, qui proventibus reipublicæ præſunt, quique res fiſco cedentes adminiſtrant, & qui regni *Cyprii* Triumviri appellantur, & item Quinquevirum ſale reipublicæ procurando, ſe, quod debeant, perſolviſſe: qui non attulerit, is magiſtratum reipublicæ neque obire, neque adire ullum poſſit. qui autem ex iis magiſtratibus fidem fecerit aliquem civem ſolviſſe, qui non ſolverit, is magiſtratus mulctæ nomine civis illius omne debitum reipublicæ perſolvat: ſcriba verò qui tabellam confecerit, à ſuo munere obeundo expellatur. Neque tamen ea lege ſatis eſſe factum *Decemviri* exiſtimantes, pleniore coacto collegio ſanxerunt, ut fiſci debitores detinerentur, cuſtodiæque traderentur, à qua nequirent liberari, quoad ſolverent: tabellamque cum centum eorum nominibus ſuis miniſtris dederunt jubentes, ut quemlibet eorum caperent.

Suavium per inſidias captum à *Venetis*.

Inter hæc legati, *Patavii* qui erant, *Paulus* & *Chriſtophorus* certiores facti, *Mediolano Brixiaque* hoſtium equitatum optimi generis ad *Suavium* municipium veniſſe numero ad quatercentos cum præfectis octo, ut ad *Palitiam* ſe conferrent, equites & milites *Guido Rangonio* duce miſerunt, qui eos, ſi poſſent, interciperent. Ii celeriter *Suavium* profecti, cùm ante lucem ad oppidi ſe portas tacitè contuliſſent, partem militum collem, in quo eſt arx, aſcendere juſſerunt, ut ſe in arcem inferrent. Miſſi eluſis qui arcem cuſtodiebant militibus, cùm ſe & ipſi cuſtodire illam dicerent, ſcalis, quas ſecum attulerant, poſitis muros conſcenderunt; interfectiſque qui primi ſe oppoſuerant, arcem tenuerunt, nomenque *Marcium* conclamaverunt. Iis exauditis vocibus præfecti hoſtium armis captis equiſque inſeſſis, cùm portas obſideri à *Venetis* intelligerent, facto ex equitibus gravis armaturæ, quos habebant quinquaginta, priore agmine, ceteris omnibus ſubſequentibus, condenſi aperta oppidi porta eruptionem facere contenderunt, omneſque ad unum capti ſunt, *Pataviumque* perducti. Ex præfectis fuere *Continus Melzius Galeatii Mariæ*, qui dux *Mediolanenſium* fuerat, filius nothus, *Sebaſtianuſque Ateſtinus Alfonſi Ferrarienſis* ducis patruelis frater, aliique claro loco nati quatuor. *Melzius* adverſa valetudine conflictatus in itinere interiit.

Gallorum ad majus littus uſque occurſiones.

Eodem ferè tempore à *Gallorum* hoſtium equitibus, vado in *Liquentia* flumine invento, incurſiones ſunt uſque ad littus, quod *Majus* appellatur, & vicina tribus portubus littora, qui portus à Septentrionibus propè ad urbis æſtuaria pertinent, omnia prædantibus armentaque abigentibus, factæ. atque ii redire ea cum præda volentes, quòd flumen imbribus creverat, trajicere non potuerunt. Ea re à Patribus intellecta, miſſi cum cymbis bellicis è plebe urbana qui illos interciperent, celeritate non magnopere uſi, eos in caſtra revertiſſe intellexerunt, quatuor equitibus in flumine amiſſis.

Pacis inter *Venetos* & *Maximilianum* tractatio.

Petrus etiam *Dureus* non multo antè à rege *Hiſpaniæ* ad *Maximilianum* Legatus pacis cum Patribus incundæ cauſa miſſus, cùm apud illum dies aliquot fuiſſet, *Venetias* venit, hortatuſque Patres eſt, inducias cum *Maximiliano* facerent: quarum induciarum tempore pax tractari commodè conficique inter ipſos poſſet. Senatus literas *Romam* ad Legatum dedit, qui de eo *Julium* certiorem faceret, eumque ad fœdus, de quo pridem agebatur, conficiendum omni ſtudio & diligentia hortaretur: quod quidem fœdus impediri ulla induciarum tractatione nolebant.

Præfecti arcium deditarum cuſtodiæ mandantur.

Idem Patres ſanxerunt, ut quæ oppida, quæve arces captæ ab hoſtibus fuiſſent, earum magiſtratus & præfecti, qui eas tradidiſſent, quíve profugiſſent, in urbe ſe ad carcerem ſiſterent, ut de eis judicium fieri poſſet. Ex iis pridie Nonas Octobris viginti duo numero in publicas cuſtodias profecti ſunt, adhibito ſuo præde quilibet, è cuſtodia ſe non abiturum.

Fœdus inter Pontificem *Ferdinandum* & *Venetos*, ejuſque conditiones.

Romæ autem paucos poſt dies Legato procurante fœdus ab *Julio* & *Ferdinando* & *Venetis* percuſſum eſt: quo fœdere *Ferdinandus* mittere ad B *Julium* viginti dierum ſpatio tenebatur equites gravis armaturæ mille ac ducentos, levioris mille, militum decem millia: & ſi mari opus erit bellum facere, triremes undecim: quam quidem militum & equitum manum in regno *Neapolitano* jam propè paratam habebat: in quorum ſtipendia *Julius* quadringentas auri libras in menſes ſingulos daret, duorum menſium ſtipendio in præſentia *Neapolim* miſſo. Ejus ſtipis univerſæ mediam partem ſe perſoluturos *Veneti* receperunt, claſſemque ſuam *Julio*, cùm vellet, daturos.

Britanniæ rex fœderis fit ſocius.

C Fœderis ſocium ſeſe fieri cupere *Henricus Britanniæ* rex, *Ferdinandi* gener, per Legatum ſuum, qui *Romæ* erat, & tractando fœderi interfuerat, magnopere oſtendebat: ejuſque tantummodo ſyngrapha, qua id confieri poſſet, expectabatur: eaque poſtea perlata, fœderi & ipſe ſe addixit. Cauſa fœderis propoſita eſt, ut quæ *Julius Gallis* ejus hoſtes adjuvantibus amiſerat, recuperarentur. *Ferdinandus* enim videri ſe propter *Venetos* ulla ex parte feciſſe noluerat, ne *Maximilianum* offenderet, cui ſe amicum profitebatur. Verum ipſe *Julius* per ſuas literas *Venetis* ſeparatim eſt pollicitus, quicquid oppidorum & ditionis eorum fuiſſet, ſi recipiatur, id ſe ut D reipublicæ reſtituatur, effecturum. poſteroque die ejus belli legatum *Joannem Medicem* Cardinalem creavit.

Patres *Andream Grittum*, qui ex morbo in urbe convaluerat, iterum Legatum legerunt, & *Patavium* reverti juſſerunt. Cùm autem *Daniel Barbadicus* & *Laurentius Priolus* lecti à Patribus, Quinqueviri rebus maritimis in Senatu procurandis ætatem probare non potuiſſent, paucique eis menſes legitimi temporis deeſſent, datis mutuò reipublicæ ſenis auri libris, ad magiſtratum obeundum ſunt admiſſi.

Mugiani obſidentur, ſed fortiter ſe defendunt.

E Atque in *Iſtris* quidem cùm earum regionum hoſtes *Chriſtophoro Friapane* duce aliquot oppidula reipublicæ cepiſſent, vigintiquinque equites *Mugiam* ad mare oppidum cum turbis & tympanis miſerunt, qui illud *Maximiliani* nomine à civibus peterent: illi ſe tueri velle urbem reipublicæ reſponderunt. Magiſtratus autem *Venetus* ibi qui erat, quà equitibus in reditu erat tranſeundum, *Bombizam Mugianum* fortem hominem cum bireme atque navicula breviore itinere miſit, qui ſpatio celeriter confecto, navi proſiliens cum revertentibus congreſſus majorem eorum partem cecidit. poſteroque die *Friapanes* cum militibus quinque millibus, equitibus nongentis F ab ea parte, qua ſalinæ ſunt, caſtris poſitis, muros tormentis muralibus dejicere aggreſſus, eos qui ſolidiſſimi non erant facilè aperuit, ſic, ut ingredi ſeſe poſſe confideret. at cives univerſi unà cum mulieribus eo in loco aggere intra mœnia celeriter excitato, ſe munierunt. Interim *Andreas Ciuranus*, equitum *Epirotarum* præfectus, *Juſtinopoli* adveniens alia ex parte in oppidum ſe intulit, auxilioque *Mugianis* fuit. Hoſtes labore oppugnationis fruſtrà ſuſcepto, interfe-

ctis ex eorum exercitu non paucis, vulneratis perplurimis, in quibus *Friapanes* ipse & magistratus *Tergestinus* fuerunt, discedere sunt coacti. Ea in oppugnatione *Bombizæ* virtus magno usui suis civibus fuit.

Galli & *Germani* *Taurisum* obsident, sed frustra.

Cum hæc in *Istris* gererentur, *Galli* & *Germani* ad *Taurisum* obsidendum profecti, non longè ab oppido, modò hac modò illac castris positis, quòd ab hostibus ex muro tormentorum pilis interficiebantur, urbem aggredi non sunt ausi: sed *Silum* flumen naviculis, quas secum in carris ferebant, trajicientes, quod non satis res illis frumentaria suppetebat, prædas undequaque abigebant eò facilius, quòd agricolæ, tametsi jussi non semel edicto præfectorum fuissent, ut sua in tutum exportarent, id tamen facere magna ex parte neglexerant. itaque latè atque ad loca longinquiora vagabantur, verùm sæpius non impunè: nostri enim equites *Epirotæ* aliquam eorum manum assequuti cædes faciebant, prædas auferebant, commeatum qui eis superioribus è regionibus afferebatur, intercipiebant: quamobrem diebus pluribus in ea cogitatione consumptis, ad extremum desperantes oppidum rebus propè omnibus ad sustinendam obsidionem communitum capi posse, abierunt, ut se *Vicetiam* reciperent. cùm paulò antea ob adversam valetudinem *Joannes Franciscus Gambara Brixianus* ex principibus civitatis, de quo superioribus libris diximus, in *Colle Alto* mortem obiisset.

Grittus cum stipendio exercitui dando *Patavium* est profectus. quò quidem *Balio* è *Fossa Clodia*, advectis ad continentem per æstuaria suis equitibus & militibus, urbe ac Patribus, ne tempus tereret, ad dexteram relictis, breviore itinere paulò pòst & ipse se contulit, duobus à magistratibus, qui res bellicas in Senatu procurant *Antonio Justiniano*, *Andrea Trivisano*, quos Patres ad illum honoris causa miserant, eò perductus. Quoniam verò literæ *Roma* venerant, *Hieronymum Donatum* Legatum maximis iliacis doloribus ita jam confectum esse, ut spes propè nulla ejus vitæ sit relicta, *Franciscum Foscarum*, qui Prætor *Patavinis* fuerat, Senatus ei sublegavit, qui celeriter, si *Donatus* mortem obierit, proficiscatur.

Fœderis recitandi solennitas, & divitiarum ostentatio.

Cùm autem fœderis, de quo suprà dictum est, in urbe recitandi dies advenisset: quem quidem diem propter imbres & non serenas tempestates eousque Patres distulerant: à *Lauredano* duce & principibus civitatis, ac omni Senatu, divinis auditis in æde *Marcia* sermonibus, ea celebritas in foro est facta, is parietum ejus ornatus, is sacrorum collegiorum, is omnium ordinum, omnis ætatis conventus & perambulatio fuit, ea vis argenti atque auri fabrefacti, & gemmatorum monimentorum per manus hominum atque ipsis in canistris & corbibus circumducta, ut mirum sanè fuerit, in tam exhausta bellis & tributorum collationibus civitate, tantam honestorum & ornatissimorum hominum frequentiam, tantos thesauros, tantas opes extitisse. In ea celebritate ubi *Lauredanus* in forum venit, capita fœderis è saxo edictorum clara voce à præcone pronunciata, magnis populus acclamationibus exceperat.

Hostium in fines *Patavinorum* reversio.

Hostes *Tauriso* profecti cùm ad *Plavim* flumen iter flexissent, ut commeatui, qui *Corneliano* erat mittendus, obviam fierent, ne à *Venetis* intercipi posset: eo demum à *Joanne Gonzaga Francisci* fratre, qui *Corneliani* ejus rei procurandæ causa restiterat, in *Carnis* centum adducto, in fines *Patavinorum* reverterunt, ædificia, quæ adire poterant, *Venetorum* civium, quorum erat celebris neque parvus numerus, plerumque comburentes: *Medoaco* flumine trajecto, *Vicetiam* propè hominibus vacuam, deinde *Veronam* non sine crebris detrimentis ob equitum reipublicæ eos insequentium audaciam se receperunt, domum reditione è *Germanorum* parte plurima ex itinere *Veronaque* suscepta.

Oppida quædam reipublicæ iterum accedunt.

Profectis hostibus, *Cornelianum*, *Servallium*, *Udertium*, *Mota*, sponte ad rempublicam redierunt: idemque factura *Sacilium* & *Cividale* nuntiabatur. *Portus* autem *Gruarii* municipes *Nicolao Vendramino*, qui *Tisanæ* ejus regionis vico in agris suis erat, accersito, ut prætorem in oppido ageret, magistratum *Germanorum* captivum fecerunt, atque ad urbem miserunt, neque tamen non à militibus *Germanis* duobus millibus, qui repentè in *Carnis* extiterunt, plura reipublicæ loca infestabantur.

Lex de fructibus ex domorum locationibus.

Inter hæc, ut belli sumptibus pecunia suppeteret, Patres legem sciverunt, ut mediis domorum fructibus, qui ex locationibus proveniunt, æquam partem inquilini omnes in ærarium inferrent, exceptis iis, qui hoc bello ab hostibus reipublicæ domo sua pulsi, se ad urbem recepissent: atque iis, quorum fructus decimam unciæ partem non excederent.

Lex de novo navalium magistratu creando.

Aliam etiam legem iidem Patres sanxerunt, ut in proximo senatu ad navalia rectius atque commodius procuranda novus magistratus legeretur, qui adesse in Principis & Patrum collegio, legesque ferre in Senatu posset: lectusque est *Antonius Tronus* templi *Marcii* procurator. itemque ut *Romam* literæ ad Legati scribam mitterentur, ut si Legatus mortem obiisset, ipse ab *Julio* Senatus nomine sacerdotium aliquod uni ex Legati liberis impetraret, quo munere de mortui familia sat gravis, neque victu abundans fulciretur. Ipse autem Legatus jam obierat. At in proximis comitiis cùm *Cypro* insula regenda magistratus crearetur, qui reipublicæ locum teneret, *Gradenicus Taurisi* Legatus, & bellum diligenter administrans, eum magistratum magno favore civitatis obtinuit: quamquam competitores, ut illum eundem consequeretur, salutando prehensandoque ei rei multos dies operam dedissent: id quod *Gradenicus* absens, & in castris facere nequiverat: verùm illum tot labores pro republica perpessi commendatum apud omnes reddebant.

Exercitus ad amissa in *Carnis* recuperanda.

Post hæc Senatui placuit, ut *Gradenicus* præfectique equitum propè omnes ad recuperanda ea quæ respublica in *Carnis* amiserat, se conferrent: itaque pridie Nonas Novembris *Tauriso* cum tormentis profecti sunt. postridieque ejus diei Senatus hortatu *Hieronymus Saornianus*, in urbe qui erat, reliquique illorum oppidorum cives, amici reipublicæ, in *Carnos* ad Legatum juvandum reverterunt.

Nicolaus autem *Bolanus*, qui *Maximiliano* magna manu *Butistanium*, quòd est in *Istris*, obsidente, ejus municipii arcem, cui præfectus erat, militibus se dedentibus, amiserat, in urbem rediit, ut se ad carcerem sisteret. Eorum autem civium, qui propter ejusmodi causas carceri se tradiderant, eo tempore perplures à judicibus absoluti sunt, atque ad rempublicam admissi.

Rosæ dominus, equitum præfectus à *Venetis* captus.

Ab *Epirotis* verò equitibus quadraginta prope *Veronam* homo *Sequanus* omnium *Maximiliani* equitum præfectus, quem *Rosæ* dominum appellabant, interceptus, cùm se magno animo defendisset, vulnere in facie accepto, cum non paucis equitibus captus, *Patavium*que perductus est: quem quidem Legati honorificè exceptum *Venetias* miserunt: eumque postea è custodia in Patrum collegium à duobus magistratibus adductum, atque ad principis latus sedentem, *Laure-*

redanus ipse reliquique Patres bono animo esse jussum, amantissimis sunt verbis prosequuti: *Viceriaque* ad rempublicam rediit.

Vicetia ad rempublicam redit.

Verùm cùm annonæ caritas in urbe atque in reliquis reipublicæ oppidis magnopere crevisset, *Decemviri* legem sciverunt, quicumque se receperit ex maris *Adriani* à læva regionibus, atque ab *Epiro*, *Acarnania*, *Ætolia*, frumenti aliquem numerum ad urbem advecturum, ei in singula frumenti staria viginti solidos rempublicam dono daturam, atque, ut is tertiam universi frumenti partem venundare in omni sua extra urbem ditione possit, permissuram. A Senatu etiam undecim *Cividalis Beluniani* civibus, qui se amanter pro republica gesserant, vigintiquinque agri jugera in *Portus Gruarii* finibus dono singulis data sunt: quæ jugera hæredes ipsorum sequantur.

Lex de frumenti advectione.

Benemeritorum remuneratio.

A *Rhodigianis* autem oratores *Patavium* ad legatos missi venerunt, qui dicerent, omnes *Alfonsi* equites & milites *Padum* trajecisse, eaque loca reliquisse, itaque redire se ad rempublicam cupere: rogare, ut qui præsit, in oppidum mittant. quamobrem *Valerius Marcellus*, quem Patres magistratum *Rhodigianis* antea creaverant, eratque tunc *Patavii*, Legatorum jussu eò se contulit.

Rhodigiani reipublicæ se adjungunt.

Romæ verò ante diem nonum Calendarum Novembris in publico Cardinalium collegio *Julius Hispanis* duobus & *Gallis* totidem, qui concilium *Pisanum* coëgerant, Cardinalatum, quo in ordine erant, abrogavit.

Julius Pisani Concilii auctores Cardinalatu spoliat.

In urbe prætor est *Viceinis Franciscus Valerius* datus: & qui plerisque municipiis paucorum dierum spatio spontè se reipublicæ reddentibus præessent, lecti: & qui antea lecti erant, ad suos magistratus obeundos ire jussi. *Utinumque* receptum est. *Octavianus* autem *Fregosius* magnæ virtutis adolescens, qui cum *Balione* venerat, & *Joannes* ex eadem familia, de quo sæpe dictum est, *Julii* rogatu, *Januensium* statum renovare magnopere cupientis, Senatu concedente, *Romam* ad illum profecti sunt. *Troilus* verò *Sabellus* ob avaritiam (suorum enim equitum stipendia fraudabat, eaque de causa nihil illis negabat, atque illi indigna omnia patrare non verebantur) cùm sui muneris tempus explevisset, à Senatu est dimissus. atque ob pecuniæ indigentiam omnes pensiones solutionesque à republica fieri solitæ, ab Idibus Novembris usque ad Calendas Martias, ab eodem Senatu suspensæ ac retentæ sunt. Quoniam autem propter res ad usum & mercaturam civium non rectè ab *Ægyptiis* administratas, ad *Alexandrinorum* regem, quem *Soldanum* appellabant, erat mittendus, qui civitatis causam reipublicæ nomine tueretur: Patres legem sciverunt, ut legatus ad id munus crearetur obeundum etiam ex iis, qui in magistratu essent, eique è communi mercatorum pecunia auri libræ X. in præsentia darentur: salarii vero nomine in menses singulos ternæ libræ, cum navigiorum, quæ illum adducerent & reducerent, mercedibus: atque ita *Petrum Balbum*, quem quidem antea rei maritimæ imperatorem comitia creaverant, statim legerunt. A *Balbo* legatione non suscepta, quod quidem facere unis imperatoribus licebat, *Dominico Trivisano* templi *Marcii* procuratori eam curam mandaverunt.

Lex de Legato ad *Alexandrinorum* regem mittendo.

Redierat in fines reipublicæ *Christophorus Friapanes*, de quo paulò antea diximus, ad eosdem *Mugianos* vexandos: quod ubi *Andreæ Ciurano* renuntiatum est, qui non longissimè aberat, cum suis ad illum contendit, commissoque prælio *Friapanem* medio in agmine conspicatus, in illum se intulit. Non respuit congressum *Friapanes*: itaque cùm uterque alterum sæpius stricto gladio petiisset, *Ciuranus* tandem hostis faciem mediam lato vulnere sauciavit, atque illum in fugam convertit. eo diffugiente major pars agminis dilapsa: reliqui aut interfecti, aut capti. *Ciurani* egregia eo die virtus fuit.

Friapanis & *Ciurani* duellum.

A

Grademico in *Carnis* ad *Cremonse* municipium profecto, missisque ad oppidanos internuntiis, cum mandatis, nisi antequam exercitus se ad muros conferat, deditionem fecerint, eos se omnes eorumque omnia in prædam militibus concessurum: illi minas veriti sine ullis conditionibus se legato tradiderunt.

Cremonse deditionem facit.

B

Venerant secretò ad ostium *Lauredani* principis *Germani* duo, à *Matthæo* Episcopo *Gurcensium* missi, qui ejus nomine petierunt, ut ei liceret per fines reipublicæ iter facere, triremesque habere, quibus se in *Flaminiam* trajiciat: velle enim *Romam* ad *Julium* accedere tractandarum rerum inter *Maximilianum Venetosque* causa. atque ii quæ postulaverant, à Senatu impetraverunt.

Matthæus Gurcensium Episcopus.

Sub hæc *Andream Trivisanum*, qui *Utini* magistratus reipublicæ locum teneret, cum Senatorum prærogativa majora comitia creaverunt. Pauloque pòst *Albertus Pius Maximiliani* legatus *Venetias* venit, petens à Patribus, ut quatuor cives, binos ex *Decemvirûm*, binos ex Senatorum ordine, in *Germaniam* mitterent, qui obsidum loco essent, ut *Matthæus* Episcopus *Gurcensium* tutò se reipublicæ posset committere, navesque triremes quatuor paratas ei traderent, quæ illum *Anconam* adducerent sub *Maximiliani* signis: aut, si id ipsi negaretur, sub *Julii*. Iis de rebus consulto Senatu, dare obsides non placuit, ne reipublicæ dignitas, cujus fides nullo tempore ullis principibus defuisset, minueretur: reliqua facile concessa. Quod cùm *Pius* intellexisset, de eo literas ad *Maximilianum* dedit, atque in urbe, quid is scriberet, operiri sese velle dixit. Etiam *Thomæ Strigoniensi* Cardinali bene de republica merito ex *Pannonia* proficiscenti triremis, qua in triremi *Anconam* adveheretur, tradita: missusque ad illum *Vincentius Guidottus* Senatus scriba cum muneribus reipublicæ nomine salutandi eum causa.

C

Maximilianus petit obsides à republica *Veneta*.

D

Thomas Strigoniensis Cardinalis.

Post hæc *Hieronymi Saorniani* perceleri ad urbem adventu Patres certiores facti sunt, reipublicæ exercitum *Clusam* & *Venzonium* cepisse: isque illos multis de rebus admonens statim ad exercitum rediit. Alia ex parte à *Maximiliani* copiis *Cadoræ* captæ atque incensæ sunt. In urbe autem à Senatu decima cum medio censu civibus imposita.

Census.

E

Atque illis diebus *Augustinus Maurocenus Helvetiorum* interpres itinere devio propter *Gallorum* suspiciones, qui loca omnia custodiebant, ad Patres missus, eis proposuit, statuisse *Helvetios* ab *Italia Gallos* expellere: itaque velle eos primùm omnium *Venetis* auxilio esse, ut postea conjunctis opibus illos facilius rejiciant, modò ipsis à republica commeatus, tormenta, & equites quingenti tribuantur: eas tantùm res satis *Helvetiis* ad bellum gerendum futuras: ipsos ad hoc jam signum illud explicuisse, sub quo *Carolum Sequanorum* ducem vicerant, atque interfecerant ante annos paulò minus quinquaginta. quod signum nunquam postea explicaverant *Helvetii*. Cúmque dies esset majorem in modum pluvius, aperto in æde sacra signo serenitas mira illuxit: quod quidem illi optimum in omen acceperunt, omnia ipsis è sententia successura. Is etiam, quòd in familia ejus nominis esset, quòd maximè celebre apud *Venetos* est, amicum esse reipublicæ cupereque illi omnia se ostendit: itaque eum Patres

Helvetii cogitant *Gallos Italiam* expellere, & auxilia *Venetorum* petunt.

F

Omen bonum.

tres liberaliter exceperunt. Consulto deinde Senatu, omnibus ad unum suffragiis, quod rarò fieri assolet, oblata *Helvetiorum* accepta, & quæ petierant, eis promissa.

Senatusconsultum de mittendis obsidibus. Interim *Julio* magnopere hortante, ut quæ petierat *Albertus Matthæi* Episcopi nomine, ea illi concederentur, Senatusconsultum factum est, uti de quatuor obsidibus in *Germaniam* mittendis, totidemque triremibus *Matthæo* dandis, omni ex parte *Alberti* postulationi satisfieret. neque tamen obsides sunt missi. *Alberto* ipso non multos post dies ex *Maximiliani* literis apud Patres pronuntiante: quoniam is *Romæ* per *Julium* perque suos internuntios agere, quæ agenda erant, cum republica statuerat, non opus esse ut mitterentur.

Gestæ res in Carnis. *Gradenico* autem legato in *Carnis* non sat prosperè bellum administrante, cùm ob durum & intractabile anni tempus, bruma enim appetierat, nivosis præsertim & frigidioribus in locis: tum verò propter stipendia non in tempore persoluta, & commeatus inopiam, quem direptis oppidis & vastatis agris, plerumque ab urbe subvehi, expectari oportebat: à mari autem per continentem eò usque omnia ad boum & jumentorum infrequentiam tardè & difficulter afferebantur: *Grittus* legatus cum ea quam habebat manu Senatus jussu *Feltriam* venerat. itaque cùm *Gradenicus* suo exercitu *Gradiscas* oppidum cinxisset, tormentisque positis parum proficeret, Senatus statuit, ut *Grittus* eò accederet, suasque copias cum illius copiis conjungeret, neque tamen ea re *Gradiscæ* capi ab illis potuerunt, utriusque militibus & equitibus & præfectorum plurimis à tanto se labore subtrahentibus. *Gradiscæ frustra obsessæ.*

Helvetiorum in fines Mediolanensium irruptio. His rebus Senatui palàm factis, quòd *Helvetii* in fines *Mediolanensium* jam irruperant, castellaque nonnulla ceperant, Senatus litteras ad *Grittum* dedit: si se paucorum dierum spatio in *Gradiscis* capiendis nihil profecturum esse intelligat, *Vicetiam* suis cum copiis redeat, ut *Helvetiis* auxilio possit esse. Dum eæ literæ perferuntur, legati ambo *Vipulzanum* & *Martinianum* & *Florianum* castella in collibus posita, acriter cum *Maximiliani* militibus, qui ea tuebantur, atque ad prælium exierant, congressi fuga eorum & cæde facta ceperunt: quodque ab iis reipublicæ populi magnopere vexabantur, oppidanos diripuerunt, ædificiaque in agris incenderunt. Hostes quoque illi qui erant *Cadoris*, duorum exercituum conjunctione perterriti, iis relictis in *Alpium* se interiora receperunt. Ejus verò loci homines qui supererant, internuntiis ad Patres missis, qui se regerent, ab eis petierunt: velleque sese arcem incensam reficere reipublicæ sunt polliciti. *Castella à Venetis expugnata.*

Gritto Vicetiam revertente, *Joannes Græcus* equitum sagittariorum præfectus, reique publicæ amantissimus, homo jam senex, suo in lectulo ea in urbe mortem obiit. Ejus equites CL. *Meleagro Foroliviensi* cum omnium equitum leviorum præfectura à Senatu traditi.

Ferdinandi regis legatus pacem cum Maximiliano suadet. Miserat *Venetias Joannes Cardona Neapoli* Prorex *Ferdinandi* regis jussu *Joannem Baptistam Spinellum*, *Cariati*, ut ajebant, Comitem, internuntium suum, ut optimum Proregis ad rempublicam juvandam *Gallosque* oppugnandos animum *Lauredano* principi & Patribus ostenderet, eosque ad pacem cum *Maximiliano* conficiendam hortaretur: adderetque, si id fecerint, omnia eis prosperè ventura, sese confidere. Patres hominem eo libentius exceperunt, quòd is aliàs etiam annis superioribus *Ferdinandi* legatus ad ipsos fuerat. Is se manere in urbe velle dixit. Patres ei domum paratam publicè tribuerunt.

A Iisdem diebus milites *Hispani* numero ad novem millia *Julio* ab rege suo traditi, cùm ad *Bastiam Alfonsi* castellum ad *Padi* ripam, de quo superius diximus, apprimè communitum se contulissent, tormentis eam verberare quàm proximè poterant, cœperunt: deinde adhibitis ante se cratibus, quæ eos tegerent, ne noceri eis posset, terra effossi per eam demissiores & tutiores facti, etiam propius pluribus à partibus accesserant: tertio demum die ad fossas & murum perducti, multis vulneribus & illatis & acceptis, scalisque positis eum perforaverunt, sic ut in eo, qui erat latissimus, tanquam concameratiunculam efficerent, atque in eam tormentorum pulverem injecerunt, cameramque plenam pulveris concluserunt, parvo relicto foramine, per quod ignis succendi posset, seque à muro parumper retrahentibus, cùm visum est igne immisso camera cum muri parte decemque hominibus, qui in eo erant, in sublime ita est disjecta, ut homines speciem volantium præberent. neque tamen reliqui propugnationem intermiserunt, fortissimeque se defendebant: qui etiam ab *Alfonsianis* altera ex *Padi* ripa duobusque terreis propugnaculis tormentis muralibus non parum juvabantur. verùm *Hispani* perplurimis adductis scalis, sesquihoræ spatio in arcem se intulerunt. *Alfonsi* milites, qui erant circiter centum, interfecti omnes sunt cum eorum Centurione *Vestitello*. Ex *Hispanis* item centum in ea oppugnatione occubuerant. Tertioque ab ea re die anni finis fuit. Neque tamen diu ab *Hispanis* id castellum retentum est: Januario enim mense ferè medio *Alphonsus* eò cum tormentis se conferens, magnaque vi aggressus arcem expugnavit, atque *Hispanos*, qui in ea erant CC. omnes interfecit. *Bastia castellum ab Hispanis pulveris tormentorum vi expugnatur.* *Alphonsus Bastiam castellum recuperat.*

Scripserat magistris *Decemvirûm Aloisius Avogarius Brixianus* è principibus civitatis, si exercitum Patres *Brixiam* mitterent, se urbis portam noctu ei aperiturum, per quam se universus intromitteret, urbemque caperet libentissimis oppidanis propè omnibus, quibus jam magnopere pigeret arrogantiæ contumaciæque *Gallorum*, quos perferre ulterius nequeant. Ea res in *Decemvirûm* collegio plures dies agitata, demum ab ipsis ad Senatum est delata, ut de ea Patres statuerent, accipiendane *Aloisii* oblatio esset, an rejicienda. Pluribus igitur dictis sententiis in utramque partem, atque à *Lauredano* duce in primis, qui, ne ea tunc reciperetur, censebat, Senatus jussit, eam recipi è republica esse, *Aloisiumque* magnopere laudari oportere, qui se tantam rem curaturum reipublicæ obtulerit, dato jurejurando senatoribus singulis, ne quid ejus rei quis efferret. Itaque Patres *Grittum* legatum de eo certiorem fecerunt, cum mandatis, uti *Brixiam* se quamprimum cum exercitu conferat, quam ad portam, quámve ante horam ipsi cum *Aloisio* convenerit: certosque *Gritto* internuntios, quibus uteretur, dederunt. *Gradenico* legato sæpe id à Patribus postulanti, domum reditio tandem est permissa: ejusque loco paucos post dies *Joannes Viturius* sublectus. *Grittus* acceptis à Senatu literis, cum equitibus gravioris & levioris armaturæ tribus millibus ex omni exercitu lectis, cumque militibus quot visum est, in equitum dorso impositis, *Brixiam* noctu profectus oppidum ingredi non potuit, detecta *Aloisii* oblatione, quam unius ex conjuratis uxor ad arcis præfectum amore ejus pellecta detulerat. *Aloisius*, ne à *Gallis* interciperetur, oppido egressus magnum hominum numerum in illos excitavit, qui nonnullos regios ministros ex ipsorum municipiis, quibus præerant, in fugam sese dare coëgerunt. *Consultatio de Brixia capienda.* *Aloisii de Brixia conatus irritus.*

Pa-

Patres ea spe dejecti, de pacis cum *Maximiliano* ineundæ conditionibus *Romæ* apud *Julium* constituendis, cùm plures sententias in Senatu dixissent, ea tandem placuit, ut induciæ per *Foscarum* legatum peterentur; quoad pax confieri posset. *Vanissa*, de quo sæpe dictum est, multæ virtutis homo, cum *Polizam Dalmatarum* oppidum suam in patriam rediisset, seditione concitata interfectus est à suis civibus. *Gaspar* autem *Severinas*, suis rebus suæque dignitati omnibus a partibus atque adeo à principibus & regibus parum fidens, se *Venetias* contulit, ut in ea urbe degeret, cujus civitate & jure comitiorum pater ejus unà cum libris posterisque donatus fuerat. Eum *Vicetini* cives aliquot, in urbe qui erant, suis opibus juverunt: amice enim atque moderate incivi tatem, cum pro *Maximiliano* ibi esset, segesserat.

Vanissa in interficitur.

Avogarius ob detectam conjurationem non deterritus, multa ex proximis municipiis & finibus hominum millia jam excitaverat ad *Gallos* expellendos: qua re moti *Amphiani*, arcem natura & artificio communitam, vi atque astu occisis *Gallis*, qui in ea erant, in suam potestatem redegerunt, eamque se reipublicæ servaturos *Aloisio* significaverunt, *Benaci* lacus populi fere omnes expulsis *Gallis* se reipublicæ dediderunt. His auditionibus concitati reliqui, in *Gallorum* nomen magno ardore voluntatum & arma capiebant, & se *Aloisio* permittebant. Ea re Senatui nunciata; Patres alteras ad *Grittum* literas dederunt, uti *Aloisii* & aliorum plena fidei & benevolentiæ incœpta, quibus posset modis aleret, atque ad urbis muros unà cum illis exercitum adduceret, quo ipsius & illorum præsentia freti oppidani, pulchrum aliquod facinus facere aggrederentur, portasque aperirent: tam pronos in rempublicam *Aloisii* & eorum populorum animos non esse negligentia & desidia reprimendos. His allatis ad *Grittum* literis, tametsi interea animorum ille ardor eorum hominum, qui cum *Aloisio* erant, paulatim refrixisset: *Galli* enim præfecti cives aliquot, quos favere rebus *Venetis* existimabant, cum custodibus *Mediolanum* miserant: minusque multi jam essent, qui se paratos ostenderent ad omne subeundum discrimen, ut *Brixia* capi posset: tentandum tamen sibi & enitendum legatus existimavit, ut Senatui satis faceret, à quo etiam reprehendi se, ac timoris argui non obscurè intelligebat: itaque *Aloisio* ad se vocato, constitutoque quid quemque facere oporteret: quarto Nonas Februarias exercitum nocte ad oppidum duxit, tribusque à partibus copiis æquè distributis cum tormentis non magni ponderis (neque enim habebat graviora) portas dejicere aggreditur. Id cùm plures horas omnes acies magno impetu fecissent, ea disjecta primùm porta, ad quam se *Aloisius* contulerat, ipse quique cum eo erant milites sub lucem se in oppidum injecerunt. pauloque post legatus reliquique altera aperta porta subsequuti, magna lætitia & gratulatione ab oppidanis excepti sunt. *Galli* se in arcem, quæ summo in monte est, pluribus eorum interfectis, fugientes contulerunt: quibuscum eòdem se recepit *Alda* ea, quæ *Joannis Francisci Gambaræ* uxor fuerat, suis cum liberis, & *Marcus Martinengius* homo infensus reipublicæ. Eo tempore *Anna Gallorum* regis uxor puerum peperit, qui primis diebus est mortuus. *Brixia* statim capta, *Grittus* per literas à Senatu petiit, ut sibi tormenta magni ponderis mitti confestim imperaret, sine quibus expugnari arx non poterat: qua in arce

Aloisii in *Gallis* expellendis conatus, & de *Brixia* capienda institutum.

Brixia ab *Aloisio* occupatur.

A erant equites *Galli* circiter ducenti, qui suos equos ob celeritatem fugæ in oppido prædæ hostium reliquerant: milites trecenti. Senatus ex iisdem *Gritti* literis duos legatos, alterum qui *Brixiam* regeret, *Antonium Justinianum* alterum, qui in exercitu esset, *Paulum Capellum* creavit: legemque scivit, ut quinque militum millia undecunque conscriberentur, adprioresque adderentur, ut bellum confici facilius atque celerius posset.

Dum hæc administrarentur, *Roma* literæ venerunt, velle *Julium* ut Senatus cum *Maximiliano* pacem faceret iis conditionibus, quas B legato dari jusserat: quæ nisi pax suum finem quamprimum habeat, se cum reliquis contra rempublicam consensurum, apertè profiteri. Eæ autem conditiones multò erant duriores, quàm quæ paulo antea proponebantur: non enim *Veronam* relinqui sibi *Maximilianus* tantum petebat, sed *Vicetiam* etiam tradi suis cum finibus. De *Forojuliensibus* verò & *Cividale* & & *Feltria*, ut *Julii* judicium esset, cui ea dari æquum esset, postulabat: tum ut suis populis, qui aliquid eo bello amisissent, ablata restituerentur, statuebat. demum, quas auri libras tercentenas pro *Patavio* & *Tauriso* reipu- C blicæ concedendis ei esse dandas propè convenerat ejus rationis ac ponderis, ut novem unciæ libram conficerent, eæ ut singulæ duodecim unciarum esse libræ intelligerentur, reliquis conditionibus addiderat. His igitur conditionibus uti pacem Patres firmarent, *Julii* & *Ferdinandi* legatis, atque *Alberto Pio Maximiliani* legato, qui & ipse literas de ea re acceperat, magnopere petentibus, responderunt Patres, se de iis Senatum consulturos: tametsi *Brixia* recepta tam iniquas eum esse conditiones accepturum non credebant. neque *Julium* ipsum, cùm id intellexisset, in sententia D existimabant permansurum. atque ii, antequam Senatum cogerent, à *Gritto* certiores facti sunt, non omnes modò *Brixiæ* fines ad rempublicam rediisse, sed *Bergomates*, quoque *Gallos* ex oppido ejecisse, & vexilla reipublicæ erexisse, oppidique arcem, quam milites CCL. tuebantur, deditione recepisse: missisque ad eum internunciis petiisse, ut ad se mitteret qui præesset, eum uti de cœlo missum excepturos: atque ipsum ad illos *Federicum Contarenum* unà cum *Petro Longena* misisse. *Cremam* quoque idem fuisse facturam, nisi *Galli* milites bis mille *Mediolano* evocatos magna E celeritate in oppidum introduxissent, perpluresque ejus oppidi cives obsidum nomine *Mediolanum* abduxissent. *Galli Bergomo* ejecti, se in arcem, quæ extra mœnia est summo in monte, receperunt. quibus intellectis rebus Patres Senatu coacto *Dominicum Contarenum* legerunt, qui statim *Bergomum* legatus accederet: *Gaspariq*ue *Severinati*, cui XX. auri libras annuas se in victum daturos polliciti sunt, ut se in castra conferret, mandaverunt & quòd pecunia eos defecerat, legem tulerunt, ut mutuò a Patribus sumeretur: atque ita *Lauredano* Principe auri libras X. pollicente, aliisque F plurimis pro suis opibus quolibet, paucarum horarum spatio satis est publicis necessitatibus factum. Etiam, propterea quòd à *Joanne Medice* Cardinali, quem *Julius* legatum suis in castris ad *Bononiam* esse jusserat, admonebantur, uti aliquem ex suis civibus legatum ad *Cardonam* Proregem *Neapolitanorum*, in eisdem castris qui erat, mitterent, ut quæ opus esset, diligentius inter eos tractarentur, *Marinus Georgius* est ab illis ad id muneris lectus: qui

Pacis cum *Maximiliano Venetis* ineundæ graves conditiones variaque negotia.

Brixia & *Bergomum* à *Venetis* recepta.

Cremæ.

Legatus *Venetorum* ad Proregem *Neapolitanorum*.

qui legatione suscepta, paucos post dies viæ se dedit.

Bononia à Pontificiis copiis obsessa à *Gallis* liberatur.

Interim præfectus *Mediolanensium Fojus*, magni & præstantis animi adolescens, *Mediolano* cum equitibus *Gallici* generis septingentis, militibus quinis millibus, incredibili celeritate nivosis lutosissimisque itineribus *Bononiam* profectus, ita se tacitè in oppidum intulit, ut *Hispanos*, qui ad fossas castris & tormentis positis stationes habebant, erantque singulis propè horis in oppidum, quod muro ea parte nudaverant, irrupturi, ejus adventus unum diem planè latuerit: quo die, ut requiem exercitui daret, movere se non potuit: postridie ejus diei præfecti *Juliani* casu ab agricola, qui *Gallos* in via viderat, de eo certiores facti, obsidione soluta tormentisque abductis abierunt, seque in tutum contulerunt. *Julius* permolestè ferens recipiendæ *Bononiæ* partam jam propè a se victoriam *Gallos* interpellavisse, oppidumque tam illustre sibi ab illis tanquam è manu atque sinu ereptum inconsolabiliter dolens, homo natura sua in iram atque ardorem animi pronus maximè, ubi de recepta ab exercitu *Veneto Brixia* nuntium accepit, incredibilem voluptatem cepit: vocatoque confestim ad se, ut erat intempesta nox, legato reipublicæ, gratulatus ei est amantissimè, ut præ gaudio lachrymas non continuerit, horasque illum propè duas in lectulo jacens lætus hilarisque secum tenuit. cujus quidem voluptatis signa publicè postea dedit, accensis in *Vaticano* atque in *Adriani* arce luminibus cum tormentorum strepitu binis iis noctibus, quæ sunt eum nuncium subsequutæ.

Julii Pontificis ingenium.

Auxilio *Bononiensibus* allato, *Fojus* ad *Brixiam* recuperandam se convertit eo celerius, quòd pontem *Pado* flumine trajiciendo, quem ad *Stellatam* castellum in *Alphonsi* finibus magna diligentia fieri jusserat, esse factum, atque in navibus impositum cognovit: itaque eadem celeritate qua venerat, rediens, eo ponte *Pado* transmisso, in *Veronensium* finibus ad *Villam Francam* reipublicæ copias quæ cum *Balione* erant, fudit, *Guido Rangonio* cum pluribus capto: & rectà *Brixiam* contendens, oppidumque circumvectus, copiis eorum finium, quæ in monte arci vicino venientibus se opposuerant, rejectis, in arcem ab inclusis magna gratulatione est receptus. *Grittus*, qui sæpe id ipsum veritus, per literas à Patribus tormenta graviora diligentissimè petierat, ut antequam auxilia convenirent, capere arcem posset: ubi *Fojum* esse in illa cognovit, spe retinendi oppidi suum apud animum planè deposita, plurimum questus, quòd quæ ad rei bellicæ usum petierat, in tempore allata non fuissent, curam tamen & laborem atque audaciam defendendi non remisit: itaque existimans postero die *Fojum* in oppidum descensurum, ne quis in fuga spem ullam poneret, occludi portas oppidi imperavit, dispositis militibus, qui eas nemini aperiri permitterent. tum milites *Faventinos*, quibus plurimum confidebat, circiter quingentos, cæterarumque nationum alios item quingentos ad priorem arcis portam, quà est in urbem exitus, constituit, ut invenientes impetum facerent, exitumque prohiberent. equites verò gravis armaturæ ad hostis excipiendos, si in oppidum irrumperent, leviores, *Epirotasque* maximè, ut ubi oporteret, præliarentur, disposuit: præfectum eorum *Federicum Contarenum*, qui eo ipso die cum equitibus tercentis *Bergomo* redierat, cohortatus, ut in libera maximè omnium civitate se

Venetorum ad Villam *Francam* clades.

Brixia à *Gallis* recepta.

A esse natum meminisset, libertatemque patriam, quam *Galli* sibi esse obterendam proposuerant, quantum posset tueretur: reliquisque item & præfectis & tribunis ac centurionibus, quid cuique defendendum esset, separatim mandavit. Vix ea *Grittus* constituerat, cùm manè *Fojus* ex equitibus quos habebat probatiores, equis detractis acie quingentorum confecta, eos tota armatos corpora, galeisque obsignatis, semilanceas in manibus longi latique ferri habentes aperta porta priores emisit. quibus *Faventini*, ut eis erat imperatum, magna se virtute opposuerunt: majoreque eorum parte B interfecta, reliquos repulerunt. In hos milites bis mille *Vascones* subsequuti impressionem fecerunt, interfectisque non sine ipsorum cæde quamplurimis, in oppidum proruperunt. Pugnatum est acriter reliquis à reipublicæ militibus, ab equitibus & præfectis horas aliquot ita, ut de viarum spatiis paulùm hostibus cederent: verum aperta vi ab *Epirotis* equitibus oppidi porta, perplurimisque eorum diffugientibus, ubi id ab hostium equitibus, qui in arcem propter loci angustiam recepti non fuerant, atque armati non longè aberant, est animadversum, ipsi in oppidum irruperunt, magnoque suis C auxilio fuerunt: itaque urgente hostium multitudine undique cædes est ingens in omnes facta. *Contarenus* ipse prælians interficitur cum præfectis *Epirotis* duobus *Frassina* & *Basta*: *Grittus* & *Antonius Justinianus*, qui paucos ante dies *Brixiam* legatus venerat, & præfecti *Itali* plurimi captivi facti prælium à secunda diei hora usque ad vesperam protractum urbs magna ex parte direpta. matres familiâs & puellæ suis in domibus ante parentum & maritorum ora, quos in vincula hostes conjecerant, passim violatæ. virgines sacræ è templis atque aris & deorum imaginibus quas ample-D xabantur, abstractæ, ad libidinemque abductæ. atque ea quidem scelera *Germani* milites maximè omnium patrabant. *Vascones* minus impii, *Galli* tolerabiliores fuerunt. *Aloisio Avogario*, quem oppido exeuntem hostes ceperant, biduo pòst medio in foro cervices sunt abscissæ.

Contarenus interficitur.

Germanorum in *Brixianos* captos sævitia.

Aloisius Avogarius decollatur.

Ejus rei nuntio Patres accepto, magnopere commoti sunt, quòd jam nihil prosperè ab iis tentari agive posse videretur: plurimumque conquerebantur, quòd in perducendis tormentis ad legatum *Grittum* minus diligenter actum esset: eam unam ob causam omnes omnium E labores magno cum reipublicæ detrimento irritos, & opulentum ac præclarum oppidum hostibus prædæ ac direptioni traditum. Iidem Patres ad copias reintegrandas, quibus modis poterant, animum intenderunt: additumque ad reliqua Senatus consulta, uti in *Creta* insula militum bina millia, qui sagittis uti scirent, conscriberentur, *Venetiasque* celeriter mitterentur: navesque longæ majores ad equites *Epirotas* quamplurimos ad urbem convehendos pararentur. etiam libræ auri ducentæ quas Proregi *Neapolitano*, & *Hispanis* ducibus dari convenerat, *Ravennam* illis sunt diebus missæ, & F quibus oportebat, datæ. Milites interea equitesque, qui *Brixiæ* non fuerant, vel oppido effugerant, se *Vicetiam* contulerunt: eodemque qui ab hostibus se redemerant, spoliati atque inermes sese passim referebant. *Grittus* & *Justinianus Mediolanum* sunt adducti. *Dominico Busichio* equitum *Epirotarum* præfecto, qui *Brixia* effugerat, uti domum redire posset, permissum: mediaque stipendiorum, quæ à republica merebat, pars tribus ejus filiabus post mor-

Veneti novum exercitum colligunt.

Benemeritorum præmia.

mortem patris condonata: quatuorque *Epirotis* equitibus in *Gallico* exercitu qui erant, curamque adhibuerant ne *Busichius* à *Gallis* captivus fieret, pensio annua singulis, quoad viverent, impetrata: duobusque *Frassinæ Epirotarum* item equitum præfecti liberis pensio ipsius tradita. Idem in tres *Bastæ* fratres servatum: paucosque post dies *Federici Contareni* sorori dotis nomine auri libræ quindecim è reipublicæ pecunia constitutæ. civibus autem *Brixianis* aliquot, qui amissis suis rebus omnibus ad urbem venerant, *Jacominoque Tropiano*, ejusque filio à Patribus pecunia in victum subministrata. is *Jacominus* suæ vallis homines egregio studio atque animo ad rempublicam tuendam evocabat. *Ludovico* etiam *Cocajo*, qui ut *Benaci* lacus oppida se reipublicæ dederent, studium & laborem contulerat, pensio annua liberaliter instituta, ejusque filio magistratus reipublicæ ex iis, qui à præfectis civitatum eliguntur, quem is vellet, dono datus. *Petro* quoque *Vinio Bergomati*, qui ad *Aloisium Avogarium* sæpe ventitaverat, interpresque apud illum de *Brixia* reipublicæ restituenda fidus atque diligens fuerat, octo scribarum tempora apud totidem castri *Franchi* magistratus paulò post à Patribus assignata. Curatores interea duo ad munitiones perficiendas atque amplificandas, *Aloisius Barbarus Patavium*, *Bartholomæus Mustius Taurisum* cum stipendio missi. majoribusque comitiis lex est perlata, uti bini *Patavii* præfecti, qui creandi erant, annui, & prærogativis primùm senatorum suffragiis, deinde comitialibus legerentur: estque *Aloisius Emus* secundæ dignitatis magistratus ea lege lectus.

Curatores munitionum.

Legatis post hæc *Helvetiorum* duodecim ad urbem venientibus, ut cum *Julio* & *Ferdinando* & Patribus ad bellum contra *Gallos* se conjungerent, cives è nobilitate, qui eos exciperent, obviam missi: ipsi liberali reipublicæ hospitio accepti, & victus datus. *Julius Brixiam* à *Gallis* recuperatam intelligens, uti Patres cum *Maximiliano* fœdus facerent, non modò consulendo & suadendo, sed minis etiam atque obnuntiationibus contendebat. Tabellarius interim reipublicæ qui apud *Gallos* erat in custodia, libertati restitutus *Mediolano* ad Patres venit, afferens *Jacobum* sibi *Triultium Gritto* adhibito mandavisse, Patribus diceret, si vellent, se cum rege curaturum, uti fœdus cum republica faceret, ea conditione, ut *Verona* reliquaque intra *Athesim* flumen oppida reipublicæ cederent. Ea erat conditio conscripta in quadam pagina ex *Gallia*, ut videbatur, ab rege ad *Triultium* missa: ineratque in ea caput etiam ejusmodi, regem præter ea redditurum Patribus *Flaminiæ* atque *Apuliæ* oppida, quæ reipublicæ fuissent: ipsum enim si unos *Venetos* conjunctos secum habeat, *Julium* & reges reliquos non magni æstimaturum aut omnino reveriturum: verum linea superinducta illud ipsum oblitaverat caput, ita tamen ut legi facilè posset. Patres Senatu vocato eam rem per literas legato *Foscaro* significaverunt, atque uti uni *Julio* notam faceret, mandaverunt: de fœdere autem cum *Maximiliano* ineundo, quod ad *Vicetiam* pertineret, velle Patres *Julii* judicio sese permittere: in reliquis capitibus ita fieret, uti *Julius* & *Maximilianus* voluissent.

Duodecim *Helvetiorum* legati.

Julius pacem cum *Maximiliano* urget.

Literæ de fœdere cum Rege *Galliæ* faciendo.

Altero autem Senatusconsulto *Vicetiam Maximiliano* dari Patres censuerunt, cum ea pecunia, qua de convenerat, non tamen antea, quàm *Maximilianus* bellum *Aloisio* intulisset. Postremo, propterea quod in fœdere tractan- A do magna rerum difficultas proponebatur, omnibus placuit, uti spatium à bello vacuum intercederet, quo in tempore pax commodius confici atque ad exitum perduci posset: itaque octavo Idus Aprilis inter *Maximilianum Venetosque* decem mensium concelebratæ induciæ sunt *Romæ* ab utrorumque legatis. *Julio* eis suam autoritatem adhibente, qui scribentibus affuit, ea conditione interposita, uti à Patribus quadringentæ auri libræ *Maximiliano* duabus pensionibus solvendæ curarentur. quas quidem postea inducias adjectis ad eam pecuniam centum auri libris, ut essent omnes quingentæ *Maximilianus* confirmavit.

Induciæ inter *Maximilianum* & *Venetos*.

B Post hæc *Marcus* Cardinalis *Sedunus* ad urbem *Roma* rediens, à *Lauredano* Principe & Patribus in *Bucentauro* navi usque ad *Clementis* fanum, quod in vadis est, obviam euntibus est exceptus. Cum eo & Patribus colloquuti *Helvetiorum* legati duodecim non semel cum fuissent, constituto quantum pecuniæ in stipendium esset *Helvetiis* à republica persolvendum, eadem scilicet portione librarum auri octoginta, ad quam reliqui singuli tenerentur, ternis auri libris ad iter à republica donati domum reverterunt.

Helvetiorum tractatio.

C Neque multò pòst *Julii* & *Ferdinandi* regis *Hispaniæ*, & *Aloisii Galliæ* regis exercitus propinquiores facti, cum se dies aliquot munitis castris tenuissent, *Galli* ad *Ravennam* oppugnandam se contulerunt. Erat in ea *Marcus Antonius Columna Julii* nomine cum militibus mille quingentis, equitibus trecentis, seque forti ac præstanti animo defendebat, & cladem hostibus ex muro inferebat, *Neapolitanus* autem prorex oppido veritus, ut *Gallos* ex eo averteret, non longè ab eorum copiis suas copias adduxit. *Galli* relicta oppugnatione se ad pugnam celeriter comparaverunt: itaque eo D ipso die manè, qui fuit dies percelebris, ad diem tertium Iduum Aprilium, uterque exercitus animo æquè magno ac parato ad dimicandum inter se conflixerunt. Pugnatum est horis plus sex incredibili virtute: qua in pugna militum & equitum millia supra decem & octo interfecta sunt, pari ferè utrorumque numero, fortuna dispari, *Julii* enim & *Hispanorum* copiæ fusæ, fugatæque: *Galli* locum tenuerunt. Captivi ab *Gallis* facti *Fabritius Columna*, ejusque gener *Alfonsus Avalus Aterni* dominus, *Petrus Navarrus Cantaber* & *Joannes Medices* Cardinalis *Julii* legatus, aliique clari viri non pauci, & signa complura abla- E ta, & tormenta capta. Eo in certamine *Alfonsi Ferrariensium* ducis, cum tormentis exercendis, tum acie sua è transverso in hostem ducenda, virtus egregia, & victoriæ magna ex parte conficiens fuit. Dux *Gallorum Fojus* cùm se in militum *Hispanorum* globum qui superat, audacissimè intulisset, cæsus ab illis unà cum pluribus clari nominis ducibus, eum suo exercitui diem lugubrem magis, quàm lætum, aut ulla gratulatione celebrari dignum reddidit. Postero die *Galli*, conditione adhibita, ut *Columnæ* suis cum copiis *Ravenna* F exeundi potestas fieret, neque oppidanis noceretur, oppido potiti sunt, quod quidem intromissi, conditione non servata, fœdè crudeliterque diripuerunt: arcem autem oppidi capere non potuerunt, iis, qui in ea erant, fidem *Julio* velle se præstare dictitantibus.

Pugna apud *Ravennam* inter *Gallos* & Pontificios.

Ravenna à *Gallis* occupatur.

Patres, qui eo tempore per *Vincentium Naldium* in *Flaminia* milites mille sua pecunia confecerant, ut ea cum manu *Julii* oppida, quantum posset, tueretur, ei mandaverunt. Is *Fa-*

ventiam propter cladem *Hispanorum* nutantem se contulit, atque oppidum opportuno præsidio communivit. Prorex ipse qui *Anconæ* post fugam primùm constitit, suas ut copias ad signa revocaret, omnem curam & diligentiam adhibuit: certior enim factus, majorem ex suis & potiorem multò partem in prælio *Gallos* amisisse, in spem venerat, adhibitis *Helvetiis* posse illos *Italia* expelli, si universi celeriter munus obierint, & virtutem gnaviter exercuerint suam. Quod ubi Patres intellexerunt, eum solari & erigere omniaque auxilia ei polliceri non dubitaverunt. *Joannem Antonium Dandulum* etiam à Senatu lectum cum auri libris CXX. ex superiore stipendio reliquis, quas tamen ipse in fugam versus jure belli amiserat, ad illum miserunt, juvandi & excitandi hominis causa. quam quidem rem legatus apud *Venetos Ferdinandi* imitatus, se ad illum cum pecunia contulit. Cymbæ interim duæ in navalibus confectæ atque instructæ, quæ propter velocitatem hirundines appellabantur, in *Ravennæ* portu naviculam *Alfonsi* longam remigum quadraginta captam à se, interfectis ex illis plerisque, navesque duas mercibus & occisorum in pugna spoliis onustas, item unà captas ad fori marginem *Alfonsi* signa per aquam trahentes duxerunt.

De Gallis Italia expellendis novus conatus.

Julius ut Regem *Galliæ* deliniret, ejusque cogitationes & incepta, si qua contra se agitaret, ea spe sisteret, Senatu Cardinalium vocato, proposuit, velle se fœdus cum illo facere: capitaque fœderis in quibus inerat, ut ei rex *Bononiam* restitueret, quæque in *Flaminia* ad *Padum* flumen oppida pertinerent, ipsi cederent: in reliquis sese regi satis liberaliter permittebat: per eos, qui rebus *Gallicis* Cardinales favebant, conscripta & obsignata ad illum misit. Pauloque post vocatis ad se legatis *Ferdinandi* & reipublicæ eis dixit, ne propter ea quæ fecisset perturbarentur, neve se priore contra *Gallos* voluntate ulla ex parte mutatum crederent: invitum enim ad id descendisse fallendi & consopiendi regis causa. Quibus intellectis rebus Patres sciverunt, *Julio* scribi oportere: si cum *Aloisio* fœdus facere statuerit, se non recusare, dum in eo rempublicam includat, sociamque fœderis efficiat.

Julius Pontifex pacem cum rege Gallo faciendam simulat.

Guidum Rangonium post hæc, qui è *Gallorum* custodia se redemerat, ad urbem venientem Patres amanter exceperunt, & præfectum equitum gravis armaturæ fecerunt: ejusque fratri *Joanni Francisco*, qui cum eo venerat, equitum leviorum præfectura item tradita.

Romæ ad diem tertium Nonarum Maji concilium celebrari cœptum est ab *Julio* in templo *Lateranensi* magna sacerdotum frequentia, precesque Deo Optimo Maximo ut vota hominum ritè nuncuparentur, factæ. *Marco* Cardinali *Seduno*, *Venetiis* qui erat, ad suos abeunti argentum in mensem dono à Patribus datum.

Lateranensis Concilii initium.

Cum *Henrico* autem rege *Britanniæ* fœdus à sociis atque à republica initum, XV. Cal. Junias in urbe celebratum est: concupivit enim rex petiitque se in eo recipi.

Fœdus cum rege Britanniæ celebratum.

Illis diebus *Julius Vitellius Tifernatium* Episcopus, qui conditionibus acceptis *Ravennæ* arcem *Gallis* obsidentibus tradiderat, eò cum copiis ad expugnandam illam rediens, traditis conditionibus recepit. Oppidani cladis suæ contra jus contra fas acceptæ memores, quatuor *Gallorum* præfectos in arce qui fuerant, fide non servata vivos sepelierunt, cervicibus supra terram extantibus.

Ravenna recepta.

Galli quatuor vivi sepulti.

A *Julii* & *Ferdinandi* legati, itemque duo civitatis magistratus, *Leonardus Mocenicas*, *Nicolaus Bernardus*, *Helvetiis* se ad bellum contra *Gallos* comparantibus ex urbe profecti cum auri libris CXX. ad illos se contulerunt cohortandi & juvandi eos causa. Ii se *Veronam Maximiliani* præfectis libentissimis intulerant *Antonius Saornianus*, qui *Utini*, uti suprà dictum est, cæde civium secum diffidentium ingenti facta, rempublicam cujus erat è nobilitate civis, deseruerat, atque ad hostes profugerat, omniaque ingrati & malefici hominis studia contra illam exercuerat, ab inimicis suis in

Helvetii Veneto exercitui se jungunt eorumque res gestæ.

B *Maximiliani* finibus trucidatus, dignam tot sceleribus mortem obiit. *Ferdinandus* clade suarum copiarum, quæ cum *Gallis* apud *Ravennam* depugnaverant, intellecta, literas ad *Julium* dedit, ne propter eam rem animo perturbaretur: suum exercitum bene plenum ad *Pyrenæos* in *Galliam* quamprimum irrupturum unà cum *Britannico* exercitu, qui modò expectabatur: mittere autem se in *Italiam Consalvum Ferdinandum* suarum copiarum ducem, eumque esse quinto Idus Majas profecturum: venturum etiam sese ipsum, si oporteat, non obscurè confirmabat. *Julius* ea spe fretus de Cardina-

C lium sententia binas literas scribi jussit: quarum alteris Cardinali *Medici* ejus legato, qui à *Gallis* in custodia servabatur, permittebat, uti omnes homines, qui ab eo delictorum suorum veniam peterent, etiam si hostes *Romanæ* reipublicæ fuissent, expiare posset, dum ii parêre Pontifici Maximo suum in animum induxissent: alteris à rege *Galliæ* petebat, ut eundem legatum librum suique juris vellet esse: id ni faceret eum se igni & aqua interdicturum, regnique dignitate mulctaturum, minabatur. *Antonius Saornianus* legatus ad regem *Pannoniæ* à Senatu lectus, illis diebus viæ

Literæ Julii Pontificis.

D se dedit. Patrum jussu in omnibus Sacerdotum & sacrarum virginum collegiis preces factæ sunt pro republica, nostro & *Helvetiorum* exercitu contra *Gallos* in *Veronæ* finibus se conjungente: qui quidem *Helvetii* circiter decem & octo millia militum numerum conficiebant. *Veneti Valegium* & *Pischeriam* primis aggressibus cum cepissent *Benaci* lacus oppida omnia sponte ad rempublicam redierunt. *Cremonenses* exercitibus eò tendentibus sibi veriti, quadringentis auri libris Cardinali *Seduno* pollicitis, conditione adhibita ne oppidum ingrederentur, se ei dediderunt. ejus interpretes rei *Ju-*

Preces pro victoria institutæ.

E *lii* legatus, itemque *Venetorum* scriba, equitum & militum qui *Collateralis* apellatur, fuerunt, quos oppidani ad colloquium intromiserant. *Caravagium* subinde atque *Soncinium* Cardinali se *Seduno* tradiderunt: is eis & *Cremonæ* suos milites præposuit, atque id quidem arroganter & barbarè, cùm *Venetis* tradere debuisset. *Julius* enim pollicitus fuerat primis in sermonibus ea de re habitis, idque suis ad Senatum scriptis literis confirmaverat, ut quicquid eo bello caperetur, quod quidem reipublicæ fuisset, reipublicæ ministris traderetur: reliqua earum regionum oppida, quæ ad *Abduam* flu-

F men sunt, sese reipublicæ dediderunt: itemque *Bergomates* suis cum finibus *Bentivoli Bononiæ* qui erant, exercitum *Julii*, qui eò properabat, metuentes, oppidanis sese dedere volentibus. *Ferrariam* profecti sunt cum suarum partium civibus non paucis. atque illi paulò pòst *Julii* se interpretibus tradiderunt. *Albertus Pius* interea *Maximiliani* legatus *Romam* profectus est. *Joannes* item *Baduarius* ad *Ferdinandum* regem reipublicæ legatus viæ se dedit.

Bononienses se Julio dedunt.

dit. Appropinquante ad *Italiam Matthæo* Episcopo *Gurcensi*, magnæ apud *Maximilianum* autoritatis viro, uti *Romam* se conferret, Patres *Petrum Landum* legatum ad illum miserunt honoris illius & societatis ex itinere causa.

Ticinenses & Mediolanenses Julio se permittunt, ut & alia oppida.

Post hæc *Ticinenses* repulsis ter hostibus eorumque tormentis potiti, itemque *Mediolanenses*, sese *Julio* & fœderatis permiserunt, cùm hi libris auri sexcentis, illi quadringentis sui oppidi direptionem redemissent. quod quidem factum *Laudis Pompejæ* cives imitati, tercentenas, *Parmenses* atque *Placentini* ducentenas polliciti, *Helvetiorum* avaritiam subterfugere non dubitaverunt. *Comum* etiam post hos, interfectis iis qui suis in finibus erant *Gallis*, idem fecerunt, itemque *Tortonenses* & *Alexandrini*. Omnibus autem iis in rebus malus in rempublicam *Seduni* animus fuit, qui ut *Venetis* legatis & exercitui timorem incuteret, ne petere, quæ eis debebantur, auderent, omnibus in *Cremonæ Cremæque* & *Laudis Pompejæ* finibus, aut comburi aut retineri naves universas imperavit, ne esset, unde illi pontes facere, atque in tuta reverti possent. qua quidem ille re maximam sibi omnibus ab hominibus invidiam excitavit.

Selymus patri regnum eripit ejusque ad Venetos legatio.

Dum hæc agitarentur, *Joannes Medices* Cardinalis amici hominis *Blasii Crivelli* opera *Mediolano* fugiens, *Mantuam* se contulit: interpresque ab adolescente rege *Thracio Sultano Selymo* literas ad Patres attulit, quibus ille literis Senatum certiorem faciebat, patrem suum sponte sibi regnum tradidisse: itaque velle se cum republica eam in qua diu pater suus fuerat, benevolentiam & necessitudinem exercere; quæ quidem tamen res aliter se habebat atque ille scripserat: vi enim atque armis patrem coegerat, ut se regem institueret.

Genua à Jane Fregosio capta.

Janes Fregosius Julii rogatu reique publicæ permissu in *Ligures* profectus, atque à *Genuensibus* eorum oppido præpositus, literas ea de re ad *Julium* dedit: quibus ille magnopere gavisus, lætitiam suam urbanis ignibus & tormentorum strepitu protulit: idemque uti *Veneti* facerent, triremesque ipsorum tres, quæ erant in *Apulia*, *Genuam* celeriter mitterent ad arces ejus oppidi duas, quæ à *Gallis* tenebantur, facilius expugnandas, à legato *Foscaro* petiit: quod quidem ei Patres libenter concesserunt: *Janisque* filio *Alexandro* puero equitum gravis armaturæ quinquaginta turmam per vicarium regendam dederunt. Idem *Julius* triremes item septem Regis *Ferdinandi*, quæ in portu *Neapolitano* erant, ad candem rem conficiendam ab ejus legato *Hieronymo Vico* petierat. quibus omnibus nec dum *Genuam* appulsis altera ex arcibus tormentis positis deditionem fecit.

Lemniacum Maximiliano traditum.

Galli petente *Maximiliano* ut ei *Lemniacum* traderent, quod quidem nullo jure possidebant, erat enim in *Veronæ* finibus, satis ei facere voluerunt, atque ministris ejus tradito, *Mantuanum* se in agrum receperunt.

Alfonsus Atestinus à Julio absolvitur & Romà aufugit.

Alfonsus Ferrariensium dux *Romam* profectus, cùm ab *Julio* Cardinalibus publicè adhibitis petiisset, ut sibi, cui aqua & igni interdictum ab eo fuerat, propterea quòd in bello contra illum cum *Gallis* fuisset, suppliciter postulanti, & commissa confitenti, ignosceret, ab eo absolutus, atque ad pedis osculum est admissus. Is cum intellexisset, *Julium* post hæc tacitè curam adhibuisse ut se caperet, *Fabritii Columnæ*, qui in clade ad *Ravennam* se captivum ejus fecerat, cumque ipso

A *Romam* venerat, tum ope, tum consilio aufugiens, in ejus se fines contulit: deinde in *Apuliam* contendens, quòd itinera terrestria intercludi sibi, ab *Julio* facilè posse sciebat, mare *Adriaticum* ad *Illyricum* trajecit, ut eo inde iterum trajecto, per *Padi* fluminis ostia domum reverteretur.

Fœmina in deos maledica.

In urbe autem *Decemviri* fœminam meretricem, quæ in Deos maledicta conjecerat, & se fuga subripuerat, exulem ea conditione fecerunt, ut si ullo in imperii loco caperetur, cervices ei abscinderentur, ipsa igni combureretur. *Fossæque Clodiæ* civis, qui tres suas filias

Incestus.

B virgines vitiaverat, à Prætore concrematus dignam commissi pœnam persolvit.

Helvetii Romanæ Reipublicæ defensores.

Julius Helvetios rebus bene gestis in Cardinalium collegio *Romanæ* reipublicæ defensores appellavit, atque uti eo nomine omnibus ab hominibus appellentur, censuit.

Galli prædones.

Galli eo tempore *Brixia* emissi, equites quatercentum, milites mille, ut è vicinis oppido locis prædas abigerent, atque in oppidum importarent, cum agricolas plerosque unà cum mulieribus atque infantibus interfecissent, tumultu hominum à tergo excitato, copiisque

C *Venetis* se in reditu opponentibus, capti & interfecti magna ex parte, ac præda quam fecerant amissa, reliqui se in oppidum fugientes vix ægreque intulerunt.

Benemeritorum remuneratio.

Laurentio Ceretano, qui ad Patres se contulerat suarum rerum causa, auctus equitum & stipendiorum numerus. Auctus item *Vitellio* & ejus fratri: pensionesque annuæ *Joanni Brandolino*, & *Marco Castellatio*, & *Saccardo Sonzinio*, pro cujusque bene rebus gestis à Senatu traditæ.

Lex de conscribendis militibus.

Lex est etiam perlata, ut ex *Lepontiis* milites bis mille celeriter conscriberentur, reliquique adderentur, ut essent omnes numero ad decem

D millia: jusserant enim Patres ut reipublicæ legati ad *Brixiam* recuperandam accederent, certiores à nonnullis ejus urbis civibus facti, non posse se ulterius *Gallorum* imperium perpeti: sese reipublicæ si exercitum eò miserit, oppidum sine mora tradituros. Quamobrem ut pleniore cum exercitu proficiscerentur, militum numerum esse augendum statuerunt.

Julii Pontificis in Ferrariæ capiendæ conatus irriti.

Julius etiam, sua se inexplebili novarum dominationum cupiditate ad omnia difficilia impellente, propterea quòd *Alfonsus* aberat, posse se *Ferrariam* capere eo puncto temporis confidebat. itaque scriptis ad ducem *Metaurensium*

E literis, ut se cum exercitu celeriter eò conferret, à Senatu petiit, quibus posset navibus in *Padum* flumen immissis sua in consilia juvaret. Id à Patribus cùm esset diligenter procuratum, *Alfonsique* copiæ, quæ in oppido erant, de eo certiores factæ, se ad defensionem comparavissent, & *Pado* trajecto etiam *Rhodigium* de improviso cepissent, conatus omnes *Julii* ad nihilum redierunt.

Veneti frustra Brixiam oppugnant.

Legati autem reipublicæ cùm se ad *Brixiam* contulissent, tormentaque ad muros verberandos aptavissent, *Gallis*, qui nova jam auxilia intromiserant, se acerrimè defendentibus, ni-

F hilo minus irritus eorum apparatus futurus videbatur.

Florentiam Mediceorum reditus instituitur & consequitur.

Interim Cardinale *Medice* libertati restituto, Proregi *Neapolitano* itemque *Julio* cupiditas est injecta *Florentinæ* reipublicæ statum ordinesque commutandi: ut ut enim se tunc ea civitas regebat, omnibus in bellis *Gallorum* partium studiosissima semper fuerat. Id autem nulla re alia melius se consequuturos existimabant, quàm si *Medicum* familiam ab exilio restituerent: ita-

que eam rem tentare omnibus suis copiis, Cardinale accersito, & *Bernardo Bibiena* Cardinalis familiari *Julii* missu singula tractante, statuerunt: tribusque itineribus susceptis, ut commeatus facilius suppeterent, per *Apennini* juga magna rerum omnium difficultate ad *Pratum* oppidum, quod est in plano, abestque *Florentia* millia passuum decem, Prorex & *Julii* ministri accesserunt. quod quidem planè oppidum, tametsi esset & militum numero, & tormentis apprimè communitum, sese tamen defendere non potuit: itaque captum & direptum est dives sanè municipium, & rebus omnibus etiam ad commodiorem & delicatiorem victum opportunis plenum. *Florentia* civitas ea re perterrita, ducem suum *Petrum Soderinum* inimicum *Medicibus* hominem, à reipublicæ administratione removit, ex octo, qui urbem unà cum illo regebant, sex cum condemnantibus, domumque amici ejus civis *Pauli Victorii* ægrè propter motum plebis deduxit (parum enim absuit, quin ab adversariis ejus factionis hominibus interficeretur) missisque ad *Joannem* Cardinalem & *Julianum* ejus fratrem internunciis, ut urbem ingrederentur, non permisit modò, sed etiam concupivit: itaque magna totius civitatis frequentia & gratulatione Calendis Septembribus urbem ingressi, domi suæ recepti sunt.

Julius Galliæ regi aqua & igni interdicit.

Interim *Julius* Cardinalibus adhibitis aqua & igni Regi *Galliæ* interdixit, datis ea de re literis, nisi se à *Pisano* concilio abdicarit.

Veneti Cremam recipiunt.

Tum *Benedicto Cribello*, ejusdem Regis in *Crema* oppido Tribuno militum, ab iis qui reipublicæ favebant delinito, muneribusque plurimis unà cum civitate oblatis, oppidum *Veneti* receperunt, *Cribellumque* è nobilitate civem creaverunt, & domum *Patavinam* fundumque peramplum cum villa egregia ei dono dederunt & Tribunum militum fecerunt. Oppidi autem præfectum *Nicolaum Pisaurum* renuntiaverunt, & *Cremam* miserunt: isque ibi paucos post menses est mortuus.

Apparatus ad bellum *Ferrariense*.

Julio autem postulante Senatus censuit, ut & classis, & tormentorum opportunus numerus, & nummi militibus duobus millibus in *Flaminia* conscribendis ad *Ferrariense* bellum, quo ipse vellet, mitterentur: eaque paulò pòst *Ravennam*, quò se *Franciscus Maria Julii* copiarum imperator contulerat, sunt missa. qui quidem *Julius Prospero Columnæ*, ut se in *Galliam Cisalpinam* trajiceret, cumque *Hispano* exercitu conjungeret, id magnopere cupienti, ad *Gallos* ex *Italia* expellendos, potestatem fecit. Et *Franciscus Donatus*, uti *Florentiæ* legatum reipublicæ ageret, à Senatu lectus, *Patavinorum* & *Taurisanorum* rebellium uxoribus & filiabus nummi, quibus sese alerent, à Decemvirûm collegio dono dati.

Gallorum clades.

Eodem ferè tempore *Galliæ* Regis exercitus ab *Hispaniæ* Regis exercitu in *Aquitania* malè habitus, magnum suorum numerum desideravit.

Veneti cum *Ægyptiorum* rege fœdus renovant.

Miserat *Memphim* ante eos dies Senatus *Dominicum Trivisanum* templi *Marcii* procuratorem, ad *Laseraphum* Regem *Ægyptiorum*, rebus quæ ad mercaturam exercendam pertinebant procurandis legatum: quæ omnino res majorem in modum regiorum magistratuum & ministrorum injuria lapsæ, ingentem jacturam *Venetis* civibus, qui eò proficiscebantur, ibique morabantur, inferebant. Rex cum audisset tantum ad se hominem Senatus *Veneti* missu venire, illustri suorum obviam itione & omni honorum genere illum excepit, in hortorum suorum electissimorum porticu amplissima: cujus ad singulas columnas appensæ lusciniæ, cantus exercebant suos, & aquæ fontium non unis à partibus decurrentes propè aviculis non illepidè concinebant: itaque & loci amœnitate ac specie, & Regis oratione perliberali eo hilariter facto legationis suæ initio, plures ibi dies *Trivisanus* commoratus, & renovato ex reipublicæ dignitate antiquiore fœdere datis & acceptis muneribus, cum Regis ad Senatum honorificentissimè scriptis literis ejus rei testibus domum rediit.

Antonius Justinianus captivitate solutus.

Antonius etiam *Justinianus* captus ab hostibus in *Brixiæ* prætura, atque in *Galliam* perductus, datis pecuniis quas poposcerant, iisdem fere diebus suos se ad lares recipit, cùm prius eum Senatus in Quinquevirûm collegium, qui belli res eo in ordine procurant, cooptavisset. Annus interim finem suum habuit.

Prorex *Neapolit. Brixiam* capit.

Insequente autem inito, *Neapolis* Prorex *Medicibus* in *Florentiæ* dominationem restitutis, & *Prati* oppidi direptione, & plurimis auri libris dono acceptis communitior factus, cùm intelligeret *Venetorum* exercitum in *Brixia* recuperanda magnòpere laborare, nec tamen satis proficere, *Gallis* qui in ea erant, sese acriter defendentibus: ut ea quoque à parte, si quid posset, lucraretur, homo alieni appetentissimus, in agrum *Brixianum* suas copias adduxit, ibique modò pollicendo nihil se reipublicæ nociturum, modò fallendo, legatisque *Venetis* suos interpretes mittendo, qui monerent, ut cum *Maximiliano* pacem facerent potius, quàm quæ illius essent, ei præripere contenderent, se in urbem intulit, & oppidum antea direptum, & omni exutum dignitate, radicitus depopulatus, si quid erat reliqui, abstulit: atque ut *Galli* domum reverterentur, secumque prædam, quam ingentem capto oppido fecerant, asportarent, potestatem eis fecit. *Veneti* capiendi oppidi spe deposita, tormenta, quibus muros urbis verberabant, abstulerunt.

Mediceorum cum *Venetis* conjunctio.

Et jam *Joannes Medices* Cardinalis & *Julianus* ejus frater, de successu rerum suarum literas ad Senatum dederant, seque & fortunas suas omnes reipublicæ obtulerant: itaque respublica, quæ amico semper animo in illos fuerat, in civitatem & nobilitatem eos & *Laurentium* eorum fratris filium more majorum intulit, missis ad eos *Florentiam* de ea re literis. Pauloque pòst & *Prosper Columna* suæ factionis princeps, cum equitatu & peditatu ad Proregem sese contulit: & Senatus cives quatuor, qui *Cremæ* portas, quoad opus esset, custodirent: deinde municipiis quatuor in vicinis *Cremæ* locis, quæ ad rempublicam redierant, ejus nomine præessent, creavit. Tum arcem *Bergomatium* extra urbem summo in monte positam, quam *Capellam* appellabant, ejus præfectus homo *Gallus* reipublicæ internuntiis tradidit.

Senatus cum intellexisset, nummos qui in bella insumebantur, non omnino rectè administrari; cives duos magnæ autoritatis viros, *Hieronymum Quirinum*, *Petrum Capellum*, qui eis præessent, creavit: deinde *Petrum Pascalicum*, qui legatum *Genuæ* ageret, renuntiavit. Erat autem eo in oppido Dux & Princeps recentior civitatis *Janes Fregosius* amantissimus reipublicæ.

Fœdus inter *Julium* Pontificem & *Maximilianum*.

Post hæc *Matthæus Gurcensium* Episcopus *Maximiliani* interpres *Romam* venit, atque à *Julio* suam in domum in *Vaticano* est exceptus. Pauloque pòst *Maximiliani Hispaniæque* Regis & reipublicæ legatis adhibitis, ejusmodi se fœdus velle *Julius* facere pronunciavit: Ut *Verona Vicetiaque Maximiliano* cederent. Pro *Patavio* autem

autem & *Tauriso*, quæ jam *Veneti* obtinebant, A ut ea oppida retinere jure possent, tercentas auri libras tributi nomine *Maximiliano* quotannis penderent: semel autem pro totius rei ac tabularum confectione, bis mille & quingentas. De iis verò quæ in *Carnis* essent oppidis, *Julii* judicium esset, reine publicæ an *Maximiliano* tradenda jure essent. Reliquo fœdere *Maximilianus* & *Hispaniæ* rex abolere *Pisanum* Concilium, omnemque suam autoritatem atque opes *Julio* tradere ad *Ferrariam* capiendam tenebantur. quæ duæ quidem causæ *Julii* animum vehementer exagitabant: nam & concilii contra se initi mirum in modum timore B commovebatur: & cupiditate, ut *Ferrariam* in potestatem suam redigeret, nihil culpæ nihil sceleris, nihil flagitii prætermittebat: itaque *Venetos*, qui in illum tot officia contulerant, tantum pecuniæ, ut ad omnes ejus nutus præsto essent, animis libentissimis impenderant, nulla fide, nulla pietate fultus, non deseruerat modò eo conficiendo fœdere, sed plane etiam in prædam hostium, sanguinem & omnem succum reipublicæ sugere cupientium, projiciebat. quamobrem reipublicæ legati ad *Julium* conversi, non esse hoc illud, quod ab eo expectabatur, conquesti sunt: malè, quod injustè amiserant, eo pacto recuperari: sed se confidere Dei optimi maximi auxilium reipublicæ non defuturum.

Pisanum Concilium abolet ur.

Julii Pontificis in Venetos animus ingratus.

Demum ubi *Julius* ira percitus fœderis capita scribi jussisset, ne scribendo adessent, abierunt. quæ tamen postea capita scripta & confecta sunt. Id cùm esset *Venetias* allatum, literæ à Senatu datæ sunt ad legatos, ne post hac his tractandis rebus interessent. *Joannes Medices* Cardinalis, *Juliano* fratre civitate regenda *Florentiæ* relicto, se *Bononiam* ad legationem suam contulit. arcisque *Brixiæ* custos, homo *Gallus*, regis sui jussu eam *Hispanis* ducibus invitus tradidit.

Brixia Hispanis tradita.

Julius autem Episcopo *Gurcensium* in Cardinalium collegium adscito, quartum *Lateranensi* vocato Concilio affuit. quo in concilio adesse *Gurcensis*, nisi prius literæ, quibus aqua & igni *Venetis* interdiceretur, sibi essent traditæ, noluit. *Roma* deinde profectus est: cumque in *Galliam* citeriorem venisset, *Maximiliani Sfortiæ Ludovici* filii, qui se *Mediolanum* inferebat, socius comesque itineris fuit.

Lateranense Concilium.

Eo ingressu peracto, *Hispani Tretium*, in *Abduæ* ripa oppidum, commeatu, pecunia, rebus omnibus munitissimum, quòd à *Gallis* tenebatur, vi & immani tormentorum verberatione captum diripuerunt.

Tretium oppidum ab Hispanis direptum.

Julius interim *Maximiliani* obsequio amicior ei factus, qui suas copias *Ferraria* statim avocaverat, ut ei satis faceret, *Staphilæum Romani* fori litium ministrum *Venetias* misit, Patres hortatum, ut fœderis conditiones acciperent: tametsi jam nonnihil pœnitentia ducebatur, se in eos tam durum tamque illiberalem fuisse, quod mehercule cùm improbari maximorum hominum sermonibus intellexisset, qui dicerent, eam rem occasionem *Venetis* daturam, ut se cum *Gallis* conjungerent, eosque in *Italiam* adducerent, quos ab *Italia* expellere *Julius* in primis nitebatur: in dies singulos ejus rei mœrore magis magisque distractus, neque cibum, neque somnum capere poterat, itaque febri tentari cœptus est: qua in febri C cum *Pisauri* oppidum *Metaurensium* Duci fratris sui filio tradidisset, & Cardinalium collegio Urbem remque publicam Christianam commendavisset, undecimo Calendas Martias mortem obiit. Senatus Cardinalium collegio literas dedit, orans obtestansque eos, ut in eligendo Pontifice totius orbis beneficio consulerent: suasque opes omnes & exercitus ad eos juvandos est pollicitus. qui cùm se in conclave more majorum intulissent, *Bernardi Bibienæ* amabilissimi hominis magna ex parte studio, consiliis & prensationibus diligentioribus permoti, *Joannem Medicem*, annos natum trigintaseptem, D Pontificem Maximum creaverunt: isque priusquam è conclavi exiret, me, & *Jacobum Sadoletum*, qui *Romæ* tunc eramus, sibi ab epistolis adscivit.

Julii Pontificis varium ingenium.

Julius mœrore distractus febre correptus obit.

Joannes Medices Pontifex Maximus creatur Leo X. dictus.

F I N I S.

INDEX VERBORUM & RERUM MEMORABILIUM.



Aloisius

B.

C.

Flu-

G.

Gui-

L.

L.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

Sup-

EMENDANDA.

Pag. 1. *lin.* 57. *pro* repubublica: *lege* republica.
Pag. 11. *lit.* C *pro* Classa misse: *lege* Classe missa.

FINIS.





CATALOGUS
VARIORUM LIBRORUM,
Quos PETRUS VANDER AA, è diversis Locis nuperrimè accepit, & qui sua in Officina Venales prostant.

Epistolæ ad Gallos, Grotii, 12.
— Gudii & alior:4.— Henr:Navarror: Reg:12.
— Langueti, 12. — J. Lipsii, quatuor. 8.
— Selectae Insignium Viror: per Meelium, 8.
— &c. Mureti, 8. — et Panegyr: Plinii cum Not: Variorum, 8.—Angeli Politiani et alior:4.
— et Longolii, 8. — Scaligeri, 8. — Vossii, Fol:
Catalogus Bibliothecae publicae Amstælod. fol:
— — Universit: Francof. ad Viadr. fol:
— — publicae Acad: Lugd: Bat: fol.
— — Biblioth. publ. Acad. Ultraj. fol.
— Manuscriptorum Angliæ et Hiberniæ, fol:
— Bibliothecæ Bodlejanæ, fol:
— Manuscriptorum BibliothecæCottonianæ, f.
— Operum D. Erasmi Rott. 8°.
— Nundinarum Francof. ad Mænum, 4.
Bibliotheca Bigotiana, 12°. 2 voll:
— Clementis, 4°. — Coisliniana, per Montf.F.
— du Fresne, 4°. — Joh: Galloys, 12°.
— Cardinalis Imperialis, fol:
— Gudii. 4°. — Snabelii, 8°. — Telleriana, fol:
— Thevenotiana, 12°. — Thuana, 8°. 2 v.
Notitia Bibliothecæ Vinariensis, aliáque, Schurzfleischii, 4°.
Bibliotheca Eruditorum curiosa, per van Beughem, 12°. 4 voll. Musæum Boecleri, 8°.
Clementis Musæi extructio, 4°.
Bibliotheca Critico-Sacra, fol: 4 voll.
— Historica Dano-Norvegica, Sibbern, 8°.
Delrii & Brossæi Miscellanea Scriptorum Universi Juris Civilis, 4°.
Bibliotheca Classica, Draudii, 4°.
Fabricii Bibliotheca Græca, 4°. 8 voll. & Lat: 8.
Gryphius de Scriptoribus Historiæ Secul: XVII. 8.
Bibliotheca curiosa, Hallervordi, 4°.
Pandectæ Brandeburgicæ, per Hendreich, fol:
Catalogus Autorum qui de re Heraldica Scripserunt, 4°.
Index Librorum expurgator: Hispanic: sub Dece Albæ, 8°. — Hispanicus & Romanus, fol:
Musæum Italicum, per Mabillon, 4°. 2 voll.
Jonsius de Script. Histor. Philos. 4.
Bibliotheca Juris Canonici Veteris, Justelli, fol: 2 v.
— Anglorum Theologica, Kempii, 4°.
— Eruditorum Praecocium, Klefekeri, 8°.
— Konigii, fol:—Bibliothecar: per Labbe, 12°.
Catalogus omnium Librorum quos hactenus in Lucem emisit aut sub praelo habet Phil: Labbe, 4°.
Nova Bibliotheca M. S. S. Libror: per Labbe, 4°.
Vander Linden de Scriptis Medicis, 4°.
Bibliotheca Realis Theologica, Juridica, Medica, & Philosophica, fol: 6 voll.
— Sacra, per P. Le Long, 8°. 2 voll.
— Attica, Meursii, — Graeca, Meursii, fol:
— Ecclesiastica, Miraei, fol: 2 voll.
Diatribe de Musaeo Alexandrino, per Neocor: f.
Bibliotheca Novorum Librorum, 8°. 5 voll.
Exercitationes, Palmerii in Optim. Auth. Gr: 4°.
Anth: Possevini Bibliotheca Selecta, fol:
Bibliotheca Hispaniae, Schotti, 4°.
— Juris Selecta, Struvii, 8°.
Athenae Belgicae, Sweertii, Fol:
Catalogus MSS. Biblioth: Palat: Sylburgi, 4°.
— Authorum qui Catalogos, &c. scripserut, Teisseri, 4°.
— omnium Librorum qui in Thesauro Antiquit: Graecar: & Roman: 25 v. reperiuntur, 4°.
Indices Generales Thesaur: Antiq Graec: Gron.f.
Schediasma de commentariis Historicis qui Galli Memoires vocantur per Menkenium, 4°.
Acta Lipsiensia, 4°. compleet, cum Supplem. & Indicibus. — Idem vol. & mens. Separat.
Miscellanea Berolinensia, 4°.
Vockerodt de Eruditorum Societatibus, & varia re Litteraria, 8°. 2 voll.
Capita Deorum, Ortelii. fol.
Pantheon Mythicum, Pomey, 12°.
Promtuarium Iconum, 4°.
Vetus Academia J. Christi, Spizelii, 4°.
Vitæ Sanctorum, Ribadeneiræ, fol.
Baluzii Vitae Paparum Avenionensium, 4°. 2 v.
Vitæ & Miraculae Patrum Emeritensium, per Paulum Diaconum, 4°.
Historia & Effigies Imperatorum Romanorum per Hennium. fol:
Icones Imperatorum Romanorum, Goltzii, fol.
Strada de Vitis Imperatorum, fol.
Series Caesarum, per Patarol, 8°.
Vita Julii Caesaris, per Jul: Celsum, 12.
— Carol: V. Imper: per Tempeest, Fol.
— Pontificum, per Platina, 4°.
— & Res Gestae Pontificum Romanor. Alph: Ciacconii, fol. 4 voll.
Effiges Pontificum & Cardinalium nunc vivent. f.
— Regum, Principum, Virorum & Fœminarum Illustrium, Hondii. 4°.
Vitae & Icones Regum Galliae, per Boissard. 4°.
— & Icones Regum Poloniae, per Boissard. 4°.
— ac Icones Regum & Ducum Ungariae, fol.
— & Icones Principum Turcicorum, Persarum, &c. Boissardi, 4°. tz.
Effigies Virorum ac Foeminarum Veter. Illustrium, fol. 4 voll.
Imagines Principum & Eruditorum Virorum, f.
Icones Virorum nostra Patrumque memoria Illustrium, per Hondium, 4°.
Monumenta & Elogia Illustr. Viror. fol.
Melch. Adami Vitae Eruditorum Virorum, fol.
Censuræ, Vitae & Elogia celebrium Authorum, per Blount, 4°.
Icones Virorum Doctorum Boissardi, 4°.
Cave Historia Literaria, fol. 2 voll.
Theatrum Eruditorum Virorum, Freheri. fol. 2 v.
Pinacotheca Imaginum Illustrium Virorum, per Jan. Nic. Erythraeum, 8°.
Vitae J. Consultorum B. Rutilii, J. Bertrandi & G. Grotii, 4°.
Onomasticon Chronologicum Virorum Literis, dignitate & virtute Illustrium, per Krugern, 4°.
Pacificatores Orbis Christiani, fol.
Quensted de Patriis Illustrium, 4°.
Clarorum Ligurum Elogia, per Folieta. fol.
Ragusae Elogia Siculorum, 8°.
Vitae Ill. & Erud. Virorum, Smithii, 4°.
Imagines & Vitae Illustrium, Fulvii Ursini. 4°.
Vitae Selectorum aliquot Virorum, 4°.
Effigies, Vitae et Elogia a Illustrissimorum Anglorum fol.
Icones Illustrium Philosophor. & Sapientum. f.
Jacotius de doctrina Philosophorum. fol.
Morellus de Origine, Successione, Ætate & Doctrina Veterum Philosophorum, fol.
Anastasius a Sala de Vita & moribus Veterum Philosophorum, 4°.
Historia Philosophiae, Stanleii. 4°.
Imagines Medicorum & Philosophorum, per Sambucum. fol.
Vitae Veterum Illustrium Medicorum qui in toto orbe usque ad Sec. XIII. in Floruerunt, fol.
Theatrum Veterum Rhetorum, Orator. &c. fol.
Fabri (Tanaq.) Vitae Poetarum Graecor: fol.
Vossius de Poetis Graecis. 4°.
Barberius de miseria Poetarum Graecorum fol
J. Chiffletius de Juris Utr. Architect. 4°.
Athenae Batavae, Meursii. 4°.
Notitia Universitatis Francof. ad Oderam, per Becmannum. 4°.
Oratio de Viris Erudit: Lipsiens. 4°.
Historia Templariorum, Gurtleri, 8°.
Pictorum Effigies. fol.
Accoltus de praestantia Virorum sui Ævi. 8°.
Vitae SS. Wilh. Abb. Hersaug. et Wilh. Gellonensis, Strugelii, 4°.
Basilica S. S. Uldarici & Afrae, fol.
Gratianus de Casibus Virorum Illustrium, 8°.
Pierius et Tollius de Literatorum infelicitate, 12.
Historiae Tragicae Sacrae et Profanae Hoyeri, 12.
Chronicum Tragicum Principum, Tyrannorum, etc. per Car. Jes. Imbonatum, 4°.
Vita Ælfredi Magni, Spelmanni, fol.
Æschylus, Sophocles, Euripides, per Meursium, fol. D. Augustini Vita, fol.
Vita Joh. Basilidi Magni Moscovæ Ducis, 8°.
Puffendorf de rebus gestis Caroli, Gustave, Suec. Reg. fol. 2 voll.
Baluzii Petri Castellani Vita, 8.
Vita Celsi, 4.
— Laurentii Chadertoni, et Jacobi Usserii, 8.
— et Opera Clerici. 12.
Dionysins, Meursii. fol.
Vita Justi a Dransveld. 8°.
— et Epistolae Selectae Desid. Erasmi. 4 & 12.
Mabillon Eusebius Rom. 4.
Vita Georgii Fabricii. per Schreberum. 8°.
Guiljelmus Auriacus, Meursii. 4°.

Hi-

Heraclides, Meursii. fol.
Vita Thom. Hobbes. 8°.
Allatius de Patria Homeri. fol.
— Homeri Natalitia, fol.
Vita Jepthae, Schudt, 8°.
— Jobi Ludolphi. 8°.
— et res gestae Francisci Mauroceni. 4°.
— Philippi Melanthonis, per Camerarium. 12
— Claudii Peleterii et Petri Pithoei, per Joh. Boivin. 4°. Dodwel de aetate Phalaridis. 8°.
Pisistratus Meursii fol. Vita Plinii per Masson. 8.
Solon, Meursii. fol.
Almeloveen de Vitis Stephanorum. 8°.
Theophrastus, Meursii. fol.
Theseus, Meursii. fol.
Vita Divi Thomae, per Vaenium. Fol.
— et Epistolae D. Thomae, Archiep. Cantuar. per Lupum. 4°. 2 voll.
Doctorum Virorum Elogia Thuanea. 8.
Augustinus et F. Ursinus de Gentibus et familiis Romanorum. fol.
Historia Genealogica Regum pariumque, per Imhof. fol
— Genealogica Excellentium Familiarum in Gallia, per Imhof. fol.
Genealogia viginti Illustrium Familiarum Hispaniae. per Imhof. fol.
Historia Italiae et Hispaniae Genealogica, per Imhof. fol. 2 voll.
Genealogia viginti Illustrium in Italia Familiarum, per Imhof. fol.
Supplementum Genealog. Rittershusian. per Imhof fol. Matthaeus de Nobilitate, 4°.
Mendo de Ordinibus Militaribus fol.
Obrechtus de Vexillo Imperiali et S. Term. 4°.
Observationes Hist. Geneal. Schowarti. 8°.
Stemmata Illustrium Familiarum Perizonii. folio.
Genealogicon Romanum, Reusneri, fol.
Tituli Honorum, Seldeni. 4°.
Streinnius de gentibus et familiis Roman. fol.
Vredii Opera Omnia, Fol. 5 voll.
Almeloveen Opuscula Antiquitatum, 8.
Alsarius de Invidia et Fascino Veterum, et Schefferus de antiquorum Torquibus fol.
Astorius in antiquum Alcmanis monumentum, f.
— de Diis Cabiris. 8.
Authores Var. de Cruce, 12. 4 voll.
Jac. Bosius de Cruce. fol.
Bayfius de Vasculis. fol.
Berosii Antiquitates. 8.
Monumenta Coptica, per Bonjour. 4.
Boxhornii Quaestiones Romanae. 4.
Bulengerus de Oraculis, Vatibus et Templis Ethnicorum. fol.
Casalius de ritibus Ægyptiorum, Roman. et Christian. 4.
Claudius de Salutationibus Veterum. 12.
Cuperi Harpocrates et Monumenta antiqua. 4.
Dissertatio de Sybillarum Oraculis. 4.
Gallaeus de Sybillis. 4.
Oracula Sybillina, Gallaei. 4.
Gronovius de Icuncula Smetiana. 4.
Gutherius de Jure Manium. 8.
Gyraldi Opera Omnia. fol.
Heineccius de Sigillis Veterum. fol.
Homeri Nepenthes, seu de abolendo luctu Liber, per la Seine. fol.
Jensius de Oraculis Sybillinis. 8°.
Laurentius de Sponsalibus & Nuptis Antiq. fol.
Polymathia, Laurentii. fol.
Electa J. Lipsii. 8°.
Historia Strenarum, Lipenii. fol.
Lipsii Tractatus peculiares octo. 12.
Palæographia Græca, per Montfaucon. fol.
Orbis Maritimus, Morisoti. fol.
Musonii Opus de Luxu Graecorum, fol.
Epistola Consularis, Noris. fol.
Scrinium Antiquarium, Olearii. 8°.
Panvinus de Comitiis. 8°.
Petitus de Amazonibus. 8°.
Magni Dei Matris Ideae & Attidis initia, Pignorii. fol. Pignorius de Servis. 4°.
Popma de Operis Servorum, 8°.
Olympiades, Puteani. fol.
Monumentum Ancyranum, Ptolomaei. 8°.
Quensted de Sepultura Veterum. fol.
Robertellus de Laconicis&de Sudatione. fol.
Schefferus de Novis Tabulis. fol.
Senstleben de Alea Veterum. fol. & 8°.
Souterii Palamedes, sive de tabula lusoria, Alea. & variis Ludis, libri tres. fol.
Sperlingius de Crepidis Veterum. fol.
Sponii de origine Strenarum Dissertat. fol.
Stuckius de Sacrificiis Gentilium. fol.
— Opera. fol. et Ch. Maj.
Manus aenei Cecropii votum referentis dilucidatio per Tomasinum. Fol.
Tractatus de Donariis, per Tomasinum. F. et 4.
— de Tesseris Hospitalitatis, per Tomasin. F. et 12.
— de Dodone Triglandii. Fol.
Venerius de Oraculis et Divinationibus Antiquorum. Fol
Ursatus de Notis Romanorum. Fol.
Tractatio de Polymathia. Woweri. Fol.
La Seine de Abolendo Luctu. 8°.
Almeloveen Fasti Consulares. fol.
Bacchinus de Sistris. fol. — Idem 4°.
Barlaei Introitus Mariae de Medicis in Amst. fol.
Bartholinus de Poenula. 8°.
— de Tibiis Veterum. 12.
Bayfius de re Vestiaira. fol.
Bellonii de admirabili operum antiquorum et rerum Suspiciendarum praestantia. Libri tres. f.
— Veterum Sepulcra Rom. et Etrusc. fol.
— Sepulcrum Nasoniorum, fol.
— Veterum Lucernae Sepulcrales. fol.
Gratulatio Ernesti Archiducis Austriae, per Joh. Bocchium. fol.
Profect. et Inaugur. Alberti et Isabellae, per Joh. Bocchium. fol.
Boisleau de re Vestiana hominis Sacri. 8.
Brissonius de Spectaculis et Feriis. fol.
Bulengerus de Triumphis, Spoliis Bellicis. etc. f.
Bynaeus de Calceis Hebraeorum. 4.
Casalius de Conviviis, Hospitalit. et Tesseris Veterum, fol.
— de Insignibus, Annulis, Fibulis, etc. fol.
Casalius de ritu Nuptiarum, ac de Jure Connubiali Veterum, fol.
Cornarius de Conviviis Veterum Graecorum, fol.
Fabri (Petri) Agonisticon, sive de re Athletica, Ludisque Veterum, &c. fol.
Ferrarius de re Vestiaria & Analect, fol. et 4.
— de Veterum Acclamationibus, fol.
— de Veterum Lucernis Sepulcralibus, fol.
Laurus Europeae Petri Francii. 8.
Kobierzykus de Luxu Romanorum, fol.
Fasti Consulares Idatiani, per Ph. Labbe, fol.
Laurentius de Agyrtis, Histrionibus, Acclamationibus et Osculis, fol.
— de Conviviis, Hospitalit. Tesseris & Strenis, fol.
— de Funeribus Antiquorum, fol.
— de Natalitiis, Conviviisque quæ in iisdem agitabantur, fol.
— de Præconibus, Citharoedis, Festalis ac Tintinnabulis, fol.
— de re Vestiaria, fol.
Licetus de Annulis, fol.
— de Lucernis Antiquorum recondit. fol.
Lipsius de Amphitheatro, fol.
Fasti Romanorum Liviani, 4°.
Maderus de Coronis Nuptiarum, &c. fol.
Manutius de Toga Romanorum, &c. fol.
Historia Urnæ Sepulchr. Sarmat. per Mellen, 4°.
Mercurialis de arte Gymnastica, 4°.
Meursius de Funere, fol. — de Luxu Rom. f.
Orchestra, Meursii, fol.
Phlegon Trallianus de Olympiis, per Meurs. f.
Modius de Triumphis, Ludis & Spectaculis Veterum, fol.
Pompa feralis, Morestelli, fol. & 8°.
Morestellus de priscorum Romanorum Feriis, f.
Commentatio de ritu Bacchanaliorum, J. Nicolai, fol.
Nicolaus de Triumphis Romanor. 12°.
Fasti Consulares Anonymi, per Noris, fol.
— Ducales, Palatii, 4°.
Panvinus de Ludis Circensib. & Triumphis, fol.
— de Ludis Sæcularibus, fol.
— Fasti & Triumphi Rom. fol.
Pompa, Funebris Archid. Alberti Puteani, fol.
Reliquiæ convivii prisci Puteani, fol.
Raynaudus de Pileo, fol.
Rubenius de Re Vestiaria Veterum & de Lato Clavo, fol.
Sarisberiensis Polycrasicus, 8°.
Commentar. in Fastos & Triumph. Rom. Sigonii, 8°. Soleriis de Pileo, 12°.
Tractatus de Lustrationibus Veterum Gent. 4°
Vesalius Mobachius de triumpho Roman. 8°.
Voetius de Lusu Aleæ, 12°.
Augustini Numismata Regg. & Impp. Rom. fol.
— Gemmæ Antiquæ, 4°.
Bandury Numismata, fol. 2 voll.
Begerus de Alcestide, fol.
— Bellum Trojanum, 4°.
— Colloquia contra Thes. Antiq. Græcar. fol.
— contemplatio gemmar. Gorlæi, 4°.
— Cranæ Insul. 4°.
— Examen dubiorum quorundam, fol.
Florus, Begeri, fol.
Begeri Numismata Impp. Roman. fol.
— Meleagrides, 4°.
— Observationes & Conjecturæ in quædam Numismata antiqua. 4°.

Begeri Poenæ infernales, fol.
— Numismata Pontificum Romanorum, fol.
— de nummis serpentiferis, fol.
— Spicilegium Antiquit. fol.
— Thesaurus Brandeburgiens, fol. 3 voll.
— idem tomus 3. fol.
— Ulysses Sirenes intervectus, fol.
Bellorii notæ in Numismata tum Ephesia, tum aliatum Urbium, fol.
Bornitius de Nummis, 4°.
Historia rei Nummariæ, Camdeni, fol.
Catalogus Nummorum Antiquariorum, 4°. Berolini. —— —— Europæorum, 8°.
Cenalis de ponderum ac mensurarum ratione, fol.
Vitæ Pontificum Romanorum, Ciacconii, fol. 4 voll. Antiquitates Macedonicæ, Crophii, f.
Cuperi Observationes, 8°.
Dissertatio de Nummo Pompilio, 4°.
Fæschius de Nummo Pylæmenis Everg. Regis, f.
Falconerius de Numino Apamensi, Deucalionei diluv. typ. exhib. fol.
Favissæ utriusque Antiquitatis, tam Romanæ quam Græcæ, per Spoor, 4°.
Freherus de re Monetaria Veter. Romanor. & hodiern. apud Germ. Imp. fol.
Epistola de Charondæ Effigie in Catan nummo expressa, per Raph. Trich. du Fresne, fol.
Goltzii Opera Omnia, fol 7 voll.
Gorlæi Dactyliotheca, sive de Gemmis & Annulis, 4°. 2 voll.
Harduinus de Nummis Herodiad. 4°.
Hekelius de Nummis, 4°.
Historiæ rei Nummariæ Scriptores, 4°. 2 voll.
Hottomannus de re Nummaria, 8°.
Numismata Impp. Rom. Hulsii, 8°.
—— Selectiora, Landi, 4°. —— Luckii, fol.
Historia Pontificum, per Molinet, fol.
Dissertatio de Nummo Pantheo, Nicasii, 4°.
Numismatum Antiquorum Sylloge Populis Græcis, Municipiis & Coloniis Romanis cusorum, 4°.
Isagoge ad Numophylacium, Olearii, 4°.
Pœtus de Mensuris & Ponderibus Roman. & Græcorum, fol. Familiæ Romanæ, Patini, fol.
Patinus de Numismata antiquo Augusti & Platonis, fol.
Numismata Horatii Coclitis & aliorum, per Patin, 4°.
Porcius de re pecuniaria Antiquorum, Ponderibus, Mensuris, Stipendiis militarib. &c. fol.
Prisciani & alii Authores de Nummis, Ponderibus Mensuris, &c. fol.
Achates Tiberianus, per Le Roy, fol.
Rubenius de Gemma Tiberiana & Augustæa, fol.
Sardus de Nummis Veterum, fol.
Savot de Nummis Antiquis, fol.
Scaliger de re Nummaria Antiquorum, fol.
Schlegelius de Nummis Antiquis Isenacensibus, &c. 4°.
Numismata Antiqua Seguini, 4°.
Snellius de re Nummaria, fol. & 8°.
Spanhemii Numismata, fol. 2 voll.
Sperlingius de Nummis non cusis, 4°.
Numismata Imperatorum, per Strada, Fol.
Historia Regum Syriæ, per Vaillant, 4°.
Numismata Tenzelii, 4°.
—— Imperator. &c. per Vaillant, Fol. 2 voll.
—— Imperatorum Romanorum, per Vaillant, 4°. 2 voll. Vaillant Numismata Græca, 4°.
Numismata Selectiora, per Vaillant, 4°.
Imagines Cæsarum, Vici, 4°. &c. 5 voll.
Familiæ Romanæ Fulvii Ursini, fol.
Weidnerus de Nummis, 4°.
Gemmæ Antiquæ, Wilde, 4°.
Numismata, Wilde, 4°.
Selecta Antiqua, Wilde, 4°.
Signa Antiqua, Wilde, 4°.
Ælia, Lælia, Crispis, fol.
Inscriptiones Hamburgenses, unà cum Auctario, Th. Anckelmanni, fol.
Antiquæ Inscriptiones, qua L. Scipionis Barbati F. expressum est elogium explanatio, fol.
Astorii commentariolus in Monumentum Antiquum Alcmanis, Poetæ Laconis, fol.
Ciacconii explicatio in Columnæ rostrat. Inscription. fol.
Inscriptiones Emanuelis Thesauri, 8°.
—— Athleticæ, Falconerii, fol.
—— per Fleetwood, 8°.
Marmorea basis Coloss. Tiber. erect. per Laur. Gronovium, fol.
Inscriptiones, per Gruterum, fol. 4 voll.
—— Antiquæ Reinesii, fol.
Salmasii Explicatio duarum Inscriptionum Vett. 4.
Ignotorum atque obscurorum quorundam Deor. Aræ, Sponii, fol.
Turrigii Notæ ad Inscriptionis ursi togati, fol.
Weisius de argutis Inscriptionibus, 8°.
Lexicon Universale Hofmanni, fol. 4 voll.
—— Antiquitatum, Pitisci. fol. 2 voll.
Baudrand Lexicon Geographicum, fol. 2 voll.
Lexicon Geographicum, Ferrarii & Baudrand, fol.
Dictionarium Geograph. Hist. Poet. fol. & 4°.
—— Poeticum, Jacobi Vanieri. 4°.
Pollucis Onomasticon, Gr. Lat. fol. 2 voll.
Animadv. in Julium Pollucem, per Kuhnium. 12.
Glossarium Archajologicum Spelmanni, fol.
Diatriba de Suida, Neocori. 4°.
Lectiones Theophrasteæ, per Meursium, fol.
Cange Glossarium Græcitatis, fol. 2 voll.
Lexicon decem Oratorum, Gr. Lat. Maussaci, Valesii & Blancardi, 4°.
—— Idem Valesii & Gronovii. 4°.
Glossarium Græco-Barbarum, Meursii. 4°.
Dictionarium sive Lexicon Gr. Lat. Schrev. 8°.
—— Lat. Grec. & Germ. Lindneri. 8°.
Institut. Lat. Græcæ, Clenardi. 8°.
Syntaxis Ling. Græcæ, Possellii, 8°.
Rudimenta Græca, Vossii. 8°.
Thesaurus Linguarum Septentrionalium Hickesii, fol. 3 voll.
Hickesii Linguar. Vett. Septentr. Thesauri Grammatico-Critici, & Archæologici conspectus brevis. per G. Wottonum. 8°.
Pomptuarium Linguæ Latinæ, Trebellii, Fol. 2 voll.
Dictionarium VIII. IX. XI. Linguarum, Calepini. fol. & 4°.
Fabri Thesaurus Erudit. Scholasticæ. fol.
Dictionarium Teuton. Latin. fol. & 8°.
—— Belgico-Latinum, 4°. — Latino-Belg. 4°.
—— Lat. Belg. Pitisci. 4°.
—— Biglotton, Belg. Lat. 8°.
—— Tetraglotton, Lat. Gall. Belg. & Gr. 8°.
—— Latino-Gallicum. 8°.
—— Lat: Gall: & Gall: Latin: Daneti, 4°. 2 voll.
—— sive Lexicon Atriale Lat. Latinum. Comenii. 8°. Dialogi Belg. Lat. Gall. Torris. 8.
Janua Linguar. Interlin. Lat. Belg. Comenii. 8.
Indiculus Universalis Lat. Franç. & Flamen, per Pomey, 8°.
Corderii Colloquia, Lat. Fr. 12°.
Grammatica Latin. & Græciæ Vestibulum, Verwey, 8°.
—— Elementa Linguæ Latinæ, 8°.
—— Janua Linguar. Lat. Germ. Gall. & Italicæ, Comenii, 8°.
—— Latina Major, Vossii, 8°.
—— Junii Nomenclator, 8°.
—— Gallica, de Coux, 12°.
—— vel Elementa Gallica Marchais, 8°.
—— Gallica & Germ. Martini, 8°.
—— Institutio L. Gallicæ, & Entretiens Famil. Lat. Franç. Fenne, 12°.
Dictionarum sive Thesaurus Hispano-Latinus, 4.
—— Hisp. Lat. & Lat. Hisp. Ælii Ant. Nebriss. fol.

F I N I S.





M. ANT. COCC. SABELLICI,

DE

SITU URBIS VENETÆ,

MAGISTRATIBUS, ET OFFICIO PRÆTORIS, ATQUE SCRIBARUM INGENIOSA DESCRIPTIO:

Ut & Ejusdem

GENETHLIACUM AC ORACULUM.

Editio omnium postrema, magisque in ordinem redacta.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER AA,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Um ad unum omnes fateantur, quod quælibet societas civilis eò diuturnior & stabilior evasura sit, quo magis ejus administrationis forma ad illustrissimæ Reipublicæ Venetæ *normam dirigatur & instituatur. Iccirco illius Reipublicæ admirandi regiminis aliqualem prægustum & tanquam Apparatum, ad ejusmodi normam perveniendi, Clarissimi Auctoris* Marci Antonii Coccii Sabellici *Tractatus*, DE VENETÆ URBIS SITU: DE VENETIS MAGISTRATIBUS: DE PRÆTORIS OFFICIO: DE OFFICIO SCRIBÆ: GENETHLIACUM & ORACULUM URBIS VENETÆ *in uno fasciculo typis nitidissimis Curiositati benevoli lectoris communicare deesse nolui. Hi quam avide arrepti sint, testantur toties iteratæ illæ Editiones: Sed ut omnia, sic & hoc præstantissimum opus paulatim ob correctionem minus accuratam nonnihil obscurum factum, quam multa enim in id irrepserint vitia, judicare potest, qui præcedentes Editiones, scilicet* Venetiæ 1514. Basileæ 1560. Francofurti ad Mœnum 1600. *excusas leget, & cum nostra summo cum studio ac diligentia recognita conferet. Indicem quoque horum tractatuum annexui, ut ne quid desiderari possit, quod in requirendis horum tractatuum contentis allevamento cuidam esse queat. Cæterum, ut hoc opere solerti benevoli lectoris curiositati satisfiat, opto.* Vale.

MARCUS ANTONIUS COCCIUS SABELLICUS,

HIERONYMO DONATO,

Viro omnibus Disciplinis Ornatissimo, Salutem.



Uærebam nuper *Hieronyme*, vir omni literarum genere præstantissime, cui tandem tres hos breviores libros, quos de *Venetæ* urbis situ & vetustate superiore anno accuratissimè conscripsi, potissimum legendos traderem: nec quum omnia circumspicerem, occurrebat mihi te uno dignior quisquam: vel quia meas aliquid nugas esse, ut lepidissimi Poëtæ utar verbis, putare sis solitus: vel quod non multo post publicæ legationis nomine te à patriæ & tuorum conspectu longissimè absuturum intelligebam: nullaque ob id lectio tibi suavior futura videretur, quam ea quæ urbis hujus quæ te genuit, in qua majores tui omnia sunt cum dignitate consecuti: cui mentem omnem, curam, studium, consilia dedicasti, tuis posset oculis vel cum longissimè abesses, imaginem repræsentare. Etenim quæ figurationis ratio, ubi hac una aut utilior, aut gratior hoc tempore proponi possit, non facile reperio: nec video quæ perdocta artificis manus, non si *Euphranor* ille adsit, qui amorem, judicium & ultionem in uno *Paride* expressit, plura in hoc genere quam stylus queat explicare: præstitit ille quæ dixi, fuitque me hercule non parum, quod non unus affectus in uno sentiretur: abditissimas tamen templorum aras, aureas testudines, pavimenta, & alia quæ tecto & parietibus continentur, nudare nunquam potuisset. Addo cœli naturam, civitatis mores, commercia, sermonem, quæ tam multa non magis opifex ullus coloribus & penicillo expresserit, quam iis quæ effingenda sunt, animam (quod fieri non potest) aut mentem adjicere: at nos hæc omnia, ni fallor, consecuti sumus: speroque ita futurum, ut quoties hæc nostra legeris, media patria, mediis necessitudinibus, quibus post virtutem nihil esse potest sapienti viro charius, tibi constitutus videare. Superest igitur, ut quamdiu domo abfueris, ad levandum eorum quæ tibi charissima sunt desiderium, hæc nostra intuearis. Erunt fortasse & alii qui in hunc usum hos nostros libros suarum peregrinationum comites habere non recusabunt: sed ego omnia quæ volui, mihi consecutus videbor, si tibi viro summo, qui soles omnia gravi judicio expendere, non displicuero. Satis enim placuisse arbitrabor, si quicquid hoc est, quod tuo nomine primum in lucem exiit, cognoscere non dedignaberis. Vale.

HUJUS LIBRI CONTENTA.

F I N I S.

MARCI

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI,

DE

VENETÆ URBIS SITU,

LIBER PRIMUS.

A



UOTIES mecum cogito repetoque animo diversarum gentium statum, vel earum inprimis, quæ rerum quandoque potitæ sunt, solet præter cætera illud nobis constare, populorum omnium, qui sunt hodie in terris, quique olim fuere, eos semper & nominis celebritate & opibus longe præcelluisse, quibus urbes & ad pacis otia, & ad belli usum, quam opportunissimas habere contigisset. Poteramque ego idipsum non unius civitatis exemplo demonstrare: nisi vetus *Apollinis* oraculum notum esset, quo *Chalcedonis* conditores constat cæcos ob id judicatos, quia parum considerate urbem posuissent. Tanti *Delphicum* oraculum referre censuit, quo potissimum loco nova statuerentur mœnia. Fuerunt ad hæc ex nobilissimis scriptoribus quidam, qui affirmare sunt ausi, ne *Romanos* quidem tam facile sibi imperium quæsituros fuisse, si urbem a suis majoribus, quæ alio sita erat solo, accepissent. Quanquam hoc ipsum non magis de *Romanis* ipsis, qui virtute armorum omnibus gentibus longe præstiterunt, quam de *Pœnis*, *Atheniensibus* & aliis, qui late terra marique olim imperium tenuerunt, dictum videri potest: mittam reliquos, de his loquar. An dubium cuiquam videri potest, strenuitate gentis, fortunave, an munitissimo potius urbis situ illud evenerit, quod *Carthaginenses* traditis *Romano* populo armis, traditis liberis, sine præsidio ullo, sine auxiliis tertium bellum *Punicum* tam diu distulere? aut antiquissimos poëtas tam otiose & inepte nugatos dixerimus, ut non aliquid viderint, quum ob *Athenas*, *Palladem* & *Neptunum* in apertum commisere certamen, judicarunt, (quis non videt?) viri illi sapientissimi, nihil novis urbibus commodius, salubrius, auspicatius posse contingere: quam si eo ab initio conditæ essent loco, pro quo tanquam pro perpetuo quodam, mansuroque templo ne dii quidem ipsi certare recusassent. Quod quum ita sit, constetque inter omnes, ob id ipsum plerosque populos fama & opibus maxime claruisse: *Venetæ* quidem urbis stupendus magis quam admirandus situs, non solum fastigium hoc rerum, ad quod ventum est, primis illis conditoribus ab initio pollicitum videri potest: sed posteris etiam stabile, perpetuum & mansurum imperium. Ne igitur res sane memoranda, & ad quam cognoscendam summi interdum principes, ab extremis terrarum oris, velut in rem præsentem, peregre profecti sunt, non omnibus nota esset, de ea breviter scribere constitui: confisus ita fore, ut quum inauditam alioquin loci sedem, ædificiorum præstantiam, divitem cultum; quum denique vetusta & recentia omnia explicavero, ii, qui *Venetam* urbem quandoque viderint, inciderintque forte in hanc lectionem, uno sint ore affirmaturi, me non solum urbis hujus situm descripsisse: sed velut in tabula quadam simillimam illius expressisse imaginem. Quibus vero ad id tempus rem tantam videre non contigit: & ipsi aperte fateantur, hanc unam urbem præ cæteris, quæ hodie sunt, maxime spectari dignam, ac vere talem, cui neque situs novitate, neque magnifico rerum apparatu, alia in toto orbe ulla comparari possit. Et quia satis superque evagati sumus, jam hinc de re dicere incipiam.

NARRATIO.

ALluitur itaque urbs ipsa (ad quam ultro describendam venimus) non ut pleræque aliæ suis partibus marino fluctu, sed ipsa tota mediis est aquis sita: in qua præter ædificia nihil facile reperias, quod non idem sit & mare. idcirco tota navibus commodius quam pedibus peragratur. Quanquam ne hoc

B ipsum quidem daretur: nisi pontibus jungerentur rivi, quibus non solum insulæ, sed tecta quoque pene singula inter se sunt discreta. Affert & illud miraculum primo spectantibus, cum pelago suburbanæ aquæ aguntur, singulis senis horis variatur locorum facies: ut hic ubi nuper alti navigabantur fluctus, paulo post vada fiant, mox vero quicquid ubique vadorum fuit, subita videas inundatione opertum. Quæ perpetua alternantis æstus variatio, non patitur in tanta cœni alitudine perniciosum aliquid concrescere. Nam quanta sit ipsius cœli temperies, vel ex eo potest intelligi, quod cæteris paribus multo plures in hac una quam in reliquis terræ *Italiæ*

C civitatibus senes reperiuntur: atque illi ipsi pleniore corporis habitu, minusque offensa valetudine. Nec Auster, *Italiæ* parum alioqui saluber, multum urbi ipsi formidabilis: quippe qui in tanta maris vastitate fractus, quanta illi a *Libya* ad *Adriam* evolanda est, minus violentus applicat: aut certe quo magis *Alpinis* frigoribus propinquat, eo minus minusque illorum occursu, ut antea tepescit. Quo fit, ut præter vastissimos fluctus non sine inundatione in *Venetum* littus dejectos, nihil ultra civitati habeatur infestus. Sed nos non ad hæc scribenda venimus: ad institutum opus redeo. Si quis eminentiore loco tanquam ex specula quadam subje-

D ctam urbem diligenter consideret, illius faciem magis quidem rotundam judicet, quam alterius figuræ oportet: si *Judaicam* insulam ad meridiem urbi applicet, quæ in theatri speciem lunata, ad duo stadia illi ex adverso respondet. Sed illud ædificiorum efficit altitudo, quæ aquarum conspectum hoc se loco, aut illo insinuantium procul aufert spectantibus; nec sic quoque ita absolutam intelligi volo formam, ut nulla prorsus uspiam promineat inæqualitas: quum sane & ad *Olivolensem* ædem, quæ æstivum solis ortum spectat, & ad extremum *Canaregium* inter septentrionem & solstitialem occasum, ac rursus ad *Marthæ* fanum, quod ad hyber-

E num solem occidentem vergit, tanquam in tres angulos paululum prominentiores excurrant ædificia: sed illa ipsa longis inter se spaciis distantia, atque tectorum interventu omni ferme obliquitate castigata, circularem figuram magis, quam ullam aliam, perscribunt. Domorum adhæc frequentia & altitudo ingens omnem pene urbanarum aquarum auferunt prospectum: quo fit, ut qui superne ex specula aliqua eminentiore urbem contempletur, turritam telluris imaginem, medio oceano figuratam, se putet inspicere. Navigantur aquæ ipsæ suburbanæ non mi-

minori navigiorum frequentia quam altum mare (sed a locorum peritis) lembis, aut aliis levioribus navigiis; quo patet, urbem tutiore omnino loco sitam, quam si alto allueretur pelago. Ad usum igitur rerum vicinarum & ad piscationes fluctus mœnibus circumjecti frequentantur: quippe qui etsi non sint, tamen vastissimi cujusdam stagni habent speciem; objectu namque littorum, neque tam facile ut in alto, agitantur fluctus: neque ubi moti sunt, tam atrociter sæviunt. Quanquam non eo inficias, in his quoque locis subitis deprensos procellis, nonnunquam periclitari solitos: quod raro accidit. Sed ut ad eorum, quæ in urbe sunt, enarrationem redeam: primum omnium non ignorare oportet urbem, de qua hæc scribere orsi sumus, prælato & inflexo rivo, qui in *Mæandri* speciem illam pererrat, in duas esse partes divisam: quarum hæc ad meridiem & occasum vergat, illa ad septentrionem & ortum: utraque in tres distincta regiones, (sextertia vulgo appellant) citerior in *Canaregium*, *Castellum*, & eam, quæ ab aurea Divi *Marci* æde *Marciana* est nuncupata: in *durum Dorsum* ulterior & alias duas a sacris ædibus nominatas: quarum *Crucejam* hanc, illam vero *Paulinam* recte dixeris; antiquus *Medoaci* fluminis alveus (si *Medoacus* est, quem hodie vulgo *Brentam* vocant) alio aquarum impetu operibus averso, vetustam retinuit laterum altitudinem: quam marini fluctus hodie complent. Prisci illi *Veneti* urbis conditores ab altioribus (ut arbitror) vadis potius quam ripis, rivum altum ab initio dixere: nunc quoque pars urbis valde illustris nomen habet inde acceptum. Is ab occasu urbi insinuatus, *Marthæ* fanum primo perstringit: inde lævam ædificiorum oram abluens, ad *Claræ* ædem urbanis tectis infusus *Crucejam* regionem a *Canaregio* disterminat: mox inter utramque octo ferme stadiis allapsus, ab ortu paululum in meridiem flexus, inter *Paulinam*, quam dexteram habet, & *Divi Marci* regionem, ad occasum convertitur: atque ita recto alveo stadia quatuor emensus, priusquam ad *Samuelis* ripam fit ventum, iterum ad orientem solem inclinat, ac recto placidoque cursu inter *Marci* regionem jam dictam, & *durum Dorsum* ad *Georgii* usque fanum, quod e regione fori est, urbis & tectorum patiens procedit; mox vero omnem angustiam quasi vincula declinans urbe ad lævam relicta, per aperta evagatus stagna, in portum urbis ultimum detorquet cursum.

DE PRIMA REGIONE.

Quum hanc igitur sua natura urbs ipsa recipiat partitionem, ea nobis regio auspicatissimum dabit exordium, quæ procacissimo occursu propinquantem *Medoaci* alveum gremio exciperet: nisi ab eo fastidita ad dexteram, ut dixi relinqueretur. Fuit regio *durum Dorsum* ab initio appellata ab eo, ut arbitror, quod priusquam locus inhabitari cœpisset, (quod constat aliquanto recentius contigisse) prædurus esset illic scopulus, inque dorsi speciem productus. Protenditur regio a *Marthæ*, quæ occidentem spectat solem, usque ad salinum caput, *Trinitatis* fano prætentum. Est locus in triremis speciem fastigiatus, atque omnium qui in regione sunt novissimus ad ortum: quanquam *Judaica*, quæ illi obversa jacet, quæque regioni asscribitur, aliquanto longius pergat, maritimis occurrere fluctibus: sed illa ad duo stadia, quasi diversum à reliquo membrum, ac totius æmula, a cætero refugit corpore. Habet itaque universa regio Insulas viginti, sacras ædes totidem, & sex amplius. Sed de summa hactenus. In prima autem regionis fronte *Martha* sita est: quod ab initio docuimus opus recens, frequentique virginum conventu. Hic ad *Mendiculorum*

A ædem piscatorius vicus: eo enim quam longissime ab oculis civitatis concessere, quicunque fere hodie in urbe quæstum ex piscium captura faciunt. Tota inter utramque ædem ora, quæ Austro obversa est, quæque ad sagittæ jactum & amplius excurrit, crebris pontibus stagno procumbentibus suspensa est; his illi pro tentoriis ad exsiccanda retia, aut certe explicanda utuntur. Intus nihil memoria dignum: in summo vico brevi ponte ad *Nicolai Mendiculi* fanum transcenditur (modica Insula clauditur.) Tres supra vestibulum virgines muro clausæ: quarum unam hodie ob creditam sanctitatem, quasi futurorum præsciam vulgo, ut audio, matronæ consu-
B lunt. Ædem subeuntibus ad lævam, priusquam ad aram maximam fit ventum, *Nicetæ* martyris occurrit tumulus. Dextero inde templo, ligneo ponte in adversam transcenditur insulam; in ea nihil memoria dignum, proceditque recta fronte illa cum aquis, usque ferme ad proximum tririvium, quod & ad *Sebastianum* ducit, & ad *Eremitanam* ædem. Sed cum eo non est longius procedendum. Ad *Raphaelem* (qui in adversa sedet ripa) proximo ponte transscenditur. Magni *Opitergini* opus vetustissimum, templi vero dedicatio longe recentior. *Niceta Antiochenus* ad aram maximam marmorea est clausus
C arca. *Judaicæ* frons ad occasum versa divo valde contra respondet; est vicus hic, aut insula potius, duobus ferme stadiis ab urbe, ut dixi, dirempta: quæ in longum ad mille passus protenta, circa medium devexa, cornibusque hinc inde paululum reductis, theatralem pene exprimit formam. Urbicæ itaque longitudinis æmula, hinc longe ad ortum cum ea excurrit, donec victa ad *Georgii* fanum subsistat. Tota ferme habitatur: sed qua urbem intuetur frequentius; habet in extremo ad occasum latere (nam quando regioni, de qua agitur, attributa est, de ea satis erit semel dicere) *Blasio* &
D *Coraldo* communem ædem: opus & ipsum insigni vetustate, frequentique virginum conventu. Recta inde secus aquas ad *Euphemiæ* itur: habetque ad meridiem ultra rivum, qui mediam dirimit, *Cosmi* & *Damiani* fanum, in quo virgines pleræque sacris operantur; inde Crucis ara cum virginio frequentissimo. At virgines alterius sexus omnes circa divorum templa perpetuo clausas, adhuc nominamus: tum quia nulla honestiore nuncupatione videntur mihi appellari posse, quæ perpetuum Deo vovere obsequium: tum quod ferme innuptæ ea ætate, qua jure virgines credi possunt, soleant initiari. Magis inde ad ortum, *Baptistæ* ædes occurrit, ipsa quo-
E que, ut fertur Divi *Magni* vetustum opus, & in summa *Judaica Georgii* templum loculentissimum canali a reliqua insula diremptum, utrobique frequens conventus: sed ad *Georgium* frequentior. Mira inibi hortorum amœnitas: & in æde porphyretici lapidis lacus hilarissimus: plurimæ divorum reliquiæ, vestimentorum egregius apparatus, & in vestibulo ædis tota ora, quæ urbem spectat, quinque pontibus peragratur: tribus ligneis, duobus lapideis. Redeo nunc nonnihil evagatus ad institutam urbis descriptionem, & ad *Raphaëlis* aram: unde propinquus angiportus ad *Sebastianum* postico ducit. In eo omnia recentia: sacrorum apparatus te-
F nuis, religio multa; hic quoque plerique, sed pro religione non adeo multi, sacris operantur: rivus citro ultroque enavigatus, ædem perstringit: quo sublicio ponte superato, ad *Basilii* dextera fundamentis ducit. Vetusta templi facies: duobusque cœlitibus, *Constantio Anconitano*, & *Petro Acotantio Veneto* illustris; introrsum *Pantheon*, cum virginio: opus, ut illud, de quo dixi, vetus: ita hoc nova facie nitens; rivus illi a tergo, & a meridie infunditur: unde recta ad *Gervasium* ducit via, templum vetustissimum cum porticu, quæ virenti areæ in-

incubat, testudo ad aram maximam aurea *Græcanici* A operis. In ora, quæ a rivo sese in conspectu ædis sinuat, usque ad *Basilii* aquas longo rectoque margine excurrit, ingens vis ligneæ materiæ ad ædificandum comparatæ, & domesticatim, & in aquis disjecta visitur. Barbaricæ familiæ ædes, & ad lævam, & à fronte in adversa insula *Gervasio* adjacent: ædes vel hoc uno memoria dignæ, quod his paucis annis duos optimos principes civitati dederunt, *Marcum Barbaricum* defunctum, & *Augustinum* ejus fratrem: quo principe non poterit res publica non semper beatissima esse. Sequitur alia insula, quæ eodem aquarum derivio a meridie ad septentrionem excurrit: utrinque extremis lateribus loca duo insignia, sed de eo, quod in intima ora sedet postea, B nunc de *Jesuatico* cœnobio. In eo plerique agunt: sed illi minime initiati sacramenti ministerio religione inhibentur, orare non facere eorum est: vulgus *Jesuatos* appellat. Ligneus pons hinc in *Agnetinam* transmittit insulam: in *Jesuaticæ* domus conspectu præjacenti area *Agnetis* vetusta ædes modice assurgit, cui perexiguum virginium accubat. Divæ ara vetustissima: sed *Viti* martyris, qui in adversa sedet insula (si muscosæ fronti credimus) omnino vetustior, hic *Georgii* corpus religiose conditum. Loci aram quotannis stato die princeps cum bona C parte patrum, quasi divo gratulaturus, ob civitatem periculosa conjuratione servatam, structo ad tempus supra rivum maximum ponte, invisit. Adjacet a tergo insula ad meridiem versa: in ea novum almi spiritus virginium in ipsa pene ora, juxta navale ingens, cum lateritiis fornacibus. Intus pium *Viti* hospitium: læva fornacibus ipsis sedet insula: in fronte ad meridiem novem publici salis conclavia parietibus tantum inter se, ædificiorumque superciliis discreta. Inde ad salinum caput ponte transcenditur: locum & ipsum, a publici salis conclavibus nominatum, fastigiatur in navalis rostri speciem: immo efficit, ut tota regio, de qua adhuc diximus D triremis formam pene exprimat: utrinque extremis frontibus in puppim & proram extenuatur, latius circa medium patet. Quicquid a *Trinitatis* fano ad ortum decurrit, publica obtinent ædificia: sed illa ipsa valde recentia, huc triremes, ac navigia peregre appulsa, quicquid mari subvehitur, publicanorum oculis subjiciunt, ne qua vectigalibus fraus fiat. *Dovanam* vulgo nominant, ædes ipsa internam oram, ut multa quæ sequuntur, spectat. *Teutonicum* in ea collegium. Proxima inde insula, *Gregorii* templum, *Bartholomæo Perutio* Antistite nuper instauratum: atque ob id festiva, & hilari facie; E hinc ad ædem publicæ charitatis nihil, præter privata ædificia, conspectione dignum: sed nos publica scribimus. Hæc est vetus illa *Alexandri Romani* Pontificis latebra: unde a principe & patribus revulsus in Pontificiam est (ut fertur) dignitatem restitutus. Extant adhuc monumenta non pauca: quæ rem ita gestam, ut proditum est memoriæ, manifeste arguunt. *Ammianus Alexandrinus* Antistes, & (ut fama est) Divi *Marci* discipulus ad aram maximam est conditus; olim ædicula illic, magnifici *Juliani* (ut quidam tradunt) opus: nunc splendidum templum, præcipuaque religione præditum. Turris præalta Canonicorumque cœtus ingens: accu- F bat templo nobilissimum conclave, cum celeberrimo urbis collegio, visuntur hic illustrium pictorum tabulæ circumquaque non magis ad religionem, quam ornatum dispositæ. Plurima sunt, in urbe ejusmodi collegia: sed omnium quinque celeberrima, atque ex iis unum hoc, de quo loquimur. Per inflexos inde vicos ac pontes aliquot itur ad *Barnabæ* limina. Templum facie pene cariosa patenti area; divi vestibulum recta ducit ad lapideum pontem, unde per obliquas semitas ad *Margaritam* panditur accessus: *Mauri* Antistitis opus, & ipsum mirandæ vetustatis: utpote anno urbis circiter CCCC. conditum; aurea illi testudo cum columnis quatuor porphyritæ lapidis: aut certe illi perquam similis. Vastus ad meridiem inde spatiatur campus, per quem ad *Carmelitas* itur; virginis hæc sedes, satis opulenta, ac nonnihil a tergo instaurata: plurimi in ea operantur. Ex area, quæ ædi præjacet, ligneo ponte in adversam transcenditur insulam: quæ regionis novissima est ad occasum; hinc dextero rivo ad *Amagianas* columnas pene perpetuis fundamentis itur: quæ regionem ea parte terminant; locus est citra crucis fanum, rivo cymba, aut lapideo ponte superato; alterutro enim modo fieri potest. Adversis fundamentis retro ad *Pantaleonis* aram est reditus; cætera vetustatem arguunt: templi tamen dedicatio recens. Lapideus pons hinc ad *Margaritam* ex adverso sedentem transmittit; & quamvis valde ipsæ inter se propinquæ sint ædes, ac pene contiguæ: utraque tamen plebanica est. A Divi limine inflexo angiportu, unoque ponte ad figulorum aream proceditur. Hinc digredi volentibus læva occurrit area Minorum fano a tergo hærens: ubi hoc biennio instauratum Divo *Roccho* templum; unde collegium cum sacris alio translatum fuerat. Locum cum herbido campo, qui, humilibus ac paucis interjectis domibus, a tergo patet, Castellum vulgo appellari audio: sed causam adhuc requiro; nisi forte proximis inquilinis fidem habendam putamus: qui mihi dicebant accepisse se a majoribus, in propinquis hortis, ubi nunc infectorum, fullonumque tentoria visuntur, locum olim munitissimum fuisse: cujus vetusta operis aliqua hodie appareant vestigia.

DE SECUNDA URBIS REGIONE.

SEquitur hinc proxima regio, quam a vetustissima Divi æde, quæ ea ferme media tollitur, *Paulinam* recte dixeris. Hæc cum *Cruceja* in summum rivum altum excurrit: unde fit, ut si fronte paulo magis fastigiata procederent, dimidiatæ Pyramidis haberet formam. Sunt in ea insulæ tredecim, sacræ ædes totidem numero, atque in his plebanicæ octo; & ne quid ab instituta narratione aberremus, describendæ regionis inde sumetur exordium, ubi ea, de qua proxime diximus, habuit exitum. Erit igitur basis hujus linea a trivio, quod est ultra Evangelistæ fanum post Minorum ædem, per campum, in quo castellum fuisse memorant, præterque *Thomæ* aram in rivum maximum deducta. Est id templum de quo loquimur in ipsa pene ora: habetque a tergo trajectum ab eo dictum. Ex area, quæ illi præjacet, per inflexos calles itur ad nobilissimum virginis templum. Hic Minores fratres frequentissimo conventu sacris operantur. Domum maximam vulgo ab ædificii magnitudine vocant. Hic sanguis Christi summi regis visitur. Hic ejus simulachrum, ab hinc triennio miraculis illustratum: sacrarium nobilissimo opere præditum: in cujus fronte eminentiore loco equestris *Pauli Sabelli* statua conspicitur. Navavit is reipublicæ *Patavino* bello optimi ducis operam; od aram maximam ducaria monumenta *Francisci Foscari* marmore & auro præditum: & *Nicolai Throni*, materia & opere, ut aliquanto recentius ita facie magis conspicua. Prominet adversa templi parte aliud sane eximium *Jacobi Marcelli*, qui *Venetæ* classis Imperator *Gallipolitana* periit expugnatione, magnitudine duobus illis minime comparanda: cæterum opere & materia haud quaquam dissimili; respondet contra *Ludovici Foscareni* viri sapientissimi sepulchrum: cujus magnitudo quo minus luxuriatur, ita frons hilarior. Porticatim ex hac æde ad *Nicolai* itur aram, quæ a tergo est;

eadem & hic religio: sed aris plane diversis. Lapideus pons, & ex iis, qui hodie sunt, pene vetustissimus, ad propinquam *Steni* aram transmittit: hic nihil præter cariosam templi faciem conspectione dignum, præjacet arenosus illi campus, per quem euntes læva semita excipit, qua brevior ducit ad Evangelistam via. Hujus vestibulum marmoreo est opere munitum: ita ut quum intra pene omnia sint situ obsita: longe tamen fronte splendeat; asservatur hic dominicæ crucis lignum plurimis insignitum miraculis. Unum hic ex quinque maximis urbis collegiis, piumque hospitium vicinis ædibus objectum. Brevissimus hinc processus ad geminos pontes, qui tririvio, unde lineam duximus, incubat regionis finis. Inde per *Steni* aream recta & ampla semita ad sublicium pontem proceditur: unde digressum continuo *Augustini* ara excipit, & ipsa multo senio confecta, acclivi turre; ac primo ampliore via, mox ultra pontem, qui haud procul inde superandus est, per angiportum ad *Eubaldum* cursus brevissimus: nec ipsum vicino tholo juniorem; rivus divi aream alluit, regionis est ea parte finis. Ubi te ille ad pontem remiserit, duobus rectis vicis citra ultraque lapideum pontem, atque ad caput alterius, brevi inflexu in *Paulinum* transcenditur campum: locum frequenti mercatu insignem; incubat illi vetustum *Pauli* templum cum porticu, aut vestibulo potius, media etiam luce sub obscuro. Si retro unus hic pons fuerit transcensus, duplex vicus excipiet; hic ad Minoritanam virginem, ille ad *Thomæ* limina, uterque duobus pontibus, remittit. A *Paulina* area rivum altum versus tribus pontibus ad *Apollinarem* itur, locum vetustate confectum: aurea testudine tessellatoque pavimento. Eminens illi turris incubat, præter quam viæ huc & illuc inflexæ in *Carampanum* vicum ducunt, unde nuper sublatum lupanar; lævus *Apollinaris* per augustum vicum ad *Silvestrum* mittit: Patriarchiam olim sedem. In ora trajectus frequens, & conclave amplissimum a *Rocchiano* collegio nuper instauratum: mox in pristinas sedes omni sacrorum pompa relata destitutum; ædes ipsa ad aram maximam, post collegii digressum magnifice instructa. Quicquid inde est aquarum ad *Cassiani* ripam, citra ultraque toto *Rivoaltino* inflexu, negotiatoriis obtegitur navigiis: occurritque primo trans rivum (ut oram peragremus) farinarium emporium; incredibile relatu, quanta vis in eo venalis annonæ semper adsit: quam libera occasio mercari volentibus. Ad jactum fere lapidis *Italicæ* exoticæque farinæ utrinque tabernæ patent: qui eam appendant, quique appensam bajulent præsto adsunt. Ab emporio ad pontem, omnium qui in urbe sunt amplissimum, altiora tecta a magistratibus occupantur; in his duo amplissima fere urbis vectigalia contiguis pene locis, vini unum, omnium continentis oræ mercium alterum: quod & ipsum *Dovanam* vocant; in imo tabernæ frequentes oleariæ, cum publico carcere à latere sito. Vici a tergo interjecti conclavia habent peregrinarum mercium refertissima: unde ad incendium per noctem his locis contractum memini me tantam vim aromatum in publicum nocturna illa trepidatione depromptam, ut rerum imperitiores vulgo judicarent, non *Italiæ* solum, sed toti *Europæ* decennium suffecturam. Libet hic narrare exemplum privatæ largitionis, quod dicitur ea nocte accidisse. Quum jam ignis effuse evagari cœpisset, ac non sine periculo totius insulæ invalescere, ferunt privatum civem, cujus domus adhuc erat igni intacta, cum fisco auri pleno in apertum prodivisse: hicque ingenti largitione proposita omnem ferme multitudinem, ad ædes suas proximo incendio tuendas convertisse; nemo dicitur ea limina subiisse, qui prius aureo saltem non fuerit nummo dona-

A tus: quo officio accensis animis fortiter præsenti periculo itum est obviam, atque ea potissimum ratione non sola domus: sed nobilissima pars civitatis creditur nocturna illa clade servata. Inepte igitur faciunt, qui aurum semper ut rem perniciosam insectantur: quum plus in ignem manifesto argumento interdum agat, quam aqua contrarium elementum; sed hæc natura, illud vero avaritia. Post carcerem a tergo, area ubi serica, argentea & aurea stamina ab opificibus ad texturam depectuntur, ad dexteram publici magistratus qui salis vectigal procurant: a fronte Philosophiæ Gymnasium: cui *Antonius Cornarius Bragadini* auditor præsidet: homo
B moribus & excellenti doctrina inter veteres Philosophos merito reponendus. Sed hinc in oram unde modo digressi sumus est reditus; ac priusquam ad pontem sit ventum, porticus cum venali ferro, & mercibus aliis passim disjectis: in ea plerique urbis magistratus, de quibus abunde in altero seorsum opere. Tota ripa ab ipso mercium genere ferraria nuncupata est. Pons inde incubat omnium, qui in urbe sunt, ut maximus, ita frequentissimus: nulla ferme est diei hora, quæ ob citro ultroque commeantium turbam non anguste superetur. Eminent adversa fronte ædes publicæ & ipsæ ab urbis magistratibus insessæ; respondet contra ad dexteram porticus aquis incubans, novisque a tergo materia &
C opere perspicuo aucta ædificiis; ad lævam *Jacobi* templum vetustissimum, votoque publico a priscis *Venetis*, urbis conditoribus, ob civitatem incendio servatam, ut dicitur erectum. Explicatur ante illam area nobilissima: in qua omnia urbis (imo orbis) negotia transiguntur. Coit huc mane & vesperi negotiorum causa tota ferme civitas. Sed quum omnia mortalium frequentia constipata videas: illud primo spectantibus miraculo esse potest, quod in tanto hominum conventu nulla vox, nullus auditur strepitus, non libelli, non altercationes, non jurgia stipulationesve ullæ: omnia remissiore voce a-
D guntur; unde manifeste apparet, verissimum esse illud, quod in ore multorum esse solet, rectam negotiandi rationem nihil minus quam verbis indigere. Duo vel amplissimum conficiunt negotium; si quid inter se pactum volunt, ad nummarias mensas itur, quæ plurimæ in ipsis sunt porticibus: atque ex his vel ex proximo pecuniæ creditoribus repræsentantur. Amplissima conclavia duobus porticibus imposita, magna ex parte in fori usum absumuntur; humilior inde porticus (sed ea quam longissime spatiatur) tabernis plurimis cum venali panno referta: in ejus fronte celeberrimum quadrivium. Si ad læ-
E vam flectas continuo *Joannis* vestibulum eodem latere occurrit; medio Divi templo *Pauli Pergulani*, sophistæ sua tempestate celeberrimi conspicitur tumulus: turris valde eminens templo incubat. Quicquid inde est recta ad *Apollinarem*, hinc inde densis perstrepit tabernis & officinis. A trivii fronte annularius vicus dextra, lævaque annulariæ officinæ: inde publicum lupanar, in quo vetustum *Matthæi* fanum: in summo calle vicus argentarius, nihil eo, de quo diximus, infrequentior. Sed iccirco illum, neque aurificinum, neque argentarium libuit vicum appellare, quoniam etsi
F monilia, torques, segmenta, atque alia pleraque aurea & argentea opera, in eo conficiuntur: præcipua tamen opera in annulis consumitur, atque ob eam rem tanta interdum vis gemmarum in artificum manibus ac mensis ipsis exposita conspicitur, ut ejus spectaculi insuetos primo aspectu stupore defigat: vixque credat evenire potuisse, ut civitas una quamvis amplissima tam frequentem opificum numerum aleret. Sed in nulla re sumptuosa civitas sibi magis indulsit: ut una interdum mulier duo honesta patrimonia, altera gestet manu. Sed de civium cultu postea.

postea. Dextera quadrivii per densissimas tabernas in forum olitorium mittit: quod *Rivoaltino* foro a tergo accubat; hinc per salarium vicum in piscarium forum itur: utrunque ripis proximum. Ex piscario præter macellum ad lapideum pontem, qui foro lignario incubat, regionis confinium itur: ultra nihil ad *Paulinam* attinet regionem; a tergo usque ad *Eubaldi* limina præter paniceas tabernas, quæ macello adhærent, nihil dignum memoria reperio.

DE TERTIA REGIONE.

Superest, ut de tertia regione dicamus, quæ ab eadem lignarii fori ripa ad *Claræ* ædem, quæ in extrema urbe sita est, procurrit; eam, quando ab antiquissimo Crucis fano nominari placuit, *Crucejam* (ut arbitror) non absurde nuncupavi. Habet tota regio insulas undecim paremque fere sacrarum ædium numerum: quicquid a ponte novissime dicto ad *Cassiani* trajectum in fronte est, ad præsentem urbis regionem scribendam præbebit aditum; quantacunque est ea ora. Est enim omnino brevis: quippe quæ jactum lapidis non excedat. Ad forum lignarium attinet; totam ripam insident onerariæ naves, venalibus lignis onustæ. Duæ hinc viæ modico inter se spacio distantes, ab aquis introrsum recedunt. Hæc amphorarium habet vicum; ab trajectu illa ad *Cassianum* ducit; habet id templum *Cæciliæ* caput, cujus olim fuit & ædes, tabulaque hic *Messenii* pictoris, cui ad exprimenda quæ voluit, nihil videtur, præter animam, quam dare non potuit, defuisse, incubat ædi turris eminens. Duobus inde pontibus, varioque vicorum inflexu, ad matris domini itur: ara virginis vetustissima, & ab Magno *Opitergino* condita, testudineum templum; argentea hic tabula: turris valde alta acclivis cum præjacenti area ad ortum. Ex hoc loco reditus est ad *Eustachium* (*Catherinæ* ab initio ædes fuit) hic divi, hic conjugis, natorumque capita eodem sacrario condita. Herbidus inde campus ad ripam extensus, unde in *Canaregium* frequens trajectio; nec procul hinc publica horrea nuper instaurata. Ab *Eustachio* retro flectenda via, dextraque angiportum A ingressus sublicio ponte in virentem transcendens campum, qui ad lævam occurrit (*Luprium* veteres a palustri facie dixere) vetus *Jacobi* fanum cum turri: in parte areæ dextra sublicio ponte semita ad *Atestenses* ædes ducit, in ora illa sitas: sed per angustos, & in anguis speciem inflexos vicos commodius ad *Joannis* cognomento decollati, patet accessus. Divi ædes vetus, & ipsa in *Luprio*: & quod vix in ulla aliarum insularum reperies tam hæc quam illa, quam *Jacobi* in proximo ostendimus plebanica; hic, ut plerisque locis acclivis turris. Unde apparet in fundandis molibus olim priscos *Venetos* non ea usos fuisse, quam hodie, diligentia: quum id vi- B tium in recentioribus operibus non sit fere reperire: contra non uno loco in veteribus. A fronte rivus excipiens reliquos totius regionis ab Aquilone ad *Africum* decurrentes: qui sequuntur a septentrione & meridie regioni infunduntur. Duobus hinc pontibus in *Nebulonium* venitur campum: eo egressis *Simeonis* confestim se offert templum, facies senio obsoleta; ad lævam inde longissimis fundamentis ad tririvium itur: quo non procul Evangelistæ fano regionem perscripsimus; in eo nihil memoria dignum. Dextra longiore angiportu, *Simonis* & *Judæ* parva est ædes adeunda; nuda hic quoque decrepitas in ora ipsa pene est sita: cui parum abest, C quin *Luciæ* tholus contra respondeat. Sunt qui præsenti regioni id fanum asscribant: sed ob id credo quia rivus maximus non semper ea parte pervius fuit; nunc quia utrumque locum ab altero spatioso dirimit alveo, de ea in sua regione dicetur. Ab communi divorum area jam dicta ad Crucis limina brevis accessus, ac ponte uno pervius; ex hoc templo regio nominata ubi & angustissima. Frequens hic virginium; exit deinde in duos angulos: in hoc *Claræ* virginium, ubi clavus unus ex iis, quibus Christus Rex cruci fuit affixus visitur, (insula ea est, ac longiusculo ponte cæteræ regioni applicata) altero D angulo adversa fronte *Andreæ* respondent tecta: ibi quoque virgines plurimæ. Inter utrumque locum in ora aggeribus secus aquas pervius est usus: introrsum horti non inamœni. Et hæc de tertia urbis regione.

LIBER SECUNDUS.



DE tribus urbis regionibus, quæ ad meridiem & occasum vergunt, priore volumine abunde diximus: nunc de reliquis quæ ad Septentrionem & ortum spectant, ordine dicemus. Offert se mihi omnium *prima Canaregium* regio, *Crucejæ* magna parte ex adverso objecta: pene pari cum illa progressu in stagna ad occasum excurrit. Ejus insulæ circiter xx. Insularum numerum iccirco confuse adhuc retuli: quoniam regionatim ita angustis finibus aquæ nonnunquam coëunt, ut singula etiam ædificia, quia undique sunt circumflua, insulæ speciem exprimant; quo fit, ut parum exploratum habeam, pluresne quam opus sit, an pauciores potius, quam oportuisset, singulis regionibus asscripserimus. Sacræ ædes veris insulis pauciores esse nequeunt: quum plurimum singulæ singulas sortitæ sint. In ora igitur introrsum ad *Eucharistiæ ædem* præclarum virginium: templi facies adhuc pene recens, respondet *Crucis fanum* valde contra in eadem ora: ac ita proximo loco, ut parum absit, quin ipsa se contingant ædificia. Alterum ad *Luciæ* tholum, sacrarum virginum chorus: in æde ipsa divæ corpus marmorea arca clausum, multis clarum miraculis. Hæc duo loca quidam *Crucejæ* adscribunt regioni: nos ob eam, quam dixi causam, *Canaregio* attribuimus. Itur in- E de rectis aggeribus ad vicum, qui in *Hieremiæ* campum excurrit, hic divi fanum non tam amplum, quam vetus objicit se herbido campo in rivum spatiari volenti: castigatque ea parte, qua sedet, areæ vastitatem turris ad summum quadrata: dexter illi rivus, a quo tota est regio nominata. Quidam ab eo nomen factum existimant, quod in extrema regione, ubi olim naves construi consuessent, cannarum palustrium fasces ad navalis fabricæ usum comparati, passim ordine exponerentur. & quia veteres: quod adhuc plerique dicunt, ad regium locari dixere, quicquid suo loco, & ordine poneretur: F ab re ipsa factum esse nomen affirmant: ut *Canaregium*, una litera detrita, dictum sit quasi *cannaregium*. Verum quia plurium opinione constat (quod pene res subjecta oculis arguit) canalem ipsum hominum opera, ut plerosque alios, non natura constare: haud absurdum sit dicere, abscissione ipsa factum esse nomen, ῥήγνυμι frango est, sive rumpo: unde & rogiæ dicuntur fluviorum derivia: & in extrema *Italia*, oppido admodum illustri hinc quoque nomen inditum plane constat: ut quem majores ab initio canalem regium, hoc est, scissum dixerint: recentiores corrupto nomine *Canaregium* dice-

dicere perseverarint. Qui a rege appellationem loco datam autumant quid sibi velint non intelligo. Ubi igitur ab *Hieremiæ* conspectu ad proximum pontem veneris, qui rivo, cujus nunc meminimus est impositus, læva ad *Job* fundamenta per oram ducunt. hic *Lucæ* conditorium: opus ipsum vetus, sed *Mauri* principis impensa instauratum. Hic & ipse situs est. Visitur in parte ædis *Joannis Bellini* tabula insignis, quam ille inter prima suæ artis rudimenta in apertum retulit. Sacrorum curam *Francisci* gymnopodes habent. In extrema insula, unde in *Margariam* vicum trajicitur, Parvum navale, atque idipsum exiguum, secundanæ objectum insulæ: huic pene junctum *Mauranum* atrium ad pauperum usum ab eodem principe privato sumptu constructum, undique domiciliis circumplexum: intus leucæria & in hortis pannorum tentoria. Si in proximam transeundum sit insulam cymba opus est, aut sublicium potius *Hieremiæ* pontem revise: ubi cum transcenderis ad lævam flectito. hic subito dextera occurrit aurificina vetus (patrio sermone *Jactum* vocant) locus hodie magna ex parte dirutus: ex ea insula in campum undique ædificiis clausum ponte transcenditur. est is undique ut insula, circumfluus, recentiorem *Jactum* nominant. Tenuis rivus *Hieronymi* aram inde dividit. *Sphæritici* martyris in ea sacrarium; frequens virginum cœtus; inde ad stagna nihil memoria dignum. Infectorius vicus in adversa ripa a stagno, ad aceti pontem latioribus fundamentis peragratur: angusta hinc semita in misericordiæ insulam, ab æde credo, quæ in summa parte sita est, nuncupatam, ducit: altera vero nihilo amplior ad *Alovisium*, cujus virginium cum modica æde stagnis alluitur. In eodem tractu hortensis virginis fanum (*Christophori* olim fuit) illustris locus multaque religione virginis. Ex *Hortensiana* ara in adversam insulam est reditus: in ea *Bassejum* atrium ad usum pauperum comparatum. In fronte misericordiæ ara cum frequenti clero collegioque, uno ex urbis clarissimo. *Mauræ* familiæ opus, omnisque sacrorum impensa. Omnes ad hunc locum rivi ab occasu ad ortum rectis influentes eodem tractu insulas figurant: unus omnium præter ædem a Borea infusus cæteros ordine excipiens in Rivum altum recta decurrit. Quæ intus dicenda restant, prius sunt referenda, quam in adversam transcendatur insulam. Ab misericordiæ aræ fundamentis, (in cujus parte infectorium statuimus vicum) brevis ad *Marcellini* pontem nec omnino recta ducit via: ex adverso divi fanum & in eo virginis miranda effigies. *Arimino* (ut fama est) miraculo delata: *Spartani* ad hæc lapidis, aut certe illi perquam similis delubrum. in eodem tractu ad occasum magis conspicuum virginis templum cum numeroso servorum cœtu (sic enim se qui ibi sacris operantur nominant) ad aram maximam *Mariæ Cleophæ* caput. Lapideo inde ponte vicorum inflexu ad geminos pontes ad occasum potius, quam ad meridiem est reditus: donec tririvio navigetur in rivum altum sinistris aquis. dexteris retro ad servorum aram recta in *Margariam* vicum. In læva igitur procedentis rivi ora, modica area, vetustissima accubat *Leonardi* porticus: ædes & ipsa insigni vetustate. inde retro ad *Hermagoram* carpenda semita, templum cum præalta turri. Hic mihi urbem recognoscenti, *Joannis Baptistæ* dexteram per otium spectandi facta est copia: eam dico quæ Christum Deo genitum atque ipsum Deum ad *Jordanem* amnem, baptismi lavacro respersit: licuitque antistitis indulgentia eam non solum inspicere, sed aureo depromptam tabernaculo (quo vix optatius quicquam contingere potuisset) identidem exosculari. una omnium reliquiarum, quæ in urbe sunt, hæc in publica ceremoniarum pompa sub umbella circumfertur. intus *Thasii* lapidis columnæ

A pleræque: præter hæc in eo nihil dignum memoria. Patet hinc per implicitos vicos & quem exaggeratum rivum vocant, ad *Magdalenam* via, unde abeuntes continuo post sublicium pontem *Fuscæ* brevis area cum templo excipit. annosa loci facies: cæterum nihil in eo quod ad sui contemplationem invitet. A Divæ liminibus supinus pons idemque sublicius ad *Felicem* transmittit: alluuntur propemodum divi postes rivo, qui a septentrione, ut dixi, infusus secundum misericordiæ aram in Rivum altum decurrit. *Petri Michaëlis* opus pons, qui in conspectu est, in adversam insulam transmittit. ab
B eo modico processu, læva ad *Catharinæ* itur. longissimi angiportus duobus ligneis pontibus ad ædem ipsam recta ducunt: sedet illa cum numeroso virginum cœtu in extrema ad Aquilonem insula. Unde dextro rivo ad Crucigeros in summa insula sacris operatos profectio est; crucem illi veteri instituto præ se ferunt: unde nomen sortiti. *Cletus Petri* discipulus religionis auctor: sed *Cyriacus Hierosolymitanus* antistes, qui dominicam crucem cum *Helena Constantini* matre curiose quæsitam invenit, circumferendæ crucis decretum induxit. *Barbaræ* corpus penes illos *Christophorique* fœmur; in fronte, domus vetustissima ad pium usum constructa. Ac
C quam nitidum & hilare eorum cœnobium nuper instauratum, *Alovisii Dardani* procuratione: tam hujus loci, de quo loquor, facies situ obsita. Remensis viis, ad *Feliciani* pontis diverticulum, læva ad *Sophiam* flectitur: præjacet ædi patens campus celeberrimus, qua patet in piscarium forum trajectus: præter divæ postes angustiore calle ad Apostolos brevis ducit via: unum ex Magni *Opitergini* operibus. Vetus turris incubat; hinc retro ad Crucigeros duplici angiportu suis utroque pontibus peragrando datur regressus ingens: adhæc pro luco area. In fronte pons sublicius, qui per intortos vicos ad *Chrysostomum* ducit, ipsum etiam non sine
D vetustatis vestigio; angiportus inde ad lapideum fert pontem, qui in summo calle anguineo sedet: regionis confinium. Ex Divi vestibulo duobus pontibus, rectoque ferme vico retro ad *Cantianum*, & *Virginem* cognomento novam, aris pene contiguis patet reditus: utraque facies situ & vetustate consumpta; rivus qui novam virginem ab ea, quæ miraculorum dicitur, ponte disterminat, *Canaregii* & *Olivolensis* est regionis terminus.

DE OLIVOLENSI REGIONE.

E OLivolensis regio (quæ & *Castellum* recentiore verbo dicitur) duarum est regionum humeris imposita, nonnihil & ipsa ad ortum fastigiata: ac nescio, an non omnium maxime post *Durum dorsum* in acumen exitura, nisi augustissimum urbis templum, pari forma fronte cum virginio, quod contra respondet in stagna procurreret. Basis (quanquam parum rectilinea) patet, perscriptis a stagno finibus inter *Cantianum* & miraculorum ædem, mox inter *Mariæ* & Salvatoris fanum, *Julianum*, & ædem auream in canalem usque maximum. Quæ nunc *Castellana* est, ædes *Olivolensis* quondam fuit;
F recte igitur tam hinc regionis nomen, quam inde traxeris. Insulæ in ea circiter xx. sacræ ædes aliquanto plures, & ut descriptionis ordo omni perplexitate careat: hæc quoque ea parte adeunda est, qua proximæ regionis relatio invenerat sibi exitum. Referentur itaque primo ea, quæ ad borealem attinent oram: mox reliqua dicentur. Ab ara virginis, quæ novæ olim cognomentum sortita est, sublicius pons ad miraculorum transmittit ædem, locum, ut nova ita præcipua religione insignem; fuit brevis Virginis tabula angusto calle affixa (quod in plerisque locis urbis cernere est) ea proximis annis subitis miracu-

raculis illustrata, magno mortalium concursu frequentari cœpta est: quo brevi contigit, ut amplissimis donariis eodem, quo fuerat loco, marmorea sit ædes erecta, opus magnificum, ac nescio an post auream ædem omnibus, quæ in urbe sunt opere & materia longe præferendum. Exterior facies ædis à summo ad imum *Ligustico* saxo, *Histrico* & *Benacensi* interjectis, est ceu tabulis contecta: a fronte porphyrites, *Spartanus*que lapis ad ornatum reliquum per intervalla distinguunt materiam, opus ad consummationem spectat. Contra ædem novum virginium, & ipsum non vulgari apparatu ab imo eductum, utrumque opus *Francisci Dedi* equitis, & *Francisci Zeni* procuratione a fundamentis excitatum: mox *M. Superantio*, & *Thoma Contareno* procurantibus productum opus, novissime *Leonardo Lauretano*, & *Augustino Superantio* extrema pene manus est operi admota. Fuerat *Amantiæ* familiæ imago illa, priusquam illustrari contigisset: atque rei monumento publice decretum, ut duo *Amantii* cum duobus patriciis sacram pecuniam donariaque procurarent. Recto deinde calle ad lapideum itur pontem, qui tenui angiportu, atque altero ponte ad gemellos mittit; opus amplissimum, ac præ nimia altitudine caliganti fastigio: vasta magnitudine, cultuque pene pari Prædicatorum conventus, quatuordecim principum cœmiterium; sparsim tota æde visuntur illorum monumenta: sed omnium, ut maxime recens, ita nobilissimum *Petri Mocenici* Principis, ex hostium manubiis erectum. Præjacet templo area cum lapideo ponte, qui in minores birros, & majores mittit: medio tractu circa pontem *Marciani* collegii conclave illud clarissimum nobilibus tabulis, & auro præditum, quod hoc quadriennio non sine totius civitatis mœrore nocte una conflagravit; nunc materia longe sumptuosiore, quam antea instauratum, novissimeque a fronte *Alovisio Dardano* collegii magistro, apparatu longe opulentiore excultum. Eadem area *Bartholomæi Bergomatis* equestris statua aurata, marmoreæ moli imposita, (opus visendum) quum hæc proderemus publica impensa defuncto posita est, vasta a tergo atria templo adjecta; ac tam ampla conclavia, ut centum, & amplius sacrorum causa inibi ferme agant. Bibliotheca adhæc ingens hortis incubans: qui cum non parva ædificiorum parte stagno alluuntur. Ad *Justinam* inde aliquandiu recta itur: euntique ad lævam post gemellos herbidus occurrit campus, ubi hi, qui in navales turmas scribuntur, sagitandi peritiam delectum habentibus, probant. Contiguus inde vicus cum venalibus tabulis utrinque ad ædificandum dispositis. Barbarum vicum vocant; quem rectius tabularium dicerent. Per aream inde, pontemque unum sublicium hilari fronte, instaurata nuper, euntem *Justina* excipit, ædes alioqui vetustissima: utpote unum ex Magni *Opitergini* operibus. Accubat recens fano virginium *Petri Mauroceni*, *Berthucii Delphini*, *Michaelis Cornarii*, & *Laurentii Delphinii* (qui aream obtulisse dicitur) procuratione erectum, addiderunt aliquid templo *Zacharias Barbarus*, *M. Antonius Maurocenus*, *Hieronymus Contarenus*, *Mattheus* & *Andreas Donati* fratres, & *Hieronymus* cognomento *Joannes*, qui hodie procurant. Angusto vico eunti herbidus aperitur campus, cum antiquo in *Murianum* trajectu, qui frequentari desiit: excurrit planicies illa, utpote in urbis recessu, aliquanto licentiosius ad alteros *Francisci* gymnopodas, qui ad novam divi aram sacris operantur. Tenuis templi hujus ornatus: sed ædificia ædi circumjecta, quæque in stagnum protenduntur, amplissima, ingentes undique explicant porticus, & supra illas frequens bibliotheca. *Andreas Bragadinus* sexaginta auri pondo in id opus contulit, *Hieronymus Badovarius* quadraginta, atque

A uterque vivens dono aurum dedit. Monstratur in vicinis hortis ædicula Divo *Marco* sacra, a principe, & patribus veteri instituto quotannis stato die adiri solita; hic quum ab gymnopodum uno quæsivissem, ecquid esset, quod locus vinea diceretur, quum nulla circumjecta essent vineta: insulam esse ab urbe respondit, ad quinque millia passuum, quas vineolas hodie vocant, ibique divum *Bernardinum* præfuisse aliquandiu æditui nomine: unde postea translata in urbem religione loci nomen retinuisse. Visitur in ædis vestibulo *Ludovici Siciliæ* regis sepulchrum, corpore ex *Hierosolymis* in urbem pro san-
B ctiore quodam deportato: verum cognito errore placuit purpureo pallio ejus arcam editiore loco sitam, operiri. Ab *Francisci* ara deflexa via præter opium *Bocolorum* hospitium, inflexosque vicos ad altera itur *Trinitatis* tecta: ubi *Anastasiæ* corpus, a *Valeresio Valeresti* cognominis *Byzantio* delatum. Ex area quæ vestibulo ædis præjacet sublicius pons ad *Cœlestinam* mittit ædem (ubi chorus ingens virginum) annosum templum cum effigie virginis, miraculis multis illustrata, *Celsi*que Principis marmoreo sepulchro. Hic quoque locus, quia in ora stagno alluitur, post *Trinitatis* fanum, Geminosque puteos, pium *Joannis Zachariæ* hospitium medio
C ferme vico cum tenui sacello occurrit. Publicum hinc navale visitur, cujus mœnia procul venienti vaste se pandunt: immensum opus, ac ita longe lateque excurrens, ut XX. circiter stadia circuitu pateat: undique valide munitum, sed intus, si quis omnia collustret, haud facile expediet, navalene an armamentarium potius sit dicendum: siquidem præter ingentem triremium numerum in pontibus stantium ad omnem occasionem paratarum, præter alia navigia, & multa & varia, quisquis vim tormentorum maximam, arcuum, sagittarum, telorumque omnis generis, quorum amplissima sunt conclavia referta, si quis anchorarum, velorum, funium,
D remorum, omnisque nauticæ rei stupendum inspexerit apparatum, fateatur necesse est, nullum esse tam arduum bellum, nullum tam diuturnum, sive terrestre, sive maritimum, ad quod instruendum id navale non abunde esset arma suffecturum. Sed ab ipsa rei magnitudine efficacius exprimenda, quoniam id verbis præstari non potest consulto abstineo. Sub ipsius navalis mœnibus in *Martini* Pontificis aream transcenditur: annosa templo facies id subeuntibus, ad lævam paulo eminentiore loco vetus est sepulchrum, tribus familiis olim commune: sed tam angustum, ut ne extensa quidem cadavera possit capere. Unde quum forte locum spectarem, subiit ani-
E mum reputatio illa: quanta fuisset olim civitatis parsimonia, in qua plures familiæ quinque pedum & quadrantis possedissent tumulum. Intus sub delubro basis, cum harpyiis duabus, veteri opere incisis, ostenditur, nobiliore quidem opificio quam materia: certum hodie statuariis, & pictoribus figurandi monstri exemplar. Dextero inde templo ad navalis itur januam, *Maripetri* principatu marmoreo opere munitam. Eminentissimus pons transcenditur rivo impositus, per quem triremes in apertum protrahuntur; hinc præter navalis mœnia in sagittarium itur stadium: unde per *Tanaidis* campum ad
F hospitium duobus Apostolis sacrum ducit via. Vetusta hic omnia tam me hercule, quam in *Danielis* virginio, quod ad lævam hinc digressis collapsa pene fronte occurrit, templum senescenti facie infirmum, testudine & fornicibus fultum: in ejus vestibulo marinæ belluæ, portentosæ magnitudinis ossa. Duæ hic virgines *Joannis* Martyris sacrarium nobis reserarunt: corpus pene integrum; & ut ex illis didici *Byzantio* delatum. Ad hæc usque loca decurrunt navalis mœnia. Adversam insulam obtinent, quæ inter sanctimoniales urbis, peculiari appellatio-

ne

ne Virgines dicuntur: in æde nihil præter vetustatem occurrit observatione dignum; virginium ipsum nocturno incendio nuper deflagravit, atque biennio minus sumptuose instauratum. Hinc subito pons longissimus in *Olivolensem* transmittit insulam, ubi patriarchica nunc sedes, ubi & divi *Petri* fanum, Magni *Opitergini* opus: vetustas in eo nobilis, sed rerum apparatus longe nobilior; aurea testudo areæ maximæ incubans: pavimentum tessellatum: columnæ & multæ & magnæ: sed omnes peregrini lapidis. Herbidus campus ad rivum procurrens, turrisque in eo candidi lapidis paucis ante annis ad fastigium ferme perducta. Insula omnium extrema ad ortum, nunc quinta a quibusdam vallis dicitur: olim ut plane constat, *Olivolensis*, ab olivis in ea consitis, ut quidam memoriæ prodiderunt, nominata. Post longissimum pontem, cujus proxime facta est mentio lævo calle, perque alium sublicium pontem ad *Annam* transcenditur, sedet ea in insula, quæ omnium regionis hujus maxime est australis: virgines hic quoque plurimæ; hinc rectis aggeribus profectum *Dominici* limina excipiunt: frequens in eo prædicatorum conventus. Rectissima inde via lævo templo ad *Antonium* ducit. Per aperta ligneo uno ponte superato, eundum. In divi æde Virginis imago miraculis insignis: & ad aram maximam *Victoris Pisani Venetæ* classis *Genuensi* bello Imperatoris ex Pario marmore sepulchrum; nobilissimum templo opus incubat, atque idem recens, ad pium usum paucis annis clarissimo opere constructum, inter recentia urbis ædificia, præcipua admiratione conspicuum. Citra ligneum sacellum ad tempus religionis gratia erectum; vestigiis retro observatis, lævum occurrit navale, cum publica illa, arce verius, quam nave in pontibus adhuc stante: inde per *Dominici* callem in ora pientissimum illud omnium, qui in urbe sunt domicilium, ubi ex abjectitiis certus puellarum asservatur numerus, quæ ab ineunte ætate optimis artibus instituuntur. Sed inprimis morum habetur ratio: tam severa adhibetur disciplina, ut non modo compellandi cujusquam alterius sexus, aut alloquendi, sed ne videndi quidem ulla relinquatur occasio. Ubi vero per ætatem adolevere, & jam viro maturæ esse cœperunt: publico ære honesto matrimonio locantur. Incubat a fronte aquis adversa ripa *Ducarium atrium*, ad pium usum nuperrime absolutum: ex eo ad supinum itur pontem, qui aquis a superiore publici navalis parte corrivatis incubat. Ex adverso ad meridiem *Antoniana* insula definit ulterius procedere. Publica lignorum conclavia circa pontem ad oppurtuniores civitatis usus comparata. Reliqua ora, usque ad pontem, regionis confinium (eum palearem vulgo vocant) quinque peragratur pontibus, jam hinc ordine referendis. A primi pontis transcensu *Blasiana* excipit ara, in tenui æde, quæ areæ introrsum præjacet. Græci perquam pauci nuper hic sacris operabantur. Onerariarum navium vis ingens proximæ hæret ripæ: tota ora nautæ pro statione tutissima utuntur; circa pontem, qui proximus se offert, citra ultraque publica horrea: mox & publici furni, ubi ad navales usus panis vis ingens conficitur. Inde domus, quæ Dei optimi maximi dicitur, occurrit: mox ligneus pons, unde ad *Cœlestinam* introrsum navigatur ædem. Occurrit fundamenta tenentibus dextrum Christi regis sepulchrum, cum virginio: pons inde lapideus a proxima pietatis domo nuncupatus occurrit. Huc pueri furto concepti abjiciuntur, abjectique diligenti cura, & studio aluntur. Subjectus huic ponti rivus *Justinam* vario inflexu spatiatur: hinc ad *Bragolanam* ædem diverticulum ducit. Est & a mediis retro fundamentis huc deflexus brevi angiportu: est res ipsa jam ævo confecta, utpote jam inde a *Longobardico* tumultu

A condita: Ingens area templo accubat, ubi mihi de loci nomine diligentius sic sciscitanti, senes quidam, ut ex eorum sermone adverti non omnino deliri, memorabant accepisse se a majoribus, priscos illos *Venetos*, qui ab initio urbem tenuere, mercatum *Bragolam* appellasse, & quia olim eo loco frequens mercatus celebraretur, datum ob id loco nomen: fuerunt postea qui mihi dicerent, illic olim piscosa fuisse loca: atque idcirco quia piscationem veteres *Bragolam* dixissent, a re ipsa nomen locum accepisse. Non desunt, qui *Bragolam Joannis* cognomento Eleëmosynarii patriam fuisse memorent, atque a
B divi sacrario nomen viciniæ datum: alii a *Patavinis*, quos patria a barbaris ejectos primos omnium eam urbis partem tenuisse constat, torcular bragolarium dici ajunt. Sed cur in insulas sit nomen translatum non expediunt. Angiportus mali vadi per quem a pietatis ara in *Bragolanum* divertitur. Proximi inquilini narrabant mihi, existimare se, verissimum esse illud, quod majorum relatu vulgo percrebuisset, eo olim loco reos capitali supplicio affici solitos, atque in argumentum fabulæ adducebant infelix ibi vadum esse, affirmantes, vidisse sæpius se, illic viros subito congressu contrucidatos: alios vero, aut lapsu pedis, aut diverso casu periclitatos. Per hunc
C ipsum vicum obliqua semita *Baseja* domo ad dexteram relicta in oram brevis est reditus; sequuntur duo inde pontes, hic aquis *Zachariæ* virginium a tergo alluentibus incubans: ille rivo qui ejusdem divi lapideum pontem a fronte irrigat, novissimus omnium qui a venali palea, quæ nunc ad *Georgii* fanum venditur, nomen habet, atque hic regionis finis. Sed huc non est venire, ut reliquum regionis peragrari possit: quin retro per *Rasianum* vicum in proximam venire oportet aream; ad lævam viculus brevis ad communem *Jacobi* & *Philippi* aram ducit: templum ipsum aquis dirimentibus divi *Marci* tergo pene hæret aversa areæ parte. A fronte *Joannis*
D cognomento novi limina: sed illa ipsa veteri non nova facie: ad dexteram eodem vestigio stantis *Zachariæ* virginium, vetus & ipsum opus: sed nunc proximo loco fanum ornatissimo apparatu erectum, nullique novorum operum sumptuositate & ædificii ratione posthabendum. Ad veterem aram, *Gregorii*, *Zachariæ*, *Theodori*, *Sabinæ*, *Pancratii*, *Nerei*, & *Achillei* corpora, uno condita sunt sacrario. Divi atrium egressis ad dexteram in conspectu se procul templum offert: in eo præter ævum nihil hodie miramur; in adversa insula sedet *Mauritius*: unde per brevem vicum ad geminos pontes est aditus.
E Dextero relicto, per eum, qui a fronte occurrit, in subjectum angiportum, & vicinum pontem dextera ad *Antoninum*, *Particiatiæ* familiæ opus vetustum transcenditur: ubi & *Sabæ* sacrarium; fundamenta sacræ ædi propinqua, ac paululum incurva in *Bragolanam* retrahunt aream, sed de loco plura fortassis quam oportuit: si læva a ponte procul ire pergas, de quo nuper diximus, ad *Joannem Hierosolymitanum*, & in *Foro-Julianum* vicum venies, ultra quos ad occasum adversa insula *Laurentianum* virginium, cum æde ei, quam proximo loco *Antonino* sacram ostendimus æquali; id quoque *Particiatiorum* opus fuisse memorant, anno conditæ urbis circiter cccc.
F extructum: utramque insulam veteres geminas dixere. Per pontes novissime dictos ad divi ædem retro patet reditus; dextero rivo post geminum pontem, septentrionem versus fundamentis itur: lapideus pons ad divum & virgines ducit: hinc longissimis patentioribusque vicis ad pontem venitur, qui in longum transmittit callem: hinc dextera ad *Lateranum* ducit, locum pene sacris destitutum. Recta ad *Mariam* formosam, vastus campus atque herbidus blande venientes excipit: ad meridiem templum attollitur. Magni *Opitergini* monumentum. Delu-

brum

brum in eo porphyretici lapidis, cum subjecta columna nobili materia, sed opere nobiliori; duobus hinc pontibus semitisque pene rectis ad *Mariæ* aram venitur: ibi Divæ corpus *Byzantio* delatum. Per ejus aream, & lapideum pontem fit reditus ad miraculorum ædem, unde scribendæ regionis sumpseramus initium: versam inde viam, quæ in fronte Divæ est ingressus ad *Leonis* fanum inflexis vicis unoque ponte transcendens (*Lium* vulgus corrupto nomine vocat) opus per se vetus: sed magna nuper ex parte instauratum, & hæc sacrarum ædium, quæ in *Olivolensi* sunt regione novissima, ac pene confinium ipsum. A tergo introrsum capsarium habet vicum, qui usque ad pontes regionem ea parte claudentes, bifariam extenditur.

De Sexta et Ultima Regione.

Reliquum erat, ut de nobilissima urbis regione diceremus: quæ eadem est & Divi *Marci*, in XIV. divisa insulas, sacras ædes decem & octo: Ejus forma ad occasum resupinata basim duabus insulis affinem, nec rectilineam habet: *Duro dorso*, & *Paulinæ* regioni est a lateribus & a fronte inserta; ejus descriptio a *Canaregii* finibus sumet exordium. Lapideus ibi pons *Germanici* emporii tergo hærens: mox & inflexus vicus, qui in anguis speciem intortus anguinus dicitur; sed illi ipsi ambitus hinc inde densissimis sunt officinis referti: in quibus omnis urbicus purpureæ texturæ apparatus, non sine spectantium admiratione, conspicitur, incredibilis opificum manus, in auro, & serico varii coloris explicando est occupata. Ad lævam sinuosus callis ad pontem ducit, per quem ad *Leonem Olivolensis* regionis transcenditur: ad dexteram *Germanicum* se offert emporium; locus alto rivo imminet. Plurimi hîc *Germani* sanguinis conductis ad id circa atrium cubiculis, negotiantur: ingens inde Reipublicæ vectigal. Quicquid mercium ex urbe in *Germaniam* & circumjectas oras devehitur, hinc propemodum depromitur: quicquid rursus inde affertur, hic negotiatorum oculis subjicitur; plura semper navigia, ad mercium vecturam, quæsita subjectis hærent ripis. Ab emporio in apertum egressis rivoaltinus pons dexter occurrit, ad lævam frequentissima urbis via ad auream usque ædem, & ipsa admodum sinuosa decurrit. Tota intercapedo, quæ quatuor pene continet stadia densissimis dextra lævaque aromatariis aliisque omnifariam tabernis officinisque promiscue fervet interjectis; in his omnis urbicæ, peregrinæque mercis copia venalis exponitur: adeo ut quum omnia in apertum deferuntur, inter blanda urbis ornamenta id soleat magnorum hospitum oculis subjici spectaculum. Per eam aliquanto progressis *Bartholomæi* vestibulum fano accubans ad dexteram se offert, & Salvatoris ædes cum *Isidori* corpore, conventu celebri; opus testudineum præcipua religione præditum: nec multo post contractiore fronte, & *Julianus*, (qui a latere spatharium habet vicum, aquarium vero a tergo) mercaria via a fronte pergit in aureæ ædis aream procedere; sed ad oram unde digressi fuimus, est redeundum, ut ordine dicantur, quæ hinc sequuntur. Quicquid igitur a ponte omnium maximo (qui idem est & rivoaltinus) secus aquas peragrari potest, totum aggeribus est suffultum: quibus hærent mercatoria exotici *Italici*que vini naves: ita inter se frequentia stipatæ, ut mutuus sit inter illas transcensus. In fronte tabernæ plurimæ oleariæ; vini apothecæ: hic bajulorum, & omnium fere, qui sordidum faciunt in civitate quæstum semper turba ingens. In extremis aggeribus angustus vicus in *Lucæ* aream ducit: hic a tergo ærarius vicus, per quem ad Salvatoris ædem retro patet accessus: a fronte angiportus, qui ligneo ponte in sagittarium callem mit-
A tit. Haud procul ab area diverticulum ad Divi aram, unde in apertum reversis, perstringendum *Lucæ* diverticulum, & mox *Paterniani* vestibulum. Hoc cum æde ad lævam relicto, duplici angiportu sublicio ponte diremto, ad *Benedicti* vetustam itur ædem, Divi tholus cum præjacente introrsus area ad ripam usque qua in adversam trajicitur insulam. Post diverticulum recta procedit via ad *Angeli* fanum; nova hic turris: vetus, quæ ibi fuerat subita ruina non sine plurium pernicie noctu repente corruisse dicitur: quin & tertio ab hinc anno item noctu e cœlo tacta, adeo omnibus pene lateribus concussa
B est, ut res sit in prodigium versa: sed latera subito instaurata. Eremitanorum atrium cum augusto protomartyris templo ab *Angelo* digressum lapideo excipit ponte; frequens hic conventus, templumque sacellis plurimis, & pavimento ornatum: in fronte cœmiterium, mox & vicus cum bubulis stabulis, & lacte omnifariam venali. Hinc flexus ad *Rochi* & *Susannæ* aram; huc his paucis annis *Rochianum* collegium concesserat, ac pluribus ædificiis solo æquatis, quæ ad hoc ipsum coëmerat, novum sibi conclave, cum Divi æde, erigere adortum est, sublato inde veteri lupanari ingentem explicaverat ad ædificandum aream: quum repente mutato consilio cum ipsis
C sacris, ac Divi corpore, ex *Gallia* nuper delato & quod pro tempore in *Geminiani* fano religiose fuerat asservatum, in vetustissimum fanum ultra rivum commigravit. Novissime hinc cum omni ceremonia profectum, eum circa Minorum ædem locum instauravit, ub prima fuerant Divo jacta fundamenta: est id hodie (quanquam recens) ex quinque celeberrimis urbis collegiis unum. Illis igitur abeuntibus locus est iterum profanatus: sed non multo post in sacrum usum restitutus, traductusque eo frequens virginum cœtus; ædes cum virginio tumultuario pene opere extructa, *Rocho* & *Susannæ* sacra. Relinquunt hoc commune fanum ad lævam hi, qui ad *Samuelem* ire pergunt:
D præjacet illi area cum trajectu omnium ferme, qui in urbe sunt frequentissimo. Jam hinc atque aliquanto retro usque ad *Trinitatis* fanum citra ultraque rivum clarissima spectantur urbis ædificia: inde eisdem vestigiis ad *Stephani* aream redeundum. Cymba, qui volet, ad proximam *Vitalis* ripam evehitur: exiguum id templum, hinc publicam charitatem spectans, inde virentem protomartyris campum. Mox ex Divi conspectu cymba ablatus: post appulsum ad *Mauritium* per tenuem ibit angiportum; parum abest quin ille Eremitanæ areæ a tergo accubet: tenui rivo discernitur. Campus, qui Divo præjacet ad lapideos mittit pontes: post illos *Jubanicæ* virginis
E vetusta occurrunt limina, cum turri præ multa vetustate jam collapsa: in æde columnæ pleræque & peregrini lapides vetustissimum loci arguunt apparatum. Campus a fronte ad *Gregorii* trajectum excurrit: secus *Jubanicæ* tecta per inflexos calles ad Angelum læva, dextra ad *Fantini* itur aram. Hic virginis imago multa religione, assiduisque miraculis illustrata; frons ædis nitida, candidoque saxo nuper instaurata. Duplici inde via in Divi *Marci* itur aream, læva per sagittarium vicum, dextera pontibus duobus. In ulterioris conspectu, *Mosis* fanum cum acclivi turre; hic quoque virginis icon, & ipsa miraculis multis insignis, tenueque fabrorum collegium:
F sed hujusmodi collegia regionatim omnibus ferme templis reperiuntur. Recta hinc ad ædiculam virginis ducit; omnia ibi tenuia. Viculus ex hujus conspectu in *Geminiani* fert vestibulum: id in aureæ ædis aream cum ipso templo decurrit: duæ deinde porticus dextra lævaque usque fere ad auream ædem longe lateque spatiantem amplexantur aream. Imæ utrinque partes publice locantur, & cum his lævæ porticus superiora domicilia: dexteræ vero a Divi *Marci* procuratoribus inhabitantur. A *Geminiani* vesti-

ſtibulo illa profecta per pontes, & in ærarium vicum & alia ignobilia a tergo loca pervia eſt: ipſa cum area uſque in mercariam excurrit viam. Tum publica quædam ſine porticu ædificia ad *Baſſi* uſque veſtibulum protenduntur: quæ ſpatharium vicum & aquarium poſt ſe propinquo loco habent, ſed illa ſuperius dicta procuratoria porticus, & ipſa ſpatiantis areæ æmula, pergeret ad auream uſque ædem procurrere, vel potius in forum ipſum, cui magis contra reſpondet, niſi ſuperbiſſimæ turris occurſu comprimeretur. Eſt omnium illa quæ in urbe ſunt eminentiſſima, adeoque altis fundamentis nixa: ut pene plus operis latere credatur quam ad auras extet; ſummus apex adeo ſublimis, ut fulgor auri, quo illitus eſt, ad ducenta ſtadia ex alto navigantibus, velut ſaluberrimum quoddam occurrat ſidus; ſanctiora conclavia, in quibus pecuniæ & alia quoquo modo Divi *Marci* procuratoribus adminiſtranda diligenter aſſervantur: feſtiva facie turri accubant: pervii fornices a ſumma porticu ad pium Divi *Marci* tranſmittunt hoſpitium. In aditu magnum conclave, ubi publico decreto his annis literarium eſt Gymnaſium conſtitutum; hinc poſtea egreſſis ad meridiem explicatur area; quæ & ipſa duabus cohibetur porticibus, forenſi ad ortum, ad occidentem ſolem tabernaria. Hæc a fronte paniceas tabernulas habet, intus ſuperiore parte meritoria hoſpitia: infra cauponulæ multæ, cum ſellariolis popinis; in ſumma porticu janua ingens quæ ad nummariam ducit officinam. Hic aſſidue vis ingens auri & argenti cuditur: opificum ingens numerus; mox hinc alterum hæret macellum cum piſcario foro, & tabernis pleriſque ſellariolis nummariæ officinæ contiguis. Poſt piſcarium forum ſequitur & cæparium: terram novam eam loci intercapedinem veteres dixere. Ædificia illi impoſita, ubi nunc publica ſunt horrea, olim carceris uſum præbuere; conſtat ibi *Genuenſes Clodiæ* captos in vinculis olim habitos. Ripa a veteribus cloacis, quæ hodie non ſunt uſque ad palearium pontem, tum cymbæ plurimæ, tum majora navigia, partim oneraria, partim ad vectores excipiendos parata, die noctuque hærent: medio tractu introrſum in *Marciana* area, qua ad meridiem excurrit, geminæ columnæ præſtanti forma prominent; mira in illis ſpectatur proceritas: in hoc epiſtylio Divi *Marci* ſimulachrum ea forma, qua alatum imitatur leonem, in illo *Theodori* martyris intenta haſta draconi incubantis: in utriuſque numinis tutela civitas ad hunc diem manſit: in martyris olim, nunc in Divi *Marci* eſt. In ipſo intercolumnio ſontes capitali afficiuntur ſupplicio.

Reliquum eſt, ut de Ducario ipſo & aurea æde dicatur: quorum ingens rerum apparatus, ſi a nobis accuratius explicetur, tertium explebit libellum, nec adhuc rem plene proſecuti erimus: ſed brevitate verborum perſtringam, ut ea ſolum memorentur, quæ præcipue viſa fuerint admiratione digna. Tribus Ducarium ipſum patet lateribus: ad Aquilonem aureæ ædi accubat: qua Auſtrum & Zephyrum ſpectat, craſſioribus ſubnixum columnis, longiſſimas explicat porticus: quarum hæc publico prætenta eſt carceri, illa inſtitoribus magna ſui parte deſervit. Utroque latere eminentior porticus, his duabus impoſita, duplici columnarum ſerie ſuffulta: totaque in fori uſum aſſumitur: ampliſſima conclavia porticibus incubant: quorum hoc quod occidui eſt lateris publicandæ bibliothecæ fuerat deſtinatum: illud meridianæ oræ comitium habet, ubi totius ordinis ſuffragio magiſtratus creantur. Duplex hic armamentarium utrumque comitio contiguum, publicis armis refertum: ſub quorum altero XL. Viri civiles audiunt cauſas: reliquum latus, quod hodie ob novam inſtaurationem eſt pene dimidiatum, ſub veteri ſtructura vetuſtiſſimam *Nicolai* ædiculam habet, & tribunal, pro quo publici advocatores cauſas au-

A diunt; ſupra veteri inſtituto ſenatus habetur: reliquum, ubi vetus fiat principum ſedes, quæ medio *Ferrarienſis* belli tempore deflagravit, materia quidem nobili, ſed opere adhuc nobiliori ab imo ad faſtigium eſt nuper inſtauratum: Aureæ ædis forma, quæ eadem eſt & Divi *Marci*, crucis videtur mihi figuram exprimere: quemadmodum fuit in hiſtoriis a me demonſtratum. Et ut ab imis partibus ſuperbum apparatum ſcribere incipiam: pavimentum habet partim teſſellato diſtinctum opere, partim marmoreis tabulis, aliiſque non parvi pretii lapidibus munitum: in quibus (vix aliquis credat) ſemipedales B ſpectantur carchedonii. Ad aram maximam columnæ duæ alabaſtritæ lapidis: plures ad hæc circa aram maximam, & columnæ, & tabulæ, ex porphyrite & *Laconico* marmore: facies templi ad dimidium fere tabulis compacta eſt marmoreis: quicquid inde ad faſtigium tollitur, puriſſimo fulget auro. Altiſſimæ teſtudines, *Græcanici* operis, Divorum habent ſimulacra: quæ mœſta præſentia non plus venerationis ſpectantibus incutiunt, quam horroris. Veſtibulum cum exteriore facie eodem opere & materia præditum: ſed eo ſuperbiore aſpectu quo marmoreæ columnæ multiplici ſerie & a fronte, & a lateribus omnia convallant. In ipſis C laterum faſtigiis, crebriſque pinnaculis, marmoreæ Divorum ſtatuæ geniis colludentibus ordine impoſitæ: in veſtibuli ſupercilio quatuor ænei equi alacri ſtatu prominent: quod ſpectaculum non parum affert ornamenti opulentiſſimo alioqui templo. Plumbeæ tegulæ, ædem forum, & curiam operiunt: Divi *Marci* corpus occultiore conditum eſt ſacrario, ac omnino paucis noto. Ad aram maximam gemmata tabula inter publicos ſpectatur theſauros: Hæc ibidem ſemper: illud ſanctiore aſſervatur loco. Frequens hic clerus cum Antiſtite, quem primicerion vocant. Et hæc de ſitu & illuſtribus locis urbis. Nunc pauca in univerſum dicam. Omnium ſacrarum ædium, quæ tota urbe ſunt, aut quadrato la- D pide, aut teſſellato opere tabuliſque marmoreis ſubſtrata ſunt pavimenta: omnes circa aram maximam, & in veſtibulis peregrini habent lapidis columnas: pleræque aureas teſtudines, circa aras aureæ tabulæ, quas pallas vulgo nominant, Plebanicæ ædes, quæ ſingulæ ſingulis ſunt inſulis ſitæ; ſuum quælibet Antiſtitem eſt ſortita (plebanum hunc vocant) famulantem habet & clerum, a quo canonico ritu ſacra tranſiguntur, eaque ad organorum cantum. Hoc in Virginiis ipſis, hoc in cæteris ædibus ſacris collegium habentibus: ita ut ſine rubore affirmare poſſis hanc unam urbem in toto orbe ve- E re ſacrificulam hodie nominari poſſe & debere, atque ſacrorum cultu ceremoniaque ſolemni, nulli earum quæ in terris ſunt, poſthabendam. Tota ad hæc quacunque pedibus peragratur lateribus munita. Privatæ ædes domeſticatim puteos habent. Quæ aquis incubant, ripas ad navalem uſum, atria, porticus, veſtibula columnis *Dalmatici Hiſtricive* lapidis fulta: ſed intus hæc magis quam foris ſpectantur: ex eadem materia cœnacula, feneſtræ, parteſque ædium eminentiores; nulla ferme eſt recens domus, quæ non aurata habeat cu- F bicula: nec procul aberat, quin jam ædes pro tectorio eſſent aurum habituræ, niſi luxuriæ in dies validius incumbenti legibus itum eſſet obviam. Idem in muliebri cultu ſplendor: qui & ipſe paucis annis ſæpius eſt coërcitus. Nulla, invaleſcente luxuria, fuit tam mediocris fortunæ fœmina, quæ non in auro conſpiceretur: nulla quæ non aureos torques immenſi ponderis collo induceret; utrumque lege, ut dixi, ademptum. Quo factum eſt, ut jam omnis deliciarum impetus, in gemmarum & unionum oſtentationem incubuerit. Quum igitur ornatiores in publicum exeunt, quicquid a medio ſur-

sursum est, gemmis & grandioribus splendet margaritis. Virorum cultus in urbe civilior, quam foris; a pueris, vestibus ad pedes demissis utuntur, atque ipsis plurimum nigris. Violaceus color satis frequens, sed cocceus adhuc frequentior. Æqualis utpote in libera civitate habitus: permissum cuique colore, amictu, veste, qua volet uti; quo fit, ut nullum inter ordines primo aspectu appareat discrimen. Capillus vulgo flavus, ac fluidus, ita ut adhuc juvenes plerique calvi fiant: color candidus: statura magis procera quam brevis: tacitus incessus, ac curiosus: sermo gravis, & demissus, & qui plus

A gratiæ sibi vendicet, si aliqua sit ex parte adulteratus. Patriciorum studia, aut in Republica administranda, aut in negociatione sita: philosophiam nonnulli attingunt, quidam etiam eloquentiæ studia: ac facilis in utroque profectus, quo apparet totius gentis ingenia, non minus ad liberalium artium cultum capessendum, quam ad id, quod curant, natura comparata. Medius ordo mercaturæ, & opificiis vacat: vulgus remigia explet. Victus omnibus magis nitidus, quam sumptuosus: parsimonia, & lege, & natura quæsita, in cæteris moderatur.

B

LIBER TERTIUS.



Itus urbis, viæ, templa, areæ, rivi, pontes, omniaque ædificia, publica & privata, & cum his civium cultus, & mores sic habent: nunc de suburbanis dicam locis. Quæ narratio eo erit, ut spero jucundior: quo & magis varia, majoreque vetustate referta. Cæterum littoris natura (rara alioqui visu, ac nescio an usquam alibi terrarum mirabilius operata) gratiam afferet non mediocrem residuæ huic instituti operis lucubrationi. Habet (ut breviter dicam) *Veneta* littorum ora, quæ ab ostio *Padi* maxime in Aquilonem verso initium sumens, ad *Gradatas* usque aquas, quæ *Aquilejæ* in fluctu præjacent, littore plurifariam abrupto percurrit, marinos fluctus in placidissimi stagni speciem conceptos: qui æstu pelagi in vada adacti, passimque fluminibus occursantes, novum quoddam exhibent naturæ certamen: nunc terra sibi quicquid id est, nunc aquis vendicantibus; & quod magis adhuc mirari possis, sedet interim amœnissimum littus perpetui certaminis arbiter: quin auctior potius, hinc pluribus fluviorum ostiis maris æstum in stagna transmittens, inde admisso procul a se terram distinens: & ipsum totum pene cultum, & ut intra se cætera colantur, ab omni maris injuria suo objectu defendit. Quo fit, ut alibi vineta, horti: alibi salinæ, piscationes, templa, turres, ædificia publica & privata, effusa toto stagno existant. Et quum aquæ omnia intra littus obtineant: imperat tamen aquis humanus cultus. Sed quantumcunque alternantis naturæ id spatium est, quod objectu littorum diximus his finibus contineri, *Longobardicis* temporibus fuit priscis *Venetis*, ex regione, quam longe lateque in terra *Italia* ad id tempus habuerant, reliquum: fuerant antiquæ *Venetiæ* fines (quod in historiis monstravimus) *Abdua*, *Alpes*, *Padus*, & *Adriatici* littoris ora *Aquilejam* usque: sed barbaricis armis, ex omni continentis ora *Veneti* depulsi, ex fœdere hos, ut dixi, sunt fines sortiti: id totum suburbanæ regioni damus: cujus explicatio, ut magis sit perspicua, eam in x. partes, & quasi regiones dividemus, quas in fronte ipsa fluviorum ostia præscribunt, intra littus ad internos suos in stagna exitus ipsi amnium meatus. Dabit itaque *Eridanus* fluviorum (ut poeta ait) rex, institutæ narrationi exordium. Is boreali suo ostio cum *Athesi*, qui *Tridentinis* montibus ortus, *Veronæque* infusus, in *Adriam* evolvitur, primam constituet regionem. *Plinius* hunc *Padi* fluvium carbonarias nominavit fossas, quas hodie fornaces dicunt. Suspicari libet, aut antiquam ostiorum rationem omnino mutatam: aut *Plinium* non omnia vidisse, quum non *Padi*, sed *Athesis* ostium, recentes accolæ fossiones vocent. Extrema regionis ora inculta, utpote ab urbe ad 400 ferme distans stadia: nec circa littus omnino palustris, sed densa virgulta solum frutectaque, & arbores admodum raræ vestiunt. Intra *Lauretum*, a littore tria millia passuum, *Vitalis Phaledri* principis opus, ut plures annales habent, *Adrianorum* clade insigne. *Adrienses* his locis a *Venetis* ingenti prælio victi opes & celebritatem omnem in perpetuum amisere. Pervia præter

C oppidum ex *Athesi* in *Padum* navigatio, extremo rivo, secus *Athesim*, turris cognomento nova: sed facie pervetusta, supra vastæ paludes, & in his antiquæ ædis vestigia, quæ divo *Andreæ* fuit olim sacra, nunc prophana omnia; inde ad caput aggeris nihil memoria dignum; sedet locus extrema *Athesis* ripa, ubi fluvialis agger sumit initium: ita ut hinc non aliunde nomen loco factum suspicari possis. Extrema regionis linea a *Pado* producta, per paludes a tergo in extremos oppidi fines decurrit, centum quadraginta stadia mari procul relicto; nullibi regio latius patet. Nobilior quæ sequitur, fossionibus & *Brundulo*, quem *Athesis* & *Bacchilionis* scissiones

D faciunt, comprehensa, incultum, qua fossiones spectat littus, eademque pene facies, quæ & primæ regionis. Nihil ea parte memoria dignum, præter *Georgii* ædem, *Athesinæ* ripæ accubantem, palustrique vastitate interjecta in eadem ripa *Lazari* fanum. Qua ex *Athesi Bebias* rectis aquis navigatur, sedet *Bebiana* turris fluvio, qui postea ad *Brundulum* emittit, contigua: omnia supra infraque paludibus, modicisque pascuis insessa; hinc namque *Athesis*, suarum aquarum impatiens, sese in eas non uno loco exonerat: inde *Bacchilionis* scissio (quam audio ab locorum accolis *Brentonem* vocari) cuncta inundatione complent, locaque obiter inaccessa faciunt. Toto

E hoc palustri ferme tractu, qui longissime mari recedit, præter *Bebianas* molas, infra *Athesinarum* corrivationem & *Brentonis* confluentem sitas, nihil quod opus sit cognoscere reperio: circa littus qua *Clodiam* spectat, vineta passim & horti terram obtinent. Proximum *Veneti* portum *Clodiaco* bello *Genuensibus* interceptis occlusere; his littoribus pertinacissimi illi duorum populorum conatus pluribus hæsere mensibus, hostibus in apertum abire nolentibus: terram *Venetis*, & mare illis pertinaciter inhibentibus, sed illa in historiis latius. Sequitur regio humano cultu omnium, de quibus dicere orsi sumus, memoratissima, *Brundulo*, & *Bacchilionis* ostio in-

F terjecta, in hac *Clodia* sita. Quærente me quandoque a proximis locorum accolis, compertumne haberent, unde *Brundulum* id ostium diceretur, negabant se habere quod respondere possent; sed quum ex illis cognovissem *Brentonem* vocari partem illam *Bacchilionis*, quæ *Athesinis* aquis congressa id ostium faceret: non absurda est visa conjectatio, *Brundulum* existimare a recentioribus dictum, quod veteres *Brentulum* dixissent; nomen a *Brentone* fluvio: ut manifeste apparet ductum. Sed id non ita tra-

dimus, ut non liberam aliis de ea re conjecturam relinquamus. In fronte portui obversa *Michaelis* ædes, atque inibi turris vestigia, quæ *Genuensi* bello *Venetis* tormentis concussa repente concidit: nec sine hostium clade. *Chinatius Taurisinus* auctor est *Petrum Aurium*, cum quo *Ligusticæ* vires circa *Clodiam* conciderunt, improvisa hujus turris ruina oppressum; nec procul inde introrsum in stagno *Blasii* fanum: nunc vestigia vix extant. *Clodiaco* bello, *Veneti* hoc quoque loco internas *Liguri* aquas vallo obstruxere adhibita navium statione; nullo circa *Clodiam* loco magis utrinque est laboratum. Quicquid soli inter mare & paludes, à *Brundulo* ad oppidum patet, miro hominum studio colitur: olitorii horti, interjectis vitibus, frugiferisque arboribus, longe lateque insulam obtinent; uliginosum solum accolarum ingenio magis quam locorum natura ferax: foveis aggeribusque arcent aquarum alluvionem. Cæterum incredibilis inde vis omnium olerum, omniumque hortensium herbarum *Venetias* convehitur: adeo ut in urbe rerum omnium alioqui ob assidua negotia opulentissima, nulla sit uberior annona: casæ palustri calamo ac cæmentitiæ quædam sparsim omnibus prædiis visuntur: quæ ibidem operantium arguunt sedulitatem. *Clodia* undique interius aquis alluitur; auctores quidam eam ab *Atestanis* & *Silicensibus*, qui *Hunnicis* temporibus in stagna ex continentis ora profugerant, conditam prodidere: quod in historiis aperte diximus. Sed veterum scriptorum plerisque, qui tempora illa pluribus ætatibus præcessere, fossæ *Clodiæ* meminerunt. Bifariam olim culta, & circa littus, quam parvam nominavere *Clodiam* (ea *Genuensi* bello intercidit) & hic ubi hodie urbs duorum millium passuum circuitu sedet incolumis; pervius utrinque usus fuit ponte stadiorum quatuor aquis imposito: cujus vestigia nunc quoque mediis visuntur aquis: tam frequens olim utrobique cultus: ut *Gerardus Roseus* publicus *Clodiensium* scriba, homo spectatæ fidei, qui longissimos mecum de locorum ratione trahere solebat sermones, in municipalibus monumentis legisse se affirmaret, utraque *Clodia* censeri olim solita hominum omnis promiscue sexus & ætatis capita quindecim millia, quum hodie VII. non amplius censeantur. Ambiunt illam undique canales, navigabilisque rivus mediam intersecat; ædes in ea sacræ x. & in his Virginis una cum Antistite & Clero. Extra ad meridiem *Francisci* fanum post *Genuense* bellum instauratum, & *Johannis Baptistæ* alterum stadia quatuor ab urbe. Circa portum, qui aversa parte est, quem *Bacchilio* amnis facit, turris aquis incubans: eam lupæ ab initio nominatam certe constat: sed causam non reperio. Multis velut canaliculis, & quasi occultioribus semitis circumjecta oppido navigantur stagna: & in his salinæ interjectæ. Nec procul his memorabilis fossa illa, quam paucissimis horis *Franciscus Carrarius* irrequieto opere, ut *Clodiæ* laborantibus subveniret, *Ligustico* bello effodit. Stagna supra hæc loca late discurrunt creberrimis vallis (sic enim spatia quædam harundineo vallo septa *Veneti* vocant) ad piscationes quæsita. Medio ferme tractu turris, *Nasariola*, a proximis *Nasarioli* aquis scinditur, ut dixi, circa conchas. *Bacchilio*, qui supra *Vincentiam* ad *Gennas* villas ortus, perque *Patavinum* agrum lapsus, paludibus immergitur: inde post scissionem altera ex parte in *Athesim*. Miror *Plinium* ex *Patavinis* agris tantum fluere dixisse. Ea pars quæ dextera *Athesim* versus abit, supra eam turrim iterum scinditur in partes duas: quarum hanc *Nasariolum* vocant, illam *Brentonem*. His plane locis recentioris *Venetiæ* fines maxime acclinant: adeo, ut nusquam fere suburbana regio minus pateat. Panditur quarta regio a *Bacchilionis* ostio ad *Medoaci* portum, omnia intra littus aquæ sibi vendicant: nec

A præter vetustæ ædis ruinas quæ scopulo, *Bacchilionis* alveo propinquo, circa portus visuntur (Divo *Marco* sacram fuisse memorant) & salinarum turrim, quod unum *Clodiaco* bello præsidium, totis stagnis *Veneto* est retentum, nihil relatu dignum occurrit; est turris ipsa non multum infra *Bacchilionis* inflexum, qua regionis fines præcipue contrahi docuimus. Littus ipsum in stagna obversum (facies dico interior) passim humano splendescit cultu, ejusque ratio *Clodiaco* perquam similis vici plures ordine, olim oppida *Philistina*: nunc corrupto nomine *Pelestrinam* vocant. Duæ adhuc sacræ ædes, & cum
B his paucissima ædificia: ipsa *Genuensi* bello intercidit; olim frequentius habitata, & quo *Veneti* annuum mittere magistratum solebant. *Corregium*, *Pastina*, *Albiola*, quæ & ipsa *Ligusticis* temporibus coli desiit. Hæc loca prisci *Veneti*, e continentis ora dejecti, ab initio tenuere, ubi *Albiola* fuit: sola nunc ædes visitur, atque ea principi apostolorum sacra. *Medoaci*, seu, ut alii scribunt, *Methoaci* portus, a nostris *Mathemauci* dicitur. Huc licet *Medoacus* fluat: adjuvat tamen aquarum vim non mediocriter *Siochus* ex *Patavino* & ipse agro stagnis infusus: sed *Medoaco* congressus ad littus nomen non perfert. Ex eo æstimare æquum est factum esse in *Patavinis* fi-
C nibus non ignobili oppido nomen; quod indoctum vulgus *Sacci* plebem nominant: quum *Siochi* potius sit dicendum. Hic est portus ille, quem victor *Ligur* post *Clodiæ* expugnationem valida classe insedit: quem non multo post metu, ne a tergo circumveniretur, trepide reliquit; hoc quoque littus illud, unde aliquot ante ætatibus solverat moles illa verius quam ratis *Gallicis* armis instructa: qua soluta tam insignis est ab hoste clades accepta, ut proximis aquis, quemadmodum suo dicetur loco, nomen dederit. Oritur *Medoacus* ipse in *Alpibus*, ad decimum ferme lapidem a *Tridento*, ignobili lacu. *Plinius* duos *Medoacos* celebrat, quorum hic *Edro-*
D *nem*, cujus proxime memini, faciat: ille circa *Fossam Clodiam*, celebri portu *Adriæ* infundatur; hinc puto esse, quod duplicem etiam *Brentam* recentiores fecere, novam quidem unam, veterem alteram & ab urbe magis *Auram* sequitur, quæ verissime omnium, quas diximus, suburbana appellari potest: quippe quæ urbem ipsam aliqua ex parte contingat. Duo ea in ora portus perscribunt, *Medoaci* proxime regionis confinium, & qui *Venetus* dicitur. Vetustissimus *Medoaci* alveus is videtur mihi esse, quem hodie *Brentam* vocant: *Strabo*, auctor gravissimus a mari inquit (quum de *Patavio* interim lo-
E queretur) sursum habet navigationem fluvio per paludes. CCL. a magno portu stadiis; portus ipse eodem quo fluvius nomine *Medoacus* vocatur. Quibus verbis nemo non aperte intelligit, *Medoacum* eum esse, quem hodie *Brentam* vocant; quo magis miror ausos esse ex recentioribus quosdam, fluvium ipsum *Timavum* appellare, *Virgiliano* credo carmine adducti, quo *Timavus Patavio* proximus videtur significari. Sed quemadmodum in libris de *Aquilejæ* vetustate docuimus, in *Carnorum* ora ultra *Aquilejam* scatet *Timavus*: sic enim proximi accolæ ejus fontes appellant. Sic ædes sacra fontibus propinqua, a *Timavo* cognominata est. *Plinius* in *Atinate*, in-
F quit, campo, fluvius mersus post 20 millia passuum exit: & in *Aquilejensi Timavus*. Nec debet quempiam *Martialis* carmen diversum trahere, qui *Euganeum* vocat *Timavum*: quando idem alibi eum *Aquilejæ* fecerit accolam: Et tu *Ledæo*, inquit, felix *Aquileja Timavo*; hoc credo fuit, quod quidam duplicem *Timavum* celebrare sunt ausi: sed de *Patavino* gravem nullum habent auctorem præter *Martialem*, & *Lucanum*, quorum uterque ad *Virgilianum* carmen alludunt. Id siquis altius rimetur, aliud quiddam diversum a *Timavo* demonstrari intelliget;

sed

ſed de *Medoaco* hactenus; qui proximo etiam oppido nomen dedit. Priſci *Veneti* id condidere: ac tam frequenter olim cultum, ut Ducaria illic ſedes quandoque fuerit. Anno inde ab urbe condita circiter ſeptingenteſimo, incendio prius, inde maris alluvione intercidit. Eſt nunc recens aliud, nec multum loco diſtans, undique aquis & opere munitum, cum annuo magiſtratu: & introrſum contra littus *Popilia* ab his, qui poſt *Tradonici* principis cædem ducarium occuparunt non quia ipſi paricidii auctores eſſent: ſed quum ultores potius videri voluiſſent, hi priuſquam in æquum deſcenderent, pacti dicuntur, ut eam inſulam acciperent incolendam. Quidam annales habent relegationem eam B fuiſſe, non pactionem. Deſiit & ipſa *Genuenſi* bello habitari; nunc præter ædem unam ſacram & mercenarium tugurium omni alioqui cultu deſerta eſt. Hæc contra *Medoacum*: a tergo autem *Leonardi* fanum portui propinquum reſpiciunt, canalem orphanum (ſic a memorabili *Gallorum* cæde, ut credere par eſt, nominatum) medium amplectuntur; mox eodem quo *Medoacum* littore almi ſpiritus ædes: conventus frequens, perſpicuus & pene recens apparatus. Religio ingens, ſed quam initiatorum vita; quam pia hoſpitalitas etiamnum majorem faciat: pari pene ſpatio clemens (*Petri Gatiloſi* opus) & ara, & pium hoſpitium aræ contiguum: a tergo in ora Lazaretum vetus, in ſpeciem parvi oppidi commu- C nitum. Huc ab initio, qui peſtilentia in urbe languere occepiſſent, ad contagia tollenda deferri conſuevere: nunc altero ad hunc uſum publice quæſito, non niſi morbo defuncti eo deferuntur; quos utique placuit, non prius urbem ingredi, quam non morbi tantum: ſed cœli quoque gravioris omnem excuſſam arbitrarentur offenſam. Multa in orbem utrobique cubicula, ſuppellex, & quæ in tali diſcrimine deſiderari poſſunt, publice parata: quo præſidio civitas peſtilentibus annis, ſupra quam dici poſſit, levatur contagione. Inibi *Lazari* fanum: diſcretoque cœnobio elephanticorum cætus: ſuburbanus portus, regionis confinium: & in oſtio geminæ turres, utrinque aquis incubantes, tam hæc, D quam illa præſidio tenentur; lumina inde noctu nautarum curſum ex alto dirigunt. Introrſum citeriore ripa *Nicolai* cognomento littorei ædes (eam *Dominicus Contarenus* princeps ſtatuiſſe dicitur) conventus multa religione. Viſuntur adhuc his locis veſtigia muri *Clodienſi* bello ad ſubitos hoſtium incurſus arcendos mira (ut in hiſtoriis tradidimus) celeritate confecti; inde ad *Georgii* aram, quæ contra comitium ſita eſt, nihil circa alveum relatu dignum. Ejus loci in urbanarum rerum relatione meminimus. A *Georgio* ad gratiarum aram retro aquæ ad duo ſtadia navigantur; ara Virgini ſacra eſt, conventus & religio multa, ædificiorum apparatus ingens, hortique amœniſſimi circumjecti. Hinc præter *Judaicam* navigantibus, Angeli ſeſe offert virginium: & ipſum *Contareni* jam dicti opus. Pari inde intercapedine, *Georgii* cognomento *Algani* ſolennis conventus: auctor loci & religionis *Petrus Juſtinianus*. Poſt *Alganum*, officina leuca: qua gravi machina cymbæ ex ſtagno in *Medoacum*, ſeu *Brentam* tranſvehuntur; ad lævam ſupra amnis deflexum, locis minus ſtagno obnoxiis, *Hilarii* turris: nec procul inde *Curanella*: & in finibus ſupra ignobilem confluentem, quæ Curania dicitur; ubi cum *Patavinis*, ob finium ambiguitatem, eſt quandoque armis diſceptatum. Et hæc de quinta regione. Sextam, quæ urbi adverſa parte contigua eſt, ſuburbanus portus, quem vetus *Medoaci* fluvius effecit, & *Silis* oſtia continent: oſtia ipſa trinos portus vulgo nominant; nulla regio incolatu frequentior. Et ut ab littore (quod in cæteris referendis adhuc fecimus) ſumatur exordium. Geminarum turrium

A altera pene in fronte tollitur: de ejus uſu in proxima regione, tota colitur, medioque fere tractu *Eraſmi* portus ignobilis, ac citra ultraque raræ prædiis ipſis caſæ interjectæ. Intra a littore Lazaretum novum; uſus triſtis, ſed frons loci lætiſſima: omnia hic majore ſumptu, quam in veteri illo comparata. Interior, & magis alveo propinqua *Andreæ* fanum: *Carthuſinus* conventus neſcias majorne ſit loci religio, an amœnitas. Viſitur hic *Urſati Juſtiniani* ex Pario marmore ſepulchrum, affabre cælatum templum ab imo hodie inſtauratum, nobiliorum lapidum apparatu pene incredibili. Subjecta eſt oculis nuper mihi, & *Antonio Cronio* ſcribæ, tanta inibi ejuſmodi lapidum copia, in præſentem uſum quæſita, ut vix dimidium *Italiæ* tantundem habere crederetur; & quod magis omnino miretur aliquis varius in illis, & numeroſus color: *Laconici* hic lapidis æmulus, ille *Sinadici*, aut *Thaſii*, alii *Numidicum*, alii *Auguſteum* imitantur: nonnulli etiam ophitem (& alia pleraque genera a veteribus longe celebrata) & ne exoticam materiam arbitretur quiſquam, indigenas lapides eos eſſe conſtitit, circaque *Alpes*, qua illæ in *Italiam* reſupinantur, temere a locorum incolis recentiſſime repertos. Quo ſubiit animum, potuiſſe *Romanos* veteres ex proximo ſibi quærere, ſi omnia vidiſſent: quæ laborioſe alioqui, quia procul *Italia* ab eis in ornanda urbe fuerunt acceſita. Sed ſunt illi fortaſſe molem & in peregrino lapide ſecuti: quam *Alpes*, ut ex iis, quæ vidimus, conjectare potui, præſtare nequiverunt. Vicinior aliquanto urbi *Helena*: & ipſa ſuo conventu celebris. *Chriſtophori* fanum urbi viciniſſimum: quippe quod ad quingentos nec amplius paſſus ab urbe diſtet, tantundem ad *Michaëlem Murianum*: is feſta fronte prætervectos excipit. Utrobique frequens conventus. *Murianum* inde vicus: ſed qui ædificiorum magnificentia, & amplitudine, urbs procul ſpectantibus appareat; longitudine ad mille paſſus patet: vitriariis officinis præcipue illuſtratur; præclarum inventum; primo oſtendit vitrum poſſe cryſtalli candorem mentiri: mox, ut procacia ſunt hominum ingenia, & ad aliquid inventis addendum non inertia, in mille varios colores, innumeraſque formas, cœperunt materiam inflectere: hinc calices, phialæ, canthari, lebetes, cadi, candelabra, omnis generis animalia, cornua, ſegmenta, monilia: hinc omnes humanæ deliciæ: hinc quicquid poteſt mortalium oculos oblectare, & quod vix vita auſa eſſet ſperare; nullum eſt pretioſi lapidis genus, quod non ſit vitriaria induſtria imitata. Suave hominis & natura certamen. Quid quod & murina E hinc tibi vaſa ſunt: niſi pro ſenſu ſit pretium. Age vero cui primo venit in mentem brevi pila includere omnia florum genera, quibus vernantia veſtiuntur prata; atqui omnium gentium hæc oculis maritima ſubjecere negotia: ut quæ nemo alioqui credibilia putaſſet, jam nimio uſu vileſcere occeperint, nec in una domo, aut familia novitium hæſit inventum: magna ex parte vicus hujuſmodi fervet officinis. Ædes in eo ſacræ duodecim: & in his plebanicæ duæ, duo virginia, conventuſque unus. *Altino* profugi locum condidere: perſuaſumque vulgo eſt, quod quidam etiam annales habent, a portarum F nominibus, quæ *Altini* fuiſſent *Murianum*, & alia illi circumjecta loca, mox ordine referenda, nomen accepiſſe. Hinc ſolventibus, intra mille paſſus, *Jacobi* fanum, cognomento paluſtris, celebri conventu occurrit: atque deinde medio ſtagno alterum carioſa facie, olim *Nicolao* ſacrum: profanum hodie, omnique cultu deſertum. *Majorbium* quatuor & 20. à *Muriano* ſtadia: & ut paribus auſpiciis conditum, ita longitudine, & forma pene pari. Ædes in eo ſacræ ſeptem; *Buranum* ad quingentos paſſus dextrum ſe offert in *Carnorum* oram na-

navigantibus, quatuor hinc templa, & ex his plebanicum unum, celebri conventu alterum. Sed *Torcellum* quod medium ab his qui in *Carnos* tendunt, cursum eremigatur, longe omnium celeberrimum. Etenim præterquam quod magnitudine sua nulli est eorum, quæ diximus, posthabendum: Pontificiam etiamnum habet sedem, per *Paulum Altinatem* Pontificem eo translatam; quo ferme tempore cum omni sacrorum cerimonia *Medoacum Patavinus* migravit Antistes; sedis utrobique figendæ *Severinus Romanus* Pontifex factus est auctor. Constat primarium *Torcelli* vicum a *Constantino Heraclii* Imperatoris filio, qui ubi locus frequentius inhabitari cœpisset, eo forte appulisset *Constantiacum* appellatum. Post Pontificiam ædem, quinque aliæ ibi sacræ & in his cum virginio una. Supra hæc loca ad continentis oram late funditur stagnum, suntque circa flumina, & rivorum ora in stagnum rumpentia. Loca insignia converso ordine dicenda: *Ciconia*, *Tessara*, *Severi fanum*, *Martini fanum* cognomento *Stratensis*, *Margaria* vicus. *Juliani* fanum, & in stagno *Secundi* fanum cum virginio, urbi ad octo stadia proximum; regioque omnium suburbanarum nobilissima sic habet. Septimam præscribunt *Trini* portus, & *Plavis* fluminis ostium. Miror tam celebris hodie fluminis nomen apud veteres auctores nusquam, quod sciam, celebrari; nisi hunc suspicari liceat eum esse, quem *Plinius Anaxum* in *Venetis* appellat; quamquam idem auctor eum circa *Aquilejam* statuit: quod præsenti opinioni repugnat. Sed quocunque est nomine vocandus, in *Alpibus* oritur, mediusque inter *Feltrum Bellunumque* lapsus, vorticoso gurgite per confragosas valles agitur: nec prius mitescit, quam in apertos evasit campos; quamquam sic quoque citatiore cursu inter *Trinos* portus, & *Liquentiam* ad mare defertur. In ora regionis accolarum domicilia perquam pauca, atque idem fere cultus, qui & aliarum: sed ea potissimum parte qua *Trinos* portus spectat: intra vero circa *Silis* alveum *Adriani* virginium, contra *Torcellum* situm: mox circa rivum, quem majorem accolæ appellant vetusta turris, cum templo magna ex parte diruto. Omnia circumjecta loca situ & domorum ruinis squalent: manifesto argumento, frequentissimi olim cultus. Sed *Gallicis Pannonicisque* temporibus, priscis *Venetis* inde bellorum injuria, depulsis, loca incoli desiisse. Hac quoque parte stagna late regionem obtinent, pascuis aliqua ex parte interjectis. A turri, cujus proxime meminimus, fossa stadiorum XL. humano opere ad *Plavem* usque citro ultroque frequens navigatur: & in fluminis ripa turris, quæ *Caliginis* nuncupatur, & pauca circa illam ædificia. Hinc secundo alveo in octavam trajicitur regionem. Eam duo grandia flumina *Plavis* & *Liquentia* amplectuntur; oritur *Liquentia* in *Carnorum* finibus, haud longe a *Pulcinico* tribus uberrimis fontibus, qui (ut in *Carnorum* chorographia scripsimus) ex *Bellunensi* agro subterraneo meatu fluere creduntur: sed locorum accolæ, quibus id persuasum est, argumento nullo evidentiori id probant. Hæc regio, ut minus aquis infessa, eo humano cultui habilior; sed sic quoque parum læta occurrit fronte: præter rara in littore domicilia, cætera solitudinis plena. Prata paludesque vastæ objacent littori: nec solum ipsum ullis vestitur arboribus; quod ipsum, adhuc magis insigne facit densissimum nemus, mari medio regionis tractu accubans, vel ex alto *Hadriam* navigantibus conspicuum *Galeolam* a triremis forma vocant. Interius aquæ a flumine ad flumen navigantur: canalis duorum sibi occurrentium lemborum capax; in fronte circa flumen meritorium hospitium: in cujus conspectu ruinæ ingentes, & grandia ædificiorum vestigia, quæ a veprium & hederarum complexu, sese magis sua ma-

A gnitudine quam humano auxilio adhuc vindicant. *Jesulum* nunc vocant: sed *Equilium* olim circa illa loca fuit, ab his, qui *Longobardicis* temporibus in *Heraclia*, ob nimiam frequentiam recipi nequivere, conditum, & ipsum priscorum *Venetorum* opus. *Opitergio* a *Rothari Longobardorum* rege everso, populariter inde cum *Magno* Antistite in stagna est concessum, ibique in *Heraclii* Imperatoris gratiam, urbem, quam condiderant, *Heracliam* nominarunt: unde profuga multitudo eodem tempore exclusa, *Equilium* ædificare coacta est. Utrinque *Gallico* tumultu, quum ea quoque parte *Venetæ* opes ab B hoste premerentur, in *Rivum altum*, & *Medoacum* est migratum: sic utraque civitas desolata. Scio ego *Heracliam* quandoque instaurari contigisse, ac mutato nomine novam civitatem nuncupatam: sed hodie ne vestigia quidem ulla, præterquam sacræ unius ædis extant; cætera navigatio oblonga fossa, prius humano opere facta: mox spatioso alveo. *Largonem* a rei argumento vocant; habet navigatio stadia supra centum XL. In tanta locorum vastitate, *Culicina* turris *Largoni* incubat: & in *Liquentiæ* ripa meritorium hospitium, & vix parva ædes *Margaritæ* sacra. Nonam regionem *Liquentiæ*, & *Limenis* ostia constituunt; oritur (quando de *Liquentia* abunde C diximus) & ipse *Limen* in *Carnorum* ora: mox medium portum *Gruarium* intersecans (cui loco nomen etiam dedisse videri potest) *Concordiamque* præstringens, circa *Caprulas* mari infunditur. Præter piscatorias casas, secus mare nihil memoria dignum: & in *Liquentiæ* flexu *Abrianum* hospitium; mox stagna paludibus interjecta *Caprulas* usque. Eam urbem *Concordia* profugi condidere, sub id tempus, quo *Attila Hunnorum* rex *Aquilejam* evertit; procedente deinde tempore, subita barbarorum manus, ex *Illyrico* profecta fœde populata est, *Tradonici* principatu. Hodie infrequentissime colitur; restat tamen Pontificia ædes cum Clero. Visuntur passim circumjectis stagnis veterum ædificiorum vesti- D gia, perspicuum veteris fortunæ argumentum: & ad *Limenis* in stagna exitum, meritorium hospitium. Sed id ad decimam regionem attinet, quæ recentioris *Venetiæ* novissima fuit. Eam *Limen* jam dictus, & *Gradus* insula (alii *Gradatas* vocant aquas) constituunt; sed in hac referenda, non portuum, non fluviorum (qui utique non pauci sunt numero) sed dicendarum rerum ratio habenda: quum nudum littus nil habeat, præter rara piscatorum domicilia: intraque paludes, aut pascua modicis interjecta canalibus, quibus internæ frequentantur aquæ. Por- E tus igitur, & ostia in hunc modum habent. Post *Limenis* ostium *Lignanæ* portus sive Basilicæ *Tiliaventi* ostium. *Plinius* duplex *Tiliaventum* nominat: sed unum agnoscitur, qui in *Alpibus* oritur, ut in *Carnorum* chorographia scripsimus. *Maurum* montem vocant, in quo fontes habet; post *Tiliaventi* ostium *Lignani* portus nobilissimus, quem *Stela* fluvius efficit. Oritur is in *Carnorum* campis, magnaque ex parte palustrium aquarum corrivationibus conflatur. *Alsæ* fluminis ostium, *Amphoræ* ostium, *Natissæ* ostium, qui *Aquilejam* intersecat (*Plinius Natisonem* vocat: sed *Natison* in eodem terræ tra- F ctu, ut in vetustate *Aquilejæ* ostendimus diversus agnoscitur) *Gradus* regionis confinium. Eam *Aquileja*, *Hunnicis* armis ejecti, tenuere: quo omnis sacrorum pompa cum Patriarchica migravit sede. Ea res gravium discordiarum materia inter utriusque Ecclesiæ Antistites extitit. Sed *Gradensis* illa procedente tempore *Venetias* est translata, fortuna loci variis casibus concussa: utpote *Aquilejensi* Ecclesiæ, unde fluxerat invisa, & ob vicinitatem magis injuriæ obnoxia; nec vicina inde arma tantum: sed & barbara sæpius *Veneti* arcuere. Verum nos non ad hæc scribenda venimus. Colitur hodie pro ve-

veteri fortuna omnino infrequenter: superest religio adhuc aliqua, ob ædem in ea virgini sacram. His olim finibus se tenuit *Venetorum* fortuna *Hunnicis Longobardicis*que armis ex ea terra, quam bellica virtute prisci *Veneti* suam multis ante ætatibus fecerant, depulsa: cujus oræ, ut magis perspicue pateat mensura operæ pretium est cognoscere, quantum inter se distent ipsa fluviorum ostia. Atque retro littore remenso a *Gradatis* aquis ad *Natissæ* ostium stadia XL. ad *Lignani* portum CXL. ad *Tiliaventi* ostium XL. ad *Basilicas* plus duplo: ad *Limenis* ostium XL. ad *Liquentiæ* ostium tantundem: ad *Plavim* quatuor & quadraginta supra centum: ad *Trinos* portus C. quatuor: inde ad *Venetum* portum XL. ad *Medoaci* portum sex & nonaginta: ad *Clodiæ* portum CXX. inde *Brundulum* duo & XXX. ad *Fossiones* sex & quinquaginta: hinc ad primum *Padi* ostium, alterum oræ confinium, tantundem; quæ ratio colligit ad mille & quinquaginta octo stadia. Quæ siquis ad passuum numerum redigat centum triginta millia passuum & amplius aliquid, omnem suburbanam oram patere constabit; quo magis miror *Blondum Foroliviensem* in sua *Italia* a *Laureto* gradum, octoginta, nec amplius, millia passuum collegisse. Sed nos hæc ab iis qui quotidie citro ultroque oram ipsam navigant diligenter explorata tradimus. Amplitudo varia. In fronte circa *Padum* &

A *Caput aggeris*, qua longissime a mari fines recedunt, ad centum quadraginta patet stadia: inde paulatim se coarctans ad *Conclias* & *Bacchilionis* inflexum, linea acclinat. Scandit inde rursus pari pene fastigio supra *Curaniam* turrim; sic toto tractu gaudet amplitudinem variare. Hæc felix illa ora, in qua *Romano* inclinante imperio suum ultro fortuna condidit caput; quæ hodie terra marique omnibus gentibus frequenti cultu celebratur: cujus imperium, modicis, ut cætera, principiis ortum, ab *Abdua* in *Pamphilium* & *Syrium* usque mare est hodie propagatum: eoque melioribus usa fatis, quod libertas, in qua urbs nata est, semper genti incolumis mansit, perpetuoque duratura, si res humanæ hæ essent,
B quæ hominum consiliis perpetuo stare possent: siquidem nullus unquam populus (quod bona aliorum venia sit dictum) sanctioribus vixit institutis, nulli gentium sic jura æquata. Accedit ad hæc regionis situs, qui is est, ut neque maris sit fluctibus obnoxius, unde major aliquis timeri possit incursus, neque ullis terrarum conatibus: sed incerta locorum natura, & quasi divina providentia inter duo elementa suspensa, quorum neutri fas sit eam sibi ex toto vendicare. Quæ alternantis naturæ ratio, & cœlum ipsum salubrius efficit, & accolarum otia ab omni humana tuetur injuria.

FINIS.

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI DE VENETIS MAGISTRATIBUS, *LIBER.*

INCLYTO VENETIARUM PRINCIPI, AUGUSTINO BARBADICO, MARCUS ANTONIUS COCCIUS SABELLICUS, Sal.



Ene ac feliciter tuæ urbi evenit, jucundissime Princeps, quod his paucis annis in te & fratre tuo viro omnium, qui unquam fuerunt, prudentia & pietate, summo, sit illa pene idem experta, quod de Castore *&* Polluce *vetus est* Græcia *fabulata, fuisse Deorum munere inter sidera relatos, atque alterno ortu omnibus esse gentibus quam saluberrimos: tam me hercule salutaris, nec minus tuus tuique fratris principatus,* Veneto *nomini contigit. Jam enim ille continuo, ubi ex adepta dignitate rempublicam adiit, quasi novum aliquod sidus publicæ fortunæ affulsisset, incredibilem secum rerum omnium ubertatem & lætitiam traxit. Pax vero & otia, quæ per manus acceperat, ut sanctius certiusque manerent, incredibili moderatione effecit. Veteris pestilentiæ vestigia adhuc civibus residua, difficile dictu est majorene providentia sustulerit, an religione, ita ut verissime dici possit, nulli unquam Principum, qui a prima origine urbis ad id tempus fuere, felicius quam illi rempublicam administrare contigisse. Sed quo omnibus optatior fuit illa regiminis forma, eo certe brevior: quippe quem ne annum quidem implere potuisset. Sed quo minus defuncti desiderium sequeretur, tuus felicissimus Principatus, qui illum continuo exceperat, procul dubio effecit. Tentavit tamen invida fortuna florentissimum civitatis statum subito bellorum motu labefactare: sed quam temere res aliunde mota est, tam profecto celeriter & majestate publica incolumi & imperio aucto, ea es solicitudine liberatus. Cætera cum amplissimis animi virtutibus, tum felicitate tua tam prospere fluxere, ut nemo sit, qui non rempublicam ipsam, teque beatissimum putet, cui præterquam quod ex successu illo fraternæ administrationis nihil mutatum vides, pleraque etiam in melius aucta, longior tibi vita quam illi contigerit: quo factum sit, ut & pluribus prodesse possis, & urbem ipsam operum magnificentia, omnique rerum apparatu in dies ornatiorem inspicias, longeque opulentiore. Sed quum multa & magna commoda, ex sapientissima administratione tua, sint ad hunc diem in publicum profecta, haud quaquam minora illis in futurum exspectantur, & in his Ducariæ bibliothecæ publicatio nobis totiens promissa; opus omnium, quæ te principe aut incohari aliquando, aut confici potuerint, maxime*

xime inclytum, & unde spes certissima sit tibi immortalitatis exspectanda. Sed tantisper dum te ad id opus accinxeris, perlege, Princeps jucundissime, libellum hunc, quem de Venetis magistratibus tibi inscripsimus: ex eoque & vetustatem illorum, & *originem recognosce & cum his originum causas. Erit lectio ipsa, ut spero, tibi non injucunda: quum propter alia multa, tum quia ex ea perspicue intelliges, in quam moderata, recteque instituta civitate, eminentissimi ordinis consensu, summam sis dignitatem adeptus, gaudebisque non aliter tecum, quam prægrandis alicujus navis rector, quam etsi medio pelago omnia ad opportunos casus videt tempestive disposita, plus tamen fiduciæ ex ipso trahit nautarum ministerio, quum singulos in officio esse intelligit. Verum quocunque nostram hanc lucubrationem animo accipies, ego, quasi operæ pretium fuerit id facere, remque Serenitati tuæ non ingratam exhibuerim, pergam jam hinc aliud majorum vigiliarum opus cudere, cui si quandoque extremam manum imposuero, tuo, inclyte Princeps, unde rite sumpsit exordium, non alterius nomine, in apertum referam. Vale.*



CCERSEBAR ego sæpissime, quum *Veronæ* essem, ad magistratuum præsentiam. Erant tum ibi *Sebastianus Badovarius*, & *Benedictus Trivisanus*, hic urbis præfectus, ille prætor. Administrabantque hi ambo tanto animorum consensu rempublicam in ea urbe, ut cum duo essent, diversaque & re & nomine obirent munera, magistratus tamen unus, unumque munus geri videretur. Cum iis igitur longum sæpe antiquarum rerum sermonem & in primis earum gentium, quæ imperio quandoque potitæ essent, non invitus trahebam. Sed quum res *Romanas* illis præter modum extollere videremur, haud ultra id *Badovarius* passus, amice quidem nos, ut semper alias, intuitus: Ecquid est hoc, inquit *Sabellice?* Admirarisne tu ita eam rempublicam quam *Romani* tui olim habuere, ut in aliis quæ antea fuerunt, quæque hodie sunt, nihil vera laude dignum reperias? Ego ut *Atheniensium* rempublicam omittam, quam idcirco præclare institutam fuisse arbitror, quia primarium quoddam sapientiæ domicilium ea urbs diutissime habita est: ut item *Thebanos* & *Lacedæmonios*, qui ut armorum gloria sunt a *Romanis* victi, ita civilibus fortasse institutis longe præcessere: De nobis loquar. Audesne tu, vir amicissime, affirmare, majores nostros, qui hanc Rempublicam tam accurate fundatam nobis reliquerunt, minus cordis, quam veteres illos tuos *Quirites* habuisse? cognosce quæso prius, quæ sit nostræ civitatis forma, quæ regiminis ratio: ac tum, si videbitur, vetera illa, & in primis quæ *Romanorum* fuere, quod sponte facis, non solum suspicito, sed ut illi *Tarpejum Jovem*, venerare. Ad ea vehementer ego cupere me dixi, ex ipso, aut alio cognoscere, & quæ ea esset *Venetæ* civitatis institutio, quam adhuc utpote peregrinus homo, non satis perspicue tenerem, ac si per otium liceret, ut pergeret rem breviter narrare, rogare occepi: quandoquidem non mihi solum, sed ut pro eis quoque qui aderant, desponderem, id futurum omnibus esse gratissimum. Tum ille: Ego, quia vacat, inquit, & vos, ut dicis, cognoscere id cupitis, istuc tibi & aliis libens, *Sabellice* præstabo. Sed quia non omnes, ut sapiens poëta inquit, omnia possumus, *Trivisani* nostri ad id operam requiro, qui, si qua mihi in tanta rerum serie exciderint, ut est urbanarum rerum non ignarus, brevi admonitione non patiatur me aliquid silentio præterire. Quod quum ille, ut verecundo erat ingenio, remissiore pollicitus esset assensu, tum indicto omnibus silentio, in hunc modum est *Badovarius* exorsus.

De Civitatis Ordinibus.

Duo, quemadmodum vos plane scire arbitror, sunt hodie nostræ civitatis ordines, Patricius, & quem honestiore appellatione, popularem dici placuit. Suffragia totiusque rei summa penes eum hodie sunt, qui fortuna, consilio & dignitate semper præstitit. Quod ipsum, non qua ratione contigerit, sed quam feliciter sit comparatum, quærendum puto. Hæc (A) est *Aristocratia* illa, quam divinus *Plato* nunquam satis laudatam credidit, qua liberæ civitates, amplissimi populi semper floruere, ut hodie hic noster: his namque auspiciis *Venetum* imperium, quod late hodie terra marique patet, non solum est auctum, sed perpetua etiam ordinum concordia, nullos sævientis fortunæ reformidat impetus. Nulla in musicis harmonia tam sibi ex omni parte respondet, quam nostræ civitatis diligens administratio, quæ cujusmodi sit, jam hinc, si vacat, cognoscite.

De Comitiis sive supremo Concilio.

Comitia quibus omnes urbis magistratus creantur, patricii omnino sunt ordinis: sed ut patriciæ solum (B) gentis, non ita tamen omnis ætatis: quippe quum ante legitimos annos, nulli permissum sit suffragii causa comitium intrare, sorte aut prærogativa, aut quod omnium supremum est, ætate ad eam dignitatem patet accessus.

De prima, eorum qui suffragia ineunt, Electione.

Pridie nonas Decembris patricii sanguinis adolescentes, qui octavum supra decimum attigere annum, ad populi advocatores adducti, ætateque sub gravi testimonio confessa (per parentes ipsos, aut propinquorum aliquem id fiat necesse est) quodque ingenue sit procreatus, constare oportet: singuli dare jubentur nomina, quæ mox in urnam conje- (C) cta, sorte educuntur, ac quo quisque loco primus secundusve exierit, ad alteram accersitur urnam: in ea tot aureæ pilæ conditæ sunt, ut quintum productorum expleant numerum (tot concilio solent quotannis ascribi) reliquæ omnes argenteæ: tum vero qui ex eo numero auream eduxerint, comitiis adjiciuntur, ac biennio post, quum ad vicesimum vitæ annum ventum fuerit, libere suffragari incipiunt, prius vero lege prohibentur.

De altera suffragantium Electione.

Verum ne non semper virtuti locus ad dignitatem relinqueretur, alia certe via relicta est iis, qui sorte excluduntur, qua ingressi, eo multi præmatura gravitate redeunt, unde sorte fuerant dejecti. (D) Si qui autem inter æquales, ingenio & probitate præstare creduntur, suffragio lecti circa judicum tribunalia esse jubentur, parvique interim advocati nuncupantur: atque ita anno circumacto (quo temporis spatio aliquid certe inter assiduas causarum actiones profecisse creduntur) ad suffragia (constet modo ætas) admittuntur. Eorum extrema conditio, qui neque sorte, neque prærogativa ulla adjuti, quinto & vicesimo ætatis anno quasi matura jam ætate comitiis intersunt. Patet & peregrinis hominibus nonnunquam ad hanc dignitatem accessus, si ob recens aliquod suum, aut majorum in Rempu- (E) blicam meritum sint non civitate solum, sed patricia etiam dignitate donati.

De Comitiorum Moderatione.

His rationibus supremum nostræ urbis conflatur concilium, cujus cogendi, Principi & primoribus patrum, qui in maximis rebus consultandis illi assident, jus est: octavo quoque die, atque interdum sæpius, ad campani æris signum, in amplissimum conclave omnis patritius ordo suffragaturus intrat: locum ipsum, quia omnis eo coëat nobilitas, a re ipsa a te & aliis quibusdam, *Sabellice*, comitium

ap-

appellari audio: hic leges sanciuntur, urbani peregrinique magistratus creantur: hinc imperia, hinc præturæ, hinc denique amplissimum quodque reipublicæ, velut ex primario quodam fonte, manare solet beneficium. Sed quo majora ibi negotia tractantur, eo attentius ex veteri instituto cavetur, ne quis in ferendis suffragiis adsit dolus. Mox ubi pulsari desiit, quibus non licet illic esse per viatores exclusis, comitii ostia clauduntur.

De creandorum Magistratuum Ratione.

Hic Principe ingentique magistratuum corona præsidente, scribarum maximus editiore loco pronunciat, qui eo die magistratus sint creandi: tum vero prius quam ineantur suffragia, ex populi advocatoribus unus, ac decemviris qui tum sit collegii caput, in Principis verba jurati, pro amplitudine magistratus & potestate quam gerunt, nihil contra leges patriumque morem præsentibus comitiis fieri passuros, duos comitii angulos a Principis tribunali maxime aversos occupant, quibus, omnia tacitis oculis lustrantibus, non minor reverentia, qui extrema tenent subsellia, incessit, quam eos qui propinquiore loco Duci & magistratibus consederunt.

De prima in Comitiis Sortitione.

Habet comitium, velut olim augurale templum a regionibus mundi insignibusve locis, quaque versum obsignata latera, ut quota hæc vel illa sorte ducta sint, inde primum patricii ad urnas vocentur: hi quia bini ad suffragia mittuntur, ex geminis urnis argenteas educunt pilas, & cum his aureas, eo videlicet charactere notatas, quo præsenti die Principi, & his qui comitiis præsident, ne qua fraus fieret, inscribi placuit. Tum si quis auream eduxerit, is primo domesticos & agnatos omnes sua sorte præsenti illius diei suffragio privat: inde jussus ex tertia quadam urna, quæ media inter utramque est, sortiri: si argenteam eduxerit, in ordinem redactus se tacitum ad subsellia recipit: si forte auream, tum eminentiore loco ante ducarium tribunal locatur: atque ita fit, donec lectorum sit numerus expletus, tum novem illi, tot enim sunt numero, in aliena verba jurati, eorum se potissimum rationem habituros, quos publico beneficio maxime dignos judicarint, in proximum conclave concedunt: at quia alii magistratus alia sortitione creantur, etenim maximi quique, ut nullus ambientibus ad fraudem relinquatur locus, quaterno creantur lectorum ordine. Alii vero, ut sunt inter se gradu inferiores, ita paucioribus indigent ordinibus: hinc est, ut in majoribus illis quaterni, ut dixi, creentur, cum in aliis longe sint pauciores. Ea igitur sortis ratione, quam in uno ostendimus, ducti, proxima subeunt conclavia: evenitque, ut quot lectorum ordines ad magistratum creandum in secretum concesserint, tot ex conclavibus ipsis depromantur competitores, interdum etiam ex pluribus unus.

De secunda Sortitione.

Hujusmodi ordinibus in sua conclavia abeuntibus, ut quisque maximus est natu, ita primum sortitur locum: mox ubi alii ordine consederunt, pilas sortiuntur pro dignitate magistratuum eo die creandorum insignitas: si plures noven creandi sint, duplicem ducunt: si pauciores, quasdam inanes & sine nota sortiuntur: quo evenire solet, ut in plurimorum creatione nonnulli duos, diversorum tamen magistratuum, dent competitores: in paucioribus creandis e collegio aliqui nullum, quia inanem utique pilam sortiti sint. Illud quoque sæpe accidit, ut qui minimus natu est, is in maximo det magistratu competitorem: qui vero longe ætate antecedat, aut postremum, aut nullum: fors enim in eo dominatur. Is igitur, cujus jus erit competitores in primario magistratu legendi, in

A primum transgressus locum, quem vult nominat: eum plures e collegio probent necesse est: sex enim rite probant: si minus, alium nominat, atque deinde alium, donec omnium unus fuerit probatus. Sic reliqui, suum quisque pari ratione in eo quo debet magistratu, parat competitorem: hic evenit (quando in reliquis id quoque servatur) ut maximorum magistratuum ex quaternis conclavibus quaterno ordine depromantur competitores, in minoribus vero omnino pauciores: quippe qui tot esse possunt, quot ad eorum quemlibet creandum fuerint noveni ordines, sorte ducti.

B *De Suffragiorum Ratione.*

His in hunc modum per conclavia paratis, competitorum nomina ordine notata, ad conspectum principis, & eorum qui comitiis præsunt, deferuntur: tum eorum si quis reipublicæ, aut ærarius fuerit (nam super ea re diligens adhibetur quæstio) aut si non sextus adhuc sit actus mensis, ex quo peregrino magistratu abiit: si cognatorum aliquis tum in ea urbe præturam gerat, nulla ipsius ratio habetur in comitiis: reliqui, ut suo quisque depromptus est loco, alta voce pronunciantur. Domestici & agnati omnes ejus, pro quo ineuntur suffragia, comitio abesse jubentur: inde C pro primo primi magistratus competitore citantur suffragia, mox pro eo qui ex secundo fuerat conclavi depromptus. Sic ordine pro reliquis. Duo ex scribarum numero ad hoc ipsum constituti, suffragia toto comitio duabus colligunt urnis: alba una assensus indice, rubra altera negationis; his undique lectis, ad eorum conspectum quibus id negotium est datum ambo reversi, singulorum suffragia numerantur: ac tum demum ille cui plures ultra dimidium fuerint suffragati, pro recepto habetur: id ferme in aliis servatur, nisi quod competitorum, ut docuimus, in illis variatur numerus.

De Ambitus Animadversione.

D His patrius creandorum magistratuum mos, hæc lex est: verum ne quid in ea re ambitu peccetur, diligenter, ut antea docuimus, magistratus quidam advertunt, ac priusquam comitia solvantur, attente cognoscunt, ambiveritne quempiam is qui præturam magistratumve alium est adeptus: ac si quid in ea re fuerit compertum animadversione dignum, comitiis adhuc tenentibus, publici advocatores rem severissime cognoscunt, atque eum ipsum in quem inquisitum sit, reum ambitus agunt. Solutis comitiis nulla intenti criminis habetur amplius ratio.

De Consulatu, vetustissimo urbis Magistratu.

E Princeps autem civitatis majore quodam suffragiorum ambitu creatur, de quo præsenti loco dicerem, nisi vetustissimi quidam nostræ urbis magistratus occurrerent: qui etsi jam inde ab ipso exordio urbis, aut certe nondum civitatis viribus firmatis exolevere: ut tamen plane intelligi possit, quibus auspiciis res *Veneta* non solum sit orta, sed aucta etiam, ab illis rite ordiemur. Exordium ipsum vel auspicatissimum dabit consulatus omnium, si *Bonitendio* scribæ, qui de origine urbis scripsit, fidem habemus, civitatis nostræ magistratuum vetustissimus. Is nascentem urbem consulari potestate ad- F ministratam, videtur innuere, fuisseque eum magistratum in biennium creatum: sed in re tam vetusta parum liquere potest, quibus illos auspiciis creari contigerit, nec quatenus ea potestas se in cives extenderit. Illud vero conspectione dignum, ab ea regiminis forma, qua *Romanus* populus CC. ac quadragesimo circiter suæ conditionis anno, primum libertatem delibasse dicatur, ab eadem illa nostra civitas suam inchoaverit infantiam.

De Tribunis insularibus.

Fuitque in nova urbe magistratus ille usque ad

Attilæ adventum, quo ſane tempore *Hunnicis* armis circa littora vagantibus, major mortalium concurſus in inſulas factus dicitur, cœperuntque omnia in ſtagnis paſſim inhabitari. Decretum eſt, ut in ſingulis inſulis ſinguli tribuni crearentur, qui annua poteſtate ſuis popularibus jus dicerent, ſeveraque animadverſione ſcelera vindicarent. Cætera quæ ad reipublicæ ſtatum attinerent, frequentiſſimo inſulanorum conventu conſultanda reliquere. Quidam anno ab urbe condita circiter ſexageſimo, eam regiminis formam aliquanto, videlicet poſt *Attilæ* acceſſum, receptam affirmant: in eo omnibus convenire video CCXXX. & amplius annos rempublicam in inſulis tribunitia poteſtate adminiſtratam.

De Principis Creatione.

Verum quia nihilo felicior is magiſtratus noſtræ urbi futurus videbatur, quam olim *Romano* populo fuiſſet: cœperant illi omnia ſua diſcordia turbare: adduxiſſentque fortaſſis libertatem ipſam in diſcrimen, niſi illorum temeritati mature itum eſſet obviam. Novum in civitate Principem inſulani *Heraclienſi* conventu crearunt, penes quem omne imperii decus, majeſtatemque eſſe voluerunt. Qui vocandi quotiens viſum eſſet, concilii jus haberet, crearetque annuos in inſulis Tribunos, a quibus ad ſe eſſet provocatio. *Paulutius Heraclienſis* homo inclytæ ea tempeſtate juſtitiæ, primus omnium Dux declaratus, anno ab urbe condita, ut quidam* tradunt, octogeſimo ſecundo, ac ducentiſſimo: ut alii, ſupra ducenteſimum ſeptimo atque nonageſimo.

De Ducariæ Electionis Variatione.

Sed in eo creando haudquaquam hanc ſuffragandi rationem, quam hodie ſervari videmus, initam contenderim: verum aliam quandam longe ſimpliciorem ab initio uſurpatam: quippe quum nullus adhuc in tam proba civitate eſſet ambitus, nulla honorum affectatio: cui quamplurimi ſuffragati fuerant, is civitatis Princeps declarabatur, tenuitque ſimplex illa ſuffragiorum ratio ad *Vitalis* uſque *Michaëlis* declarationem. *Sebaſtianus* cognomento *Cianus* qui illi ſucceſſit, undecim virorum ſuffragio, quos quatuor & triginta ad hoc ipſum ſorte creati ſuffragio legerant, Dux declaratus dicitur: is ſupremo ſui regiminis anno autor extitit quatuor virorum ducariis comitiis creandorum, qui quadraginta viros legerent: quorum arbitrio futuri Principes crearentur. *Aurius Maſtropetrus*, ac quatuor inde Duces ſecundum id decretum ſummam ſunt dignitatem adepti. Unus & quadraginta, *Marinum Maurocenum* ſucceſſorem legere. Noviſſime in *Laurentii Tepuli* creatione, diverſam omnino rationem, ac longe cautiorem initam manifeſte conſtat. Sed qualis ea ſit, *Triviſanus* noſter, qui ducariis comitiis ſæpius interfuit, melius niſi illi grave eſt, vobis explicabit. Ipſe interim paululum me colligam ad ea, quæ poſtea dicenda ſunt promptius explicanda. Tum ille, quando ita tibi *Badovari* viſum eſt debere me laborem hunc omnino tecum ſortiri, haud gravate iſtud tibi & aliis præſtabo, ac cum his in hunc modum memini eum exorſum.

De Ducariis Comitiis.

Omnium, inquit, primum quum Ducaria inſtant comitia, quinque viri ſuffragio creantur, qui futuro Principi quaſi novas quaſdam præſcribunt leges, eas ſupremum concilium ſciat neceſſe eſt, ac quas ſciverit, probet. Si probaverit, tum comitia iis patricii generis indicuntur, qui triceſimum ſint tranſgreſſi annum. Hic primo triginta viri ſorte creantur. Ex his novem ſortito remanent. Qui remanſere, quadraginta viros ſuffragio legunt. Hi vero ad ſortes revocati duodecim aureas ſortiuntur pilas: qui eas adepti ſunt, quinque & viginti viros creant. Horum novem ſorte potiores, quinque & quadra-

A ginta privo ſuffragio legunt: ex hoc numero undecim auream pilam ſortiti, unum & quadraginta viros creant futuri Principis lectores.

De Principis Electione.

Hi vero in ea parte curiæ clauſi, ubi ſenatus ferme quotidie habetur, ſub primum ingreſſum tres totius collegii Principes, & quaſi ſuffragiorum moderatores creant viros autoritate præcipua & ætate ſummos, quos ipſi inter ſe priores vocant. Tum a divinis orſi adactique in aliena verba jurare, habituros ſe in primis in novo Principe creando, reipublicæ rationem: tribus illis rei gerendæ præfectis pro tribunali ſedentibus, alii alia occupant ſubſellia: inde ad ſuffragium ordine vocati, ſinguli complicatos libellos manibus habentes, quibus nominatim exprimunt, quem quiſque privo ſuffragio deſtinet principem: ad illorum trium conſpectum eos deferunt, hiſque in urnam conjectis, ſubſellia repetunt. Hic duo ex collegio viri nihil ambiguæ fidei ſcribarum munere functi, diligenter perſpiciunt, quot cuique ſint quæſita ſuffragia, atque illorum nomina in urnam conjecta ſorte educuntur, ac quo inde ordine unumquodque fuerit eductum, ita primo alterove loco cum ſuis notatur ſuffragiis. Sed hæc omnia non tam ad Principis creationem attinent, quam ad animorum diſpoſitionem percipiendam. Redactis itaque in ordinem nominibus, ac diligenter in urna quadam confuſis: tum pro eo cujus nomen prius fuerit ſorte eductum, petitur. Ipſo interim in proximum conclave ablegato priuſquam ſuffragia ineantur, fit unicuique poteſtas libere, quid de eo ſentiat, loquendi. Tum ſi quid fuerit illi objectum, quapropter appareat non expedire reipublicæ Principem creatum iri: ex ſecretiore loco in medium accerſitus quanto accuratius poteſt, objecta diluit crimina: ubi vero id præſtitit, in ſecretum ſe recipit, ac quotiens aliquid objicitur, velut reus in medium producitur: tum noviſſime pro eo petitur, pilas certis characteribus inſcriptas, nequa fraus ineſſe poſſit, in duas urnas aſſenſus, ac negationis indices, ſinguli demittunt, numeranturque diligenter. Si quinque & viginti ſuffragatoriæ fuerint repertæ, Princeps is eſt pro quo quæſita erunt ſuffragia: ſi pauciores, pro eo petitur, cujus nomen fuerat ſecundo loco ſorte ductum: ſi huic quoque non omnia conſtabunt, ad tertium venitur: inde ad quartum & alios, donec nova Principis declaratio ſequatur. At non eo inficias poſſe evenire, ut eum numerum quem dixi, ſuffragia non expleant: quod quia accidere poteſt, ſatis habet qui ſuffragiorum dimidium tranſgreſſus, aut primus ſi paria fuerint ſuffragia, aut propius ad præſcriptum numerum acceſſerit. Hæc ſunt quæ de Principis creatione habui: nunc prætor noſter pergat ſi placet, inſtitutam ſequi narrationem. Quem ille excipiens, diligenter, inquit, *Triviſanus* hæc, ut cætera: verum ad reliquos magiſtratus, haud prius tranſeundum cenſeo, quam illud admonuero: quemadmodum ab initio non eam, qua nunc utimur, adhibitam creando Principi formam, ita ne hunc quidem quo hodie dignitas illa inſtruitur, apparatum fuiſſe, contenderim. Nam præter capitis inſigne, & alia pauca, quæ cum ea dignitate nata videri poſſunt, argenteæ tubæ, umbella, pulvini, auratus enſis: alia inſignia, quæ ſolenni pompa illum præcedunt, omnino recentiora eſſe conſtat. Ea poteſtas ſatis quidem ampla, ſed publicæ libertati minime formidoloſa.

De Conſiliariis & ſupremo Collegio.

Aſſident hodie illi ſex grandiores natu ex primoribus patrum, qui ex ſenis regionibus urbis (Sexteria vulgo appellant) ex ſingulis ſinguli creantur: octimeſtre id munus: verum quia non omnes uno tempore leguntur, ſi unus creandus ſit, duos com-

competitores dat supremum concilium: tertium suo nomine senatus, atque ex tribus competitoribus in hunc modum diverse comparatis, is collegio ascribitur, qui in comitiis fuerit suffragio probatus. Sæpe evenire solet, quod vix quisquam futurum sperasset, ut is quem senatus dedit, superior in suffragiis reperiatur. Hi quia in consulendo & decernendo frequentes principi assistunt, ab re ipsa consiliarii sunt nominati: estque is magistratus non recens, sed non multo post ducariam potestatem natus: quippe qui *Dominici* cognomento *Monecarii* principatu, qui post *Theodatum* & *Gallam* magisterio equitum successit, in republica esse cœperit. Constat enim ob præceps ingenium, duos illi annuos consiliarios datos, quos utique Tribunos ab initio dictos reperio: his absentibus nullum principi publicum curare licet negotium, non audire, non decernere, non publicas literas resignare: si quatuor eorum coiverint, vel eo absente negotium omne recte transigunt.

De ejusdem Collegii Potestate.

Sex illi in quibusdam cum principe decernunt, si quod decernunt æquo & bono decretum sit, ratum habetur: & hæc in privatis ferme causis, si quis hinc provocare volet, ad publicos advocatores provocet necesse est. Sed de advocatoria potestate paulo post. Cœterum pleraque publica autoritate transigunt, quæ omnia tum demum rata haberi solent, si senatus ea prius sciverit, & quæ sciverit, probaverit: alioquin, neque sancire illis quicquam, neque rescindere est permissum.

De Magistro Militum.

Et quia in militaris magisterii mentionem nuper incidimus, operæ preitum est referre priusquam ad alios transeamus, quæ magistratus illius creandi causa nostris olim majoribus fuisset. *Orleo* principe cognomento *Verso*, a suis popularibus *Heracliæ* cæso, fit is alter a *Paulutio* nostræ urbis princeps, vel ut plures ajunt, ab eo tertius: quum de novi Ducis creatione variari cœpissent sententiæ, placuit in aliquot annos eum magistratum e republica tolli, atque ejus loco alium interim surrogari. Communi igitur consensu *Dominicus Leo*, magister militum annua potestate est declaratus: cui nihil præter nomen ex Ducaria dignitate est ademptum. Sed anno quinto ab eo nondum acto *Fabritiano*, qui tum eo honore fungebatur, excæcato: cum miro Ducis desiderio teneretur civitas, magistratus ille e republica est sublatus.

De publicis Advocatoribus.

Dixi de magistro militum, nunc de publicis Advocatoribus dicam, qui tres numero eisdem creantur suffragiis, quibus & principis consiliarii: vetus magistratus, & ut quidam existimant *Aurio* principe institutus. Tribunitiæ *Romanorum* potestati in eo similis, quod magis intercessione pollet, quam potestate, aut judicatione: tueturque severissime civitatis jura, atque ob id sanctissimo cuique interesse licet concilio, reum capere sine Ducarii collegii permissu prohibetur: nec captum ultra triduum retinere, nisi quæstionis habendæ gratia id fecerit, atque id ipsum quadraginta virorum permissu. Cæterum causas & urbanas & peregrinas reorum provocatione, aut patrum decreto ad se delatas, ad quadraginta viros, quorum de criminibus est judicare, agunt, aut si libitum fuerit ad Ducarium collegium, quin & ad senatum sæpius: nonnunquam etiam & supremum ad discussionem rei sibi concilium deposcunt, cui rem velut universo ordini judicandam permittunt. Nullum sanctius in urbe concilium sine unius saltem ejus collegii interventu transigitur, ne decemvirale quidem, quod jure habetur omnium gravissimum.

A *De quadraginta virali Judicio.*

At locus admonet, ut de quadraginta virali judicio dicamus, in cujus mentionem proximo loco incidimus. Patet his non sorte aut suffragio, sed gradu ad eam dignitatem accessus, ut non multo post dicetur. Tres ipsi inter se præfectos in duos menses vicenosque dies suffragio creant: quos vulgo vocant quadraginta virorum capita: præsident illi non solum in iis quæ priva potestate transiguntur, sed si quando circa principem, consiliarii infrequentes coivere, rebus intersunt gerendis. Horum prætereа supplemento consuevit Ducarium collegium expleri. Eorum ab initio fuit tam civiles causas, quam
B crimina judicare, intererantque cognoscendis & judicandis rebus princeps, quique illi veteri instituto assident: mox vero aliis reipublicæ curis aversi *Marco Cornario* principe Ducarii collegii loco duo inferiores consiliarii (de his quoque suo loco dicetur) interesse cœperunt. Cum iis igitur & duobus illis concilii capitibus quadraginta viri de parricidiis, furto, aliisque criminibus judicant, tam integras hi causas, quam provocatione ad se delatas cognoscunt. Cognitas non libello, sed suffragio judicant, eas agunt, aut publici advocatores, aut maris continentisve oræ Syndici: sic enim provinciæ recognitores vocant; adsunt interdum & hi qui provocarunt, quorum quidam per se, alii per cau-
C sarum patronos rem rite agunt: adsunt & ii a quibus fuerat provocatum, quibus absentibus, nisi ipsi ita evenire velint, nihil mutari potest: tum causa citro ultroque jactata, aut quadraginta virali suffragio probatur, quod fuerat alibi judicatum, aut certe rescinditur: suffragandi ratio in iis ab ea quæ in comitiis servatur, aliquanto diversa. Tribus urnis non duabus suffragia leguntur, harum una damnat, absolvit altera, tertia neutrum præstat: hujus suffragia eorum sunt, quibus causa nondum perspecta est, quo accidit, ut quotiens tot ambigua reperiuntur, ut satis sint ad remorationem judicii, iterum
D causa agatur necesse est, atque ita fit, ut sæpe tertio priusquam ullum sequatur judicium, eandem causam agi contingat: tum vero nulla amplius ambiguitatis habetur ratio: hunc quoque triplicis urnæ usum in judiciis majores nostri a *Romanis* qui in tabellis id factitarunt, ut pleraque alia, accepisse videri possunt. De ejus magistratus ordine dicerem, ni viderem eos qui aliqua de vetustate urbis scripserunt, omnino diversa tradere.

De quadraginta virali civilium causarum Judicio.

Parem judicum numerum *Foscari* principatu civilium causarum cognitio in nostra est civitate ade-
E pta: hi octonis comitiis creati tres & ipsi collegii præfectos, sive capita in idem tempus, quod & illi de quibus proxime locuti sumus, sorte legunt: inde alios atque alios subsortiti octo menses civiles judicant causas, quibus exactis gradu per eam dignitatem ad aliam facto sine sorte, sine suffragio ullo: judicandorum criminum munus adeunt, alteriusque quadraginta viratus esse incipiunt. Horum igitur (de civilibus loquor) tam urbanas, quam peregrinas causas judicare est. Sed quæ trecentorum aureorum nummum summam excedant, veteribus novisve auditoribus eas pro collegio agentibus, his si ab externis magistratibus, illis vero si ab urbanis sit
F provocatum, tertia ad summum actione pari suffragiorum ratione, qua & in criminibus judicatur: ac fieri solet, ut ipsis inter se sententia diffidentibus, si res ad exitum aliter perduci nequeat, ex altero quadraginta viratu huic judices adhibeantur.

De inferioribus Consiliariis.

Illud quoque silentio non præteribo, esse consiliarios quosdam, quos inferiores vulgo appellant, non tam a dignitate, quam a loco ubi causas audire solent, ita nominatos. Hic XL. viralibus causis, quæ

quæ ad criminum cognitionem ſpectant: cum collegii præfectis primo cognoſcendis mox etiam judicandis præſident: ſunt hi qui aut majores nuper conſiliarii fuerunt, aut certe non multo poſt futuri ſunt.

De Decemviris.

Severiſſimus autem omnium noſtræ civitatis magiſtratuum decemviratus merito habetur, & ut virorum numero ei, qui olim *Romæ* fuit, ita terribili poteſtate pene par. Sed quo celebriores illi, quia legumlatores, hoc noſtri ſalubriores, qui latas mira ſeveritate tuentur. Uterque annuus magiſtratus, uterque ſine provocatione, ſed brevis ille citoque in perniciem verſus, hic ut ab initio ſemper reipublicæ ſalutaris. Mittam illos, de noſtris loquar. Qui, ut cæteri magiſtratus, majoribus comitiis creati, omnes imperii partes attentiſſima cura perſpiciunt: majeſtatis crimina, Cinædicam fœditatem, nummorum adulterationem, aliaque atrociora ſcelera ſevera vindicant animadverſione: nec reo licet per ſe, aut per patronum aliquem cauſam dicere, pro collegio aliquis exiſtat, oportet: qui rei cauſam quoquo modo agat. Quicquid ab iis judicatum fuerit, provocatione caret, ipſorum eſt non alterius, ſi quid ſtatuerint mutare: ſi id tale eſt, ut poſtea mutari poſſit, poterunt & illi qui anno circumacto eorum loco ſurrogati fuerint: hi quoque tres collegii principes quot menſibus ſibi in orbem legunt, quorum jus eſt octavo quoque die, ac ſæpius, ſi ita facto opus ſit, concilium vocare, quoſcunque ex primoribus collegiis viſum fuerit, concilio adhibere, ſi jure adhibuerint, principes & conſiliarii adſint, omnino oportet. Illud ſane in eo magiſtratu formidabile, quod illius judicia nullis extant literarum monumentis, ut quod ſemel judicatum ſit, nulla queat poteſtas reſcindere. Conſtat jam inde a *Petri Gradonici* principatu magiſtratum ipſum in civitate inſtitutum.

De Senatu ſive Rogatorum Concilio.

Nec Senatus illius quem *Quirites* tui, *Sabellice*, habuerunt, noſtrum Rogatorum concilium, ratione caret, ac neſcio an æquum ſit dicere, hoc in pleriſque ſanctius, quam illud inſtitutum. De hujus origine nihil habeo, quod omnino affirmem: non deſunt, qui quadraginta Viratui æquale faciant, ſatis conſtat ab initio ſexaginta creatos. *Laurentio* deinde *Celſo* rempublicam adminiſtrante, quinque & viginti ob *Cretenſium* defectionem aſcriptos: mox ob pacem cum *Pannonum* rege ſanciendam totidem. *Joannis Delphini* ducatu: dein ob *Patavium* bellum, ac poſtea alia atque alia de cauſa idem ſæpius factitatum: quoad res in morem tranſiit, ut quotannis viginti ſupplementi nomine Senatui adjicerentur. *Steno* autem duce quadraginta dari cœperunt. Noviſſime *Franciſci Foſcari* principatu priori numero viginti adhibitis par numerus ſupplementi nomine eſt ſenatui datus: ut jam inde præter alios magiſtratus, qui curiam cum illis ingrediuntur, centum & viginti Rogatorum numerum expleant. Notum eſt vobis, credo, quid de hoc nomine vulgus teneat: ideo id nomen ab initio factum, quia per viatores olim majores noſtri rogarentur, ut in curiam ad conſultandum de republica venirent: nec ignoro *Sabellice* quid tu in hanc ſententiam quandoque ſcripſeris, eſt is magiſtratus non perpetuus, ut apud *Romanos*, ſed annuus, nec una domo, aut familia, plus duobus huic ordini in ſupplementum aſcribuntur, alioqui tres adhiberi poſſunt. Omnia reipublicæ negotia ardua & eximia horum decreto ſanciuntur, pax, bellum, induciæ, fœdera, privilegia, prærogativæ: ex ipſo ſenatu velut ex primario quodam reipublicæ fonte manant. Majora negotia perpetuo ſilentio ſanciuntur. Capitale eſt, ſi quis volens ſecretum ullum curiæ retexerit, ejus bona publican-

A tur, nullum jusjurandum, nulla religio tanti habetur, quæ perpetuum id rumpere debeat ſilentium. Si quis in eo offenderit, decemviri cauſam cognoſcunt: cognitam inexorabili animadverſione, lege vindicant. Sunt & alia hujus ordinis decreta, ſed non ita ſilentio conſecrata, ſi Senatus cogendus eſt, viatores circa ſenatorum ædes miſſi, id nunciant, ſi pauciores ſeptuaginta coiverint, nihil decerni poteſt, ſed duplo frequentiores ferme ſemper adeſſe conſueverunt.

De Moderatione eorum, quæ in ſenatu aguntur.

Prius igitur quam patres in curiam vocentur, hi B quorum in ſenatu ſententiam dicere jus eſt (cæteri enim ſuffragio in alienam eunt ſententiam) inter ſe comparant, quid eo die potiſſimum ſit ad patres referendum: ſi omnibus convenerit quid maxime referri oporteat, ſcribarum unus totius collegii nomine pronunciat, quid ſit illud, quapropter in curiam ſint patres vocati: appellantque idipſum inter ſe partem: ſi vero prius quam res delata ſit, in ſenatum parum inter illos convenerit, quotquot fuerint, aut principis, aut aliorum ſententiæ, ordine notatæ ad patres in conſultationem deferuntur. Tum vero cuilibet ſenatorum, licet prius quam ſuffragia ineantur adverſus unam vel plures earum dicere, perſpicueque oſtendere: cur e re publica non ſit facere id C quod in conſultationem ſit allatum, aut docebit quid in eo mutari placeat: nec ii, qui ſententiam dicunt refellere ea quæ objecta ſint, prohibentur. Sic ſententiis citro ultroque jactatis, alterutrius autores ex tota curia legunt duabus urnis ſuffragia. Sequuntur hos ſcribæ cum totidem urnis aſſenſus & negationis indicibus, ſic quot prius dictæ fuerint in ſenatu ſententiæ ad unam omnes ſuo indigent ſuffragio. At ea quæ omnium maxime probata fuerit, quod ex ipſo ſuffragiorum colligitur numero, pro recepta habetur, ſenatuſque conſultum dicitur.

De majoribus ſapientibus, & his qui in ſenatu ſententiam dicunt.

D Et quia docui non omnium eſſe magiſtratuum ſententiam dicere, creat ne ignoret quiſquam ſenatus ipſe ſuo ſuffragio ſex ſibi viros, eos autem ſapientes majores vocant, nunc concilii præfectos. Quinque viri ad hæc, qui & ipſi bellorum, ſive continentis oræ ſapientes dicuntur. Atque ordinum totidem aliquanto ætate juniores: hi mane circa tertiam diei horam principi pro collegio ſequentes adſunt, tum peregrinis literis, aliiſque publicis negotiis inſpectis, in medium conſultant, quid potiſſimum opus ſit facto, ac ſi inter illos convenerit, quid decerni E oporteat, ſenatum accerſunt. Si variabunt ſententiæ, ſuam cuique, ut docuimus, licet frequenti curia celebrare, præter eos, quos ordinum ſapientes vocant: illis quæ ad rem maritimam attinent, curare fas eſt: deque his patres rogare ſententiam, ſupra hæc nil juris eſt illis permiſſum.

De Divi Marci Procuratoribus.

In his magiſtratibus omne ferme reipublicæ pondus reſidet, horum conſilio tota imperii agitatur moles: accedunt ad hos alii plerique, quorum adminiſtratio, etſi non adeo oneroſa, nihilo tamen eſt illis dignatione inferior. Sed omnium maxime Divi *Marci* procuratores dignitate pollent, & autoritate. Sunt hi quidem hodie novem numero, quum F ab initio unus tantum fuiſſet: quippe cui templi cura decreta eſſet. Verum poſt ampliſſimum *Ciani* principis legatum, quum ille duplici curæ impar eſſe crederetur, alter eſt ſuffragio creatus, ut hic ſacris theſauris, ille recentioris legati procurationi præeſſet. Mox vero ob legatorum multitudinem, *Rainero Zeno* principe tertius eſt collegio aſcriptus: ſicque comparatum, ut hic citra *Rivumaltum*, ille ultra legata procuraret, atque in hunc modum tres numero eſſe cœperunt: inde eodem *Zeno* adhuc rem-

A rempublicam administrante, quartus est additus, ac illi qui sacris thesauris præerat collega datus: inde *Joannis Superantii* ducatu, quum alia atque alia his essent negotia suborta, duo illis sunt adhibiti: novissime *Foscaro* principe tres alii collegio adscripti, qui hodie numerus tenet: sunt patricii ordinis omnes, & anteactæ vitæ laudibus, & ætate principes: quippe quorum nemo, nisi maximus natu, eam ferme dignitatem adipiscatur: comitiis & ii creantur, estque magistratus ipse eo dignior, quo & diuturnior: honor semel adeptus, cum vita finitur. Creatur ad hæc ex eo ferme ordine civitatis B princeps. Tres horum augustissimi urbis nostræ templi & sacrorum qui in eo sunt, thesaurorum curam habent. Tres alii legata trium regionum citra *Rivumaltum* cognoscunt. Hæredes ipsos testatoris voluntatem sequi, si opus sit, potestate compellunt: suæ fidei credita rite disponunt. Reliquis ultra aquas totidem regionibus idem procurant. Cui dederint, nullius est cognoscere, publicas ædes incolunt. Post principem & eos in quibus publica residet majestas, reliquos magistratus veteri instituto præcedunt. Sunt his scribæ, quorum opera ad hæc omnia rite transigenda utuntur.

De Scribarum Præfecto.

C At quando in Scribarum mentionem incidimus, non ab re fuerit referre, quam honoratum locum Scribarum maximus in curia sibi veteri instituto vendicet. Sedet is post eos qui in senatu sententiam dicunt, majoribusque comitiis, ut cæteri urbis magistratus creatur. Verum diversa conditione, ut quum illi annui sint, aut aliquanto breviores: ille honor non nisi cum vita hominis finiatur. Sunt & alii Scribæ Sapientum collegiis tributi, qui & ipsi curiam ingrediuntur: sed horum dignitas omnino inferior.

De tribus petitionum Judicibus.

D Sequuntur plerique alii magistratuum ordines, quorum munus quoniam pene totum forensi umbra consumitur, operæ pretium est cognoscere duplici causarum nostram civitatem uti foro, *Ducario* & *Rivoaltino*: est & patriarchicum tertium, in quo sacrarum rerum causæ aguntur: sed de hoc nihil in præsentia attinet dicere. Reliquorum Ducarium, quod & divi *Marci* dici potest, nobis curia egressis primo occurrit: in eo plures judicum ordines, atque omnium primi, qui petitionum dicuntur. Sunt hi tres numero in sexdecim menses comitiis creati. Magistratus omnino vetus, utpote jam inde a *Jacobi Tepuli* Ducatu institutus, atque ad id primo inductus, E ut urbanas peregrinasque hominum querelas, petitiones, quas ad id tempus princeps pro collegio audire consueverat, cognosceret, infraque centum libras priva potestate judicaret; supra vero absque Ducis Ducariique collegii autoritate nihil permissum: inde *Francisci Danduli* principatu recentiore decreto datum, ut in summa decuplo majore jus dicerent, ac civibus sibi caveri postulantibus, reum ambiguæ fidei sisterent, pignora caperent, captaque hastæ venalia subjicerent.

De quinque Viris Ordinum.

F Excidit mihi magistratus in nostra urbe non ignobilis, Sapientes, qui Ordinum dicuntur, quibus negotium datur triremes ad mercaturam ornandi, navigationum rationem, rerumque omnium maritimarum habere, ac pro potestate omnia mature expedire: adhibentur supremo collegio, neque quum senatus habetur, curia excluduntur: quin & sententiæ in senatu dicendæ in his quæ ad eorum munus attinent, jus habent.

De quinque Viris continentis oræ.

In hunc modum rei maritimæ majores nostri cautum voluerunt: nec ubi imperii fines intra continentem propagari cœperunt, eam reipublicæ partem suo magistratu carere voluerunt: sed *Taurisio* adepto confestim quinque Viri creati sunt, qui solicita attentione prospicerent, quæ ad illustrem urbem nuper imperio quæsitam viribus protegendam attinerent. Dictique ob id primum *Taurisii* sapientes. Mox vero finibus imperii longius propagatis, continentis oræ dici cœperunt.

De Examinatorum Judicibus.

Sunt præterea tres Examinatorum judices *Raineurio Dandulo* principe creati. Hi ex eo quod ipsorum sit testium peregre proficiscentium, aut vita quoquo modo periclitantium (modo cujuspiam intersit) dicta cognoscere, cognitaque sanctiore loco asservare, nomen traxere. Coemptiones ad hæc venditionesque an rite fiant diligenter prospiciunt, ac cognitas, si quid dolo malo actum sit, potestate retractant. De pignoribus eadem cognitio: deque supremis voluntatibus, si testamento non appareant: & hæc utroque foro, mane in *Ducario*, vesperi *Rivoaltino* transigunt.

De peregrinis Judicibus.

Verum enimvero ne tantum civibus consultum videretur, *Aureo* principe peregrini, & ipsi suum in nostra urbe tribunal habere cœperunt. Tres judices eorum causas audiunt, tam si inter eos, quam si cum civium aliquo rei aliquid vertatur. Hi quoque æquo & bono judicant: si quid inter locatorem & inquilinum de pensione aut locationibus controversiæ oriatur, eorum est cognitio. De naulis etiam navigiorum omnium præter quam triremium jus dicunt.

De mobilium Judicibus.

Proximo his loco tres mobilium judices civium causas audiunt. Sed quæ selibram auri non excedant, olim in summa triplo majore lege judicarunt: ac solum (unde nomen magistratui datum) in mobilibus testamento legatis, quod judicium *Francisci Danduli* ducatu a peregrinis judicibus fuerat ad hos translatum: mox vero *Celso* principe, ad selibram auri eorum judicatio est retracta: hi quoque, ut plerique alii, nunc æquo & bono, nunc lege judicant.

De Curiæ Judicibus.

Et quia negotiorum varietas effecit, ut ii penes quos essent judicia in suspicionem venire possent, si litigator aut reus, eorum quempiam necessitudine attingeret: si quis eorum judicatione decidat, tres *Laurentii Tepuli* regimine instituti dicuntur, qui sorte ducti, illius loco jus dicerent.

De Procuratorum Judicibus.

Oportuit ad hæc quando procuratoria dignitas amplissima est, lateque ejus patet administratio, ut essent tres judices, ad quos causas illi agerent, quibus aliquid rei cum collegio, aut collegii aliquo esset: ut si quando legata exigerentur, aut remittenda quoquo modo essent: id jure non eorum arbitrio factum putaretur, æquo & bono super ea re ab initio judicatum ferunt. Verum quia in tres velut terniones procuratorum numerum divisum ostendimus, ita sane inter eos est comparatum, ut ternionum singuli in ordinem cum judicibus in foro pro tribunali biduo causas audiant. Creduntur tres illi judices *Laurentio Tepulo* Duce creati, quibus procedente tempore est permissum, ut prædiorum causas, & quæ inter viros & uxores discordiæ aut lites subortæ essent, cognoscerent, deque his rite judicarent.

De Judicibus proprariis.

Parum fuisset aliis civitatis ordinibus consuluisse, nisi imbecillioris etiam sexus & fortunæ cautum majores nostri voluissent: & in primis nubentibus unde urbium propagationes pendent, earum dos quasi peculiare quoddam habetur prædium: ne hujusmodi possessione sexus ille in nostra civitate injuria fraudaretur. Placuit magistratum in urbe esse, cujus æqui-

æquitate & aura subnixæ mulieres ex paternis ædibus dotem exigerent, aut si ita sors tulisset, aliunde repeterent. Dotalia ad hæc prædia, tam urbana, quam extera. & eorum fines, solenni scripto recipiunt: horum etiam testamentis cavere est, ne quid aut incuria, aut fraude eorum quos id præstare oportuit, in his periclitetur. Tutores pupillis, furiosis curatores quærere: eorum bonis qui intestati decessere, ac creditoribus, si qui extant cavere. De furtis ad hæc & levioribus homicidiis, aliisque ejus generis sceleribus, cum præfectis vigilum judicare. *Vitale Phalerio Duce* is magistratus dicitur institutus: ut princeps multis alioquin districtis curis hujusmodi novorum judicum munere veteri onere aliqua ex parte levaretur. Multa extant argumenta, quibus datur intelligi hos judices inter agendum principi pro collegio assidere solitos: etenim hoc quoque tempore solenni pompa dextrum illius claudunt latus: multaque illis princeps ipse, velut ex antiquo instituto munera aliunde allata, solet impartire.

De veteribus Auditoribus.

Et ne ullus gratiæ ambitionive locus in judicibus relinqueretur, *Andreæ Danduli* principatu, tres auditores majores nostri instituere: ad quos a judicum tribunali liceret civibus provocare: hi causas ab initio audire cœperunt, de quibus in urbe, aut maritima ora quæ a *Gradatis aquis ad caput aggeris* protenditur, fuisset judicatum: mox & peregrinas propagatis imperii finibus aliquamdiu recepere: verum novis auditoribus creatis, veterem cognitionem retinuere. Si igitur ab his, qui provocarunt, aliquid affertur quod parum recte judicatum videatur, recepta causa, si triginta aureorum nummûm summam non excesserit, quod *Trono* Duce est eis decreto permissum, cum antea infra minorem summam ea se potestas teneret: de ea re arbitrio judicant, rescissa aut probata, quæcunque de ea re lata esset sententia. Si majoris summæ causa deferatur, ad trecentos usque aureos ipsis causam agentibus pro frumentario collegio de ea judicatur: si autem major XL. Virali judicio rem cognoscendam subjiciunt, auditoribus ipsis causam agentibus, tertia ad summum actione XL. viri civiles de ea suffragio judicant.

De novis Auditoribus.

Parum huic auditorum numerum terra, marique propagatum imperium *Steno* Duce excogitare coegit, ut essent qui externorum magistratuum judicia cognoscerent, exirentque ob hoc ipsum quotannis ad statum provinciæ recognoscendum. Et quia nimis longa esset ea recognitio, ita comparatum est, ut tres illi tota continentis ora ab *Abdua* ad *Phanaticum* sinum perlustrarent: duoque extra ordinem in Senatu lecti, maritimam oram cum insulis inviserent. Hi provincialium & insulanorum causas audiunt, de quibus dico: sit quoquo modo a magistratibus judicatum, ac si quid est in quo leges videantur offensæ, id recipiunt, ac ubi *Venetias* venere XL. Virali judicio, modo huic, modo illi, ut ratio susceptæ causæ exigit, cognoscendum subjiciunt.

De Præfectis frumentariis.

Fuit, quis non videt, hoc admodum salutare judicis, & provocatione omnibus leges æquasse. Sed sapientes illi viri, qui nostram rempublicam instituere, optimos pictores imitati, quibus non satis est caput & humeros imaginis alicujus recte effinxisse, nisi singula operis lineamenta sibi invicem respondeant: parum cautum civitati existimarunt, si re frumentaria sæpius laborandum esset, quod ne aliquando accidere posset, duos *Joanne Dandulo* principe negotio præfecere: unus recentissime est collegio additus, qui summo studio curarent, ne ci-

A vitas quandoque caritate annonæ premeretur; quod ut tutius præstari posset, ingens vis auri in hunc usum conflata est, ac ita institutum, ut quum remitti annona in civitate cœpisset, confestim ex publicis horreis vulgus sublevaretur, quanquam id ferme semper præstatur, ut nisi in summa tritici ubertate aliquanto vilius, quam privata, publica veneat annona.

De triumviris frumentariis.

Et quia nunquam civium commodis satis consultum putarunt, ut majore undique studio triticum convectaretur, procedente tempore triumviri creati
B sunt, qui certam frumentatoribus pecuniam in singulos modios constituerent: ita ut hodie pluribus aureorum nummûm millibus negotiatoria stare soleat reipublicæ frumentatio: sed quanticunque constet, bene tamen vertit, quando sane vilius in ea urbe, quæ mediis est aquis sita, veneat annona, quam ubi summo studio coluntur agri.

De fisci Recuperatoribus sive Cataveriis.

Ingens, ut videtis, fuit illorum qui hæc instituere prudentia studiumque in civitatem, cui ex omni parte consultum voluere. Sed quum omnium ordinum commodis studerent, publica illis utilitas nullo modo excidit, quin tres fisci recuperatores crea-
C vere (eos vulgo *Cataverios* appellant) qui diligenti cura cognoscerent, quæ quisque ex publico sibi bona dolo malo vendicasset, ac ubi aliquid tale satis exploratum haberent, jure cum eo agerent, essetque eis libera tam pecuniæ, quam prædiorum assertio, cujusmodi sunt illorum bona, qui intestati decedunt, si nemo interim extet, ad quem lege agnationis bona ipsa sint proventura: vectigalium ad hæc fraudem vendicant. Cognoscebant ab initio de iis quæ XX. aureorum nummûm summam non excederent, de quibus altera partium absente esset judicatum: nunc quoque de decem aureorum summa illorum judicatio est.

D *De triumviris publicis.*

Ne ulli ad hæc libelli, pactionesque fœneratoriæ inter divites fierent & inopes, qua avarissimus ille ordo, sæpe ingressus in miseros cives ad libitum grassari solet, triumviros creari placuit, qui ea cognoscerent, cognitaque lege vindicarent: in hæreseos quoque accersitos, illorum potestas intenditur, judicant & infra viginti libras. Horum quoque est curare ne publicæ viæ, vici, canales, areæ, aliquo privato occupentur ædificio.

De sex viris nocturnis.

Quemadmodum magistratus, de quo proxime di-
E ximus, cum ædilitia *Romanorum* potestate, nescio quid commune habet, ita hic qui sequitur cum præfectis vigilum. Sex viri sunt ex singulis urbis regionibus singuli creati, quos idcirco ab initio nocturnos appellatos existimo, quia custodiendæ noctu urbis ab incendiis aliisque sicariorum incursibus, negotium sortiti essent: nunc indifferenter diurna nocturnaque flagitia insectantur: suntque sex Vigilum præfecti illis attributi, quorum tres circa *Ducarium* forum assidue excubant, in *Rivoalto* reliqui: hi arma contra edictum habentibus, adimunt, in omnes quæstionem exercent, præterquam in ma-
F jestatis reos: publicorum advocatorum ea cognitio est, judicium habent in neminem: quicquid illi quæstione acquisiverunt, Princeps nonnunquam, etiam propriarii judices pro causarum conditione pro collegio vindicant. Cœpit is migistratus *Marini Mauroceni* principatu in urbe esse: duoque ab initio instituti: ut hic citra *Rivumaltum*, ille ultra potestatem exerceret: mox vero *Rainerio Zeno* rempublicam administrante, quatuor additis, sex numero esse cœperunt.

De solenni Collegio.

Causarum multitudo ingens, quæ gravis alioqui prin-

Principi & iis qui pro collegio illi assident, esse cœperat: patres olim admonuit, ut præter *Ducarium* collegium recens aliud illi excogitarent, id solenne dixerunt, conficiturque hodie ex tribus consiliariis, ex advocatore uno, tribusque præfectis annonæ, ac paucioribus aliis magistratibus, ita ut XIV. numero ad summum coëant: rerum provocationes a *Rivoaltinis* judicibus, qui computationibus & calculis præsunt, ad hos perferuntur: de testamentorum breviariis, ut in cæteris, suffragio judicant.

De Ducariis scribis & Castaldis.

Sunt, ut quæ judicata fuerint rite transigantur, duo ex populari ordine scribæ, qui ideo Principis dicuntur, quia ab eo priva potestate legi soleant: hi sane sunt plebani, sive alterius ecclesiæ Antistites, quibus id negotii est, ut quicquid per Principem olim, nunc per ordinarios judices sit judicatum, rite exequantur: suntque ad hoc ipsum jam inde ab initio ministri duo creati, eos Castaldos a nostris appellari audio, quorum opera in transigendis rebus scribæ utuntur: ac si quis in eo quod illi egerint, provocatum volet ad auditores, ob id tres numero creatos velle debebit, hi quid in eo fieri velint, pronunciant. Si hinc quoque provocandum sit, ad publicos advocatores oportet, rem XL. virali judicandam collegio deferunt. Cæterum, si qua de executionis ratione suborta olim esset dubitatio, *Ducarii* scribæ eam cognoscebant. Deinde sub ipsam throni Principis creationem duo protocastaldos creari placuit, qui rem autoritate componerent: postea *Marcello* Duce tertius est collegio adhibitus.

De Præfectis carceris.

Et quia foro egressis, carcer, qui illi subjectus est, primo occurrit, non ab re erit, quando hinc in *Rivoaltinum* forum sit transitus faciendus, priusquam loco digrediamur, de Præfectis carceris pauca referre. Sunt hi duo, quos Princeps priva potestate creat, utriusque est suæ custodiæ traditos diligenter asservare: eorum injussu nulli ad eos qui in vinculis jacent, patet accessus, nec cuiquam exire illis insciis permissum: demum publicæ custodiæ cura horum tota est.

De Triumviris armamentariis.

Reliquum est ut de Triumviris armamentariis breviter dicamus, quorum est navales socios & remiges conscribere: triremes, cetheas, aliaque publica navigia armis & commeatu instituere, & brevi omnia ad usum navium tam ad negotiationem, quam ad bellum paratarum, mature providere.

De annonæ Præfectis.

Sunt ad caput *Salinum* duumviri jam inde a *Thomæ Mocenici* ducatu constituti, qui annonæ dicuntur: horum est salitarum carnium, casei, & aliorum quorundam esculentorum, ac quicquid ejusmodi rerum mari convehitur, curam habere: ea primo appendunt, inde quæ diligenti attentione appensa, aut recte æstimata sunt, ad Triumviros ternariacos transmittunt.

De Triumviris maritimi vectigalis.

Contiguo ferme loco sedent maritimi vectigalis (id vulgo Doanam vocant) præfecti, jam inde à *Thomæ Mocenici* principatu anno ab urbe condita circiter millesimo creati, tres illi numero, quorum oculis omnia quæ publicis triremibus, aliisque navium generibus in urbem advehuntur, cognoscenda subjiciuntur: nec nisi vectigalibus solutis permittitur cuiquam res inde in tabernas, aut alio e navibus transferre.

De vectigalium Præfectis.

Rivoaltini magistratus, de quibus hinc nobis dicendum est, multi quidem & varii, & ut imperio potestate inferiores, ita fortasse publico usui non minus quam illi, de quibus diximus, necessarii: occurritque omnium primus magistratus sane recens, utpote, *Foscaro* Principe institutus: sed in quo omnis vectigalium & tributorum ratio sita est. Triumviri comitiis creati, negotium locandorum vectigalium habent, tributaque a civibus exigendi: pecunias inde exactas, aut quæstoribus urbanis distribuendas tradunt, aut in alios reipublicæ, patrum decreto, dispartiunt usus.

De Quinqueviris vinariis.

At quia in vectigalium mentionem incidimus, octo, ne quis ignoret, primaria sunt urbis nostræ vectigalia, quorum singula singulos sortita sunt magistratus, qui exactas portoriis pecunias, ad quæstores deferunt. Estque ut omnium maximum, ita fortassis antiquissimum vini vectigal, cujus gratia Quinqueviri creantur, qui diligenter cognoscunt quicquid exotici vini mari terraque urbi importentur, quantum inde alio devehatur, ne fraus vectigali fiat, potestate cavet: si quem de fraude deprehenderint, pecunia & merce, lege puniunt.

De Quatuorviris advectitiis.

Est & aliud vectigal, introituum mensam vulgo appellant. Quatuorviri res peregre advectas cognoscunt, appendunt, metiuntur, negotiatorum fraudes puniunt, pecunias exactas quæstoribus numerandas procurant. Tres ab initio fuere, atque anno millesimo ferme ab urbe condita *Mocenici* Ducatu, cum iis Magistratibus, de quibus proximè dicemus, instituti: verum procedente tempore, quartus collegio est adhibitus.

De Triumviris exactitiis.

Id juris Triumviri habent in his quæ urbe a negotiatoribus & exteris exiguntur. Horum mensa exituum nominatur, fuitque is magistratus cum eo de quo proximo loco diximus, ex veteribus quibusdam aliis *Mocenici* principatu institutus: nihil in utroque præter nomen mutatum.

De Quatuorviris Missiteriis.

Tertia ab his Missiteria mensa est, ubi Quatuor viri eorum quæ emuntur, venduntur, cognoscunt pretia, ac secundum ea portoria rite exigunt.

De Quatuorviris ternariacis.

Olei ad hæc, casei, salitarum carnium, aluminis, lignorum ad ædificia quæsitorum, lanarum, metallorumque diligens circa mercatorias tabernas recognitio Quatuorvirorum est. Cavent hi ne inopia rei alicujus in urbe laboretur: ut igitur mature venalia civibus proponantur, & in his quæ proponuntur, ne aliquo modo vectigali fraus fiat, diligenti cura prospiciunt. Magistratus vetus & jam inde a *Joannis Danduli* Ducaria administratione, ut creditur, institutus, variatusque pro tempore numerus.

De Quatuorviris laniariis.

Lanii quoque suum recognoscunt magistratum, ac eorum si quis contra civitatis institutum vendiderit, appenderitve aliquid, a Quatuorviris ad hoc ipsum creatis, pecunia mulctatur: vectigal ab his exactum publicani huic magistratui, magistratus ipse quæstoribus urbanis dinumerant: fuit olim id munus cum eo conjunctum, quod vetus hodie justitia dicitur, sed curis crescentibus ex uno duos magistratus fieri contigit.

De Duumviris aurifolliis.

Habent aurifollia, quæ passim nostra urbe cuduntur, suum vectigal: ingens opificum numerus effecit, ut peculiarem & ipsi haberent magistratum: Duumviri iis jus dicunt, opera inspiciunt, ac ne quid adulteretur, aut fraude fiat, cognoscunt: vectigales pecunias hinc exactas in publicum redigunt.

De Quatuorviris salinariis.

Quanquam urbs nostra marinis undique alluatur fluctibus, habet tamen ingens salis vectigal, quando non omnibus neque ubique id fas sit conflare. Sed *Clodiæ* aliisque remotioribus locis, in quibus publicæ sunt salinæ institutæ. Venditur in urbe pu-

publice duobus locis, ac quicquid inde pecuniarum exigitur, quæstores urbani in ærarium deferunt: locant hodie sex viri salinarii (olim quatuor fuere) per urbes & loca, quæ *Veneto* parent imperio salis vectigalia, & in urbe publica circa *Rivumaltum* prædia. Horum quoque est maris littora aggeribus munire, quod opus ad coërcendos maris impetus institutum, quotannis ad dena exposcit aureorum nummûm millia.

De Quinqueviris pacalibus.

Sequuntur reliqui magistratus, quorum Quinqueviri pacales *Jacobi Tepuli* temporibus præclare a majoribus instituti mihi videntur. Hi convicia, & alias injurias, quibus privatæ aluntur inimicitiæ cognoscunt, ac de sontibus lege judicant. Si multa delinquentibus irrogata non fuerit mature persoluta, admissum facinus quilibet impune vindicat.

De veteris justitiæ Ædilibus.

Sebastiano cognomento *Ciano* rempublicam administrante Triumviri instituti dicuntur, quum hodie quatuor creentur, qui veteris justitiæ nominantur. Hi fabrorum contra cujuslibet pretium operæ æqua æstimatione metiuntur: rerum venalium pondera, si iniqua deprehenderint, lege puniunt: obsoniis, frugibus, oleribus, & lignis venalibus pretium ascribunt.

De novæ justitiæ Ædilibus.

Fuit quorum proxime meminimus olim munus, quod nunc tres novæ justitiæ ædiles obeunt. Molitoribus hi (quod *Rainerio Zeno* Principe est institutum) & cauponibus non solum jus dicunt, sed etiam si quid deliquerint, lege vindicant.

De Triumviris hospitalibus, sive veteris calculi.

Sunt præter hos, de quibus diximus Triumviri, qui veteris calculi dicuntur. Accipiunt hi summos Principes aut legatos publico nomine, lautissimeque hospitio habent. Ecquando *Athenienses*, quando *Lacedæmonii*, quando *Romani* ipsi magistratum ad publicam hospilitatem colendam habuere? quid aliud est perpetuum magistratum ad hoc creatum in aliqua esse civitate, quam hospitalis munificentiæ publicæque charitatis signum in urbe omnibus gentibus præfigere: habent ad hæc illi aulæa ornatissima, stragula purpurea, aliamque pretiosam supellectilem ad ædes instruendas. Horum quoque est publica prædia quoquo modo fraude occupata asserere: rationes ad hæc, magistratuum omnium maritimæ oræ libello ab eis accepto recognoscere.

De Triumviris novarum rationum.

Est pari numero, autoritate fortasse minori, magistratus qui pecuniam & alia oratoribus ad externos principes & populos ituris, necessaria subministrat, Triumviri novi calculi dicuntur. Hi vero non solum abeuntes instruunt, sed post reditum etiam expensæ ab eis pecuniæ libellum exigunt, principum munera illis adempta in publicum redigunt: nec tam pretium in eo quæritur, quam ne quisquam plus quam publicum hominem deceat, regum alicui, aut principum spe munerum sese insinuare audeat: obsoniorum publicanos, si pecuniam singulis pensionibus non dissolverint, certa pecunia prius mulctatos, ad eam quam publicam debeant dissolvendam cogunt: fuit totum ferme id munus ejus olim magistratus, cujus proximo loco mentio facta est, ita ut vere dici possit, qui duo nunc sunt, olim unum fuisse.

De Duumviris farinariis.

Est & in *Rivoaltina* ripa locus undique jam inde a *Ciani* principatu munitus, ubi farinæ vis ingens populo venalis proponitur. Hic ne frumentatorum avaritia quandoque annona laboretur, duæ assidue tabernæ patent, in quibus farina vilius, quam in privatis publico nomine venditur. Præsident Duumviri qui emporii claves asservant, quique attentissima cura prospiciunt, ne quis in mensuris, aut in

A corrupta annona vendentium fraude, accipiat injuriam.

De Consulibus negotiatoriis.

Et quia nullius rei secundum libertatem, nostra civitas ab initio studiosior fuit, quam negotiationis, qua tantum Dei benignitate ad hunc diem profecit, ut omnium Christiani nominis urbium merito nostra opulentissima habeatur: ut igitur in maximo orbis emporio, iis cautum esset, qui negotii causa eo navigarent, tres ab initio (quartus *Foscari* principatu est collegio adjectus) judices majores nostri instituere: eos consules hodie, ut ab initio appellant, in eo foro jus dicunt, in cujus porticu omnia urbis transiguntur
B negotia: hi sine libello judicant, quæ judicarunt duo, velut consulum ministri (massarios vulgo appellant) quadraginta virali suffragio ad id lecti, judicata exequuntur.

De Triumviris extraordinariis.

Cæterum ne pro pecuniis verba creditoribus darentur, Triumviros creari placuit, qui publicorum navigiorum ad peregrinam mercaturam exeuntium, modum & numerum tenerent: inde post reditum ea cum nauticis instrumentis recognita, in publicum redigerent, exigerentque ab iis vectigal, qui publicis navibus usi essent: mox & triremium locanda-
C rum eis negotium datum, quod *Petri Gradonici* principatu creditur institutum, ut publicis tantum triremibus navigaretur: sed hæc aliorsum spectant, quam ad ea quæ polliciti eramus. Nulli igitur prius ex urbe solvere licet, quam ex singulorum magistratuum, ad quos vectigalium exactiones spectant, chirographo exploratum habuerint, an hi qui navigaturi sunt, publice aut privatim pecuniam debeant: quod si ita esse constiterit, haud prius illis solvere permittitur, quam creditoribus ita placere cognoverint: ac ne post reditum quidem naves mercibus exonerare, nisi chirographo idem magistratui con-
D stiterit. Horum præterea fuisse tradunt *Marianos* ludos, qui *Genuensi* bello celebrari desierunt, publico sumptu instruere.

De Triumviris decem officiorum.

Utiliter quidem & is de quo dicam, magistratus, *Thomæ Mocenici* felici administratione fuit a majoribus nostris institutus, Triumviri decem officiorum dicuntur ii ab omnibus magistratibus, qui urbanis vectigalibus præsunt: exacto pensionum tempore, libros cum eorum nominibus, qui nauli aut vectigalis nomine reipublicæ pecuniam debent, accipiunt. Debitores prius pecunia multatos ad publicum æs solvendum potestate cogunt.

E *De Provisoribus urbanis.*

Sunt & alii Triumviri *Petri Gradonici* auspiciis creati, quorum prospicere est, ne naves illegitima magnitudine texantur, aut nimis onerose stipentur: cognoscunt ad hæc qui civitate donati sunt, quibus in urbe utantur privilegiis: illud quoque attente perspiciunt, ut mos patrius ac navigandi lex indifferenter ab omnibus civitatis servetur ordinibus, cursores ad ea quæ toto orbe fiant, mature cognoscenda publico nomine instruunt: fuit is magistratus quandoque e republica sublatus, mox vero utpote necessarius restitutus. Magistratum ipsum ob id ajunt ab initio creatum, ut ii quibus id negotium esset datum,
F recognoscerent quantum alieni æris publico nomine deberetur, nimios sumptus cohiberent, ne vectigalia quoquo modo fraudarentur, fraudemque potestate vindicarent. Est præterea a magistratibus plerisque ad hos provocatio: viasque publicas sternendi cura recentissime ad eosdem devoluta est.

De Supraconsulibus.

Admonuit præterea miserorum civium fortuna eos qui nostram civitatem instituere, nullam esse tam humilem civium conditionem, cui non aliquod in libera civitate pateret præsidium. Hoc igitur effecit,

A cit, ut magistratus in urbe crearetur, qui in pignoribus, aliisque rebus alienandis eis caveret, qui fœneratorum inexplebili avaritia ad ossa usque, ut ajunt, consumpti essent: idque præstaret, quod ultimum omnium erat præsidium, ne in rerum etiam venditione circumscriberentur: cæterum ne & illos qui alieno ære ultra modum laborare cœpissent, facto a creditoribus impetu, cum omnibus fortunis darentur præcipites: sed essent potius ad quos illi confugerent, postularentque sibi tempus ad se alieno ære exonerandum, quod pro ob æratorum conditione longius breviusque impetrari solet. Si quis perditis rebus ob eam
B causam solum verterit, publica fide ab eo magistratu in certum tempus accepta, in urbem, si velit, tuto venire permittitur, ubi illi per otium licet cum creditoribus agere de matura conflati æris solutione: quibus in sententiam adductis, aut si non omnibus, præcipua saltem eorum parte, in civitate tuto esse potest. Si autem id minus consecutus fuerit, confestim exeunte præstitæ fidei tempore, iterum solum vertit: sed raro id accidit, ipsis etiam judicibus inopiam sublevantibus, quorum favor pro laborantibus natura stare consuevit. Multa ac diversa fuerunt ab initio magistratus hujus munera, quæ nunc publici provisores obeunt: nec quatuor, ut hodie, sed tres usque ad *Foscari* Prin-
C cipis tempora, collegium explevere.

De Quæstorum Præfectis.

Omnibus, ut dixi, veteres urbis nostræ moderatores consultum voluere: sed ante omnia reipublicæ cui ne non ubique & semper cautum videretur, nullam ejus partem magistratuum præsidio nudam relinquere. Parum enim illi cautum putarunt, si non ea fide a provinciarum Quæstoribus publicæ pecuniæ, qua & ab urbanis magistratibus ministrarentur: quod ne accideret, Triumviros, quos fisci procuratores dixere, creatum iri placuit, quibus urbium & provinciarum continentis oræ Quæstores administratæ pecuniæ rationem redderent: horum quoque jus est tam publicas pecunias, quam prædia ab in-
D juste occupantibus vendicare.

De Triumviris argentariis.

Ingens ad hæc pondus argenti facti infectique materiam præbuit Triumvirorum in civitate creandorum, qui quum id venderetur, fundereturve, adessent, deque ejus vena & pretio judicarent: estque id munus perpetuum. Sunt & qui argenti aliunde in urbem advecti, vectigal exigunt, Triumviri ad hoc ipsum creati.

De Triumviris aurei panni.

Luxuria nostri seculi, quæ ita perdite incubuit, ut scurræ principum & præcones plus contexti auri ho-
E die conterant, quam olim summi reges, negotium dedit opificibus nostræ urbis amplissimum aureæ texturæ. Sed quum passim in *Veneta* urbe aurum pro lana intexi cœpisset, necesse fuit, ut tam pretiosum opificium suum haberet magistratum, essentque tres viri, qui diligenter inspicerent aureæ purpureæque texturæ rationem, & operum pretia, ne qua fraus inde negotiatores sequeretur. Si qua adulterata offenderint, pannos vel magni pretii rescindunt.

De Duumviris lignariis.

Ut pretiosis rebus, ita & iis quæ viliora sunt non inutiliter novum olim magistratum veteres invene-
F re: quanquam ne vile quidem dici potest, quod humanæ vitæ maximum præstat adjumentum. Duumviri hodie sunt, olim unus fuit *Christophoro Mauro* Principe creatus, publica pecunia ligna ad domesticum usum quæsita mercantur, aut ex publicis nemoribus accersunt, ac utrolibet modo comparata, quum hyeme mare est minus tractabile, ne eorum inopia in urbe laboretur, diligenter prospiciunt. Distribuunt, quum opus est, illa pauperibus, a quibus sine aliquo majore incommodo debitam postea exigunt pecuniam.

De Regionum Præfectis.

Est urbs nostra, quod alio loco, ni fallor, docuimus, in sex regiones divisa, quibus singulis singuli *Joanne Superantio* Principe, præesse cœperunt: habent hi negotium cum vigilum præfectis: die noctuque videre, ne qua parte urbis respublica aliquod adeat incommodum. Horum quoque munus est, famulos & ancillas conditione quæsitas, domesticatim conscribere, sicariorum licentiam cohibere, lenonum & meretricum flagitia severa vindicare animadversione.

De Triumviris solventium.

Fuerunt majores nostri rerum omnium urbanarum vehementer studiosi, sed mercaturæ (quod ex multis datur intelligi) sane studiosissimi: nam præter cætera, quæ non minus utiliter quam prudenter circa negotia domi forisque statuere, illud certe non est silentio prætereundum, quod lege prohibitum est iis, qui ad mercaturam ex urbe profecturi sunt, prius nostris littoribus solvere, quam a Triumviris *Rainerii* (ut quidam ajunt) *Zeni* principatu creatis: quique Solventium, sive ut vulgo ajunt, Levantium dicuntur chirographum impetrarint: inspicitur ab illis navium magnitudo, quid mercium earum quælibet ferre possit: scrutantur ad hæc an arma metallave, aut quid aliud contra legem sit navibus impositum, an legitime sint naves armis & viris instructæ: in quibus, si quid præter civitatis institutum offenderint, potestate corrigunt.



De Triumviris emporiacis.

Est contra *Rivoaltinum* forum, *Germanicum* emporium, hic negotiorum vis ingens frequenti hominum commercio transigitur. *Theutonici* sanguinis negotiatores locum circumquaque cubiculis porticibusque vallatum habitant. Triumviri, quibus & loci & ordinis regimen est datum, inquilinorum singula singulis comparant cubilia: eorum quæ invehuntur, aut asportantur vectigal exigunt: habent & rerum gerendarum arbitros, quos quadraginta viri privo suffragio legunt: eorum opera in vendendis emendisque rebus utuntur negotiatores.

De Triumviris præstitorum.

Gravissimi veterum bellorum sumptus in causa fuere, ut Respublica aliquando coacta fuerit a privatis aurum mutuari ea conditione, ut quod appensum esset, integra illis sorte maneret, acciperentque ipsi interim pro ea summa quotannis ex publico pecuniam: ut essent igitur qui certis pensionibus id creditoribus repræsentarent, quique æs alienum ex fide publica, quum opus esset, dissolverent, Triumviri *Vitale Michaële* (ut quidam ajunt) Principe instituti fuerunt, qui rite id præstarent.

De Quæstoribus urbanis.

Duo ad hos Quæstores urbani creantur, ad quos omnes publicæ pecuniæ a reliquis magistratibus deferuntur, quas illi Principis supremive collegii jussu, aut etiam senatus decreto in varios reipublicæ distribuunt usus, ab omni alioquin dispensatione, quoniam non impune fieret, pertinacissime abstinent.

De Quatuorviris monetariis.

Necessum fuit in tam pecuniosa civitate, illud quoque providere, ut ex puris metallorum venis, nihilque adulteratis publicæ cuderentur pecuniæ: quod ut fieret, placuit Duumviros creari, qui nummariæ officinæ præessent, quorum arbitrio & autoritate, tam æs quam argentum recte signandum curaretur: in de ubi officinæ esset illatum, nummusque feriri cœpisset, attentissima appensione examinaretur: suspicari libet antiquissimum hunc esse magistratum, & jam inde a *Petri Badoarii* principatu institutum, quo Rempublicam administrante argentea pecunia *Berengarii Cæsaris* (ut ajunt) munere in urbe nostra signari occeperit: pari fama a majoribus accepimus, *Joanne Dandulo* Principe aureum nummum primo a

majoribus nostris percussum: ac tum quoque credibile est novæ officinæ reliquos duos præfectos, qui cudendum aurum appenderent, fuisse in civitate institutos.

De aquarum Curatoribus.

Nec eorum tantum quæ in urbe essent, veteres illi memores fuisse videntur, quum si quid extra erat, quod ad urbis usum pertinere credidissent, diligenti assertione vendicandum putaverunt. Triumviros idcirco instituere, qui fluviorum cursus procul averterent, ne assidua illi exaggeratione urbem in salo alioquin positam, vel magno annorum circuitu continentem redderent.

De Quinqueviris Decimariis.

Sunt, ut ad res urbanas redeam, Quinqueviri decimarii, quos sapientes vocant: eorum quidem est a cetariis, olitoribus, salariis, & aliis qui sordidum in nostra civitate faciunt quæstum, tributum pro lucri magnitudine exigere: æquum sane videri eos aliqua velut pensione Rempublicam juvare, in qua tam quæstuose, tutoque negotiarentur.

De supremis Calculatoribus.

Ne præterea ullus cuiquam peccandi relinqueretur locus, *Joannis Mocenici* ducaria administratione Triumviri in civitate sunt creati, ad quos magistratuum quorundam qui publicam administrant pecuniam, libri deferrentur, quos illi attente perspiciunt, an ex fide sint omnia ab illis pernotata: ac si quid offendunt minus perspicue positum, ad discussionem vocant ipsos librorum autores.

De Triumviris caducariis.

Civium avaritia, aut quorundam potius inopia causam præbuit, ut tributis haud suo tempore solutis, *Christophori Mauri* ducaria administratione tres sint suffragio creati, qui mulcta illis irrogata, captis, venditisque pignoribus, cives ad tributum solvendum compellerent.

De Sexviris Exactoribus.

Verum ne deessent qui illorum jussa tempestive exequerentur, sex numero exactores singuli in singulas regiones *Marcello* duce sunt eis attributi, qui & pignora caperent, capta riteque hastæ subjecta illorum arbitrio venderentur.

De Decemviris Censoriis.

In eo quoque qui civitatem nostram instituere, *Romanos* imitati videntur, quod magistratum in urbe esse voluerunt, qui singulorum civium opes certo temporis intervallo censerent. Verum quia in tributis solvendis, quæ nos decimas nominamus, plerique rebus aucti, ea quæ post proximum censum quæsivere, ad levandum tributi onus occultare contendunt, Decemviri *Vendramino* Principe creati fuere, qui recognoscendi census jus habent: ac si quem nacti fuerint plura possidere, quam censeri voluerit, pecunia mulctant, & ad tributi restitutionem compellunt.

De Collegio Civili.

Inter novos urbis magistratus, qui plerique numero *Foscaro* Principe instituti dicuntur, civile collegium non est silentio prætereundum. Constat ad Principem curis exonerandum non inutiliter eum magistratum excogitatum: sexque ab initio creati, qui infra libram auri causas audirent, sed quum paucis annis vehementer eorum judicum numerus auctus esset, eo recenso viginti in eo collegio sunt retenti, atque hi ferme omnes ex aliquo magistratu huic ascripti, qui hodie de summa triplo quam antea majore judicant.

De Divi Marci Syndicis.

Non pigeat quando jam ferme ad calcem nostræ enarrationis venimus, paucissimos subjicere magistratus, atque eos ipsos promiscue: primoque ad eos quos circa *Ducarium* forum per incuriam præterieram, Syndicos revertar, qui XL. virali suffragio creati,

A tam civium, quam peregrinorum querelas audiunt. Si qua in eos injuria scribarum, sive notariorum ordinibus sit profecta, eam arbitrio vindicant.

De Rivoaltinis Syndicis.

Pari numero atque eodem suffragio in *Rivoaltino* foro sunt, qui idem negotium quod & illi de quibus proximo loco diximus, procurant: atque a loco in quo id munus præstant, *Rivoaltini* sunt nuncupati.

De Nexorum advocato.

Fuit eodem *Foscaro* Rempublicam administrante, ne in civitate optime alioquin instituta, iis qui in vinculis jacerent, præsidium deesset, advocatus unus
B institutus, qui salarium ex publico acciperet, atque nexorum causas, & ad patres & circa magistratuum tribunalia, tueretur: is postea antiquatus *Nicolai Marcelli* ducatu restitutus est.

De Duodecim Sapientibus.

Petri Mocenici principatu cum Respublica cum *Othomanno Turcarum* imperatore adhuc in armis esset, placuit novum Sexvirorum collegium institui, cui vectigalium gubernatores cum paucis aliis, ita ut duodecim numero sint, ascriberentur, haberentque illi negotium vectigalia ipsa augendi, nova conscribendi tributa, aliaque hujusmodi ad pecuniam mature expediendam procurandi.

C *De Duumviris Punctatoribus.*

Superest, ut de Duumviris punctatoribus dicamus, cujus magistratus instituendi aliorum desidia in causa fuit: ut igitur omnia mature in utroque foro transigerentur, *Foscaro* Duce duo instituti sunt: ut alter suum munus in altero exerceret foro, judicesque ad tribunal causarum hora invitarent: quod nisi illi cum scribis & aliis, qui in alterutro foro minora obeunt munera, tempestive affuerint, pecunia mulctant.

De Advocatorum Numero.

Quando autem ad id venimus, ut jam in calce nostri sermonis de iis qui in foro sunt, loqueremur, non
D gravabor breviter referre, quonam modo advocati qui in forensi turba & strepitu, & rerum turbatione maxime pollent, sex ab initio fuerint constituti, qui in duos divisi terniones, causas circa tribunalia utroque foro agerent: verum causarum multitudine cum imperio aucta, *Mauro* Duce auctus est numerus, decemque esse cœperunt. Novissime *Marcelli* principatu, qui non multo post illi successit, sexdecim constituti, qui circa curias, tribunalia, & reliqua magistratuum collegia, causas tam publicas, quam privatas agunt. Duo præter hos *Mauro* Principe creati, qui in *Rivoaltino* foro tantum causas agunt,
E cum reliqui utrobique id præstent.

De Armorum Provisoribus.

Digrediar nunc tandem a foro ad arma: non semper bonum civem togatum esse oportet. Orto nobis gravissimo cum *Othomanno Turcarum* Imperatore bello, quo, ut scitis, post multos annos, multumque cruorem terra marique fusum, defuncti sumus: *Mauro* Principe Duumviri creati fuerunt, qui arma & omnia ad belli rationem necessaria mature expedirent. Is magistratus ne pacata quidem civitate antiquari potuit, quin recentioribus bellis, & autoritatem & negotium Duumviri ipsi retinuere.

F *De tribus publici navalis Præfectis.*

Eram jam finem facturus, nisi *Trivisanus* noster me tacita voce publici navalis admonuisset, nos locum vulgo *Arcinarium* vocamus: hic biennio, Triumviri navali fabricæ assidue præsunt. Octavo quoque die publico decreto opificibus qui circiter mille quotidie ibi operantur, integram dissolvunt mercedem. De magnitudine & apparatu loci dicerem, nisi res omnino amplior esset, quam ut brevi sermone complecti possit: nunc de altero magistratu dicam, qui intra easdem munitiones suum habet negotium.

De

De Triumviris Cannabariis.

Eſt namque in ipſius navalis parte locus, in quo immenſum cannabis pondus in nauticos funes torquendos abſumitur: huic operi, quod ſane perpetuum eſt, Triumviri præſunt: ab initio duo fuere, ab eo negotio quod curant Cannabarii jure nuncupantur. Compellunt hi ad id opus aſſiduum ſua præſentia & adhortatione mercenarios opifices: confectos funes reponendos curant, operariis emeritam diſſolvunt pecuniam. Hæc quam brevius potui de noſtræ civitatis magiſtratibus. Scio ego fuiſſe olim & alios in noſtra urbe magiſtratus, qui quoniam aut prorſus ſublati ſunt, aut aliis omnino annexi, ſuper-

A vacuum duxi de illis referre: ſunt & hodie alii quidam ignobiles ac pauciſſimis annis, partim ad tributa exigenda, partim ad ea quæ exacta eſſent recognoſcenda, inſtituti. Sed illi ipſi indigni ſunt, de quibus nos longiorem trahere velimus ſermonem, aut vos audire: jam ſatis ſuperque ex iis quæ diximus, cognoſcere poteſtis, quæ ſit hodie noſtræ civitatis adminiſtrandæ forma: atque ex ea ipſa quales fuerint majores noſtri, qui rempublicam ipſam tam præclare fundatam nobis reliquere. Finem fecerat *Badovarius*, cum omnibus qui aderant ejus ſer-
B monem probantibus conſeſſus ille, quia jam dies inclinabat, ſolutus eſt.

F I N I S.

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI, DE PRÆTORIS OFFICIO, *LIBER UNUS.*

MAGNIFICO VIRO ANTONIO CORNARO,

Philoſophiæ Studiis eminentiſſimo VICENTIÆ Prætori,

MARCUS ANTONIUS COCCIUS SABELLICUS Sal.



Ræſagium fuit illud credo, vir clariſſime, quod ſeptimo ab hinc anno ex veteri Carnorum *ora* Venetias *appulſus, librum de Prætoris officio proxima apud me fœtura natum, tibi in primis cognoſcendum tradidi: accepiſti tu quidem vernam librum perhumane, ut ſoles, amplitudinemque tui nominis & ſplendorem formidantem, crepundiis etiam adhibitis molliter pertractaſti: tum vero lineamenta corporis non aſpernatus, cætera, ſi recte memini, probare perſeveraſti: unum ni fallor, in eo viſus es mihi deſiderare, ut quando membra locorum fortaſſis natura nonnihil remacruiſſent, pluſculum haberent aliquid & carnis & ſanguinis. Tuo itaque ſapientiſſimo judicio non aliter quam cœleſti quodam oraculo monitus, cœpi mecum continuo conſiderare, qua potiſſimum ratione ea reſarciri poſſet calamitas: conſtititque duobus in primis opus eſſe, tempore & diligentia, quorum neutrum, ſine altero id ſatis præſtare poſſet: fuit itaque ille diu in tenebris, eratque adhuc diutius futurus, niſi ultro per hos dies forte bibliothecam recognoſcenti, ſqualida, bone Deus, ſed ſic quoque haud inamabili ſe mihi fronte obtuliſſet: cum ego nonnihil intuitus, quia non adeo multa me in illo offenderant, quaſi ex duriſſimo ergaſtulo in cataſtam tradùxi, ubi vel natura vel mangonica potius induſtria ita brevi profecit, ut dignus non multo poſt ſit mihi viſus, quem libertate donarem: ſed quum jam manumiſſus liberalique cultu eſſet in medium proceſſurus, non videbam cui honeſtius tutiuſque commendari poſſet quam tibi vir clariſſime, per quem ornari melioremque fieri contigiſſet; ſed duriuſcule fortaſſe adhuc tecum egimus tranſlatione magis longa, quam neceſſaria uſi: nunc omen illud magis quam conſilium fuiſſe dicam, quod noſtra hæc lucubratio ad te primum ſit delata, cujus erat nomine aliquando in apertum referenda: quæ ſi tibi cultior pleniorque quam antea videbitur, tuæ auctoritati aſcribito: illud vero a tua amplitudine ſtudioſiſſime contendo, ne eo conſilio exiſtimes hæc a nobis præcepta tibi miſſa; quod te illis aliquo modo indigere arbitraremur: eſſem ego vere ſtultus, ſi viro in philoſophiæ ſtudiis eminentiſſimo, quippe qui* Venetam *academiam multa nominis celebritate plures annos rexerit, civilis adminiſtrationis præcepta proponere auderem: qui id potius feci, ut quum hæc legeris, ſentieſque iſtam adminiſtrationis formam, tuo ſapientiſſimo conſilio inſtitutam, his, quæ breviore hoc libello continentur, ex omni parte reſpondere: uberiorem tuorum ſtudiorum voluptatem percipias, ſimul ut & alii, qui non ita ſaperent, ſi quando in hanc forte lectionem inciderint, per te haberent, quibus in Prætorio munere obeundo præceptis uterentur: reliquum eſt, ut* Vicentinos *meos, quod conſtanti omnium prædicatione facis, quam commendatiſſimos habeas: eaque animi prudentia & moderatione tractes, quæ tua ſit ſapientia & manſuetudine maxime digna: ex omnibus tuis officiis, immo beneficiis, quæ & multa & magna in me contuliſti, erit illud certe mihi longe gratiſſimum. Vale.*



De Prætorii Muneris Origine.



Prætoris dignitas & amplitudo quanta ab initio fuerit, non solum nomen quod ex eo, ut *Varro* tradidit, est factum, quia jure & exercitu is magistratus præiret, sed *Lucilii* quoque carmen testatur: ergo inquit Prætorum est præire. Cæterum ipsa originis ratio, veterem arguit muneris hujus dignitatem: vulgato namque consulari honore quem *Romana* plebs per summam contentionem optimatium factioni extorserat, senatus contra miro studio adnixus obtinuit, ut unicus magistratus ex suo ordine crearetur, penes quem & publici & privati juris esset potestas. Huic curulis sella data, trabea, cæteraque fere ornamenta, quibus consularis dignitas instrueretur: numerus fascium diminutus, ut sex lictores illum non duodecim, ut consules, præirent: quanquam *Æmilio Paulo Hiberiam* ex prætura sortito, publico decreto duodecim datos scribat *Plutarchus. Pompejus Festus* Prætores eosdem olim fuisse suspicatur, qui & consules fuere: *Livius* haud obscure demonstrat eos qui publicos olim ductarent exercitus, a majoribus Prætores appellatos: quo factum sit, ut & prætorium imperatoris tabernaculum sit dictum, & cohors prætoria, & castrensis porta, ac nonnulla hujusmodi alia hinc, non aliunde, nomen sint sortita.

De Prætorii muneris Incrementis.

Verum quia ab initio inter cives jus tantum dicere sit solitus, idcirco urbanus dictus est: procedente vero tempore cum peregrinorum multitudo ingens, petendi juris causa, in urbem afflueret, neque Prætor unus causarum turbæ par esse videretur, alter ab eo Prætor creatus est, qui ab ipsa dicundi juris ratione peregrinus est nominatus: superante demum multitudine eo usque eorum numerus est auctus, ut duo deviginti quandoque fuisse tradantur: etenim *Sicilia*, *Sardinia*, & *Hispania* provinciis factis, totidem ferme quot provinciæ essent, creari cepti sunt, *Cornelius Sylla* quatuor numero adjecit, per quos de sicariis & parricidis quæstio haberetur. *C. Cæsar* duos, qui rei frumentariæ præessent: *Augustus* & *Claudius* princeps numerum variasse dicuntur; hæc & pleraque alia, ii qui de urbis magistratibus scripsere, non inscite tradiderunt: *Livius* auctor gravissimus tantum Prætorum numerum nullo, quod sciam, loco retulit: nec plures apud illum fere creari solitos reperio, quam provinciarum numerus postularet, duobus duntaxat numero adjectis, quorum hic urbanam juris dictionem, ille peregrinam haberet: sed inter omnes constat, tam eos qui *Romæ* essent, quam qui in provincias proficiscerentur sortiti, dicundi juris ab initio potestatem habuisse: siquidem qui foris rempublicam administrabant, aut per se, aut, quod sæpe evenisse crediderim, si majore aliqua belli cura occupati fuissent, id munus per legatos obire consueverunt; scio ego eos qui hoc munere postea functi sint, a nonnullis non Prætores, sed Præsides vocatos: nos vero, licet hæc quæ breviter tradituri sumus, ad omnes qui jus ubique dicant, æque attinere sciamus, rationem tamen loci in quo hæc scribimus, secuti, de Prætoris officio libellum inscribendum diximus: sed jam ad præcepta transeamus, deque ipsius magistratus electione, quanquam id liberi populi, aut Principis sit officium, primo loco disseramus.

De Electione Prætoris.

Qui magistratus hujus electionem habituri sunt, si provinciæ, & ei quem eligunt consultum volunt (utrique enim velle debent) si reipublicæ, cujus inprimis ratio habenda est, ingenium & ætatem in competitoribus spectabunt; nam qui divitias & no-

A bilitatem sequuntur, superbiam & avaritiam comites futuro Prætori destinant: nunquam enim satis expletur habendi sitis, sed ita sane evenit, ut quanto plura quis habeat, eo majore habendi, ut Satyrus ait, laboret cupiditate: quod ipsum non solum provinciæ, sed reipublicæ quoque perniciosum esse consuevit. *M. Crassi* exitus id olim declaravit. Est præterea, quis non videt? in stulto & insolenti ingenio domestica nobilitas nil aliud, quam intolerabilis superbiæ materia, qua nihil in iis qui rempublicam gerunt esse potest odiosius: verum non ita hæc dicimus, ut tutius obscuro loco natis quam no-

B bilibus provinciam committi existimemus, quo nihil dici posset ineptius, sed si alterum in suffragiis secuturi simus, ignobilem virtutem citius probemus quam furiosam nobilitatem, magis continentem paupertatem, quam rapacissimas divitias: nemo alioqui non plane videt domesticum splendorem, pretiosamque supellectilem ad magistratus existimationem augendam, haud mediocriter spectare. Redeo nunc ad ea quæ in primis in ipsa electione advertenda duximus: si igitur pacata erit provincia, quia totum ferme Prætoris officium in juris dictione atque forensi umbra versabitur, jure prudentem & moderatum, ferocissimo cuique prætuleris: severum &

C gravem violento ac pertinaci; gaudet Prætoris comitate forum non minus, quam Martio vigore militia: nulla est virtus quæ magis valeat ad conciliandam forensis turbæ auram, quam Prætoris comitas, comitas dico, quæ non omnino gravitate careat. Ætas quoque diligenter spectanda est: ut enim juventæ temeritas, ita senii perpetua est comes prudentia. Sed ne hoc ipsum quoque ita asserimus, ut omnino negemus posse fieri ut aliquis sit idem senex & stultus: contra juvenis & prudens. Verum enimvero aliquid vidisse putandum est illos *Quirites*, quibus lege cautum est, ne ante certum tempus consulatus aliudve imperium cuipiam

D demandaretur: certe aliquid censebant esse oportere in eo qui reipublicæ præsit, quod res nulla præter ætatem ipsam præstare possit. Sed res ipsa non ita semper habet: haud enim minus natura interdum ipsa hominis peccat quam ætas. *Marcus Marcellus* quum jam sexagenarius esset, ultra modum pugnandi cupiditate laborasse dicitur: quippe cujus colloquia, studium, consilia, atque ipsa nocturna, ut *Plutarchus* tradidit, insomnia, eo spectarent, ut justa acie cum hoste confligere liceret: quod juvenile studium ut in homine parum ob ingravescentem ætatem ad pugnam idoneo, temeritatis vitio caruisse, nemo quidem dixerit, sed ultima ejus expe-

E ditio id facile declaravit, quæ non illi solum, sed collegæ quoque ipsius perniciosa fuit: quanquam rerum gestarum gloria id vitium in eo homine merito cælavit, quod in *M. Crasso*, cujus paulo ante mentionem feci, & *C. Flaminio* qui rempublicam ad *Trasimenum* præcipitavit, evenire non potuit. Contra *Scipio* ille qui *Major Africanus* cognominatus est, quum per ætatem adhuc non liceret rempublicam capere, *Hispaniam* tamen extra sortem adeptus eo consilio, prudentia & maturitate provinciam administravit, ut brevi tempore *Carthagenenses* quatuor eorum imperatoribus, quatuorque exercitibus fusis

F fugatisque, ex utriusque *Hispaniæ* possessione dejecerit: hujus adhuc pene adolescentis est vox illa notissima, malle se civem unum servare, quam mille hostes perdere: non immerito igitur ejus indolem miratus *Hasdrubal*, suspicatus dicitur, quantum periculi non patriæ solum, sed universæ quoque *Africæ* ab eo viro immineret: verum hæc eo tendunt, ut neque semper hanc ætatem temeritatis damnemus, neque illam omnino absolvamus: habebunt itaque horum quæ diximus, rationem, qui magistratum aut suffragio, aut priva potestate creaturi sunt:

sunt: & ut rem omnem breviter colligam, pleno erit functus officio, qui quantum in se fuerit dabit operam, ut huic provincia demandetur, qui hujusmodi virtutibus sit præditus, quæ ad id munus obeundum maxime videbuntur necessariæ: gratiam omnino abesse volumus, quæ, ut in omni publico negotio periculosa est, ita in hoc periculosissima, sed jam de primo ipsius Prætoris officio dicamus.

De Provinciæ optatione.

Prætoris designatione vulgata, is qui populi senatusve, aut Principis beneficio provinciam adeptus est, si prudentis viri officio uti volet, haud continuo purpuram, ut sic loquar, & fasces arripiet, oblatam dico dignitatem non temere adibit, sed quum iis unde honor oblatus est, gratias egerit, poscet sibi tempus dari ad deliberandum, sit nec ne Provinciam aditurus; quod si e republica suaque esse cognoverit id facere, paratum se esse dicat eorum uti beneficio: interim vero secum reputet, quantum oneris sibi ex futura Provinciæ administratione immineat, consideretque diligenter terræ situm, gravine sit cœlo, an salubri: consideret mores & ingenia incolarum, quæ interdum magis noxia sunt, quam cœlum: quæ si nesciat, ex aliquo interim qui eorum non ignarus sit, discere curabit: consideret terræ statum, pacatusne sit an bello obnoxius: sed hæc his præcipiuntur, quorum magis interest, quam reipublicæ Provinciam capessere. Cum itaque hæc omnia diligenter secum prospexerit, tum seipsum metiri incipiat, ingenium, mores, doctrinam, corporis firmitatem, ac si se parem futuro muneri cognoverit, atque talem ut quantum hominis prudentia præstari possit, pulchrè sit Provinciam obiturus: quando non solum nobis nati sumus, ut præclare a *Platone* scribitur, sed patria ipsa nostri ortus partem sibi vendicat, partem amici: rectius is (quis non videt) in luce hominum, atque in ea humanæ vitæ parte versabitur, in qua multis utilis esse possit, sibique & suis splendorem comparare, quam publica cura solutus in privato otio senescere: præclare quidem id fecerit. Sed illud quod dicam adhuc præclarius, si se oblato muneri non idoneum senserit (nam qui melius se uno cognoscere id possit, est nemo) delatam sibi dignitatem repudiabit, excusabitque interim aliquid quapropter appareat magis, non potuisse alieno uti beneficio quam noluisse. *Veneti* ut prudentissimi in gerenda republica, ita in illa adeunda verecundissimi hunc morem publice privatimque in iis servare solent. Quia quod parum civiliter, contraque morem patrium facere putaretur, qui in hujusmodi deliberationem non certum sibi tempus depoposceret: consulet itaque non sibi solum, sed reipublicæ quoque atque illorum etiam æstimationi, per quos electio facta est. Non enim damnare videbitur alienum de se judicium, qui *Venetum* hunc morem diligenter servaverit: est enim ut verecundiæ plenus, ita & necessarius.

De Delectu Prætoriæ familiæ.

Si igitur Provinciam receperit, illud omnium primum curabit designatus Prætor, ut eorum quos ex prætoria, ut dicitur, cohorte esse volet, mores & vitam diligenter teneat: nec quenquam (si fieri potest) sibi comitem destinet, qui non sit idem & notissimus, sitque talis quem neque quæstus ullus, neque privatum commodum ab officio possit avertere, cui ob spectatam fidem, negotia & multa & magna tuto committi queant: vellem ego omnes si fieri possit, innocentissimos esse: sin minus, ab his quorum opera in administranda Provincia Prætor usurus est, peccandi voluntas ut absit omnino oportere dixerim: sint dico ita instituti, ut si per occasionem delinquere possint, nolint: possunt oculi, frons, verba, nos fallere, longa con-

A suetudo vix potest. Sint itaque multa prius familiaritate noti, quibus dignitatem suam commiserit Prætor: verum quia nemo est, ut vulgo dicitur, qui omnino vitio careat, satis eos probos duxerit, quos neque superbia, neque avaritia laborare senserit: quarum altera humanitati, altera abstinentiæ inimica est. Necessitudo & gratia in hoc quoque parum valere debebunt: ille necessitudinibus longe alios anteire putetur, qui sua prudentia, humanitate & innocentia prætoriam dignitatem maxime & tueri & augere poterit, & quia potest, velit.

De Prætoriæ familiæ Cultu.

Perspiciet mores suorum, ut diximus Prætor, sed
B nec cultum ipsum omnino neglexerit, qui non tam superbus & sumptuosus, quam nitidus & decens esse debebit, & brevi talis qui magis gratiam conciliet quam invidiam. Hoc quoque de domestica supellectile præcipiendum puto: nemo amat quæ in aliis suspicit & miratur: ut ignis, semper summa petit invidia, quamquam si quid ejusmodi est, ut invidia carere possit. Nam non omnino negaverim aliquid esse, qui in alio miremur & amemus: luxuriam tamen uni famulantem nullus unquam valde amare potuit.

De comitatus Moderatione.

Quum ita omnia diligenter providerit, atque in Provinciam proficisci parat, non imprudenter fece-
C rit, si ex cognatis & necessariis qui officii gratia eum sequi volent, aut nullum aut quam paucissimos secum ire permiserit, ne immodicus ille comitatus sit gravis iis qui venientem in Provinciam Prætorem, aut publico, aut privato sumptu excipere consuevere: in hoc quoque *Venetorum* modestia satis quidem spectata est, quippe qui uno aut altero ad summum ex omni necessariorum numero admisso: cæterum his contenti quorum ministerio Provinciam administrare constituerunt, minime gravem suum accessum cuiquam esse patiuntur.

De Prætoris officio in prima congratulatione.

D Adita vero Provincia, quia primores civitatum, & omnes fere qui in luce hominum versantur, studiose venienti illi se obviam effundunt: tum primo congressu inter ipsas congratulationes, quam maxime poterit vultu, verbis, gestu, circumfusam turbam in ancipitem comitatis suæ ac severitatis opinionem adducet: habeant ab initio quod simul ament in eo & revereantur: ubi vero progredi urbem versus cœperit, atque aliquis, ut assolet, ex principibus civitatis proximus adequitaverit, non gravabitur, imo pro negotio non parvo habebit eum ad se vocare: quem si aut fama prius, aut ipso alloquio
E (nam ut æra tinnitu, ita homines sermone noscuntur) prudentem rerumque humanarum non imperitum noverit, tum ex illo per speciem mutui sermonis, non pauca de ratione & statu Provinciæ, deque civitatis moribus intelliget, quod ipsum si ad futuram administrationem non multum conferet, haud quidem aliquid non prodesse poterit.

De prima concione Prætoris.

Sed quum urbem ingressus fuerit, atque in prætorio sive in foro pro concione steterit, sceptrum & reliqua dignitatis insignia sumpturus, non ab re fuerit de modo suæ futuræ administrationis aliquid
F differere, quo animo, quo consilio, qua denique ratione sit Provinciam administraturus, seque nil antiquius habiturum, quam ut patrius mos, leges, instituta, atque omnia serventur, quibus provinciæ & civitatum regimen & moderatio, ad eam diem stetisset, recte judicata, prudenter decreta, ac cætera facta dictaque optimi cujusque, vel eorum inprimis quos ipsis provincialibus quæ charissimos fuisse senserit, tum laudabit maxime, tum eorum se æmulum futurum declarabit; proderit, quis non videt? hujusmodi concio non solum ad conciliandam beni-

gnitatis & justitiæ famam, sed ad eloquentiæ quoque opinionem, quam hi qui in foro versantur, in magistratibus non solum laudant, sed longe etiam suspiciunt & reverentur: nec immerito nulla re magis cohibetur forensis temeritas, quæ pene tota in garrulitate versatur, quam tempestiva Prætoris facundia.

De domestica Admonitione.

Missa demum concione, quum se in prætorium receperit, continuo domesticos quasi secretiori adhibeat concioni, & qua parte provinciæ cujusque opera uti volet, demonstrabit: inibi conjugem (si conjugem habebit) liberos & reliquam familiam monebit, ea ratione provinciam sibi demandatam, ut illi non solum præsit, sed prosit etiam: ac quantum in se fuerit, omnium commodis consulatur, velle se monereque proinde, nequis eorum putet in provinciam a se ductum, ut imperium in quenquam exerceat, sed potius, ut suæ sit voluntatis minister. Tu itaque conjunx non solum non peregrinaberis per provinciæ oppida & conventus, sed ne in vulgus quidem exieris, nisi sacrorum causa: nec siquid videris in provincia quod tuos delectet oculos, delectasse placuisseve dixeris: ne in suspicionem venias voluisse te dono & gratia consequi, quod aperte concupiveris. Afferentur tibi munera fortassis non pauca, illa meo injussu non modo non attigeris, sed ne respexeris quidem: Illustrium virorum ignobiliumque matronas, quæ officii causa ad te venerint, benigne liberaliterque atque uno vultu omnes accipito: nullius adversos rumores admiseris. De fama hujus vel illius minime laborato, neque ornatus corporis is sit, qui nobis invidiam parare possit. Denique me Prætore te eam geras, quam in privata fortuna gerere consuevisti.

De Monitione liberorum.

Liberi autem tui sexus a te continentiam & sanctitatem discant, mares non gladiatorium ludum, non conventum immoderatorum juvenum, non triviales tabernas frequentent, non thermas occasione (ut fit) lavandi, non ganeas & cauponulas, ubi eos venenum potius quam merum potare putaverim: sed sapientiæ aut dicendi magistros studiose colant, illorum lateri hæreant, aut si ætate provecti id facere erubescunt, aucupia & venationes exerceant, forum nunquam nisi festis diebus nostrique aut deducendi, aut reducendi gratia ingrediantur. Ambitiosas affectationes fugiant, ne alterutrius partium eo obsequio haberi incipiant.

De Monitione Legati.

Legatus noster jura ac leges intueatur, has mihi sibique omnium civilium actionum duces destinet, hoc ipsum prætorii præfectus sibi statuendum sciat. Reliqui apparitores non obliviscentur se nostræ voluntatis ministros a me ductos non provinciæ Præsides, quorum quisque eo magis gratia, fide & auctoritate penes nos valebit, quo majore fide, studio, & innocentia erit præditus. Cæteri vero nisi in officio perstiterint, cum nervis & carcere rem eis futuram denuntio.

De Apparatu bellico.

Hac salubri usus admonitione, si provincia suspicione belli laboraverit, de præsidiis, commeatu, & urbium munitione cogitare incipiet: hæc partim per se, partim per viros fidelissimos, atque eosdem impigros quam celerrime poterit, obeunda curabit. Speculas præterea opportunis locis statuet, exploratores ad præsentiendos futuros hostium motus destinabit, & brevi omnia impigre provisa volet, quæ ad commissæ provinciæ salutem attinere videbuntur.

De Juris dicendi Ratione.

Secundum hæc quæ diximus ad forensia officia animum adjiciet, atque omnium primum curabit illud, ut in dicundo jure sit summa severitas, eam

A dico quam neque gratia ulla, neque odium variare possit: huic summa gravitas adhibenda est, quæ non gratiæ solum, sed suspicioni etiam resistat, facilitatem quoque ad hæc requiro in audiendo, in decernendo lenitatem, diligentiam in disputando, ac satisfaciendo: esset, quis non videt, ipsa severitatis facies dura & nimis aspera, nisi quibusdam humanitatis mitigetur condimentis. *Xenophon* ille *Socraticus*, quum optimi imperii effigiem exprimeret, tanquam præcipuas virtutes in eo, qui aliis præsit, gravitatem cum comitate conjunxit, quod prudentissimus Philosophus non fecisset, nisi illorum
B neutrum sine altero recte administrationis officium implere posse credidisset. Erit itaque Prætoris jurisdictio gravis & severa, sed quæ his virtutibus non careat, quibus sublatis nullum humanitatis officium constare potest.

Qualis esse debeat Prætoris Vultus, quum jus dicit.

Quid? quod judicis inadulabilem oris habitum vulgo damnari video, & quasi pro execrabili haberi, quare *Chrysippum* aliquid vidisse putandum est, qui justitiam in illis libris, quos περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς, id est de honesto & voluptate scripsit, neque humili neque atroci aspectu, sed reverenda quadam tristitiæ dignitate, non obscuris verborum coloribus
C figuravit, quo filo illius simulacrum consummatissimo opere expressum hodie in *Hunniensi* visitur.

De Iracundia frænanda.

Iracundiam quoque cum ab omni prætoria actione, tum in primis a tribunali ipso abesse oportere arbitror, quippe quæ recti judicii verum tricarium dici potest: nihil est enim quod magis a suo officio hominem dimoveat, quam is affectus qui unus vere a *Stoicis* dictus est, non trahere mentem hominis, sed præcipitare. Intempestivas igitur causidicorum interpellationes, odiosam dicacitatem, alterna jurgia, amarissimas exprobrationes, indigna forensium linguarum convicia, constanti severoque oris habi-
D tu, honestius quam iracunda aliqua objurgatione castigabit, in objurgationem vel justissimam reclamabunt fortasse temerarii rabulæ, in eam vultus moderationem, nisi stultus aliquis & temerarius reclamabit nemo.

De matura Causarum Cognitione.

Judicium nullum aut decretum temere interposuerit, nec per legatum, nisi causa perspicue cognita interponi patietur, in quo non gratiam, non metum, non emolumentum ullum, non hominis cujuspiam dignitatem, non suam, non alienam opinionem, sed jura, leges & æquitatem respiciet:
E has duces quoad usque volet, sequetur, velle autem debebit semper, quanquam non negaverim posse fieri prava quadam callidaque juris interpretatione, ut cum jure agi videatur, tum aperta agatur injuria: unde illud, *Summum jus summa injuria:* huic fraudi, Prætoris doctrina & prudentia occurrat necesse est, ne cum se jus sequi credat, pravam & inhumanam, ut sic dicam, oratoris alicujus persuasionem sequatur. Si eruditus fuerit juris, scientiæ dico peritus, a recto judicio, si volet, non recedet, nec eum transversum (ut dicitur) traxerit quispiam. Verum si is erit qui per juris inscitiam faci-
F le decipi possit, quia quid sit rectum non omnino intelligat, tum legatum, (ita enim a majoribus appellatum existimo, quem nunc vicarium appellari video) identidem moneat, ne quid temere agat: quin diligenter potius matureque perspiciat, ubi lateat veritas, latet enim nonnunquam non tam sua natura quam argumentantium calliditate.

De callida Juris Interpretatione evitanda.

Marcus Cato censuit *Carneadem Academicum Romam* ab *Athieniensibus* missum, ad *Oropi* causam orandam nullo pacto in curiam admittendum: quoniam illo viro argumentante, intelligi non posset ubi

ubi lateret veritas; nec immerito: nam multis viris doctis audientibus in vestibulo curiæ ad ostendendam & ingenii & eloquentiæ facultatem, acri disputatione ostenderat nullam esse justitiam: quod si vir ille sapientissimus veritus est universum Senatum unius acuta dissertatione posse decipi, quid mirum si vel sapientis etiam Prætoris mentem a frequenti oratorum cœtu quandoque circumveniri posse suspicemur. Maturabit igitur, non præcipitabit judicium suum Prætor, nihil temere decernet. In cunctis non ab re fuerit assidentis legati opinionem sciscitari: nescio etiam an tutius fuerit honestiusque illi multa delegare, in quibus acri denuntiatione demonstret Prætor, velle, jubereque se juris & æquitatis inoffensam formulam servari.

De moderata Animadversione.

Eundem pene tenorem in puniendo servandum crediderim, quem in dicendo jure oportere diximus: nisi quod iracundiam non modo frænari, sed excuti etiam atque longissime ab eo abligari oportere arbitramur, qui supplicium de aliquo sumpturus sit: numquam enim iratus, ut præclare a *Marco Tullio* dicitur, qui ad judicandum scelus accedit, mediocritatem illam servabit, quæ inter nimium & parum est: quam *Peripatetici* jure laudant: sed quo pacto hanc in aliquo reperire possint, ipsi videant, qui iracundiam perpetuam dant homini comitem, qua nihil moderationi magis contrarium esse potest. Sint itaque legum similes, qui ad puniendum accedunt: quæ ad ultionem non iracundia, sed æquitate ducuntur: memineritque simul duas omnino esse, ut *Platoni* placuit, puniendorum scelerum rationes; aut ut is in quem animadvertitur, corrigatur ac melior fiat: aut ut exemplo cæteris sit, qui sontem male affectum conspicati, præ metu reddantur meliores: cujus animadversionis genus Græci τιμωρίαν, id est pœnam appellant: quidam vero in quibus est *Annæus Seneca*, tertiam addunt causam, ut sublatis malis cæteri tutiores fiant: quum itaque prodesse velit is, qui ad puniendum accedit, ira omnino eum carere decebit, qui affectus omnis officii impatientissimus est. Sit itaque vultus Prætoris in ipsa animadversione, quali sapientem esse oportere ex persona sua *Plutarchus* ostendit, is enim ut *Gellianus* ille *Taurus* differit, quum servum nequam ac contumacem flagris admovisset, essetque ab eo increpitus quod ira ductus adversus quam multa disputasset in eo libro quem περὶ ἀοργησίας, id est de non irascendo scripserat, plurimis se plagis mulctaret, cui ille leniter & vultu minime turbato: Numquid ego quum tu vapulas irasci tibi videor? ex vultune meo, an ex voce, an ex colore, an ex verbis correptum esse me ira intelligis? mihi quidem, ut opinor, neque oculi truces sunt, neque os turbidum, neque immaniter clamo, neque in spumam ruboremve effervesco, neque pudenda dico, neque pœnitenda, neque omnino trepido, aut gestio: quæ omnia signa sunt ejus qui ira affectus sit, talis inquam sit, necesse est punientis vultus, sed non satis id erit, nisi animus quoque hoc affectu sit liber. *Plato* in contumacem servum animadversurus: Pulsassem te, inquit, nisi iratus essem: putavit vir ille veritatis amicus, nullo pacto ab irato animo modum in ultione teneri posse.

De Severitate in animadversione servanda.

Sed quum hoc disputo, iramque omnem ab hujusmodi Prætoria actione excludo, severitatem tamen non modo non tollendam, sed adhibendam quoque censeo: quanquam nescio quonam modo qui facilius cohæreat civilibus actionibus, quam his de quibus loquor, ut in illis comitatis condimento gaudeat, in his vero tota in rigorem justitiæ exeat: sed non video qua ratione quispiam humanitatis oblivisci possit. Difficile est enim ut *Pyrrho* ille *He-*

A *liensis* dixisse traditur, penitus hominem exuere: ego ut dicam quod sentio, non hominem sed immanissimam belluam judicabo, qui alieni supplicii cupiditate teneatur: quique inter amarissimos gemitus & profunda eorum qui torquentur suspiria, non saltem animo moveatur.

De Quæstione.

Debet, fateor, quæstionantis vultus clementiæ oblivionem præ se ferre quamdiu sit in reum agendum: ne si mitior interea appareat, misericordiæ fiducia adductus perstet negare, quod alioquin longioris cruciatus metu fuisset dicturus: verum spectanda est causa, quapropter ille adhibitus sit quæ-
B stioni, spectanda vita, mores, ingenium, & in primis corporis firmitas, quæ omnia non obscure demonstrant, quantum cuique instandum sit: at reperti sunt, qui cruciatorum fletu & ejulatu non minori voluptate afficiantur, quam suavissimo aliquo tibiarum cantu. Hos ego verius tortores quam Prætores appellandos contenderim: vendicet itaque in hac quoque prætorii muneris parte sibi locum humanitas, qua sublata, non est cur quispiam vere homo dici possit: summa autem omnium hæc est, ut nullam putemus esse Prætoris actionem, ad quam humanitati & clementiæ non pateat accessus. Sed
C jam nimis longo fortassis sermone hæc, quæ ad forum attinent, executi sumus: nunc ad domesticum institutum redeamus, & pauca quæ adhuc de Prætoris officio dicenda sunt, breviter absolvamus.

De Humanitate domi servanda.

Quemadmodum severitas in forensi luce primarium inter Prætorias virtutes sibi locum vendicat, & merito, est enim perpetua justitiæ comes: ita humanitas quum in prætorium ventum est, sit illa quæ cæteris dominetur affectibus, hæc facile ad Prætoris conspectum omnibus paret accessum: pateant ostia & aures querelis omnium, tamdiu quisque dicat, quamdiu dicere voluerit, dummodo is sit, qui per se sciat dicendi modum invenire: nullius inopia,
D aut solitudo foribus illis excludatur, omnia plena sint mansuetudinis & humanitatis, nemo illinc tristis abeat, quod eorum, qui aliis præsint, proprium est curare, ut *Titus* ille *Vespasiani* filius, qui per manum a patre traditum orbis imperium mansuetissime administravit, dicere solebat: cujus rei adeo studiosus fuit, ut omnium consensu humani generis delicias appellatum quidem scripserint: sint apparitores & domestici omnes tales, qui domi credantur habere unde facilitatem, mansuetudinem, & modestiam discant.

De Moderatione domesticorum.

E Sed quia parum erit Prætorem eum esse quem diximus, nisi his quoque virtutibus qui illi & publice & privatim apparent, sint præditi: idcirco identidem admonendi sunt, nequid avare, superbe, arroganterve faciant, tantoque impensius, si quid deliquerint, puniendi sunt, & in suo officio continendi, quanto eorum natura ex dignitatis insolentia pronior in hæc vitia esse solet: nulli convicium faciant, nullam humanitatem contemnant, a nullo pretium aut munera accipiant, tam diviti quam pauperi ad Prætorem aditum patefaciant, sciantque se ministros esse, & non qui in quempiam per se exercere habeant
F imperium.

Quid cuique credendum sit.

Eorum cuique tantum credendum est, quantum eorum fides postulat, ut quisque optimus fuerit repertus, ita dignissimus judicabitur cui multa & magna credantur negotia: sed ut hos publicæ privatæque administrationi recte admiseris, ita eos qui a flagitio non abstinebunt, quam rectissime arcueris. *Cato* ille qui *Uticensis* cognominatus est, quum in *Cyprum* provinciam Quæstor venisset, repudiato suorum ministerio, multa per sese obiisse dicitur, quæ illis

illis haud tuto committi posse arbitrabatur, sapienter *Hercules:* haud enim recte alienam famam ei crediderit, qui suam facile contempserit. Sunt itaque identidem admonendi, nequid domesticorum consiliorum in vulgus referant, in quo vitio pene assidui sunt omnes qui in illustrium virorum ædibus versantur. Est enim, ut *Satyrus* ait,

Lingua mali pars maxima servi:

Sunt itaque non minis solum, sed verberibus etiam & vinculis (si opus sit) coërcendi: domestica quidem disciplina magis quam nostra silentium imponet. *Catonis* illius majoris servi sæpius rogati quid domi fieret: semper se nescire respondisse dicuntur.

De Annulo Prætoris.

Nec annulum quoque his recte commiseris: unus Scriba sit illius custos: scribæ digito & tutius & honestius quam servi aut apparitoris alicujus spectabitur: quanquam ne huic quidem nisi cum opus est, tradendum dixerim: debet enim annulus non alienæ mentis, sed illius solum cujus imperium est, esse testis.

De Provincialium assentatione evitanda.

Vitanda ad hæc provincialium studia & assentationes: quibus admissis nihil esse potest iis, qui reipublicæ præsunt, perniciosius, frons ut diximus, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio vero sæpissime. Hujusmodi hominibus aures haudquaquam præbendæ sunt: eorum adulatio, aut non audienda, aut si audiveris, levis existimanda: non pauci reperti sunt, ac quotidie reperiuntur, qui vanis hujusmodi opinionibus inflati in turpissimos prolabuntur errores: nec tum velim eos aperte damnari, aut eum ignominia repelli: sed immoto vultu, aut paulum exporrecto labello, oculoque pene risum significante audiri: ita, inquam, ut quum multa in gratiam fuerint locuti, nullam sciant se fecisse fidem; nihil profecto est, quo magis id vitium frigescat, quam si se levitatis damnari sentiant, metietur se ipsum Prætor: nec se ut sapiens *Satyrus* ait, extra quæsierit: haud enim difficile erit, quum omnem suæ administrationis rationem diligenter reputaverit, jurene laudetur judicare.

De Delatoribus audiendis.

Pari acrimonia & severitate delatores audiendos dicerem: nisi quod ii reipublicæ causa serius accipiendi sunt, deferuntur nonnunquam ea, quæ etsi vana judicari possunt, ab illis tamen, qui publicam gerunt personam, ne sui muneris videantur obliti, quasi pro veris sunt recipienda: quod si ea, quæ delata fuerint, talia sint unde periculum provinciæ, aut civitatum alicui, aut majestati imminere possit, matura inquisitione cognoscenda sunt: levia vero & quæ cognoscere velle, nullum sit operæ pretium, omnino dissimulanda.

Quæ Familiaritates recipiendæ sunt.

Hos vero in familiarium numero habere non dedignabitur: nam non pauci haberi cupient a quibus nihil præter gratiam & benevolentiam spectari cognoverit, cognoscere aut id poterit ex eorum vita, moribus & fortuna: nec quenquam temere admiserit, immo vero nullum nisi qui tam se provincia abeuntem amaturus sit, quam ab initio fuerat pollicitus: multi sordidi homines sui commodi causa sub primam administrationem magistratuum studiosissimi videri cupiunt, sataguntque omni officio illis gratificari, quod simulatum studium mox cum ipso regiminis processu turpiter senescit.

A *De Muneribus non omnino capiendis.*

Munera quæ speciem quandam aucupii habere creduntur, aut nulla, aut quam paucissima accipiet, ea scilicet, quæ omnino suspicione carebunt: si quidem donantis voluntate & studio cognito, facile & ipsa datorum munerum deprehenditur ratio. Verum parum fuerit suas manus ab hujusmodi illecebris continere, nisi uxor, liberi, ministri quoque, id fecerint: atque ab omni munere non minus quam a candenti ferro abstineat: sordescat necesse est omne ferme lucrum huic, qui ex provincia vult incolumen famam reportare: quæ nullo alio vitio facilius periclitatur, quam avaritiæ suspicione: simul quoque

B illud meminerit, quod præclare a *Platone* scriptum accepimus, oportere eos, qui reipublicæ præsunt, sic civium utilitatem tueri, ut quicquid agunt, commodorum suorum obliti, ad ea referant: sapienter quidem: nemo enim & sui & alieni commodi æque studiosus fuit unquam; obliviscatur, opus est, omnis domestici emolumenti, qui suæ famæ vult consulere. *C. Gracchum* gloriari solitum accepimus, sacculos quos pecuniæ plenos in provinciam detulisset, se domum vacuos reportasse.

De Factionibus compescendis.

Civiles discordias, superba odiosaque factionum nomina, quæ magnas sæpe civitates everterunt, aut

C imperii majestate tollet: aut si ita sint, ut inveterata odia tam cito tolli non possint, non ab re fuerit prætorio edicto, severaque animadversione ad tempus consopire: mira, quis nescit, opus erit prudentia ad hoc ipsum quod dicimus consequendum: sed majore quadam cavendum est, ne quandoque commissa provincia fame aut peste laboret: dixissem, ne laborare incipiat, nisi alterum præstare divinum sit potius quam humanum: satis vero consuluisse videbitur, qui alterutram pestem si non illico ortam, non tamen adhuc grassantem consilio & diligentia oppresserit.

De Provinciæ Lustratione, & ultima Satisfactione.

D Nec interim gravabitur intra annuum munus semel ac sæpius, si opus sit oppida, municipia, & conventus provinciæ circuire: nec magno ad hoc utetur comitatu, ne aut ob nimium sumptum sit civitatibus ejus accessus gravis, aut nimis formidabilis, quod non modo non jucundus esset, sed odiosus etiam, oderunt enim quem metuunt, ut est apud *Ennium*, quin potius, sint omnia humanitatis plena, nullus terror nisi malis prætendatur: quod vel ipsum severitatis & justitiæ nomen præstare poterit: reliqua moderationis plena esse oportet, intelligant omnes eum ut custodem, non ut tyrannum: ut hospitem, non ut exploratorem, & publica & pri-

E vata tecta subire. *Cato* ille senior, cujus nuper mentionem feci, cum *Sardiniæ* Prætor urbes adiret, sine rheda adiisse dicitur, publico uno ministro sequente, qui vestem ferebat & thuribulum, quo rem divinam faceret: sed quum alioqui ob severam animadversionem esset omnibus formidolosus, ejus tamen accessus ut modestiæ erat & continentiæ plenus, ita omnibus jucundissimus. Demum circumacto anno antequam provincia decedat, & se & suos omni alieni æris onere exsolvet, voletque & publice & privatim omnibus satisfactum. Quum itaque hæc omnia præstiterit, optimi Prætoris functus erit offi-

F cio, eximiamque ex ipsa provincia laudem omni quidem triumpho præstantiorem merito reportabit.

FINIS.



MAR-

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI, DE SCRIBARUM OFFICIO; DIALOGUS.

CALPHURNIUS.



Uis te huc ad nos Deus appulit *Sabellice*? *Sabellicus.* Ne quæras *Calphurni*, quis Deus, sed quæ causa potius. *Calphurnius.* Istuc igitur ipsum quærimus. *Sabel.* Ut *Pomponium* viderem, quem audio ad nos incolumem ex *Sarmatia* rediisse. *Calph.* Rediit certe: sed ut omnino huc tarde, nam *Pomponius* jamdudum *Ariminum* versus navigat. *Sabel.* Inauspicato ergo huc accessimus. *Calph.* Imo si me audis auspicatissime: nam etsi *Pomponii* conveniundi non datur facultas, quod non vereor quin tibi jucundissimum fuisset, superest tamen aliquid in quo vel biduum te hic mecum oblectare possis. *Sabel.* Tu vero dic si placet quod hoc ipsum sit: cupio enim desiderium hoc abeuntis viri aliqua ratione levatum iri. *Calph.* Dicam *Marce*: proximis his diebus sacerdos quidam homo meo judicio mathematicæ disciplinæ non ignarus, tabulam cum terræ & æquoris figuratione in curia suspendit, ad quam inspiciundam magnum literatorum hominum per aliquot dies audio factum esse concursum. Cupio itaque vehementer te novo huic spectaculo adhibere, atque aliqua ad geographiæ rationem attinentia tecum diligenter considerare: ne graveris igitur hoc biduum nobiscum hic esse, quando ne mora quidem ipsa inutilis futura sit. *Sabel.* Ego *Calphurni* & cupio & opto, tabellam istam videre, etsi per otium vacat, ut ad locum me continuo ducas vehementer te rogo. *Cal.* Mihi satis quidem vacat, quando ita tibi cordi esse video, atque nunc si ita libet, eamus: sed ecce video *M. Aurelium* solum in curiæ vestibulo deambulantem: conveniamus si placet, hominem: nam qui eo commodius nos ad locum trahere possit, est nemo. *Sabel.* Cur non? si sic est. *Calph.* Salve Mecœnas. *Aurel.* Quid tam otiose hodie *Calphurnius* nostra hæc terit limina? quod nisi festis diebus facit fere nunquam. *Calph.* Ut cum hoc nostro *Sabellico* hanc vestram tabulam, velut illam *Phidiæ Minervam* in arce locatam viderem. *Aurel.* Estne hic ille *Sabellicus*, de quo tu alias ad me non pauca? *Calph.* Ille quidem. *Aurel.* Gaudeo plurimum contigisse mihi te videre, etsi quid *Sabellice* (nam ita tua postulat virtus) in me est, quod conducere tibi posse putes, gratissimum mihi feceris si nostra opera quandoque uti voles. *Sabel.* Merito te Mecœnatem omnes nostri seculi poëtæ vocant *Aureli*: sed quod ad istam tuam liberalitatem attinet, cumulatissimum ego a te officium accepisse putabo, si posthac me in tuorum numero habueris. *Aurel.* Quid habuero, imo libens faxim, ut te in meis familiarissimis esse brevi omnes intelligant. Sed quid vobis *Calphurni* cum nostra tabula? *Calph.* Cupiebamus, ut dixi, vehementer eam per otium considerare, ad quod ipsum tua opera nobis opus est: nam neque omnibus, ut audio, neque semper videre volentibus ad eam patet accessus. *Aurel.* Sic certe est, ut ais, velut nunc, quum proximo loco senatus habetur: sed quid ista opus est festinatione? Vos poëtæ quia otiosi & quodammodo feriari vivitis, nullam temporis jacturam plus æquo æstimare debetis. *Calph.* Quasi vero nos qui Musarum sacra colimus, desides & inertes jure habeamur.

A *Aurel.* Non ita inquam, ut poëtas desides vocem id volo videri a me dictum: absit a me, ut nomen illud quod semper summa veneratione colui, ulla verborum incessam petulantia: sed ut præ laboriosa hac & vere curiosa vita quam nos scribæ agimus, vestram istam (quia sibi tantum deserviat) nostro jure otiosam appellemus. *Calph.* Sunt ne ita tot & tanta scribarum officia *Aureli*, quanta vos prædicare soletis? nam ut libere dicam quod sentio, omnino res ipsa neque ingenio, neque doctrina, neque industria magnopere indigere videtur. *Aurel.* Falleris profecto, & quam onerosum sit hoc munus omnino ignoras *Calphurni*.
B *Calph.* Quale sit istud ipsum, aut quam magnum non intelligo: etsi per otium potes, id nobis demonstrare, parati sumus, ut pro nostro *Sabellico* spondeam, id libenter audire. *Aurel.* Et vacat (nisi quid interim acciderit) & libet vobiscum aliquantisper esse, atque de hujusmodi munere aliqua disserere, postquam vos ita velle video: sed ne pedibus stando, longiore fortassis sermone, quam expectatis defatigemini: concedamus, si placet, in eam porticum, quæ e regione est. *Calph.* Tuum est optare locum, in quo velis esse Mecœnas: quod autem ad nostram operam attinet, nos ubique parati sumus te libenter audire. *Aurel.* Scio id ego & gaudeo vehementer: sed ecce ab
C iis qui locum tenebant nobis venientibus ultro ceditur. Utamur eorum humanitate, dum ipsa interim de re dicetur, incipiam. Conjecerant omnes qui prope aderant in *Aurelium* oculos, qui ubi illum sedisse apparuit, de re non parva disserturum: tum vir ille, ut non inhabilis erat ad dicendum, in hunc ferme modum est de scribarum officio dicere exorsus.

De Officii partitione.

Scio ego, viri optimi, nec ut puto fallor, a vobis fando aliquando auditum, *Platonicas* partitiones, non solum omnem disputandi legem constituisse, sed lucem etiam maximam his rebus attulisse, quæ
D nullo sermone illustrari posse videbantur. Divini igitur hominis doctrinam secuti nos quoque partitione utemur, ne quid a nobis obscure, aut parum perspicue dici videatur. Primum itaque neque unum esse scribarum ordinem dicimus, neque idem omnium munus: quamquam non ita diversos esse dicimus, ut quasi alias virtutes in aliis, & non omnes in singulis, si fieri possit, esse velimus. Pulchrum est, quis nescit? in omni humanæ vitæ gradu excellere, atque longe aliis præstare, quod haud quidem fieri potest, nisi hic qui omnium maximus videri velit, idem sit & optimus. Ausim itaque ab eo qui egre-
E gius scriba & videri & vere dici velit, cumulatissimam, ut ita loquar, virtutem requirere: sed quia tum nostra desidia, tum vitæ ipsius brevitate fieri non potest, ut plenum quidquam ab homine proficiscatur, de his quæ in primis necessaria sunt, & sine quibus nullo pacto officium, de quo loquor, constare potest, breviter disseram. Verum antequam de his dicere incipiam, pauca de veteri hujus ordinis institutione & apparatu, altius nobis repetenda sunt: & ut Divina humanis præferantur, quod in omnibus censeo fieri oportere, ab iis qui rerum sacrarum curam sortiti sunt, proficiscetur hic sermo.

De veteri Scribarum Officio circa Sacra.

Horum autem institutio quam sit vetus, vel ex hoc quod dicam, intelligi potest. *Ægyptii*, qui mortalium antiquissimi perhibentur, rerum sacrarum scribis ferme semper usi sunt, quod & *Syri Judæi*, qui, ut *Strabo* tradidit, ab illis originem traxere, fecisse dicuntur: id divinæ humanæque literæ testantur. *Græci*, qui fortassis hunc morem, ut literas aliunde advectas suscepere, inter primos civitatis ordines hunc ipsum retulere. Hos autem viros innocentissimos ab initio fuisse, atque eosdem sapientissimos credere æquum est: quippe qui non tantum sacrarum pecuniarum summa fide rationes administrabant, sed & rerum divinarum doctrinam, cerimoniarumque ritum percallebant, ut si qua sacra instituenda, si quave mutanda essent, non ministros solum, sed autores quoque se eorum sacerdotibus pontificibusque exhiberent: oportuit hos quoque veterum factorum & temporum in illis contentorum non mediocrem scientiam habere, quum eorum ministerio multis his addi consuevissent, multa subtrahi, interdum non pauca immutari; quid quod si *Herodoto* credimus, nonnulli in hoc ordine reperti sunt, qui non vulgaria quædam de situ orbis, vel in primis de *Nili* ortu, de quo & *Græci* & *Latini* scriptores nihil affirmant, disputare sunt ausi: sed quid aliena ac minus nota sectamur? Quæro an quatuor illi spectatæ fidei & sanctitatis viri, qui Evangelium scripsere, plene scribarum functi sint Officio: quid Divi *Pauli* epistolæ, quid reliquorum, an aliud munus quam hoc ipsum de quo loquor præ se ferunt? quæ quantum & divinæ & humanæ sapientiæ contineant, vel ex hoc judicari potest, quod pro mortalium consensu, inter Divinas lectiones quotidie referantur, & ut taceam reliquos, quid præpetis illius aquilæ Apocalypseos libri, an aliud quicquam quam secretarii optimi sapientissimique officia continent? nonne cœlestis mens illa quasi domicilium Trinitatis scrutata, velut per manum traxerit hominem ad veri Dei cognitionem, ab ipso Divini verbi principio exorsa, secretissima mysteria miro præconio retexit? Diligentis Scribæ est, quis nescit? salutiferi Principis consilium gentibus significare: Scribæ optimi tam publicanda dicere, quam tegenda cælare. Cæterum summi Pontifices Divina opera imitati, nonne & ipsi quoque jam inde a primis Ecclesiæ incunabulis hunc ordinem penes se esse voluerunt? per quem omnia quæ ad ornamentum religionis attinerent memoriæ mandarentur: eos ego esse puto, quos nunc vulgo protonotarios appellant: sed plura fortassis quam oportuit de his diximus. Venio nunc ad eos qui hæc terrena curant, in quibus quanto earum rerum status corruptior est, ac proinde facilior lapsu, eo majore innocentia, industria, & doctrina opus est, ne quid per inscitiam, aut ignaviam, aut fraudem, offendatur.

De necessariis virtutibus Scribæ.

Oportet itaque eos qui in hac humanæ vitæ parte, & quasi in media hominum luce versantur, amplissimique alicujus Principis, aut liberi populi, aut magistratus nascentes excipiunt curas, exceptas fideliter aut tegunt, aut transfigunt, præter cætera singulari doctrina, spectata fide, amœno liberalique ingenio & industria & providentia non modica esse præditos. Nam ut de doctrina loquar, quo nam modo hic honoratus scriba publicis rebus par esse poterit, nisi sit idem & literatissimus, ac plures, si fieri potest, percalleat linguas? Enimvero non video qua ratione hic idem (quod in hoc Senatu frequenter usu evenire solet) aut *Græco* aut magis ignoto sermone notatas literas sit recitaturus, qui tantum *Latine* sciat, atque illud ipsum, quod deterius sit, fortassis non recte teneat. Quid quod interdum aut orandum, aut respondendum, aut disputandum est peregrino sermone? quod ab iis qui nostratem hunc tantum sortiti sunt, minime præstari poterit: quid de nostratibus literis lo-

A quamur, quarum si quis imperitus sit, multo honestius se curiæ præconem quam scribam destinabit: sed ut est perdita quorumdam audacia, reperti sunt non pauci ac quotidie reperiuntur, qui sine literis in amplissimas aulas migrare sunt ausi, quorum imperitia pene prius nota fuit, quam facies; sed quid mirum? nullum certe vitium facilius deprehenditur, quam arrogans ignorantia. Redeo ad id, de quo dicere institueram. Non video inquam qua ratione quispiam hujusmodi muneribus, de quibus ante diximus, sine multiplici doctrina par futurus esse possit, & ut cætera omittam, horum certe est Senatusconsulta, principum edicta, magistratuum decreta, dictare, quæ quoniam suasione,

B autoritate, æquo rectoque non carent, quis eam recte navabit operam, nisi idem orator sit, jurisque & æquitatis non imperitus? quid quod idem de quo loquor, si is sit quem esse oportet, nonnunquam in magnarum rerum consultatione, aut in senatu, aut apud Principem magistratumve suam rogatus non inepte dicet sententiam: eaque fortasse affert, quæ iis quorum ea est consultatio, quanquam e republica essent, non succurrebant: id haud facile præstabit, nisi qui varia sit lectione imbutus, qui antiquorum principum, populorumque consilia, exempla, stratagemata, jussa, decreta, atque ipsos denique horum omnium eventus cognoverit?

C *Onesicritus*, *Calisthenes*, & *Anaxarchus*, & reliqui sapientiæ Professores, qui ex *Græcia Alexandrum Macedonem* ad ipsum ferme solis ortum secuti sunt, si quis recte opinetur, Scribarum munere potius quam Philosophorum penes illum defunctos, arbitrabitur: quippe qui non solum illius gesta, sed omnia memoratu digna scrutati suis scriptis æternitati consecrarunt: quæro an ad *Brachmanas* & *Gymnosophistas* visendos *Onesicritus* cujus paulo ante mentionem feci, mitti potuisset, nisi (quod fecit) de rerum natura ipse quoque primo congressu scite sapienterque disserere potuisset: quo factum est, ut non magis Imperatoris fa-

D ma, quam legati sapientia adducti, duo ex arenoso illo Gymnasio *Onesicritum* secuti, non cæci cæcum, ut dicitur, sed sapientes potius sapientem, in *Macedonum* castra venerint. Quotidie præterea videmus eruditos nostri ordinis viros, amplissimas legationes apud summos Principes potentissimosque reges cum dignitate obire: quod ab imperito homine, quia eruditione, ac proinde prudentia caret, expectari non potest.

De Fide Scribæ & Taciturnitate.

Necessaria est, ut plane ostendimus, eruditio futuro Scribæ, sine qua vix magis illi officium constare poterit, quam materia ulla sine forma. Nunc

E autem de fide, quæ non minus in eo requiritur, quam doctrina, breviter dicam: quid enim virtus ipsa, de qua proxime verba fecimus, quid prudentia, quid denique cæteræ virtutes sine fide valebunt? & omne quidem scribæ officium sine illa imperfectum & mancum esse oportet: ac tam secreta credentibus, quam Secretario perniciosum. Est quis non videt? Scribæ quasi cor & mens curiæ: quippe qui & nascentes patrum curas sentiat, & natas velut sanctissimum sacrarium custodiat: quo factum est, ut non uno in loco hic idem secretarii nomen obtineat: cui eo major fides constare debet, quo majora sibi negotia velut credi, omnes multa & magna sibi credi

F volunt: sed quo opinionis hujus consequendæ studiosiores sumus, eo majore taciturnitate præditi esse debemus, ne levitatem admittamus, quod, ut aliquando consequeremur, multum diuque nobis elaborandum duximus. Sed nihil sapienti viro tam facile est, quam linguam frænare, ut stulto difficile. Debet præterea hic idem meminisse fidem, ut *M. T.* placet, dictam ab eo quod omnino fieri debeat, quod promittitur: qui secreta Principis, senatus, alicujusve magistratus sibi credi voluit, debet silentium, quod promisit, præstare, ne in hoc

hoc ipso peccet, in quo maxime probari voluit: & brevi in hac luce & simplicitate delectabitur, hanc solam in maximis minimisque rebus intuebitur, qua qui præditus fuerit, secretarii nomen vere est adeptus: sed adhuc de ea fide loquimur, quam alio nomine fidum silentium appellare possimus. Verum si aliqua interim aut scribenda, aut recitanda, aut interpretanda sunt, fraus omnis abesse debet, quæ fidei inimica est, atque non mediocriter cavendum, ne quid plus minusve aut scribendo tribuatur cuiquam aut eximatur, quam illi qui ea mandarunt voluere, quod inepti quidam & temerarii longe secus
B faciunt, qui partim negligentia eorum quæ mandantur, partim temeraria arrogantia quod ea quæ nondum audivere, quasi se divinitus tenere arbitrantur, sæpe ea dictant aut scribunt, quibus nihil magis contrarium diversumque esse possit ab eorum mente, quorum jussa erant secuturi. In eo quoque turpiter falluntur quidam, fidem & innocentiam publicis in rebus sanctissime custoditam, in privatis violant, quasi vero non sit idem semper peccare, & plus a recto recedat is qui magistratum, quam qui privatum hominem prodiderit, aut alia fides publicis, alia privatis rebus adhibenda sit: sed hoc sciant qui huic virtuti student, quique a fraude quam longissime abesse volunt, oportere fidem homini in
C cunctis constare, atque in omni humanæ vitæ actu primum ei locum tribui debere: quod qui ita esse statuet, nunquam ab hoc, de quo loquor, officio aberrabit.

De Scribæ ingenio & urbanitate.

Non fides parum & doctrina, ut satis abunde monstratum est, ad nostri ordinis officium consummandum attinet: ac nescio an ea duo cæteris exclusis id possint efficere, non æquum est credere, sed proculdubio ingenio quoque opus est: hoc qui caret, nihil omnino feliciter tentabit. Hinc illud *M. T.* nihil invita *Minerva*, atque ita esse manifesto apparet;
D nam ne ab instituto sermone recedamus, qua alia ratione hic ordo sibi aut gratiam conciliabit, aut quibus charus jucundusve esse poterit, nisi liberali quadam urbanitate, mansuetudine, facilitate, atque reliquis hujusmodi virtutibus quæ ad concilianda hominum studia non parum valere creduntur, polleat? sit doctus licet, sit spectatæ fidei vester Scriba, nisi his artibus se illis insinuarit, quibus gratificandum putat, recte licet dicat, faciatque omnia, omnino tamen ingratus fuerit: nihil est enim odiosius aulica rusticitate: declinabit parum ab hoc vitio, cujus scripta genio non carebunt: appello hoc
E loco genium gratiam quandam, quæ in iis quæ scribuntur etiam solet elucere, nec possem aperte dicere, quid sit illud quod in simili figura atque materia alia lectio magnopere delectet, alia tædio afficiat: sed ut video pluribus placere perspicuitas est, quæ præcipuam gratiam affert orationi. Claro itaque & perspicuo sermone utetur ingeniosus Scriba, omnia quæ aut dictabit, aut scribet, non significare, sed effingere, ac propemodum percipientis mentem cælare videantur: sed de scribendi ratione paulo post dicemus. Nunc redeo ad illud, de quo agere institueram. Ineptus quidem, ne dicam ridicu-
F lus erit ille, qui quum necesse fuerit, neque ingenii facilitate, neque urbanitate ulla queat eorum mentes versare, quibus charissimus esse cupiat, & quod ad hoc ipsum attinet, non video quo pacto multorum sibi gratiam conciliare possit hic, qui nec benigne quemquam appellare soleat, nec appellatus officiose respondere. Dii boni nesciunt dura & inepta quorundam ingenia, quid valeat humanitas: appello humanitatem facilitatem illam in homine sive potius comitatem, non dico erga eos quibus omnino parendum (nulla enim invita actio virtus dicenda est) sed in illos qui humili loco & fortuna

A constituti immensum se putant accipere beneficium, si in suis negotiis transigendis ab aliquo nostri ordinis recto, ut dicitur, oculo inspiciantur: quid si ope, consilio, commendatione, aut hortatione aliqua juventur? Hæc omnia nisi ab eo qui sit facili & amœno ingenio præditus, præstari fere non consueverunt. Verum hæc minora sunt, illa autem quæ sequuntur omnino non parva: multa prudenter dicta, acute responsa, memoria teneat, & quasi ad manus habeat hic idem necesse est, ut quum opus sit sese quasi clypeum molestis magistratuum interpellatoribus objiciat, eorumque sophis-
B mata, pravas tergiversationes, licentiosa dicta, liberius responsa, moderata dicacitate, & si opus sit acri etiam disceptatione eludat: sit autem dicacitas ipsa non illiberalis, sed urbana atque ab omni scurrilitate aliena: turpe est enim pro ingenioso ridiculum, pro urbano scurram, se effingere.

De Scribæ industria & prudentia.

Sunt hæc, quis non videt? ut necessaria; ita & utilia quæ diximus: sed industria quoque his addenda est, eam alio nomine, quando propinquius ullum non invenio, diligentiam nominabo: ejus autem qui fuerit expers, quid deceat, verum scribat, aut nunquam, aut omnino sero intelliget: ac si quid
C interim recte dicet, aut faciet, quoniam id ipsum casu potius quam aut consilio, aut diligentia profectum creditur, vix ulla secum videtur ferre posse gratiam: qui autem virtutis hujus studiosus fuerit, nihil non suo tempore efficiet: maturabit negotia, non præcipitabit, eritque in omnes sui muneris partes semper intentus, illudque præcipue curabit, ut si quæ dictanda scribendave fuerint, mentem ejus cujus facit jussa, quasi in tabella quadam figuratam, & verborum proprietate & sententiis exprimat: a qua virtute remotissimi sunt illi, qui inertia & stupore quodam pressi, omnia potius scribunt quam quæ scribenda fuerant: sed hæc non minus prudentiæ
D sunt, quam industriæ, de qua quia locus ipse postulat pauca subjiciam. Efficit enim illa, ut non incerta pro certis habeamus, quod qui faciunt, in turpissimos sæpe labuntur errores, suntque non sibi solum, sed illis quoque quorum nomine scripserunt quam perniciosissimi. Beneficio itaque memoriæ ad hoc ipsum in primis opus est, ea ut *M. T.* præclare demonstrat, maxime exercitatione augetur. Cavebit ille qui munere hoc fungitur non sibi solum, sed iis quoque quibus aut rescripta, aut senatusconsulta, aut privilegia, aut quid aliud simile dictaverit, ne quid plus minusve scribant, quam is cui parendum
E est, mandaverat. Et quia nunquam satis cavisse nocuit, non gravabitur ipse epistolarum magister, is dico qui epistolas dictabit, diligenter inspicere, ne quid aut barbare, aut confuse, aut præpostere scripserint, qui dictata excipiunt, quod ipsum non magis eis qui fecerunt vitio vertitur, quam qui corrigere debuerunt. Et quia nemo tam sæpe perspicuitatis fuit admonitus, quin idem adhuc sit sæpius admonendus, hujus si mihi credit virtutis amator erit, hic qui omnibus placere studet: nec est quicquam quod nostros homines magis alienet a gratia eorum quibus in primis placere cupiunt, quam
F obscurus dicendi stylus, verbaque parum usitata, quod omnino valde difficile est, ut incolumi elegantia perspicuitas nobis constare possit, quandoquidem hoc ipsum quibusdam literarum prorsus ignaris, sæpius præstari oporteat. Scio ego nostras literas hoc nomine tanquam vitiosas ab ineruditis quandoque male acceptas, quales fuerunt illæ, in quibus pro beneficii pensatione, hostimentum erat: sed tu hoc non ignoras *Sabellice*. Audio enim te quum *Hunnii* nostræ literæ recitarentur publice, ad ejus verbi interpretationem accersitum: subdurus quis nescit tum multis sum fortasse visus, tibi vero cui hæc nota

sunt, non modo non durus, sed olorina, ut dicitur, pluma mollior. At me Hercule sic est, pravo hominum judicio cogimur relicta scribendi lege indoctis auribus placere: sed quid cogimur dixi? coguntur fortassis alii, ego quod ad me attinet, nunquam hujusmodi rumoribus adduci potui, ut imperitorum studium secutus, parum elegans videri passus sim: at sic ego probo recte scribendi scientiam, ut veritatis rationem in primis habendam censeam: malo enim simplicem ignorantiam, quam vitiosam eruditionem: & brevi is sciat se prudenter ac recte agere, qui veritati in primis consultum volet: nec illud quidem ab officio de quo loquor alienum existimo diligenter considerare, sedatone animo an percito & irato sint ii qui nos aliquid scribere voluere: & quia nullus est affectus qui longius a ratione recedat, quam ira, quæ vere dicta est una omnium affectuum non trahere mentem hominis, se præcipitare, prudentis est, ut dixi, officium, mandantium iram & asperitatem verbis mitigare, atque ea

A scribere, quæ ille, quem commotum cernimus pacato animo jussisset: inhæreat præterea Principis magistratusve lateri, aut non procul absit diligens Scriba, ut si quid accidat, continuo vocatus adesse possit: sigillum autem sive annulum, aut illico ubi eo usus est, restituat, aut secum non pigeat gestare: omnino non recte multis creditur, quod vix uni aut alteri ad summum credi solet: non parum suæ æstimationi consulit, qui omnem peccandi materiam suis aufert. Restant adhuc non pauca, quæ de hujusmodi ordinis officio dici poterant, quanquam ex iis quæ diximus, facile intelligi potest, quam onerosum & arduum sit hoc, non autem leve & ignavum,
B quemadmodum tu *Calphurni* existimabas: eram ego materiam adhuc copiosius tractaturus, sed video magistratuum apparitores senatorum cymbas ad ripam accersere: & ecce ipsi quoque prodeunt. Valete viri optimi, & quando aliquid otii nacti eritis, huc ad nos revisite.

F I N I S.

MARCI ANTONII SABELLICI,
RERUM VENETARUM,
PANEGYRICUS PRIMUS, QUOD GENETHLIACON INSCRIBITUR.



UIS superum mihi plectra dabit? Quis certa roganti.
Otia pandet iter? Cirrhæaque in antra receptum
Instruet Aonio cantu? videt Adria mater
Pulchra diem flavi quo Tibridis æmula tandem
Abluit æquoreis nascentem fluctibus urbem:
Urbem terrarum imperio pelagique potentem
Quam gremio complexa fovet: Non Phœbus & Euan:
Non mihi Pegasides dederint in carmina vires
Ex Helicone Deæ: Tu qui super æthera magnum
Præpetibus volitas pennis, quique ardua cœli
Scrutatus miranda canis, pater urbis aquosæ
Dexter ades cœptis; neque enim nunc horrida bella
Condere fert animus, vanasque cupidinis artes:
Sed gentis, dux alme, tuæ primordia, & urbis
Dulcia nascentis sunt incunabula curæ.
Tu, genus antiquum, causasque, & tempora rerum
Da vatem memorare tuum: si grata vetustas
His tibi dive locis Pario de marmore templa
Quæsitumque procul Phario de littore corpus,
Æternum imperii pignus, sacravit honore.
Denique cœlicolûm si nulla frequentius ara
Humana pietate calet: terraque marique
Supplicibus votis Veneto tibi Marce litatur:
Da faciles cursus (sunt nam tua cærula & undæ,
Quicquid ubique jacet) da tuto insistere portu.
Sparserat antiquæ fatum lacrymabile Trojæ
Dardaniam sobolem miseranda sorte per orbem.
Hinc alias alii, divum responsa secuti,
Sortiti terras: gelido pars una sub axe
Constitit: hi Libyen profugi videre calentem.
Hesperias illi gentes majoribus acti
Auspiciis: sedit Laurenti littore victor
Dux Anchisiades Romani sanguinis auctor.
Hinc Vesta illa potens, arcanaque sacra, penates,
Silvia progenies, Albanaque purpura patrum:
Hinc gemini fratres, proles Mavortia, & ingens
Roma fuit: Roma imperio quæ insignis, & alta
C Fruge virûm sese sublimibus intulit astris.
Undivagam sed qua vetus excipit Adria Tethym;
Quaque latus lævum vicinæ nubibus Alpes,
Squalentesque humeros pene alto in gurgite tingunt:
His mediis terris quas flumine sulcat amœno
Hinc Silis, inde rapax Athesis, post Pergama bello
Evicta, Antenor per ferrum lapsus: & ignes
Argolicos, fatis concessa sede quievit.
Ocior hic cursus (nec enim tam grandia rerum
Pondera moliri, fatorum immobilis ordo)
Sed melior fortuna fuit, quæ certa trahebat
Imperia, & nullos unquam frustrata nepotes.
Venerat Antenor: sed non Sigeia tantum
D Dardanii sunt signa viri Regemque secuti.
Ipsa viæ comites dederat sociosque laborum
Eventus fortuna parens, quos Cromnia mater
Miserat ad Trojam Venetos, quum Phocidos aulis
Tot Danaas classes ultriciaque arma teneret.
Hic circum Ilicas arces dum sæva cieret
Prœlia, magnanimum regem furialis Enyo
Abstulit, & Stygiis undis damnavit & Orco.
Morte ducis perculsa phalanx Antenoris armis
Hæserat: at postquam Priami domus excidit ingens,
Exilii comites facti, per tela, per hostes,
Perque novos casus, & mille pericula rerum,
Euganea potiuntur humo. Tum Troius heros
E (Virtutes ne virûm: an divûm responsa secutus,
Incertum est) quoscunque sacra deduxerat Ida:
Quosque dedit Scythicis undis objecta Carambis
Nomen ferre jubet Venetum, Venetamque vocari
Quæsitam bello terram, populumque laremque.
Quis (proh fata Deûm, & tu sors ignota futuri!)
Crediderit gentem extorrem tam magna daturam
Momenta Hesperiis rebus totque urbibus olim?
Tot populis mite imperium regimenque futuram?
Sed sic Byrsa potens, parvis sic Martia Roma,
Exortam auspiciis paulatim scandere cœlo
Progeniem meminere suam. Primordia cunctis
Esse dedit natura parens non grandia rebus.

Nec


Nec lætis mora longa fuit ſucceſſibus inde
Condidit Antenor ſpatioſis mœnibus urbem,
Euganeumque ſimul dudum fera bella moventem,
Haud ſemel evictum, patriis procul expulit oris.
His magni Alcidæ comites, poſt Martis Iberi
Prœlia, & infames ſuperatas curſibus Alpes,
Conſedere locis: alto cognomine faſſi
Sanguine ſe claro genitos. Tum major haberi
Res Venetûm, cœpitque novis ſe gloria rebus
Tollere, & Oenotrios longe tranſcendere fines.
Quantum flava Ceres, Cererique immixtus Iachi
Cultus habet terriſque vagus diſcurrit amœnis
Hinc qua frugiferos ambit celer Abdua campos
Littus in Adriacum, ſeptenaque ad uſque Timavi
Flumina ab Arctoa rurſus cœloque nivali
Præcingunt Alpes, tepidoque infuſus ab Auſtro
Eridanus, Venetis tantum conceſſerat armis:
Victriciſque tulit gentis terra Itala nomen.
Tantarum ſed triſtis opum mox cura, laborque,
Per dubios rerum motus, perque horrida bella,
Succeſſus fregere novos: hinc Gallia fractis
Alpibus: inde ferox ſurgens Germania, & omnis
Arctoi rabies cœli, læta otia terræ
Motibus aſſiduis, ſubitoque evertere bello.
Nec meminiſſe juvat quotiens ab origine prima
Fluxerit huc Rhenus Rhenoque nocentior Iſter:
Aut quas hic rerum clades, quas vexerit ille,
Nec quam præcipites poſt Gallica damna procellas
Sparſerit hic terris Geticis furor excitus oris:
Sed quid nunc Scythicas clades? quidve Hunnia dicam
Tempora? in Heſperium nomen tum protinus omnem
Europam juraſſe putes: (proh fata dolorque!)
Cardine ab extremo devexerat ultima Tethys
Infandas armorum acies, infandaque bello
Pectora: non ullam niſi quam fecere ruina
Contenta ire viam; diros arcere furores,
Non potuit vis ulla Patrum, non ipſa nivoſis
Occurrens natura jugis: non flumina ſævis
Curſibus: Oenotrias ſubito gens dira tumultu
Fregit opes, ſparſum vidit miſerabile vulgus
Adria mœſta ſuum, pulſumque a ſede vetuſta
Æquoreis trepidare vadis, medioque profundo
Caſibus infractum, terramque & ſumma paventem
Sidera. Parce novo nimium indulgere dolori
Cromnia progenies: & tu precor Adria mater
Præſentes cognoſce deos, hiſque annue fatis.
Si domus Aſſaraci Phœbeaque mœnia nunquam
Verſa forent flammis: non inclyta Roma fuiſſet.
Carthago non illa potens, ni morte Sichei
Fraterniſque ejecta dolis Sidonia Dido
Exul in ignotis ſediſſet fœmina terris.
Quid vehat ignoras ſeges hæc immenſa laborum,
Exiliumque frequens, disjectaque fata tuorum.
Quid ſi res Venetas tot ſævis caſibus actas
His ſiſtat fortuna locis, medioque profundo
Deſtinet imperium manſuraque limina genti?
Haud aliter quam quum ſaxo concuſſa vetuſto
Pars montis divulſa ruit, ſubitoque fragore
Concidit in pelagus: tum quamquam vertice multo
Emineat, pateatque recens licet area Ponto,
Huc tamen inſtabilem fluctus propellit & illuc,
Nec certo finit eſſe loco; ſi cœperit unquam
Inniti illa vadis, fundoque cohæſerit imo,
Inconcuſſa manet, longoque immobilis ævo
Ventorum ridet rabiem: pelagique furentis
Aſpernata minas, ſtatio eſt tutiſſima nautis.
Nunc tibi cuncta labant, triſtique impulſa ruina
Fata premunt: verum fœda hæc & dira remittet
Tempeſtas, aderuntque tui ſine turbine ſoles.
Sunt mundi rerumque vices: has terra fretumque
Alternis agitant, alternant ignis & aer.
Uſque adeo ſummis una minimiſque negatum
Certo ſtare loco, ſtabilique inſiſtere curſu.
Hoc quoque triſte nefas, & ineluctabile fatum,

A Excutiet ventura dies: jam candida parce
Incipient lætis tibi currere ſtamina fuſis.
Immenſum ſuccedet opus, Venetiſque ſorores
Fatorum adjicient miranda volumina rebus.
Sed quid ego hæc tanquam venturis obruta ſeclis
Nec dudum vulgata cano? nil maxima tellus
Quod majus miretur habet: nil denique pontus
Quum Venetas reſpexit opes, famamque, decuſque,
Imperium, & mediis ſurgentem fluctibus urbem.
Quin potius, ſacros quando hæc ſibi vendicat ortus
Æternum memoranda dies, huc ſedulus ultro
Pieriam contendo chelim; ſed læta paranti,
B Dicere adhuc ſuperant, quæ candida plectra morentur.
Vix etenim ſævi jam vulneris alta cicatrix,
Cœperat exactis ſenſim ſe obducere luſtris,
Cæruleoſque abſciſſa ſinus, disjecta capillos
Hadria adhuc nitidos lachrymis tergebat ocellos
Invidiam factura Deis: quum triſtis ab Arcto,
Ripheiſque excuſſa jugis; vis Hunnia flammis
Obruit incautam, nec jam graviora timentem
Quam dudum perpeſſa foret: tum denique fatis
Littus, & ejectæ ceſſerunt mœnibus urbes.
Ac velut, æſtivis ſubito quum menſibus anni,
Induit obſcuram faciem ſub nubibus æther
Fulgurat, & toto crebreſcunt murmura cœlo
C Tum ſi forte ruat rutilum per inania fulmen,
Disjiciatque cadens veteris faſtigia templi,
Excultumve caput ſurrectæ ad nubila turris,
Cœleſtis dum flamma micat, dum cuncta fragore
Diſſiliunt, gremio complexæ pignora matres
Attonitæ ſine voce ſedent, nec cura futuri
Ulla metus mentes tremefactave corda recuſat.
Interea ſi flamma recens, majorque ruina
Concidat, irato terris Jove: tum pavor amens
Omnia præcipitat; jam ſeſe & cuncta periſſe
Mens humana putat. Talis fuit Adria, tales
Supremis evicta malis ſub pectore curas
Verſabat, quum jam ferus omnia perderet Hunnus.
D Jamque Aquileja potens, placidaſque Limenis ad undas
Exciderat Scythicis pinguis Concordia flammis.
Altinumque vetus, doctæque Antenoris arces.
Jam vicina freto tellus, & nobile littus
Ter face barbarica merſum, triſtique favilla,
Sparſerat antiquos prætenta in ſtagna colonos.
Flebat Amyclei cultu ſpoliata Timavi
Nympha vetus, patriſque moras damnabat inertes.
Quod non ſeptenis, Dryadas quum forte videret
Attonitoſque malis Faunos incumbere ripis,
Aſſurgens vidiſſet aquis, clademque levaſſet.
Flebat, & inniſos quærebat condere fluctus
E Damnatis Cilina vadis; his queſtibus ire
Mœſta per arva Silis, viduiſque Liquentia campis.
Has alii centum jactati fontibus amnes,
Exequias patrio lachrymaſque in fundere buſto.
Paulatim ſed triſtis hyems ſeſe illa remiſit:
Ceſſit & ipſa maris genio fatiſque futuris,
Per tot luſtra tenens ſeries immenſa malorum.
Tum nitidi venere dies vultuque ſereno
Fulſit uterque polus: mediis tum blanda ſedentem,
Fluctibus extorrem gentem complexa benigno
Excepit fortuna ſinu; deceſſerat olim
Invita Auſoniis terris, atque urbe Quirini,
Imperii quum pompa vetus, nomenque decuſque
F Biſtonias Latio prefſerunt pondere terras:
Optaruntque locum regno ſceptriſque futuris,
Hic qua Cyaneis agitatas cautibus undas
Tranſmittunt tenui Neptunia clauſtra meatu,
Quaque freto Inachiæ veſtigia preſſa juvencæ
Triſtia dant, rapidos teſtantia nomina curſus.
Illa quidem lachrymis vultumque obducta per omnem
Oenotriam faſces Romanaque ſigna ſecuta eſt.
Mox ubi dilectæ ſuperis confinia terræ
Attigit, hic hærens lachrymis ſic creditur orſa:
Te ne ego, terrarum ſpecimen, Saturnia tellus,

Cujus dextra potens rerum moderatur habenis,
Dum ſequor incertas fatorum conſcia curas,
Deſtituam? tu ne immodicis aſſueta triumphis,
Quæ virtute virûm rebuſque innixa ſecundis
Sub pedibus domitum terrarum deſpicis orbem,
Præſidio ſpoliata deum, veterique favore,
Mox ruere incipies, retroque abjecta referri?
Non erit hinc cultrix Tarpejæ rupis ut olim
Imperii fortuna comes? vix excidet omni
Ut reor Heſperia; nec, ſi jam littore toto
Submoveor, primaque vetor conſiſtere terra,
Fluctibus in mediis ſedes optare recuſo.
Dixit & Oenotriis egreſſum finibus agmen,
Fulgenteſque aquilas, tot jam quibus illa per annos
Fida comes fuerat, lachrymis ſpectat obortis.
Tum fletu perfuſa genas, miſerabilis uno
Obtutu defixa ſedet, mœretque tuendo,
Dum procul ire videt, totiſque excedere campis
Signa mari terriſque olim gratiſſima, nunquam
Ad viſus reditura ſuos; tum denique ab imo
Pectore dat gemitus, poſtquam vaneſcere contra
Omnia proſpexit, ſenſimque affecta retorſit
Lumina in Auſonias terras, qua Martia ſeptem
Roma ſedet tumulis, lacrymanſque hæc ore locuta eſt:
Felices inquit ſedes; felicia templa,
Romuleique lares; quos demum invita reliqui
Accipite (extrema namque hæc vos alloquor hora)
Ilicet æternum jam me Deus avocat ille,
Ille Deus qui cuncta regit, qui cuncta gubernat,
Cujus juſſa ſequor (neque enim mihi certa poteſtas
Qualem Roma putas, finxitque indocta vetuſtas)
Illius immenſis alienas quærere ſedes
Cogimur imperiis ſed tu mortalia tantum
Deſine mirari, non arx eris orbis, ut ante.
At pietatis eris; dixitque, & juſſa ſedere
Finibus Heſperiis, immenſas ſuſpicit Alpes:
Suſpicit, & coelo ſurrecta cacumina damnat,
Perpetuaſque nives, liquidumque per aëra lapſa
Præpetibus pennis: varioque inſignis amictu,
Perſtringit gelidum talaribus Apenninum.
Hinc vada proſpexit Vari, ſcopuloſque Monœci,
Devexumque latus quod Gallica verberat unda,
Quoque Ligur ſuccinctus arat; mox littore lævo
Accelerat limoſque oculos huc flectit & illuc.
Protinus occurrunt injectæ fluctibus arces.
Incubat & vacuum præſcribit flexibus orbem,
Ingeminatque inſtans plauſus, geniumque locumque
Pene probat; ſed fata vetant: ſimilemque volenti
Sidere convellunt. Ligurum confinia Macran,
Thuſcorumque avulſa videt, jamque Herculis ara
Offert ſeſe oculis, jam jam ſe lucidus Arnus,
Tyrrhenas placido qui gurgite verberat undas.
Huc quoque deflexit volucris fortuna parumper
Lumina, & avertens liquidas agitata per auras
Præpes iter celerat; nec te Populonia mater
Reſpicit, aut pigros veteres, pingueſve Graviſcas.
Hinc procul inſpecta flaventis Tibridis unda
Ingemuit, mœſtoſque oculos detorſit in Auſtrum.
Ac velut orba parens natum quum luget ademptum,
Ne totiens doleat lachrymaſque effundat inanes,
Proxima buſta fugit, cinereſque videre ſepultos
Mens affecta nequit. Romam ſic illa propinquam
Non potuit ſpectare ſuam: ſed concita curſu
Inde procul fugiens Laurentia præterit arva.
Nec Circeja juvant Ithacis immitia regna,
Dirave Læſtrigonum ſedes, non Dardana nutrix,
Non littus Phrygio quod quondam inſigne ſepulchro
Æmulus effecit Triton, non nobilis urna,
Aula nec Iſmario periit quæ Acheloia cantu.
Præterit inde tuos tumulos Palinure, nec ultra
Reſpicit, æquorei refugit vernantia Pæſti
Littora, non Siculam patitur ſpectare Charybdim
Scillæoſque audire canes, latrantia ſaxa.
Inde averſa ruit, nec te Lacinia plauſu,
A Herculeive probat littus geniale Tarenti.
Linquitur Ioniis obnoxia fluctibus hydrus,
Quodque ſatis fida potuit ſtatione placere
Brunduſium: fugit illa tuos Gargane receſſus
Quæque inculta ſecat Latio fatalibus undis
Aufidus: & Venerem quam Dorica perdidit Ancon:
Hic quamvis late circumſonet Adria fluctu.
Non Senonum placet ora ferox, non proximus illi,
Multifido qui ſe traducit in æquora lapſu,
Eridanus: nec quæ pelago dedit Adria nomen.
Alludit ſed læta locis: ſentire putaſſes
Jam fatale ſolum, terraſque aſtare repoſtas.
It procul, ac celeres curſus librare per auras
B Incipit, & læto ſeſe demittere plauſu.
Spargitur Adriaco paſſim non una receſſu
Inſula, qua Dorim infuſam, lateque vagantem
Littus ab inſano fluctu defendit, & Auſtro.
Huc, ſimul iratum præſenſit Nerea Tethys,
Natarum comitata manu ſe proripit alto,
Glaucaque furtivo complectens flumina nexu.
Æquoreas undas undis fluvialibus ultro
Miſcet, & ignoto geminat nova pignora furto.
His fortunatis nullus tunc incola terris,
Aut (ſi fama vetus vera eſt) perrarus agebat:
Laſcivis ſed ſparſa choris per denſa vagari
Agmina nympharum, lentaque ſub arboris umbra,
Naidibus mixtæ Nereides alta fovere
C Otia, & aprici, vernantia littora circum,
Spargere fatidicos cantus ad ſidera cigni.
Subſtitit, & mentem Oebalio demulta canore,
Terque quaterque vagos repetitis plauſibus orbes
Explicat, &, cœlo ſenſim demiſſa ſereno,
Fata ſecuta Deum felicibus incubat oris.
Sic ubi in Eoo reparavit ſecula buſto,
Senſit & inviſa ſe exutum membra ſenecta
Lætus ad Æthiopas remeat, terraſque beatas
Aſpiciens læto phœnix clangore ſalutat.
Tum vero inſontes populi, quos pallidus auri
Nil movet aſpectus, viſa procul alite currunt,
D Allapſamque polo excipiunt, votiſque receptæ
Mille optant annos majoraque tempora vitæ.
Tam placido fortuna gradu, præpeſque volatu
Affuit, & ſuperum vatis allapſa per auras
Deſilit æthereas: lætos ſentire putaſſes
Acceſſus toto plaudentes æquore nymphas,
Proſtratumque fretum, ripiſque inflexa canoris
Flumina, & hæc circum meditantes carmen olores.
Illa autem cœlo libratis molliter alis
Labitur, & ſtabiles dextro ſibi numine terras
Deligit, atque omen ſecum fert læta futuri
Imperii: cui terra olim ſerviret, & æquor.
E Tempore jam ex illo palam ſuccincta ſedebat,
Exceptura ſuos felix fortuna colonos:
Quos ubi dejectos vidit jam ſede vetuſta,
Infractoſque malis medio ſibi quærere fluctu
Effugia, arridens ſeſe venientibus offert,
Pronaque in amplexus duplices ſimul explicat ulnas,
Suſcipit, & trepidos pergit complexa fovere.
Non ſecus ac viſo perſonæ horrentis hiatu,
Quum natum trepidare videt, matremque vocare
Præcipitante metu, fit nutrix obvia, & alte
Excipit: ac fotum gremio jam vana timere
Blanda vetat, ſecumque novos miſerata pavores
F Abſtergit lachrymas, mulcentiaque oſcula figit.
At non admotos tunc reſpicit Hadria vultus,
Non blandos irata ſinus: quin plorat & odit
Infandas tot paſſa vices. Jam ſederat alto
Septa mari miſeranda manus: juveneſque ſeneſque,
Conſorteſque thori, traductaque pignora nati,
Ipſaque nobilitas, præſagia certa futuri
Imperii: hortatur ſparſum per cærula vulgus
Damnatas totiens bellorum caſibus urbes
Linquere, & undoſo circumdare limina ponto,
Manſuroſque optare focos, pro mœnibus unda

Stet, quibus adverso quæque exeat obvia bello.
Hîc mansura domus, fas hîc servare penates
Cladibus innocuos, fas libera jura tueri.
Extulit his animum dictis generosa juventus,
Consiliumque probat; jam jam mens omnibus una
Deserere infaustas terras, altumque tenere.
Jam tegetes, humilesque casæ, jamque alta palustri
Culmina consurgunt calamo: pro dulcibus arvis,
Littus & unda placet, proque ipsis mœnibus, alta
Æquora, multivago sese cingentia fluctu.
Bis terdena vago distinguitur insula Nereo
Quas rerum natura parens collegit in orbem,
Omnia cernere erat has intercrescere cultu,
Quotque salo steterant numero tot castra putasses
Disponi, & vastis simul oppida surgere campis.
Urbs erat una tamen: sed qua stetit alta profundis
Insula septa vadis, hinc atque hinc ardua ripis,
Res dedit ipsa loco nomen: nil cædere turbæ
Sedula nobilitas, urbique intenta futuræ
Hortatrix operum stabat, pariterque movere
Consilia, ut cultus genti, utque immota maneret
Relligio qua parte forum, qua prima senatus
Limina, & his cultrix superûm consurgeret ara.
Et jam tempus erat quo aversi cornua Tauri,
Auratumque caput, radiorum verbere pulsat
Phœbus, & a tergo vectorem respicit Helles.
Vernabat stratum Zephyris mulcentibus æquor,
Sidereique poli sese jam mollibus horis,
Induerat varios tellus adoperta colores.
Certabant passim scopulis: & littore curvo,
Æquoreæ volucres, alterno ad sidera cantu.
Ibat in amplexus sublimis & oscula natæ
Juppiter, & læto radians Cyllenius astro
Infernum fugiebat avum, mersumque profundo
Æthere, & Antipodum meditantem prælia Martem
Hæc erat astrorum felix concordia, & anni
Temperies, quando vulgi claudente corona
Nobilium stetit ille palam venerabilis ordo:
Hic urbis, quæ prima piæ fundamina genti
Ponere, & extructo placuit nova limina saxo.
Non augur lituo innixus, de morte vetusto,
Inspecturus aves, extisve admotus aruspex:
Sed pius in nivea productus veste sacerdos
Constitit ante aras, supplexque hæc ore locutus:
O mundi supreme parens, o rector olympi,
Qui super æthereas nubes, & sidera, trina
Majestate sedes, profugis, da conditor orbis,
(Nam tua turba sumus) mansuram sedibus urbem
Condere? quam tumidæ amplexam pro mœnibus undæ
Perpetuo servent, pergantque augere nepotes.
Si jussu, pater alme, tuo vultuque potenti,
Aethere se medio tellus libravit & æquor:
Si volucer discretus aquis sublimius ignis
Constitit, obliquo septenaque sidera lapsu
Contendunt adversa, polo totque ardua secum
Lumina perpetua raptat vertigine mundus:
Si cœli rerumque vices, si mensis & anni,
Quæque inferna tegunt, tua grandia jussa sequuntur:
Da stabilem sedem, mansuraque mœnia dextra
Hunc populum fundare pia, da fluctibus altis

A Crescere nascentem lætis successibus urbem.
Per te antiqua ratis, quum cuncta immersa jacerent
Diluvio, incolumis per cœrula vasta cucurrit,
Rectoremque suum, servataque semina rerum
Restituit terris, qua primum illæsa resedit.
Ter tua, dum Judam servas, Nilumque Pharonque
Dextera percussit, tumidamque refregit Erithen.
Cui per lustra vago rigidis e cautibus undam
Elicis, & largo immensis erroribus actum
Rore levas; tantum pietas vetus illa movebat.
Tu genus humanum, & sortem miseratus iniquam
Antiqui sceleris, quum cœlum & cuncta teneres
Ingenti complexa manu, te virginis alvo
B Includi, atque humili cingi dignatus amictu,
Passus & exiguis quæ sunt immensa coire.
Non ortus latuere tui: procul astra secuti
Grandia ab Eois portarunt munera reges,
Thus simul & mirrham, mirrhaque potentius aurum,
Obstupuit latices versos in pocula Bacchi
Mundus, & admissa multos jam morte receptos.
Terga insueta potens glauci tua planta cucurrit
Nereos, & vacui tibi janua cessit Averni.
Te Stygii tremuere lacus, te pallidus Orcus
Fugit, & admissam tenebrosa in tartara lucem.
Tum vero illa vetus numerosaque turba piorum,
Postibus eversis Erebi, fractisque catenis,
C Vindice te superas victrix emersit ad auras.
Denique si cœlum, si te ipsa elementa sequuntur,
Observantque tuos labentia tempora nutus,
Dexter ades, votisque piis, pater, annue, & aram
Hanc tibi perpetuam præsenti numine firma.
Da populum antiqua se relligione tueri,
Successusque augere suos, da grandibus ausis
Digna eventa precor, stabit sine divite cultu
Nunc hæc parva tuo, quæ nomine tollitur, ara.
Nuda colet pietas; at si non irrita vota
Hæc fuerint, centum his terris tibi grandia templa,
Cœlitibusque tuis radiabunt marmore & auro.
Dixit & intonuit læva de parte serenum,
D Juveruntque preces populi non improba vota,
Et favor & tacitis conceptum mentibus omen.
Jam deus, & lætis labentia cursibus astra
Signa dabant manifesta polo: jam mollior annus,
Et formosa dies aderat, si vera vetustas.
Hæc lux illa fuit mundo quæ prima recenti
Fulsit, & e summo missam quæ sensit olympo
Prima dei sobolem. Plaudebant omnia cœptis
Sidera, terra, fretum, fervensque accentibus æther;
Jam vero superûm monitus, & læta secutæ
Omnia, mille manus, operosaque bracchia mille,
Sese operi expediunt, pars hæc fundamina sacris
Prima locant aris, instant pars claudere sulco
E Et qua tecta fori; nec adhuc miranda sederet
Curia sed qualem rerum fortuna sinebat.
Sic fervebat opus, passimque antiqua locorum
Mutari facies, pro culmo ulvaque palustri
Consurgunt fragili postes, & limina texta.
Materies hæc prima fuit; nam marmor, & aurum,
Et quibus ipsa recens urbis nunc forma coruscat,
Illa vetus meruit pietas: peperere nepotes.



MAR-

MARCI ANTONII COCCII SABELLICI,

DE

VENETÆ URBIS APPARATU,

PANEGYRICUS SECUNDUS,

QUOD ORACULUM INSCRIBITUR.


HIc ubi in alterno fortuna immobilis æſtu
Accubat, & rebus non impacata ſecundis
Dat pelago variare vices, tibi maxime rector
Undarum cui glauca cohors deſeruit & omnis
Thetyos aula vagæ (ſi vera eſt fama) per umbram
Reddita vox cœlo tua grandia fata retexit.
Illa per obſcuram noctem dum ſponte per artus
Inſinuat ſe grata quies, allapſa jacentem
Terque quaterque ciens, ultro hæc tibi fatur ad auras:
Hic ubi ſacratos actus, & grandia regis
Monſtratis monumenta tui, magne aliger orbi
Undoſis qua ſepta vadis nunc hoſpita tellus
Te tenet, æternum tua molliter oſſa quieſcent.
Annueras fatis; ſed quæ tam certa futuri
Tunc mens auſa foret, clara hæc penetralia cultu,
Hoc rerum ſperare decus? quis limina divum
Tercentumque aras poſſe hoc conſurgere fluctu
Crediderit vates? ſed ſic cui ſumma poteſtas
Juſſerat immotas deducere ſtamina Parcas.
Nuda erat hæc terræ facies, quam ſtagna refuſi
Nereos, & placido ſulcabant flumina curſu.
Nondum cœlicolûm ſedes, hominumve ſuperbi
Fluctibus extabant poſtes: non littora circum
Aurea ſublimes feriebant ſidera turres.
Stagnanti non ulla freto navalia, nulli
Remorum pulſus, non lenta celeumata nautûm:
Sed pelagi planctus audiri & queſtus ad auras
Nocturnus volucrum.
At quamvis hominum cultu deſerta jacerent
Omnia, credibile eſt (nam mens afflata propinquo
Numine, fata videt, fati nec cæca futuri
Ulla obſtat caligo piis) tibi nocte ſilenti
Hanc, quæ ſparſa jacet ſpatioſa per æquora molem
Obverſatam animis, curviſque hunc flexibus orbem.
Scilicet, arcana ſuſpenſus luce, per umbram
Jam mediam, tacito quærebas pectore, qualis
Illa recens templi facies, cui Palladis arbor
Proxima forte fuit? naſcenti occurrere Phœbo
Pergeret, & feſta cervice afflarier Euro:
Clavigeramque ſenis dextram, nomenque magiſtri
Miratus ſervare tui; mox læva per undam
Lumina laxabant longo pomeria ductu.
Extremumque latus gelidam quod ſuſpicit arcton,
Illa vetus pietas baculo ſubnixa tenebat,
Quam non mille olim clades, non morbus, & atra
Funera natorum ſubita fregere ruina.
Humidus hinc limes fluctu tibi viſus aperto
Currere ad Heſperios fluctus, qua Martha ſedebat
Virgineo ſtipata choro dehinc curva per Auſtrum,
Perque ſacras divum ſedes, araſque madentes.
Rurſus ad Eoas currebat ſemita metas.
Hic ſubito miranda vides, per littora, & altos
Fluctibus extantes ſcopulos, quos cærula curvis
Area diſcurrens ſpaciis, complexa tenebat,
Culmina divorum ſurgunt, clarique penates,
Perpetuique lares hominum, ſuprema relictis
Nubibus aëreæ tolluntur ad æthera turres.
Unde hoc quod paſſim tectis, & poſtibus aurum
A Fulget, ais, pelago? quiſve huc quis imetia ſaxa?
Taigetumque tulit viridem: niveamque Cariſton?
Quid ſibi vult hic æquoream concurſus ad urbem?
Quid Tyriæ Phariæque rates hæc ſtagna frequentant?
Divitias huc ferre ſuas quid veſper & arctos
Sic properant? denſæque premunt hæc littora puppes?
Unde frequens ſtatio hæc? ſtipataque puppibus ora?
Quidve ſecant paſſim fluctus tot millia cymbæ?
Quid nunc Chalcidicis obnoxia fluctibus aulis
Jactat mille rates Danaum? quid flebilis Helle
Se ſub Achæmenia queritur jacuiſſe carina?
Majores oriuntur opes; ſed marmore & auro
Hæc quæ templa micant, Petreia nomina ſervant.
B Nimirum manet hoc, poſtquam terrena relinquet,
Clavigerûm penetrale ſenem, limenque vetuſtum.
Hæc quæ ſudificum conſurgit ad æthera turris,
Herbidus & tota campus deſerviet ora.
Fallimur; an contra reſpondet virginis ara?
Ara puellari cœtu venerabilis; heu heu!
Nocturnas cohibete faces, & dira miniſtræ
Semina flammarum; ſed longe cautius ornat
Vicinus ſua ſacra chorus, defendit & ignes
Fatidicus nil damna timens tam triſtia vates.
Nec cui terribiles vati parſere leones.
Quæ moles hinc dextra ſedet? quæve urbis imago
Cæruleis prætenta vadis? navalia mirum
C Ni hæc ſint; ecce rudes, longo nunc ordine, ſidunt
Pontibus æquata tercentum fronte carinæ.
Ec quæ congeries ſparti? quæ immenſa rudentum
Materies vaſta jacet hæc contortilis aula?
Aut quos remorum cerno confuſus acervos?
Velaque Threïcium Boream factura: notumque
Structilibus congeſta tholis? uncoſque tenaces?
Vel quæ vulnificis telis ſtipata recumbunt
Tecta adoperata procul? ni olim mentita vetuſtas
Eſſet vana deos, ſævi hæc ſacraria Martis
Credere, & æquorei poteram penetralia regis.
Tot galeæ, clypeique cavi, tot protinus enſes
Argolicas potuere manus armare Phrygaſque,
D Inter Pergameas arces, ripaſque ſonantes
Fatalis Scamandre tuas, te in Bactra moventem
Nine, & Abydenis metantem Perſida campis.
Mœnibus hic vero campus navalibus hærens,
Herbida quem veſtit facies, ſuccincta pharetris
Agmina quis labor exercet, quid figere metas
Uſque procul tendunt? vel quæ in ſe noſtra retorquet
Lumina tercentum ſtratis domus ardua fulcris?
Suprema pietate patet ſanctiſſima partu
Virginis alma parens, ſed filia ſanctior una eſt,
Læva ſuburbanis incumbit fluctibus, hancque
Undique circumſtant vittata fronte miniſtræ.
Hunc propiore tholo tam tetrica tecta tenentem
E Haud equidem agnoſco: cœleſti lumine quamvis
Os radiat; quid pulla toga eſt? tunicæque nivales
Cœlitis ante pedes? quid tam numeroſa recumbit
Calva cohors? ſtantem cuncti mirantur & orant.
Ignota illa etiam facies extrema prementis
Stagna ſenis, madidos qui longius exit in Auſtros.
Canicies veneranda genis, prolixaque barba,
Mortales oculos humanaque pectora tangunt.

O pe-

O pelagi ventura dies, o tempora rerum!
Quos ego ſuſpicio Pario de marmore poſtes?
Aut quos ſub nivea famulantis veſte miniſtros?
Sed quo jam retro capimur? quæ obliqua ſacrorum
Hanc geminos inter fluctus ſibi vendicat aram
Relligio? aut quales ſurgunt à fronte penates
Cœlicolum regi? ſed cur altaria cultu?
Cur auro gemmiſque vacant? ingrata vetuſtas
Cur non Dalmatico ſplendent hæc templa metallo?
Quem magis altus honos decuit? Sed nuda tonantem,
Nuda juvat pietas: litat hæc non cultus & ara.
Sed mihi quis fletus infantum perculit aures?
Quæ miſeranda manus puerorum hæc curva recurſat
Atria? Scire vetor: rapitorque per arcta viarum.
Nec ſatis agnoſco campo qui cultus aperto
Comminus aſſedit Thrax linguâ hic, Grajus amictu.
Nec propiore tholo multo mihi notior ore eſt
Ille acri qui vectus equo: pietatis amore,
Ignaruſque doli, ſua pallia dividit orco.
Provehor in Boream, gelidamque Lycaonis Arcton.
Ecce iterum immenſi genitrix veneranda tonantis
Seſe offert, gremio centum complexa miniſtras.
Glauca ſub extremis quâ mœnibus æquora rauco
Murmure diſſiliunt, contra lux trina coruſcat
Ulteriore ſolo; nativâ veſte quis ille eſt
Stigmata grata gerens? cui circumfuſa miniſtrat
Turba frequens exuta pedes & fune recincta?
Quod ſimul Oebaliis terris quum bruma cohercet.
Perque Numæ ſilvas denſæ coire palumbes?
Aut quum ſævit hyems paſſim per ſtagna lacuſque,
Æquoreæ glomerantur aves: lentaque ſub umbra
Accubat æſtivis ovium grex Appulus horis:
Tam numeroſa manus pergrata ſilentia ſervat,
Paſtoris decreta ſui, cultumque propagat.
Hæc quæ virgineo frontem vittata decore
Inde averſa ſedet, ſtadio ſubmota virenti,
Nota mihi facies: ſacris operata ſacerdos
Plurima, perque vices ſolennibus incubat aris.
Vel quæ hæc ante oculos dextrâ lævâque recluſis
Porticibus piceæ diſſectaque robora paſſim
Materies projecta jacet? quæ turba pharetris
Certat Ituræas ſumptis imitarier artes?
Eſt domus an potius ſunt hæc penetralia divûm
Porro æquata polo? gemini faſtigia fratres
Alta tenent: ſed ferri acies intenditur illis.
Infandas inhibete manus; neu perdite ſævi
Inſontem ſobolem; jam jam pietatis amore
Optat uterque mori, cœloque admota rependunt
Supplicia; alternum ſidus fulgebit uterque.
O merito proles cœlo ſpectanda: quid ultra
Vana Therapnæos miratur Græcia fratres?
Martigenas quid Roma ſuos? Acheronta recluſit
His ſua cuique dies; at vos convexa tenetis
Sidera: vos pedibus lunam calcatis & aſtra.
Sed cui Chalcidico latè hæc pendentia ſaxo
Mauſolæa vacant? quando huc aut unde relatæ
Exuviæ? Phrygios arcus, Scythicaſque ſecures
Aſpicio; ſed ſcire nefas, quo ex hoſte trophæa
Hæc ſint, aut quales paſſim pendentibus umbræ
Claudantur tumulis. Quis plenis calvus inerrat
Porticibus cœtus nigranti cultus amictu?
Heu quæ flamma nocens hæc aurea tecta profanis
Poſtibus invaſit? nocturnæ occurrite peſti,
Ferte citi lymphas, jactatis ordine ſaccis.
Invaluit ſed dira leves; heu damna meorum!
Artis Apelleæ quantum nox abſtulit una?
At meliora adſunt: latè tenet improbus ignis
Omnia, nec deeſt in medium qui conferat aurum,
Quique trabes & ſaxa ferant; en altera rurſus
Mœnia, & aurato ſurgunt faſtigia ſaxo
Nec procul hinc geminæ conſurgunt virginis aræ:
Quarum dextra ſitu ſaxoque exeſa vetuſto,
Stat rudis aſpectu: nec quem poſt terga reliquit
Agnoſco Divi faciem: nec notior ore eſt
A Hic qui doctiloqua meditatur murmura lingua
Aurea verba ſonans; aſt hæc, quæ læva recumbit
Virginis ara recens, proh quanto aſſurgit honore?
Quid ſibi vult hominum ſubitus concurſus eodem?
Quid chorus iſte recens? congeſtaque munera totis
Poſtibus? Arridet Spartano blanda metallo (venæ,
Frons procul; hanc Libycæ commendat purpura
Niliacuſque lapis, Phrygiuſque, & quicquid Hetruſco
Littore Luna ſecat, ſecuitque Argiva Caryſtos.
Sed rapimur dum plura ſequor; quæ Graja ſacerdos
Vicina regione ſedet vittata capillos,
Pallenteſque affecta genas, pallamque recincta?
B Nec ſatis ille ſenex notus, cui tempora cana
Mitra tegit, ſacroque caput conſurgit honore.
Dulcior affatu: quamvis & murmura linguæ
Nil triviale ſonent. Jamque in ſe noſtra retorquet
Lumina ſiderei mater formoſa tonantis.
Sed quid me feſſum rapiunt hinc fata retrorſum?
Objiciturque procul juvenis? qui nuda revinctus
Membra jacet mediis flammis, nec dira recuſat
Supplicia, admotumque rogum non ſentit: honore
Percitus arcano; hinc oculis, hinc pectore toto
Pendet, & admotas non reſpicit ore miniſtras.
Accubat ardenti, ſuras nudatus & ulnas,
Contectuſque humeros ventriſque extrema rigenti
C Cortice, demiſſi cui ſunt pro veſte capilli.
Nimirum hic ille eſt celebrat quem maximus orbis,
Quique tuis caſtum fatorum conſcius agnum
Jordanes immerſit aquis; vox ferrea mundo
Inclamat, properate viri, ſit ſemita regi
Undique aperta ſuo. Sed quid crucis agmen ad aras
Conſpicor armiferum? vel quæ manus impigra circum
Excubat? an nunquam ſtatio hæc tam fida remittit?
Heu nimium ſegnis, quid me mea vota morantur?
Per geminos ſcopulos ſurgentia limina divum:
Hujus dextra quatit palmam, quatit ille ſiniſtra
Præmia devictæ per tot certamina terræ.
Fallor? an arcanos cœli ſcrutata receſſus
D Hæc avis illa potens, quæ nunc ſuper ardua mundi
Præpetibus volitat pennis, nunc læta relabans
His ſacrata vadis ſibi debita templa reviſit?
O divum memoranda domus, circumflua tellus!
Ecquæ nam ſuperum non his ſimulacra coruſcant?
Littoribus, ſparſis en circum tempora canis,
Fatidicus vates, magnus cui voce ſacerdos
Proditur ante diem terris: nunc ſidera pulſat
Vertice, & exhauſtis uni cadit Ida metallis,
Dalmaticumque latus, Chalciſque undoſa reſedit.
Miratur ſua templa ſenex, miratur honores
Fœmineumque chorum, & plena ſacraria divis.
Cui ſuper impoſito parva hæc vacat ara ſacello?
E Aut qualem ante oculos proles Alpheia molem
Suſpicit? ex ſummo ſurrecta palatia cœlo
Miratur; quorum late candentia duro
Saxa adamante rigent? falluntque cacumina ſenſum?
Hic te ſuſpenſum dudumque incerta moventem
Marce, reor raptum (neque enim pia credere cuiquam
Arbitror eſſe nefas) liquidumque per aëra vectum
Continuo ante fores aurataque limina templi
Aligeri ſtatuiſſe manus, qui miſſus ab alta
Affluit arce poli: ne te tua fata laterent.
Tum vero ambiguos viſus per cuncta ferentem
F Hærentemque animo, nec adhuc bene prima tenentem
Limina, purpureo affatus ſic cœperit ore.
Quid tu ſuſpenſus premis hic veſtigia? divum
O Cœtus aucture ſenex, lux fida piorum!
Ne dubita nil vana vides: tibi nuncius adſum
Sedibus æthereis, teque hic ventura docebo.
Hæc templi facies quæ marmore ſplendet & auro,
Cujus adacta polo radiant faſtigia Grajis
Artibus, & fulvo ſignis diſtincta metallo,
Tergeminaque procul ſurgens teſtudine pendet,
Tercentum nitidis hinc atque hinc fulta columnis:
Cui venoſa Thaſos latus hoc præſtruxit, & illud

Taigetusque virens, nec non cerealis Himetus.
Aspice quam variis serpant Aarota figuris
Sparsa solo: quæ vestit onyx quæ blandus Apistos
Molle rubens croceros, maculisque inspectus Ophites.
Et nomen cui flamma dedit: gyamosque thaosque
Quid Carchedonios pretiosaque nomina mille
Venarum confecta loquar? sacraria quanquam
Sint hæc digna Deo: multum veneraberis illis.
Te postes te summa colent fastigia, nulli
Serviet usque tholus plus hîc: tibi tota vacabunt
Limina, post cineres defunctaque membra jacenti
Hîc tibi certa quies. Age nunc tibi fata tuorum
Expediam; cernis vacua hæc ambita vetustis
Atria porticibus, sublimis curia lævam
Degravat? an spectas qualis consederit ordo?
Biscentum coiere senes, quos purpura vestit,
Canicies mento, & tacito venerabilis ore
Majestas; vetus illa fuit, fuit indole talis
Curia quam doctæ quondam vidistis Athenæ:
Vidit & intonsos talis sua Roma Quirites.
Aspice ut in medium sedeant, censere parati,
Quisque æqui rectique tenax, ut cultus in auro
Sublimisque throno sedeat velut arbiter illis,
Purpureus quem velat honos, cui candida barba
Subnixus solio tacite moderatur habenis.
En tibi quam nullo subeat suprema tumultu
Limina patricius nec supplex ambiat ordo:
Sancta sed immoto servet vestigia ritu.
Subter strata fori, trepidis subsellia fervent
Septa reis; iræ hic regnant, rabiesque, dolorque,
Ancipitesque metus, infandaque murmura vulgi.
Ima tenent sontes, damnataque crimina sævis
Suppliciis, gemitus cæcis tractæque catenæ
Insultant tenebris, quod si componere fas est
Nomina perpetuis fato debentia rebus:
Sic procul æthereis Styx sedibus atra recessit.
Infernique lacus: sic jam minus improba pœnis
Quamvis dira satis consurgunt mollius arva,
Elysiis vicina jugis. Tuque impiger adsis
Et mea digressus latè hinc vestigia serva.
Hæ geminæ quarum fastigia celsa columnæ
Astra petunt, scelerum diras expendere pœnas
Aspicient sontes: toto nec major in orbe
Justitiæ tum cultus erit; sed suspice qualis
Fulget apex, quantumque illi sit sideris instar
Dum procul igne micat; nec quæ subjecta recumbunt
Sint tibi tecta moræ: latè hæc sine currat & illa
Porticus: & spatiis late discurrat apertis
Area. Sed postes & pulvinaria divûm
Luminibus serva; nec quas post terga relinquis
Bassanas mirare fores: sacraria pandit
Nascenti geminæ tulerint cui nomina sortes,
Nomina nunc noctis tenebris immersa, sed olim
In medium ventura diem? Jam respice quales
Virgo tenet sedes celebrat, quam terra fretumque
Suspiciunt, quam templa poli, quam tartara rursus
Effugiunt eadem multùm statione propinqua
Miratur laudatque senis pia limina vatis.
Quæ procul æquatis tollunt se frontibus ultro,
Hæc vetus, illa recens, ambæ sed virginis aræ.
Sed quæ dextra sedet, quam supplex turba fatigat
Assiduis votis, cumulatque altaria donis,
Assidet huic custos succinctus murice, palmam
Concutiens dextrâ, sublimique hospite gaudet.
His submota locis, fluctuque injecta trisulco
Culmina prisca colet, saxoque instructa vetusto
Maurius: ignotus terris nunc Marce, sed olim
Insignem faciet pietas; fovet altera magnus
Aliger, ante polos Pontumque & Tartara mecùm
Mente satus purâ, rerumque ab origine primâ.
Respice ut ejectum pedibus premat aureus hostem
Victor, & examen librans stet pronus in hastam.
Sed caveas, lux fida poli, ne corruat ingens
Turris apex, feriatve cadens per inania fulmen.

A Proxima templa tenet, lapidoso infringitur imbri
Cui juvenile caput Solymis dejectus adustis
Procubuit, moriensque manus servare nocentes
Urgentis populi didicit, crimenque levare.
At nunc diffusi carpit pius ille cruoris
Præmia: stant aræ, nitido stant culmina cultu,
Sacrificusque chorus; sed quæ mora segnis inertes
Nos tenet? eja oculis opus est, & præpete gressu.
Huc ades, & divûm quæ sint prope templa docebo.
Hæc quæ amplexa crucis gestat venerabile nomen
Regibus infestum Stygiis, cui nobile flavum
Præcinxit diadema caput: memorabilis olim
Multum prole sua, sed famam cultumque perennem
B Culta dabit pietas, stabit succincta ministris,
Hospitii memor antiqui, vatisque propinqui,
Martyris inde aram trinis prope fluctibus udam
Respectans, nunc adde gradum, & vestigia retrò
Corripe, & hunc nigro lævâ qui occurrit amictu,
Atque hujus dextra perstringas limina plantâ
Acceleransne quære precor; sunt nomina prorsus
Nunc ignota viris: sed erunt post inclyta terris.
Collegæ secreta tui, nec tecta requiras
Quæ contra abducta se condunt fronte: per æra
Perque graves sonitus properans atque arcta viarum,
Differtas opibus cerne hinc atque inde tabernas,
C Nobilis auratâ qua semita currit ab arâ.
Nec te tantarum teneant miracula rerum:
Sed divos mirare tuos, sedesque beatas.
Jam tibi notus erit vicinâ sede propinquus
Cui subducta viæ non grandia templa recumbunt.
Haud procul aspicio antiquæ testudinis aurum
Quam rerum servator habet; stat proximus illi
Exsectam qui humeris pellem, ceu pallia, portat.
Non ratibus te ripa frequens, non fervida pontis
Agmina defigant, nec quas Germania dives
Explicat hinc merces, illinc sua stamina Seres.
Quin errata prius repetens tria compita retrò
D Prospice bissenis sacratam fratribus ædem.
Hinc Sophiæ penetrale sacrum, campumque virentem
Qui jacet ante fores: & quâ mox dextra recedit,
Ut virgo stet cincta rotis, irasque minaces
Negligat, & fidens solium miretur & ora,
Virginis ora suæ; prohibent hæc dira timere
Supplicia. Auxilio ternis simul excubat aris
Diva parens: hinc signa movens victricia nati:
Tercentum inde viros, pietas quos junxit, alitque:
Hortanamque manum; magni hanc tutela gigantis
Arma timere vetat. Sed quis madet usque supremis
Fluctibus? an spectas regum hic qui ex stirpe creatus
E Ut miseras contemnat opes? diademata calcet?
Cernis & inde senem diversa in parte sedentem
Quique utrâque manu divina volumina versat.
Cesserit ille licet meritò tibi magna paranti
Scribere, & ingentes quisquis cantaverit actus,
Et regis monumenta pii: post ecce virentem
Vendicat ipsa viro dulcis facundia palmam:
Et nunc virgineum proprius jam respicit agmen.
Sed majus miratur opus, quod ad ubera cernit
Virginis admotum cœlum qui & cuncta creavit.
Hoc stupet ille senex: non grandia tecta, nec aurum
Servitiumque frequens, plenisque altaria donis.
Hoc stupet adverso obtutu Marcellus: & oræ
F Arbiter extremæ Felix, & juncta duobus
Fusca sedens divis nec non pia cominus unctrix,
Flaventes resoluta comas, tergensque capillis
Quos sine fine pedes lacrymis rigat anxia sacros.
At qui præcelsâ stat nixus turre sacerdos,
Quique altis objecta vadis altaria servat,
Idem olim Oebalio quâ Carnica regna Timavo
Late obversa jacent, post te tua templa tenebit.
Nunc age & hic sævâ insignem quem compede cernis,
Quantus erit, nunc scire nefas: sed in astra receptus
Hisque olim terris templo sacratus, & arâ

Ul-


Ultro aderit, manicas nexis & dura relaxans
Vincula. Dexter abi & celeri fastigia gressu
Pontis age exsupera, nec quæ post terga relinquis
Sint tibi tesqua moræ, licet his plus fuderit auri
Posteritas opulenta locis, quam Lydius Hermus
Volvat, & Hesperiis Tagus impiger obruat undis,
Nec procul illa senis facies, toleratibus apta
Humanisque invicta malis, quæ suspicit Arcton,
Extremamque urbis calcat miserabilis oram,
Te teneat: nec quæ circum navalia crebro
Artificum resonant pulso non atria, & una
Permixtæ pueris lusu glomerante puellæ.
Sed tu quid dudum spectas? quid lumine fixo
Respicis auratam collegæ immobilis urnam?
Jamque hinc tolle gradum, & qua se tibi cernuus offert
Fatidicum cognosce senem, qui turris ad ima
Accubat, & rectam mecum per operta secutus
Perque salicta viam, duplicem properemus ad aram
Virginis hanc: placitura procis (mirabile dictu)
Lumina cui rapiet cœlo devota volenti
Virginitas, ne offensa ruat; jam Graja Carystos
Sicanio dives meditatur dona sepulchro.
Sanctior affinis longeque beatior ara,
Cui sacrata dabit venerabilis hostia nomen.
His dare thura focis, discreta sede ministras
Olim cernere erit: nunc densis ripa salictis
Undique operta jacet; nec qui modo separat Isthmus
Arctior allapsam Tethin fluvialibus undis
Semper erit: nec cur jam desinet esse requiras;
Quin dextrum potius scopulum pes occupet; illic
Qua datur apricis statio nunc ardua mergis
Immodico stipata choro, miranda sacerdos
Nuda pedes & reste latus succincta sedebit.
Talis in adversa famulantum cœtus arena
Per stygios gestata lacus, & flumina averni,
Nunc nitido radiata polo crucis alma fovebit
Signa tenax; nec qui extrema metatur in ora
Limina, piscator quondam, nunc incola cœli
Marce tuum remoretur iter: deserviet illi
Quamvis casta manus, multusque altaria circum
Stabit honos; quin ambo adversam invisimus oram
Fluminis? & retro scopulum per aperta remensi
Littora? devexæ facies hæc parva lacunæ.
Discimus, ut sedes divis (mirabile dictu)
Una duobus erit: reddet tamen ampla capacem
Relligio. Caput incanum barbamque verendam
Prospice nunc vatis palmas mirantis & ulnas,
Quæ regem tetigere suum; sed discere dignum est,
Gaudeat ut lucu lætusque recumbat in umbra
Nec semper brevis hæc quæ amplectitur area lucum,
Quum Zephyri spirant: calamis stridebit & ulva.
Mille simul radii percussas pectine telas
Percurrent sonitu; nec quæ mox Gallia & omnis
Daunia tendebunt, lassent tot vellera dextras.
Hic quoque post geminos pontes suspectus ad auras
Qui tibi surgit apex, rueret nisi divus ad ima
Accubet innixus lateri; servetque vetustis
Sedibus ambiguam molem; stat proximus illi
Cui optare thronos cœli Zebedeia conjunx
Inscia fatorum nixa est; linque ocyus aram
Cœlitis, & vastos surgunt qui à fronte penates.
Nunc rerum simulachra vides: sed vera nepotes
Omnia conspicient. Hæc quæ lacrimabilis urna
Tollitur ante oculos, gemina cum stirpe parentes
Conteget, effigies quos torserit impia tauri.
Corruat hic anceps vertex, qui nutat ad auras
Qua tholus hic dexter delubraque sacra recumbunt,
Ni regat ancipitem molem teneatque supremæ
Virginis alma manus, subnixaque cominus ara.
Sed tu marmoreos postes limênque venustum
Ne nimium mirare precor: quin protinus hinc te
Proripe, & accelerans surgunt quæ templa propinquo
Limite, cui pateant ne sit cognoscere curæ.
Huc geminam sed flecte aciem qua lenis ab Austro
A Flectit in Hesperios sensim sua flumina soles
Medacus, scopulumque sinu curvoque meatu
Alligat implicitum: nomen vada grance madenti
Alta dabunt ripæ. Siluis nunc, Marce, coruscis
Omnia mersa jacent: olim commercia mundi
His fervere locis, Maurosque videbis & Indos
Mercibus alternis inter se jungere dextras.
Quicquid habet rerum tellus, huc quicquid & æquor
Puppibus advectum pretio mox transiget orbis.
Hærebunt ripis oneraria turba carinæ,
Et vocum ambiguo resonabunt cuncta susurro,
Quid fora terna loci memorem? mensasque beatas?
In mensisque ingens argenti pondus & auri?
B Aut quid votivam trepidatis ignibus aram?
Quantaque porticibus geminis spatiabitur umbra,
Hic ubi in extremo riparum margine mollis
Silva viret: quicquid nunc lenior occupat alnus
Nobile marmor erit; tantum mutare valebit
Longa dies. Surget juxta vicinior astris
Pons opere insignis, ripamque amplexus utramque
Fluminis, & cunctis calcandus gentibus olim.
Hujus dextra latus claudit quæ terra sub altis
Aggeribus, gemet Alpinis tumulata metallis.
Par onus excipient passim conclavia centum
His differta locis: sed onus puto gratius illis.
Namque Arabum messes & odoris mercibus Indus
Horrea stipabunt: accumbet ditior intus
C Area; portabunt procul huc sua munera Seres,
Hesperiæque rates tepidis quod mersit ahenis
Docta Tyros, Coæque olim radioque coloque
Explicuere manus; nihil ambitiosa vetustas
His conferre queat; stabunt venalia longo
Margine riparum populo quæsita receptis
Obtulit hospitibus quæ mystica dona sacerdos,
Nec plus hic infra majorave pondera rerum
Quam supra æquatis suspendet lancibus auri
Posteritas. Nunc adde gradum, mecumque retrorsum
Aspicies densa stipatas merce tabernas.
Nec nova Academiæ facies, sacrataque divi
D Limina detineant: sed tendere longius ultra
Perge precor, gentisque tuæ cognosce futuram
Luxuriem. His mensis quarum nunc conspicis umbram
Cernere erit, quicquid gemmarum prodiga mittit
India: quicquid opum pelago scrutatur Erithræo.
Nec sua templa coli post hæc pius abnuet ille,
Qui simul accitus quæstus odisse nefandos
Dicitur, & vitæ contrarius isse priori.
Oderit inde nefas; sed habendi insana cupido
Has circum sedes adiget fœdare nepotes.
Sanctius inde procul templum sacrabitur huic, qui
Pastorum excipiet dotalis munera terræ
E Primus ab imperio; verum hæc sacraria linque;
Et quæ dextra, volens colet is qui ab Apolline nomen
Tam verum quam grande feret: Jam comminus ecce
Post geminos fluctus pandunt se limina Pauli,
Limina quæ vultu strictoque tuebitur ense
Ille senex, magno totum qui concutit orbem
Eloquio, monstratque viam quæ mittit ad astra.
Inde erat unda triplex, inflexaque semita nobis
Exsuperanda prius quam relligiosa paterent
Templa Syri, cui ni permissum cernere coram
Trajectumque latus ferro contingere dextra,
Quod sibi certa salus Stygiis remeasset ab undis;
F Credere non potuit; sed qua se dextera nobis
Area diffundit brevior via ducit ad umbram
Frondentis luci: luco hoc gaudebit & ara
Inter cœlicolas non ultima fama, decusque,
Si quando ad vitæ superas emerserit auras.
Sed famæ majora manent momenta sedentem
Limite in adverso, ritus & jura parantem
Scribere supremis pacatæ civibus aulæ.
Altius hic alius Lunam transcendit & astra
E regione sedens: magnæ alitis instar in auras
Nititur æthereas, & sidera verberat alis.

In lævam nunc flecte oculos, nec diſcere tentes
Cui ſacer hic fuerit limes, quem contegit ulva.
Multa latent quæ longa dies poſt deteget; at tu
Hanc cœlo eductam molem, lateque vagantem
Suſpice, & ingentes maneat quam pulchra nepotes
Relligio jam ſcire potes; venerabile nomen
Virginis hærebit templo: jam cernere fas eſt
Sacrorum qui cultus erit, quam denſus ad aram
Serviet uſque chorus. Sed tu per cuncta vagari
Deſine luminibus, nec ditia Mauſolæa
Te teneant, paſſim radiant quæ marmore & auro:
Nec quæ poticibus vacuis bina atria currunt,
Pontificis qua tecta ſenis ſecreta recumbunt.
Quin age, & anguſta digreſſus virginis æde
Hunc mecum mirare virum, quem Gallica veſtit
Penula, & innixum baculo domat ulcus aperti
Inguinis; hic terris olim, mox urbe vagatus
Inter odoratas ſylvas, opulentaque dona
Perpetuo contentus aget; nunc protinus ecce
Fluctibus incumbit geminis, cui Græcia nomen,
Cui tellus hæc templa dabit, jam reſpice contra,
Qualis virgo ſedet ſævum preſſura draconem?
Sed nec virgo ferox dudum properantibus obſtet:
Quin per aperta ſoli divæ veniamus ad ædem,
Sacrificumque chorum, mollis cui Syria, & ingens
Detulit extremo nomen Carmelus ab ortu.
Contiguas nunc præter aquas, qua ſemita rectum
Monſtrat iter molire gradum (non pauca ſuperſunt)
Et qua trigeminus ſe fundit in æquora fluctus
Siſte pedem: vultuque novo poſtrema tenentem
Culmina proſpecta; noſtri hæc illa hoſpita regis
Quæ, ſimul admonita eſt vitæ melioris, abegit
Dulce miniſterium; caſtis nunc ſepta puellis
Læta ſedet, luditque choro: miraberis, olim
Retia mille vagis pendentia pontibus, hîc qua
Explicat extrema curſum via mollis in ora.
Baretis ſed templa ſenis quæ proxima ſurgunt
Pontibus, & pueri quam dux habet aliger aram
Poſſe procul ſpectare ſatis. Nunc aſpice dira
Supplicia & juvenem inſontem poſt terga revinctum,
Telorum quem ſpiſſa ſeges confixa per artus
Texerit; aſt illi pietas immenſa reponet
Præmia; reſpondet contra ſed notior Auſtro
Ara vetus, Latiæ hic artis ſunt tecta, foreſque
Veſte ſacra Latius cuſtos: per cætera Grajus.
Solis ad æſtivos ortus pia limina divis
Omnibus hæc ſtatuet vicinis ſedibus olim
Poſtera relligio, ſacriſque operabitur agmen
Virgineum; ſed qua tellus procedit ad Euros
Conſurgent geminæ ſedes, hæc verget in Arcton
Illa Notum: ſimilis facies ambabus & ætas.
Sed cultus non unus erit: comes ille ſupremi
Regis at hic martyr: cœlo ſed dignus uterque.
Haud nunc ſcire licet, ſed tempora longa recludent
Quis ſit in extremæ latitans qui margine ripæ
Perſonam ſub veſte tegit, mitramque jacentem
Luget, & ignotæ miſerabilis aſſidet aræ.
Sed melius ſperare licet ne indulge dolori
Chare ſenex: jam jam tuta tibi linter in unda eſt
En tibi ſacra cohors, quamvis ignobilis adſis,
Expedit hoſpitium pelagi dum ſæva remittat
Tempeſtas: aderunt placidi ſine turbine ſoles.

A Littore in adverſo qua plurima vergit in auſtrum
Inſula, cernere erit noſtri qui nomina regis
Marce ferant: contra paucis comitata ſedebit
Virginibus princeps, Latiis quæ in montibus ultro
Supplicia expendet, trinæ dum lucis amore
Prodere non dubitat ſancti commercia cultus.
Prodere non dubitat ſancti commercia cultus.
Martyr erit, qui templa colit vicina ſed undis
Hoc diſcreta ſolo: divo (quis crederet?) olim
Omnibus huc annis veniet tuus ille ſenatus
Gratatum, populuſque frequens; quod turbine ſævo
Sit patriæ ſervatus honos, armiſque retenta
B Libertas; feſta patietur luce revinctus
Medoacus ſua terga premi: Nunc aſpice quali
Septa choro radiet viridi lux alma receſſu.
Sed tu quid circum luſtras navalia & altis
Horrea culminibus? quin hanc quæ læva recumbit
Miraris ſedem Latii paſtoris, & aram
Cui trinus præſedit honos, triplexque poteſtas.
Hoc caput extremum, volucres qua currit in Euros
Inſula, velivolæ roſtrum quæ imitata carinæ eſt,
Perferet impoſitam molem: limoſa refuſis
Obruta nunc undis ulvaque immerſa paluſtri
Hinc atque inde jacet, planta calcabitur olim
Humidus hybernam ſcopulus qui ſuſpicit Arcton
C Omnia fervebunt denſis hinc puppibus; inde
Qua Notus uſque ruit ſalis horrea vaſta patebunt,
Fors & multa dabit terræ poſt copia nomen.
Quæ contra ingenti tellus tibi curva receſſu
Objicitur, ſua ſacra colet divoſque choroſque.
Æmula nunc certe reparantis cornua lunæ:
Aſt urbis poſt inſtar erit: quam vincere curſu
Aut æquare volet, ni mox pius armiger illi
Vectus equo infeſtam venienti intenderit haſtam,
Hic tibi ſacrorum cultus, teque inclyta circum
Centum cœlicolæ ſervabunt tecta pioſque,
Rite ſibi jam quiſque choros, ſibi quiſque miniſtros
D Nec minor alter honos venturaque gloria rerum.
Nam tuus hic pelagi populus regnator, & idem
Terrarum placidus rector cenſebitur auro
Fluctibus Heſperiis & Lydo ditior hermo.
Regia quod Crœſi cæpit, quod Perſica regum
Gaza vetus, quicquid victo mox abſtulit orbi
Roma ferox, uni genti pia fata reponent.
Dives erit rerum populus, diveſque ſenatus,
Inque toga duplex patria ſpectabitur ordo.
Omnibus unus erit cultus, jus omnibus unum.
Hæc modo diſcrimen fugient: at cœtera cuique
Inſtruet affectus ſumptuſque oblita cupido.
E Juſtitiæ ſed cura tenax, nec parvus honeſti
Gentis amor: facies candens, flavuſque capillus.
Dulcia congreſſu, & tacitæ commercia linguæ.
Hæc te fata manent: atque his lætabere regnis
Fortunate ſenex; veniet labentibus annis
Certa dies, qua cuncta tibi quæ inſomnia monſtrant
Ipſe videns ſpectes templo ſublimis ab alto.
Nunc ſpe lætus abi, meritiſque hæc omnia firma.
Dixit: & in tenues auras lux illa receſſit,
In ſedes abitura ſuas. Tu protinus orta
Jam luce excuteris ſomno, numenque precatus
Rite ſecundaret viſus; nec plura moratus
Surgis, & accelerans ſequeris pia juſſa magiſtri.

FINIS.





INDEX NOTABILIUM,

HORUM PRÆCEDENTIUM LIBRORUM.

de

de

FINIS.









ANTIQ
ITALIÆ

TOM. V.
P. I.











